P. DIDACI DE QUADROS

SOCIET. IESU

SACRARUM LITTERARUM INTERPRETIS

PALÆSTRA BIBLICA,

SEU

ENCHIRIDION NEOTERICORUM.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

P. DIDACI DE QUADROS

SOCIET. IESU

SACRARUM LITTERARUM INTERPRETIS

PALÆSTRA BIBLICA,

SEU

ENCHIRIDION NEOTERICORUM.



Pluisuper unam Civitatem:::::Pars una Compluta est:
Et Venerunt diuæ, ettes Civitates in vnam Civitatem, vt
biberent aquam. Amos. 4. 7.

BVMARIA MATER NOSTRÆ. SOCIETATIS JESU.

S. PATER IGNATIUS FUNDATOR SOCIETATIS JESU.

Ivala del. et sculp.

NOTITIA

SS. HOSTIARUM;

(VULGO FORMARUM)

COLLEGIJ COMPLUTENSIS SOCIET. IESU; fidelibus cunctis iussa intimari; & fideliter latinè reddita.

ANNO vertente 1597. versabantur in his terrarum plagis nonnulli Arabica de stirpe progenati, qui, cum avaritia prærepti ad sacrilegè furandum; etiam argentum illud, quod pro suo Domino custodiendo Sacer cultus adscripserat, tabernacula sacratiora perrumperent; sanctæ fidei, atque pietatis expertes horrendum facinus perpetrabant; vt nimirum exportatas inde Hostias Sacras sacrilegè conculcandas proijcerent. Quibus cum socius iret nonnemo, qui & esset avitæ fidei, atque eius retinendæ non immemor, proiectis Sacras Hostias, vbi poterat, colligebat, & reservabat. Quas quidem in chartula ad sex supra viginti collectas, sigillo, atque timore plenus attulit Patri Ioanni Xuarez in nostro Collegio Complutensi ea tempestate degenti: cuius præterquamquod candor, ac veritatis amor cunctis fuisset planè perspectus, insuper sanctitatis odor, & fama nedum manaverat, sed percrebuerat. Hic ergo summæ totius rei fidem habens, Patrem Gabrielem Vazquez consuluit, scisitatus ab eo; quid sibi in ea rè sentiendum, præstandumve videretur? Porro P. Vazquez veritati huius rei non diffidens, & reveritus, ne fortè perditissima gens eo prætextu venenum ibi dare non erubescerent; satius esse dixit (divinitus plane ad miraculum comprobandum) prædictas hostias à nullo nostratum Sacerdotum fore absumendas, vti per alios alibi fuerat factitatum; sed decenti loco reponendas esse, donec tempore procedente, accidentia illa corruptionem subirent, & in piscinam proijcerentur. Itabat intereà P. Xuarez, ad eas pijssimè visitandas: quas tamen cum ab annis retrò vndecim nihilominus reperisset integras; de consilio gravium, Doctorumque hominum huius Collegij ad humidiora loca curavit esse portandas, vt facilius corrumperentur: quod ita secùs accidit, vt per annum ibi fere commoratæ, colore, odore, integritateque sibi nunquam apparerent esse dissimiles. Sed, & ad rei comprobationem plus locupletem, allatæ quoque sunt eò loci aliæ hostiolæ non consecratæ, quæ quidem intra minoris durationis tempus impar corruptioni cesserunt. Igitur cùm ab anno 1597. vsque ad annum 619. prædictæ Sacræ Hostiæ eodem nitore, atque integritate gauderent ac si fuissent recens admodum factæ; cumque huiuscemodi prodigiosus eventus nedum esset iam testatissimus oculis plurium Provincialium, Rectorum, Lectorumque Theologiæ huius Collegij eo tempore transcurrentium; sed etiam plurium Doctorum atque professorum tum Theologiæ, tum Medicinæ Vniversitatis Complutensis, ante quos omnes quotidie res ipsa sic abibat in maius, vt non sine magno, atque evidenti miraculo præstita crederetur; visum fuit Rectori, & Patribus huius Collegij iam rem eiusmodi postulare, vt libello supplici, & solemni ipsi se sisterent coram Doctore D. Christophoro de la Camara & Murga, Canonico Magistrali Ecclesiæ Toletanæ, eiusque Archiepiscopatus Vicario Generali, dein vero Episcopo Canariensi, humiliter præcaturi; vt, inquisitione de more præmissa, ad normamque Tridentini, sua auctoritate id miraculum approbare, declarareque dignaretur. Cui quidem religiosissimo postulato facilis, ac religiosus, quoque ipse iudex; tum iure iurando interposito testes omnes adhibuit, & eorum pronuntiata vigil excepit, qui huiuce rei cognitores esse potuissent: tum gravissimum instituit cœtum, in quo primores professores Theologiæ, Canonum, & Medicinæ; alijque Doctores, Canonici, & Dignitate aucti in Ecclesia S. Iusti, & Pastoris; insuper Prælati regulares, alijque earumdem Religionum Lectores, ac Prædicatores omnes pariter consedere. Qui omnes postquam visu, & tactu, profundaque attentione Hostias Sacratissimas probavere; censuerunt vnanimes, illæsam illam earundem diuturnitatem, integritatemque non nisi plano miraculo, supernaturalique virtute Omnipotentis Dei evenire potuisse: qui, videlicet, ad confusionem hæreticorum, ad fidelium solatium, fideique confirmationem id testimonium de sua præsentia reali in Eucharistia nobis indulgere, atque dispensare voluisset.

Porro præfatus Dominus Vicarius tot ac tantorum hominum sententiæ conformis; insuperque tota re ipsa coràm, personaliterque collata cum Capitulo Toletano, Sede Vacante; demum Compluti die 16. Iullij anni 1619. munere suo fungens, ordinariaque auctoritate, Christi nomine invocato, pronuntiavit, ac declaravit, prædictas Hostias Sacras tanti Sacramenti reliquias esse, earumque conservationem esse supernaturalem, & miraculosam; proindeque fideles omnes teneri ad eas singulari honore, adorationeque debita prosequendas, & venerandas. Quapropter superiori, qui tunc aderat huius Collegij, & omnibus successoribus suis, itemque Religiosis, tunc ibi degentibus, deincepsque futuris iniunxit, vt eas populo Christiano adorandas, ac venerandas protinus exhiberent, totiusque Ecclesiæ fideles de re tam stupenda certiores facerent ad huius Divinissimi Sacramenti honorem, venerationem, & cultum.

Post quæ cum eadem integritas, & perfectio Sacris Hostijs in esset; rursus Compluti Doctor Alvarus de Villegas Gubernator Archiepiscopatus Toletani die 8. Iunij anni 1622. Itidem declaravit, veluti ordinarius Iudex eadem esse plane incorruptas, sibique videri miraculum patere, & manifestum, quod Dominus operari dignatus esset, itaque rem ab eo dijudicari. Cuius in fidem litteras dedit manu sua subscriptas, sigillo suo munitas, suique Secretarij testimonio comprobatas.

TESTIMONIUM DOMINI GUBERNATORIS D. Francisci de Mendoza.

NOS Dominus Franciscus de Mendoza Episcopus, & Gubernator in nomine Celsitudinis Domini Cardinalis Domini Ferdinandi Hispaniarum Infantis, Administratoris perpetui Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, & eius Archiepiscopatus, Chancellarij Maioris Castellæ, Domini mei, & ex eius subdelegatione, & auctoritate, quam ab eo habemus acceptam ad moderandum in spiritualibus, & temporalibus præfatum Archiepiscopatum, quantum ad nos attinet, vt Coadministratorem Apostolica auctoritate, &c. Præfatam narrationem veridicam reputantes, vestigiaque præmentes duorum Dominorum Iudicum Domini Christophori de la Camara, Vicarij Generalis, & Domini Alvari de Villegas Gubernatoris, demumque consentientes cum tot, ac tantorum hominum Doctorum, graviumque sententia, atque cum voce, & fama publica omnium, qui prædictas Sacras Hostias, & antea sunt intuiti, & quotidie intuentur (ipsis etiam pernos propè. & attentè lustratis non sine admiratione candoris, & integritatis, qua gaudent, septem supra triginta abhinc annis Aprili proximo implendis) censemus, & declaramus, denuoque approbamus prædictas Sacras Formas ad præsens esse incorruptas, nobisque videri clarum, apertumque miraculum, taleque à nobis reputari, & censeri. Cuius in fidem dedimus præsentes litteras nostra manu subscriptas, nostro sigillo communitas, nostrique Secretarij testimonio comprobatas. Compluti die 28. Ianuarij anni 634. Dominus Franciscus de Mendoza. Iussu Episcopi Domini mei. Doctor Hieronymus de Montalvan Secretarius.

CULTUS PRÆSENS.

1. SAcellum à latere Evangelij magnificum erectum est, tabernaculo, Altaribus, lampadum, luminariumque luce, inauratione, ornamentis, atque pictura, & architectura sumptuosum. 2. Quotannis Dominica secunda post Resurrectionem populo exhibentur, in pompaque per vias in pretioso throno super humeros Sacerdotales portantur, perstrepente Civitate tota, & omnibus ordinibus circumfusis, sancta devotione gestientibus. 3. Reges Dynastæ, Principes Ecclesiastici passim ad eas adorandas adventare consuescunt. 4. Neque rarò, neque crebrò ostenduntur: hoc, ne facilitate devotio decrescat; illud, vt ipsa manifestatione probetur tanto plus Sacramentum, quanto minus occultum.

MIRACULA.

MIRACVLVM primum. Filius Balthasaris de Villalobos Complutensis ætate bimus apostemate percussus, & à Chirurgo ROXO desperatus (qui rem postea iuravit miraculosam) per novendiale, & vnctionem olei repente ad Sanctissimas Formas (vti receptiori vocabulo nuncupantur) sanus exivit, & exilivit. II. Itidem per oleum, & novendiale Francisca de Peñafiel Complutensis a Carbunco læthifero duplici iam periclitans, statim fuit libera. III. Chirurgus quidam Complutensis octodecim annos calculo laborans per novendiale necdum finitum, ita evasit, ac si nihil passus fuisset. IV. Ante sacellum duo leprosi filij cuiusdam agricolæ sacro illhinc ministrantes sanati sunt. V. Ioannes Ojeda, & Anna Cortès incolæ Conchenses (qui & rem iurarunt) oleo SS. Formarum filiam suam phtisi, & hydropisi iam in diem certam desperatam à Medicis, eadem die sanam penitus obtinuerunt. VI. Agustinus Tamayo præsbyter Societatis propria manu subscripsit, se totius corporis æstu ad omnes medicinas indocili laborantem, olei Sanctissimarum Formarum vnctione, Antiphona Sanctissimi Sacramenti, Trinitatisque invocatione sanum penitùs evasisse. VII. Ildephonsus Fernandez frater Societatis, & æduituus Collegij per supra viginti dies dolore cruris oppressus ad lampadis Sanctissimarum Formarum oleum accurit, & sanatus est. VIII Et singulare portentum, quod ex testimonio Onuphrij de Espinosa hisce Sanctissimis Formis adscribitur, est, quod cum restitutor quadrienio id non ausus, eas pœnè alvear quoddam inter lapides deposuisset; observavit rivulum mellis ex alveari decurrentem ad Sacras Hostias, & inibi ceream cum suis radiolis custodiam ab apibus fabrefactam. Quas cum obstupefactus tulisset juxta ficum inde distantem; tamen hæc exaruit; & mel, atque custodia cerea (antè abolita) rursus apparuit: quovique per morbum correptus Complutum eas adduxit. Et id genus alia.

Hæc etiam typis impressa servantur in Collegio Complutensi.

PALÆSTRA BIBLICA,

SIVE

ENCHIRIDION

NEOTERICORUM

PRO SACRIS CODICIBUS RITE TRACTANDIS,

ET DIFFICULTATIBUS

SCRIPTURÆ SACRÆ

SCHOLASTICÈ

DISCUTIENDIS.

TOMUS PRIMUS.

AUTHORE

PATRE DIDACO DE QUADROS, SOC. IESU,
Matritenſi, Olim Philoſophiæ, & Scholaſticæ Theologiæ Profeſſore
Primario; modò Compluti SS. Litterarum Interprete
Archiepiſcopatuſque Toletani Examinatore
Synodali.



ANNO IUBILÆI
1725.

ANNO CONCILIARI
M.DCC.XXV.

CUM PRIVILEGIO.

MATRITI: Excudebant Hæredes Antonij à Regibus.

PALÆSTRA BIBLICA

SIVE

ENCHIRIDION

NEOTERICORUM

PRO SACRIS CODICIBUS RITE TRACTANDIS

ET DIFFICULTATIBUS

SCRIPTURÆ SACRÆ

SCHOLASTICÆ

DISCUTIENDIS.

TOMUS PRIMUS.

AUTHORE

PATRE DIDACO DE QUADROS, SOC. JESU,

Matritensi, Olim Philosophiæ, ac Scholasticæ Theologiæ Professore

Primario; modo Complutensi SS. Litterarum Interprete

Archiepiscopalique Valentiæ Examinatore

Synodali.

CUM PRIVILEGIO.

MATRITI: Excudebant Viuda Antonij de Reguera.

ANNO IURIS 1725. ANNO CHRISTI M.DCC.XXV.

SANCTISSIMO PARENTI,
MIHIQUE DULCISSIMO,
AC PRÆDILECTO
PATRI IGNATIO DE LOYOLA.

CUIUS UTINAM SIM DIGNA SOBOLES,
cuiuſque ſub claro nomine nil obſcurum.

ARCHIVO

SS. SCRIPTURARUM, IN QUO ARCANA PLURIMA
repoſuit Altiſsimus.

ANIMÆ

ANIMARUM UNIVERSALI, ET IN OMNES EARUM
potentias ſuaviter pontetiſsimæ.

FULCHRO

URBIS, ET ORBIS, FIRMISSIMÆQUE ECCLESIÆ
Columnæ.

GRANO

ELECTISSIMO IN TERRAM CADENTI,
de quo lex ſancta replet horrea ſanæ doctrinæ.

PHARO

PERENNIS LUMINIS CUNCTIS HOMINUM
ordinibus prælucenti.

DUCI

UTRIUSQUE MILITIÆ, SUB CUIUS VEXILLO
ſolidiſsimæ ſanctitatis victus ſemper eſt Victor.

H. O. M. F. D. D. Q. D. O. C. Q.

IDÆA OPERIS.

TOMUS PRIMUS.

CONTINET pro veſtibulo, aut propylæo I. Prolegomena brevia. II. Compendium, & analyſim eorum omnium, quæ in Sacris Biblijs continentur; cum notitia Authoris, & Idiomatis vniuſcuiuſque libri. III. Decades quindecim Regularum ad rictè interpretandum Sacram Scripturam. IV. Adagia, & phraſes omnium librorum vtriuſque teſtamenti. V. Interpretum ſyllabum in tota Biblia. VI. Decades quinque Quodlibeticas Selectarum Quæſtionum, quæ ſuper ſacris textibus diſcutiuntur. VII. Indices tres, primum in principio, Tractatuum, & Capitum: ſecundus ad finem, locorum Sacræ Scripturæ; tertius Rerum, & Verborum.

TOMUS SECUNDUS.

QUI, dante Deo, proximè edendus eſt, continet pro apparatu. I. Methodum diſcendi, & docendi Sacras Litteras. II. Methodum diſputandi in eis, & ſcribendi ſcholaſticè quæſtiones Biblicas. III. Methodum conficiendi Lectiones certatorias in re Biblica. IV. Methodum interpretandi Sacras Litteras. V. De re Chronologica ponderibus, & menſuris. VI. Decades quinque celebriorum quæſtionum ad complendam Centuriam. VII. Præter Indices ſupra relatos, alium Indicem longe operoſum, & ſingularem, in quo ita omnia ſacra volumina obſervantur, ac percurruntur; vt nullum in eis caput ſit, ſuper quo ferè ſemper binæ quæſtiones de tota noſtra Centuria tradita non excitentur ad prælegendum. Itidem meliori quo poſsit modo concionatorius indiculus adijcietur: imò, & toti operi fortè alius, qui videatur illud illuſtraturus.

EX-

Hic fidei Quæstor Primus, Primasque Toleti:
Necnon Hesperidum qui Moderator erat.
Didacus Astorga est: nemo excellentior Orbe:
Hunc satagunt plures sculpere: nemo potest.

EXCELLENTISSIMO VIRO,
ET PRÆCLARO ANTISTITI
DOMINO DOMINO
DIDACO DE ASTORGA
ET CESPEDES,

QUONDAM POST ALIA MUNERA Episcopo Barcinonensi, totius Hispaniæ Inquisitori Generali, Castellæ Celsissimo Cancellario, Hispaniarum Gubernatori, Archiepiscopatusque Toletani Præsuli meritissimo, & Venerando.

SI Quisquam rei perfectè non cognitor, præproperusque iudicator (Præsul Excellentissime) viderit hæc scripta mea modò ad te volitare; pigrum sanè me, morosumque solutorem forsitan postulabit. Cùm enim primum fœtum qualemcumque meum aliò verterim; alijque nuncupaverim; videbitur, neque immeritò, non solùm in hac re nimis debitæ officiositati pigritatum fuisse; sed etiam à me satis iniuriosè, &

præpoſterè actum eſſe ; dùm Primo Hiſpaniarum Antiſtiti primam gratitudinis hoſtiam, atque libamen fui ſuffuratus: & quidem eò præſertim, quò magis me Celſitudinis tuæ iura connectunt; ita vt vix inde foràs me dare queam ſine fractione obſervantiæ. Sed verò, Princeps Excellentiſsime, iniquus rei meditator eſt quiſquis de ea impreſentiarum ſic ſtatim definire non erubeſcit: non enim adeundi ſunt Viri Magni munuſculo perexiguo: neque rurſus decorum eſt Oratori, non bene coaptare argumentum Cœſari illi, coram quo vult pronus, opportunuſque declamare. Fateor equidem, dum pro mea Scholaſtica Palæſtrà hominem quærerem, in primis Excellentiam Veſtram, neſcio quo interno iure (vel potiùs ſcio iure quàm plurimo) intrinſecùs, extrinſecùs clamitaſſe, vt inde non tollerem ea, quæ ſolis eius Aris primitùs debebantur: accidebat tamen, vt manus ipſa mea iam iam oblatura, ſuis tota articulis contremiſceret; quòd perinde libellus eſſet ille Tanto homini, ac ſi vacua prorſus munere inveniretur. Quomodo enim non eſſet ſonare rauciſsima, promere ante Tanti Præſulis glorioſiſsimum Solium, & Conopæum denſam Sophiſticarum Captionum Iliadem, & omnes tyronum diſputatrices vias, ac

per-

perobſcuros calles perſequi, & indagare? Deerat profectò, Ampliſsime Domine, huic ideæ ſpeculatrici maieſtas illa, ſine qua prenſare pedes Tuos nequibat non eſſe res criminoſa. Vnde id operis ſpontè ſuà eò plus vergere videbatur, vnde Scholaſticæ gladiationis primordia dicerat, in Magiſtrum, ſcilicet, quemdam meum: cui, præterquamquod ea, quæ diſcipuli ſui ſunt, raro ſunt minima; inſuper vt homini emunctæ naris incumberet, tenellas prolis ſuæ nares ad purum prius emungere, quàm ante Viros primos, & ſpectationis maximæ reſpirarent.

Verum enim vero cum ſtudia mea, elucubrationeſque pluſculùm adoleverint, vt Sacratiorem Palæſtram inierint; atque auſæ ſint pro re Biblica tám aureis iam verſari in arenis; certè non niſi ad Sedem Tagi accurrendum erat; eò etiam fine, vt flumen hoc aureum eas eloquentiæ vices, quibus par eſt alloqui TE, largiter eſſet reportaturum. Igitur, Excellentiſsime Princeps, inter ſatis multa, quæ in hoc opere dedicando cogunt me Tuos ad pedes pronum advolvi, primum ſanè locum obtinet argumentum: quod, cùm Biblicum illud ſit, venit inter Hiſpanos non niſi PRIMATI Eccleſiarum Homini nuncupandum: nempè vt externo ful-

gore

gore auctoritatis circumquaque reſplendeant ea, quæ alto nitore veritatis perpetuò collucere non deſinunt; atque quæ Capitis planè ſunt Primi, nulli inferiori membro adaptentur. Non enim ſacra myſteriorum velamina facilè alij tegenda, atque protegenda ſubſunt, quam Infulari Pallio illi, cuius omnis ſummitas verus eſt apex, & cuius gloria Protectoris ſpeciem tantæ maieſtatis obumbret. Ubi cum iam ad ſumma perventum ſit; ad ima mihi deflectendum eſſe iam video; ne, dum de imo ad ſummum me TIBI quiſquam obæratum eſſe perſpexerit, ſugillare auſit, quòd Tanto Homini homuntio quidem, tametſi ſuppliciſsimus, præſentetur. Quemadmodum enim dignationis inacceſſa celſitudo eſt in Divinis, ſummis ima iunxiſſe; ita viciſsim in humanis quoddam dignationis eſt Sacramentum, Viros excelſos alios quam longiſsimè inferiores, & impares non dedignari. Eapropter non ſine prægrandi culmine honoris Tuos inter Domeſticos cooptatus eſt germanus Frater meus D. Franciſcus de Quadros, Quadrigarum ipſe Præfectus, vt, nimirum, quia Fortuna non niſi rota eſt; quadrigis ſorte tuis quater iret ille beatus. Qui ita volupè, & impensè Veſtræ Excellentiæ mancipatus eſt

fa-

famulatui; vt vix omnem eius ſolicitudinem ſuffecturam eſſe arbitretur, vt particulam exſolvat honoris, ad quem ſe immeritò fatetur evectum. Quare ſi TIBI, ò Princeps, ipſemet, qui in venis fluitat, refluitatque noſter ſanguis, factus eſt debitor; quidni cuncta noſtra ſint TUA, cum TUI ſimus, & nos? Rurſuſque quidni nos ipſi TUI ſimus planè in æternum, dum TUA TU celſiſsima dignatione non recuſas noſtri eſſe tam noſter? Quod ſi fortunatus hic frater meus tantæ ſubit iura fœlicitatis; me adhuc longè maiora iura nexuerunt, dulciſsimæque obſervantiæ fibulæ colligarunt: vt ſcilicet interea dum ille ſpontè famulus eſt; ego & ſpontè, & ex lege ſervus ſim adſcriptitius. Quoniam præter ius illud famulatùs (quod erga Tantum Dominum ſemper eſt dulce) non ſolum ligatura collaterali, ſed etiam rectà dulcius aliud ius gratitudinis erga TE Societas mea me Mater ipſa condocuit. Spirat enim paſsim ea Tuæ erga ſe ita magna officia benevolentiæ, vt facilè nil aliud reponendum ſupereſſe videatur, niſi, nullas eiuſdem geminatas officioſitates officijs tantis pares eſſe futuras. Quare, ſi modò vlla ex parte mihi meum eſt, hiſce paginis in fronte Tantum Nomen inſcribere; ſtatim ac me me licet

licet indignum, Societatis esse germen agnoveram; iam illud certè minimè meum est, sed profectò Tuum: volumina enim Societatis Nostræ eò sponte volvuntur, atque feruntur, vnde plures, quàm ferunt, referant plumas, quibus queant per Orbem sub Patroni sui Alas gloriosissimè volitare. In quo genere id vnum dolendum est maximè, Inclyte Princeps, quòd, scilicet, TE & SOCIETATEM duos polos altissimos iungere ausa sit, cuiusmodi mea est, manus exigua; dum satagit per hasce debiles paginas amoris tanti vllas & gratitudinis partes explere: quamquàm dum ita sursùm agor, munuscula occultabit mea aura splendidissima suscipientis, ita vt, ludificato intuitu prospectantium, duntaxat conatus attollendi manus, qui verè mihi magnus est, videatur esse relictus.

Ergo cum tenuitas ipsa doni obruenda planè sit Excellentia personæ; hanc ipsam EXCELLENTIAM Tuam mihi adprecor fautricem fore, cuius nempè tituli, & stemmatis fuisti simul Ipse non minus Creditor, quàm fideiussor. Creditor quidem: quoniam Dignitas ipsa, vbi resedit in TE, novam subinde de Persona TUA sibi nomenclaturam adrogabat:

sci-

ſcilicet perhonorificum illud EXCELLENTIÆ prænomen, quod ſolùm cum EMINENTIA pateretur eſſe promiſcuum: vt cùm verè TU, Domine, in Infulis, ac Sede Tua tantùm emicares, quàm cœteris emineres; ſic fores Ipſe primus in eà EXCELLENTISSIMUS compellandus. Inſuper Tanti tituli fideiuſsionem promptus facinoribus ſolvis: neque enim Excellentiſsimum quemque cuiuſmodi es, ò Præſul, geſta, cuiuſmodi Tua ſunt, niſi magnificentiſsima condecerent. Et vero ad id TE finxiſſe natura ipſa viſa eſt inter avita Tuæ nobilitatis priſca, & Bœtica monumenta. Inter quæ egregijs Tuis facinoribus, & honoribus eaſdem, quas de progenie Tua ſuſceperas decoratas areolas, Ipſe in alias totidem laureolas convertiſti: ſanè edocens, vnumquemque præter hæreditaria, ſibi alia poſſe cudere gentilitia: in quibus quanta de ſtirpe in ſurculum nobilitas promanarit; rursùs de ſurculo in ſtirpem glorioſior illa reaſcendat. Hæc igitur in TE natura ipſa non tacuit, dum quæ in manu Tua aureas liberalitatis fudit habenas; modos omnes hilaritatis, quos popoſcerat Paulus, reſperſit in vultu: vt quæ in eo cunctos modeſtiæ, atque comitatis modos peregerat; ſolis manibus, doniſque Tuis modum

dum relinqueret profectò nullum. Exinde ergò certatim, vocante Numine, TE Episcopales Insulæ affectavère: quippe quæ probè noverant, nuspiam præter TE magis munificum nacturas esse dilargitorem. Duo autem sunt munera altissima, quæ TE à se protinus avolare fecerunt: alterum Inquisitoris Generalis munus illud sacratum pariter, & ampliſsimum (quod tamen aliquando fuisse in TE, semper gaudebit) Nam in hoc sanctæ severitatis officio iam pridem lenitas Tua non modicas, si torquendus quis esset, subibat ipsa torturas: vnde Tuum diu esse non poterat in aliorum pœnas, atque supplicia ire, & sævire: quare cum ea TE sibi Dignitas non nisi cum dolore divulsit; TE TUÆ humanitati penitùs redonavit. Alterum verò totius Hispaniæ moderamen, & clavus est: quia nimirum qui clavus est semper configit; & Principi apprimè Ecclesiastico, prout Te norunt omnes, de sæculo perstrepente plus placet, quàm moderamina, moderatio.

Hæc ergo, Præsul Excellentisime, cùm ita sint; cur non pelliciant me, multo Viro indigum; vt ea, quæ ex me non nisi obscura proficiscuntur, de TE hauriant omnigenam claritatem? Ita enim vbicumque nævos ipse respersero,

ro, ingens de tantæ manus dexteritate venuſtas accedet. Atque cum ad litteras modò pervenerim; id certè præterire non valeo: quod nimirùm cum in Iure Cæſareo, Pontificioque enucleando tamdiu verſatus ſis; textus noſtros Biblicos elucidandos non ingrata fronte ſuſcipies; ſed potius magiſterio, quo frueris diſciplinæ (cum vtrobique non ſint valdè diſpares leges interpretandi) ſicubi per me erratum eſt; deflexas intelligendi vias peritiſsimè reparabis. Poſt quæ, vbi per tam altas manus adhibita caſtigatio ſit, illicò munuſculum hoc Tuos ad pedes ſupplici Minervá provolvitur, vt TE Antiſtite, TE Patrono, TE Mœcenate, is, qui in Sanctis Scripturis evolvendis alicubi forſan torpor obrepſit, ſolicitudinis tantæ vigilantia, & favore penitus depellatur: iuventuſque præclara in his diſciplinis ſic inardeſcat; vt Sanctarum Scripturarum, (Dante Deo, cuius donum eſt) creentur paſsim dexterrimi tractatores. Quod quidem, quemadmodum TE opitulante, mihi facile eſt polliceri; ſic precor cernuus, vt ſi in hoc munuſculo offerendo audacia tantò maior eſt, quantò donum eſt minus; inter ambo media interiaceat obſtrictæ gratitudinis obſervantia profunda: quæ, vt mediatrix illa ſit, id

tantum obesse nunc poterit, quòd non sit ea moderata; sed certè summa. Vale, Princeps EXCELLENTISSIME.

EXCELLENTIÆ VESTRÆ

Servus minimus, & obstrictus maximè

Didacus de Quadros,
Soc. Iesu.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS Provinciæ Toletanæ.

FRANCISCUS Grande Societatis Iesu in Provincia Toletana Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta à R. admodùm Patre nostro Michaele Angelo Tamburini, Præposito Generali, facultatem facio, vt Liber inscriptus, *Palæstra Biblica, sivè, Enchyridion Neotericorum pro Sacris Codicibus ritè tractandis*, Authore P. Didaco de Quadros nostræ Societatis Theologo, & ejusdem Societatis gravium, Doctorumque hominum iudicio approbatus, Typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Matriti, in nostro Imperiali Collegio, die decima septima Mensis Ianuarij, Anno millesimo septingentesimo vigesimo quinto.

Franciscus Grande.

CEN.

CENSURA Rmi. P. DOCT. ET MAG. P. FR. Franciſci Niſſeni in Univerſitate Complutenſi Theologiæ laureà decorati, ſemel, & iterum Collegij S. Baſilij Abbatis, Definitoris Generalis: Qualificatoris S. Inquiſitionis: atque pro obtinenda Cathedra Theologiæ nedùm certatoris; ſed à Supremo Senatu primo loco conſulti.

IUSSU Domini D. Franciſci Lozano, Canonici, & Maioris Capellani dignitate decorati in Eccleſia Magiſtrali SS. Iuſti, & Paſtoris, necnon Vicarij Generalis Archiepiſcopatus Toletani, legi Librum, cui titulus eſt: *Palæſtra Biblica, ſive Enchiridion Neotericorum*, compoſitum à R. P. M. Didaco de Quadros Societatis Ieſu Sacrarum Litterarum Interprete in Collegio Complutenſi. Quod quidem merè retuliſſe ſat erat, vt nulla poſſet Cenſura deſiderari: Omni enim ex parte ſuperiora reſonant nedum ſanam, ſed & mirificam etiam vbertatem doctrinæ: ſivè enim Societatem Matrem diſciplinarum, ſivè Authorem, & eius opera, ſivè Collegium Complutenſe, vbi innutritus eſt, ſedulus penſitem; nulla profectò ex parte fluenta doctrinæ ſanè pretioſæ non promanabunt. Et verò quamquam erga Societatem Ieſu, ſanctam pariter, & doctiſsimam, (ſi cordi calamus linqueretur) nullas ſibi metas habitura eſſet oratio; quandoque tamen verior amor eſt verborum phaleras decurtare, oſtendereque; quod, vbi res cunctis eſt nota; verbula replicata potiùs ſint obſcuritati quam luci. Id tamen inter tanta præteriri certè non poteſt: quòd, nimirum, alma Societas Ieſu poſsidet hæreditario quodam iure ſcientiam, & eruditionem ab eius cunis ſic ſibi adrogatam, vt ſtatim ac per loca, & tempora quiſque de ea ſocius eſt; ipſe quoque de ea ſtatim ſit eruditus. De quo cum longe plura quam Ego poſſem congerere, fama ipſa loquatur; id vnum promo celebre Muſæum diſciplinarum, ſolidiſsimi acuminis prodigioſam verè officinam, totiuſque pietatis clarum exemplar, Complutenſe Collegium, quo Univerſitas hæc Complutenſis glorioſiſsimè decorata, nacta eſt viros circumquaque maximos de ſinu ſuo maximo prodeuntes: in quibus proverbium illud Cyrilli Alexandrini *Sapiens alius ab alio* pœnè ad ſtuporem expletum eſt; cum ab Exordio Doctorum, & Scriptorum non ceſſaverit tàm locuples, multiplex, atque prodigioſa propago. Quam ſi per Scripturarios traduco invenio Gaſparem Sancium, Salazarium, Caſtrum, alioſque Heroas notiſsimos in noſtro Authore eſſe graphice redivivos: Vnde id quod dixerat Iſaias: *Cogitationes antiquas fideles Amen* appoſitiſsimum eſt noſtro Authori: qui de Domo ſua cogitationes antiquas mirè adauctas fidelis in ſua veritate repoſuit, dum Palæſtram Biblicam concinnavit: Qui quidem Author non ita repentino ſaltu venit in lucem, vt non priùs Orbem alio docto volumine illuminaverit; vbi præludia poſuit, per quæ ad intima ſapientiæ poſtea penetrare non erubeſceret:

Lib. 1. Contra Iulianum.

Iſai. 25.

ret: Itaque idem ille ipſe eſt, qui dexterrimus prælusit in ſua Palæſtra Scholaſtica vere *Doctor*, & *Ductor*, & qui nunc altiſsimos ſapientiæ cardines ſcientificus moderatur. *His fruere ea lege* (aiebat Lipſius) *vt gradum tibi ad maiora, & altiora ſtruant.* Et id præſtitit noſter Author pereruditè: Qui ſanè prius quam ad prælum in rem Biblicam perveniret, duo quæ communia non ſunt, præſtitit luculenter, videlicet: & artem præliandi ſingulariſsimam fabricavit: & de diſſertationibus ſuis prior ipſe Compluti periculum fecit, & plauſibilia certamina ſuſtentavit: vt prius illæ quam prælo, prælio ſolemniſsimo quaterentur. Quapropter cum vtrobique, ſcilicet, in vtraque Palæſtra præliator ſit nobiliſsimus, atque hic QUADROS ſibi ſit tam ſimillimus, nequit ſermo meus alteram divellere ab altera; ſed vtramque vnico admirationis complexu dulciſsimo memorare.

Igitur hic Author in ſua Scholaſtica Palæſtra ita certatores munit, & mænit, vt nedum fortiſsima elaboraverit propugnacula defendenti, inſtar illius Urbis, quam Iſaias muro, & antemurali glorioſiſsimo circuncinxit; ſed & mænia ſub ea bellica quadratura diſpoſuit, vt inde tormenta Scholaſtica forinſecùs territarent, exploderent, ac tandem adverſas arces quaterent citiſsimè ruituras. Quòd ſi quiſquam ex inde non carpit fructus; profecto aut præclaræ huius artis, & operis ingenioſi is malus tractator eſt, aut certè nullus: Has enim mentis pugnas, & præludia nobilia vtiliſsima eſſe cenſuerunt qui rati ſunt, per eas (vt facit Author) tandem ad decretorias quaſdam quæſtiones, reſolutioneſque graviſsimas eſſe veniendum. Unde præterquamquod maior Seneca, Lactantius, & Caſiodorus id clamitant; Petronius ſubdit pereleganter. *Et ideo ego adoleſcentulos exiſtimo in Scholis ſtultiſsimos fieri, quia nihil ex ijs, quæ in vſu habemus, aut audiunt, aut vident.* Nihil ergo iam mirum eſt eos, qui Scholaſticam Authoris Palæſtram enucleare non audent, indidem fructus pulcherrimos ingenij, & veritatis, quibus ipſa redundat, non poſſe excerpere: neque enim ſapidum eſſe quidquam poteſt; niſi guſtetur intrinſecùs. Eſt ergo Author in raciotinando delicatè ſubtilis: ſermo illi perſpicuus eſt, nitidus, & fluidus eleganter; ita vt ſaturitas in eo lectitando ſit exul; & ſi verba Sapientum ſicuti ſtimuli compellantur, hic cernere oportet verba acumine, vivacique explicatione præclara, ſed pondere dicendi graviora. *Sermones cædimus* aiebat peritus ille, dum ſtylum laconicum dilaudaret; & hic verba non truncata, ſed cœſa; nec ſolum cœſa pulcherrimè; ſed glorioſo marmore cædenda rurſus, atque incidenda obſervantur. Author enim ſuapte natura emphaticus eſt, plura dicens, quàm loquens. Unde, quemadmodum ſi de armis corporalibus ſermo eſt, validius confodit hoſtem pugio quàm gladius, eo quod vt ſenſit Lipſius, *quò brevior eſt, eò acutior*; ita profectò eſt vis ſcriptionum, & ſcriptorum, qui dum ad verba bene præciſa mentem cingunt; ad profundiſsima diſciplinarum breviſsimè, & penitiſsimè penetrare conſueſcunt. Propterea ergo Scriptores alij perdocto, ſed lato calamo diſcurrentes, pretioſas telas elaborarunt; ſed Author noſter telas, & tela: *Telas*

quídem, nam de vrdimine delicato ornamenta multa contexuit, quibus multi se contegant; & *tela*, quia pretiosa cudit ille spicula ingenij, quibus possit vtrinque (incruentè quidem) dimicari subtiliter: ita vt nusquam accomodatiùs resonent illa verba; *Beatus qui docet manus meas ad prælium*: sivè enim illum lego, sivè illum audio in Theatro Complutensis spectationis Cathedram moderantem; vbique decertare condisco: namque in primis non eiusmodi vir ille est, qui nondum concocta festinus egerat; sed potiùs iam dudum digesta desuper in iuventutem lactentem, ita instillet, vt singulis singulas videatur infundere maturitates. Propterea semper pace, & gravitate plenissimus visus est obiecta discindere, & aggeres oppositos non fragore, sed doctrina disrrumpere. Vnde nedum plura pluribus tractanda ministrat; sed primus tractator ille facem præsefert; atque postquàm lineam Scholasticam quasi circunclusit; modo semitas Biblicas etiam dexterrimus odoratur. Quoniam vestibulum operis completum parat, dum de prolegomenis, regulis, adagijs, & Interpretibus peraptum conficit apparatum. Deinceps quæstiones celebres Biblicas sanè gravissimas ita ad filum Scholasticum donat ille expolitas, vt neque quidquam de gravitate pereat ex methodo; neque rursùs methodum laxet argumenti maiestas: ita vt ipse sibi voce, & calamo in dotibus magisterij perfecte respondeat; neque alius quispiam eò melius præcepta, quæ seruit, adimplere videatur, & qui in priori Palæstra legifer fuit; modo sit Doctor. Tam hic QUADROS vbique, & semper simillimus est ipse sui. Cumque scribere, pingere profecto sit, vt olim Cicero *Bibliotecam mihi tui pinxerunt* vndique dum lego QUADROS, oblectat me multiplex, & speciosa pictura: Nam Scriptura pictura est; deinde Author nobilis quoque est ipse pictura: Præterea quid Liber est nisi suimet Authoris fidelis imago? Ergo cum tam multa me suprà linteum bene colorata circunstent, quid præstem ambigo, cum colores eloquentiæ ad huiusmodi picturæ celsitudinem non pertingant. Ad rem profectò est quod Parenti meo Basilio filius eius doctissimus de Virginitate ipsius loquutus accomodavit, dum dixit. *Tute pictor, & pictus*: dum enim QUADROS nobis adest, simul pictor, & pictura resplendent: Atque si alios Authores ex Scriptis noscimus; hic Author, & scripta eius vnum est prorsus, & idem, ita vt totus ipse vivus sit in opere suo. Quare cum de hac imagine sermo est; exulant sculptilia, non enim est imago molis, sed subtilissima, & solum quæ *pictilia* dicas huc poterunt revocari. Ad quæ accedit, quod tot venustæ imagines replicatæ huc veniunt ad speculum, quod vocat Pater Cornelius Scripturas Sacras, ad quarum vim reflexivam maculæ perpurgentur. Vnde, vt finem faciam, nonnulla subinfero in laudem operis, & Authoris, scilicet quod vnus hic Author sibi poscit plures imagines; quod si Author, & opus pictura, & imago sunt; aderit profectò copia specierum: quod si Scripturæ opus speculum est; deesse non poterit claritas, & absterso; quod rursus, vbi absterso est, nulla est macula remansura. Sed quod vlterius hinc oritur speciosum est, quòd nemo in hæc scripta oculis ve-

Ad Attic.

M. Perez p. 767.

In Epist. Iacob.

venenatis posſit incidere; quin ab ipſis vi retrogradà confodiatur: Quia, quemadmodum P. Cornelius (vbi ſupra) egregiè exponit baſiliſcum ſpeculis circumſeptum ab ipſo veneno eiaculato de ſpeculis reflectente interire; non aliter ſi quis Lector ad hæc oculo faſcinante perveniat, noverit, cùm in ſpecula incidat, forte ſe periturum. Denique ne multus eam, vbi facilè finem non faciam; cenſeo hoc opus, & fidei, & bonis moribus, & Academijs, & Theologiæ candidatis plurimum profuturum. In hoc Collegio D. Baſilij die 7. Menſis Iullij anno 1725.

Doct. Fr. Franciſcus Niſſeno.

LICEN;

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado Don Franciſco Lozano Romàn, Dignidad de Capellan Mayor de la Santa Igleſia Magiſtral de San Juſto, y Paſtor de eſta Ciudad de Alcalà de Henares, y Vicario General en la Audiencia, y Corte Arçobiſpal de ella, y en todo el Arçobiſpado de Toledo, &c. Por la preſente, y lo que à Nos toca, damos licencia para que ſe pueda imprimir vn Libro, intitulado: *Paleſtra Biblica*, compueſto por el Rmo. P. Diego de Quadros, de la Compañia de Jeſus, atento à que por nueſtro mandato ha ſido viſto, y reconocido, y en èl, no ſe ha hallado coſa, que ſe oponga à nueſtra Santa Fè, y loables coſtumbres. Dada en Alcalà de Henares à diez de Julio de mil ſetecientos y veinte y cinco años.

Lic. D. Franciſco Lozano Roman.

Por ſu mandado

Eugenio Rodriguez.

Por el Secretario

Maeſtro Franciſco Lopez Magro.

CEN-

CENSURA D. Doct. D. IOSEPHI GRANADO Maioris D. Ildephonsi Collegij antea Togati Sancti Iusti, & Pastoris Ecclesiæ Magistralis Canonici, Theologiæ in Complutensi Universitate ad Cathedram Vespertinam publici Professoris, ac denique Santandræensis Ecclesiæ Abbatis electi.

M. P. S.

EX commissione Regij, Supremique Senatus Castellæ legi opus in lucem publicam elaboratum à R. P. M. Didaco de Quadros, in Collegio Complutensi Societatis Iesu, Sacrarum Scripturarum publico Interprete. D. Chrisostomus expendens illud (*scrutamini scripturas*) aureà subtilitate notavit non esse dictum: *legite*, sed *scrutamini*, *quia* (inquit) *magna diligentia opus est, profundius effodere iubet, vt quæ alte delitescunt invenire possemus*, effodit, & invenit sacrorum Bibliorum vigil Scrutator abscondita dificiliora sensu, & ex salebrosa, apte dicam, adustaque dificultatum arena, sub eloquentiæ face in verbis pretiosas vniones, in sententijs eruditionis delitescentes Thesauros aperit, explicat, manifestat: altè quidem in altitudine divitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei: *accedens ad cor altum*; id est *cor secretum*, *& exaltabitur Deus*, quia intelligitur in eloquijs suis.

Homil. 40. in Ioan.

D. Aug.

Non facilis divinorum Interpretatio sermonum, vt quondam blaterabant Lutherus, Brentius, & huiusce furfuris alij impijssimi, dicentes, *Scripturam esse clarissimam suique intelligentiam faciliorem, quam Patrum Commentaria*, solaque opus esse eius lectione. Hinc ausu nefario Ubiclephi exhumato errore, scholarum aperta studia damnare, omnem Sanctorum Patrum doctrinam proscribere non dubitabant; atque ea tempestate in Anglia Melanctonis ope, & hæreticorum iuvenum industria magnam commentariorum copiam in feretro ductam, risu verè Sardonico, & cantu funebri flammis addictam esse vidit, & lachrymatus est orbis catholicus. Illius rogi fumus excæcatæ mentis Anticatholicum *privatum Spiritum* progenuit. Quid adhæc veritas? quid Deus? Quis dimicaret pro veritate contra insensatos? Concilium Tarraconense respondet.: *Sancta Apostolica Romana sedes peperit hunc spiritum salutis* (*Ignatium scilicèt*) *eodem tempore quo Martinus Lutherus, velut hydra lernæa aperuit puteum abyssi, & incœpit obscurare solem teterrimo fumo, & terram replere pestiferis locustis: Eo tempore opposuit hunc septimum, & fortem Angelum, qui tamquam filius dilectus, in quo Deus sibi complacuit nube divinæ protectionis velatus*

Palad. lib. de Hæresibus.

Apud Arrubal. tom. 1.

Conc. Tarrac. in Ep. ad Roman. Pontif. ad ann. 1600.

fuit : : : Hunc Ignatium Pontifices armarunt , quaſi propugnatorem Reipublicæ Chriſtianæ , eumque Ducem conſtituerunt novæ militiæ (quæ de Cœlo delata eſt) ſignatæ Sanctiſſimo Nomine IESU , vt aſpectu ſuo ipſo fulgentiore ſole , & inbare ſuæ doctrinæ , atque ſcientiæ tenebras omnium diſpelleret errorum : Collocarunt pedes Ignatij quaſi duas columnas : dextrum ſupra mare , pro Indorum , & Paganiſmi converſione ; ſiniſtrum ſupra terram , vt eam fœcundaret ſeminibus virtutum , & ſalutaris doctrinæ poſt eradicatas ſpinas ignorantiæ , errorum , atque hæreſum : dederuntque Ignatio in manibus librum , vt à prima ætate bona ingenia erudiret , omni , atque optima literatura Divina , atque humana excoleret.

Hanc Societatem ad magnarum artium decora inſtructam omnigenæ eruditionis opibus cumulatam contra illos Nefarios auſus divinus obarmavit Spiritus , deditque illi *quoſdam Apoſtolos, Paſtores , & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij.* Sacrarum Scripturarum liber ſigillis ſeptem obſignatus Ignatio , & eius Socijs deditus , & nomine Ieſu apertus , eorum doctrina aperit illis quod Paulus Thimoteo : *Ab infantia ſacras litteras noſti , quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem , quæ eſt in Chriſto Ieſu ; omnis ſcriptura divinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum , ad arguendum , etiam ad increpandum in omni patientia , & doctrina.* Ardebant in Anglia commentaria proiecta Igni ; ſed alia quæ procacem rabiem convellerent luci dabant Salmeron, Maldonado , Cornelius , Lorinus , Sanchez , Gretſerus , Pineda, Leblanc , Corderius. Quid moror ? Cœli ſtellas numeret alius, nulla eſt dificultas in ſcriptura gravis , aut eruditis oculis digna , quam non antea ex alto alterius turris Davidicæ Lincæa mentis ſolertia proſpexerint , proſpiciendo penetraverint , penetrando enodaverint , enodando fidei inimicos confuderint: *Mille Clypei pendent ex ea , omnis armatura fortium.* Carthis , vt Clypeis ; calamis , vt ſagittis Eccleſiam muniri , eius hoſtes arceri , huius turritæ ſapientiæ ſtudium fœlici ſucceſſu extitit laudatiſsimum.

Ad Epheſ. cap. 4.

2. ad Thimot. 1. 3.

Cantic. 4.

Pro Patribus nati ſunt filij , dum quaſi hæreditatis iure ſancita in noſtra tempora adolevit Eruditio illius ſodinæ. Cenſeo præſentes tractatus litterarum Emporio conſpicuos , pro Laureis decertantibus eſſe vtiliſsimos , & pariter expectatos , qui clara methodo Academiæ more quæſtiones expoſitivas reſolverent. Votis acceſsit eventus , dicamque cum Sidonio : *Ecce oportunitas in exemplis , fides in teſtimonijs , proprietas in Epithetis , vrbanitas in figuris , virtus in argumentis , pondus in ſenſibus , flumen in verbis , fulmen in clauſulis.* Quod ſi pervulgatum eſt , ſacra ſcripturarum oracula comparari *lucernæ lucenti , & ardenti in caliginoſo loco* ; alebatque Regium Carmen *Lucerna pedibus meis Verbum tuum , & lumen ſemitis meis* ; hic tractatus verè lucerna in difficultatum caligine fulget , & litterati Spiritus ardore , argumenta ciens , de tenebriſque , ſplendeſcens , diſcipulis , ſemitis ſecuris expoſitionum ner-

Sidonius Apol. Epigram. 7. de Remig.

Apud Salmer. in ep. 2. Petri. Pſal. 118.

vosa est , & palæstrata compago ; vt difficultatum vmbram, nubes, caliginem in placidum diem absorberi comperiant, qui legerint ; iure ergo obtinet ex secreto scriniorum publicam lucem in candelabro , vt luceat omnibus , & communi addiscentium prospiciatur vtilitati ; cum nil habeat fidei, moribus, Regiæque potestati adversum ; sic sentio salvo meliori iudicio, &c. Compluti die 4. Iunij, anni 1725.

Doct. D. Iosephus Granado.

EL

EL REY.

POR quanto por parte de Vos el Padre Diego de Quadros, de la Compañía de Jesus, se me ha representado teniades escripto vn libro, intitulado: *Palæstra Biblica, sivè Enchiridion Neotericorum*, Obra de Escriptura; y para que le pudiessedes imprimir sin incurrir en pena alguna, me suplicasteis fuesse servido concederos Licencia, y Privilegio, por tiempo de diez años, para su impression, remitiendole à la Censura, à la persona que fuesse servido, y en vista de ella concederos el Privilegio que solicitaredes. Y visto por los del mi Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias, que por la Pragmatica vltimamente hecha sobre la impresion de los Libros se dispone se acordò dàr esta mi Cedula: Por la qual os concedo licencia, y facultad, para que por tiempo de diez años primeros siguientes, que han de correr, y contarse desde el dia de la fecha de esta mi Cedula, Vos, ò la persona que vuestro poder huviere, y no otra alguna podais imprimir el dicho Libro por el original que và rubricado, y firmado al fin de Don Balthasar de San Pedro Acevedo, mi Escrivano de Camara, y de Govierno del mi Consejo, con que antes que se venda se trayga ante los de èl, juntamente con el original, para que se vea si la dicha impresion està conforme à èl, trayendo asimismo fee en publica forma, como por Corrector por mi nombrado se viò, y corrigiò dicha impresion por el original, para que se tasse el precio à que se ha de vender: Y mando al Impressor que imprimiere el dicho Libro no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas que vno solo con el original al dicho Padre Diego de Quadros, à cuya costa se imprime, para efecto de la dicha correccion, hasta que primero el dicho Libro estè corregido, y tassado por los del mi Consejo; y estandolo assi, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, en el qual seguidamente se ponga esta Licencia, y la Aprobacion, Tassa, y Erratas, pena de caer, è incurrir en las contenidas en las Pragmaticas, y Leyes de estos mis Reynos, que sobre ello disponen: Y mando, que ninguna persona, sin vuestra licencia, pueda imprimir el dicho Libro, pena de que el que le imprimiere, aya perdido, y pierda todos, y qualesquier Libros, moldes, y aparejos, que el dicho Libro tuviere, y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis; y sea la tercera parte de ellos para la mi Camara, la otra tercia parte para el Juez que lo sentenciare, y la otra para el Denunciador: Y mando à los del mi Consejo, Presidente, y Oìdores de las mis Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la mi Casa Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Assistente, Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Juezes, y Justicias de estos nuestros Reynos, y Señorios, y à cada vno, y qualquier de ellos en su jurisdicion, vean, guarden, cumplan, y executen esta mi Cedula, y todo lo en ella contenido, y contra su tenor, y forma no vayan, ni passen, ni consientan ir, ni passar en manera alguna, pena de la mi merced, y de cinquenta mil maravedis para la nuestra Camara. Fecha en San Lorenzo à quatro de Agosto de mil setecientos y veinte y cinco años. YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor.

Don Francisco de Castejon.

MÕ

MONITUM AUTHORIS.

I. NE mirere, Lector, de lapsibus Typographicis, quos, vbi facile queunt animadverti, commemorandos esse non duximus: nobis enim ex S. Obedientia alibi distentis, correctioni interesse non licuit; licèt perito satis corrector debemus, ne ruitum sit in peiora. II. Quod sicubi sex partes Apparatus esse indicantur; id in primis fuit nobis in votis: deinde quinque partium ea, quæ quarta est, finditur in duas, vnde senæ resultant. III. Cum characteres Græcos, & Hebraicos nusquam nacti simus ære fusos, quos suis locis insereremus; ne tamen eis omninò vacaret opus, dedimus in initio quosdam ære insculptos. IV. Vbi à pag. 177. dicitur in Titulo DE PRÆDESTINATIONE erravit typographus, vt infrà moneo; relictus tamen ille error est: quia in opinione illhic nostrà, quodammodo sustineri potest. Debuit autem dicere DE PERDITIONE. V. Sicubi cuiusquam persona de Virtute laudatur, citaturvè; id purè humanitus dictum esto, quamdiù S. Matris Ecclesiæ, cuius est id taxare, oraculum non accedat. VI. Licèt volverim demùm P. Schotum super Adagialibus Nov. Test. ea tamen, quæ nos nostro labore digessimus, non minus fortè è re nostra esse videntur, si cum illis conferantur, vtpote quæ & plura sunt, & pressius exposita: quod in Didascalicis pretio est, licèt non ita redundent in Philologicis. Sicubi autem ex eo quidpiam adijci oporteat; ad calcem operis subijcietur: *Ad finem Licentiæ Ordinarij, vbi dicit* Magro, *lege* Mogro.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg.29,lin.14.*figuranda*, lege fugienda. pag.36.l.32. *Veris*, lege Vrbis.pag 51.l.17.*Detractat*,lege Retractati. pag.57. l.29 *fuges*, lege fruges. pag. 60. l. 43. *Pellem* antepone EX LIBRO IOB. pag. 55. col.2. *Providus*, lege Pavidus. pag. 6 . l. 1. *tui* , lege fui. pag. 66. lin. 7. *vacuumo...pluriona* , lege vacuum...plurimæ. pag.74.lin. 7. 9. *exitum.picum* , lege exitium.picem. pag. 74. lin. 7. col. 2. *incipientis*, lege insipientis. pag.80. lin 3. *sima*, lege validissima. pag. 81. lin.3. . *noxis-valentis*,lege noxij-valentes. pag.81.lin.12. col.2. *idem*. dele. pag. 82. lin.24. *tristem*, lege per tristem. pag.82. lin. 24. col. 2. *fœneratur*, lege fœderatur. pag. 82. lin 38. *perdito*, lege perdix. pag.84. lin.4. *exitum*, lege exitium. pag. 85. lin.14.*dolores*,lege dolore. pag.86.lin.46.*ibidem* adde ex septuaginta. pag.87.lin.1 *arca*, lege area pag.87. fin. *bene*, lege vere. pag.96. lin.10.*quamquam*, lege quemquam pag 97. lin.1. *huiusti*, lege habuistis. pag. 98.lin.27.*cæ o*,lege zelo.pag 98.lin.45 *esse cœpit*, lege esse cepi. pag. 100.lin.8.*vita*,lege vitia. pag. 101. lin.12.*Deliber. Resurrectionis*,lege Delibor. Resolutionis.pag. 101.lin.41. *possibili*,lege palsibili. pag. 104. lin. 28.*assentione*, lege assertione.pag.106.lin.29.& vlt.*consu erimus. criptu.* lege consuluimus.Scriptis.pag. 109. lin.35. *Ysicluis*,lege Isichius.pag.122.lin.29. Molina disp.3.adde *vide .. Honao in mpyreologia insignem.* pag.131.lin.5 *merid e* adde *ad meridiem,neque de media* pag.134.lin.11. *pot us*. adde *div sio*.pag.138. fin.orbem adde *qui*.pag.174.lin.3.*tumultatæ*,lege tumulatæ pag.177. & seq.in titulo *DE PRÆDESTINATIONE*,lege DE PERDITIONE,pag.179.lin.20.*cum*,scribe Cùm pag.182.lin.32.*lib.* 2. lege lib.12. pag. 182.lin.vlt.*Deum*,lege dum.pag.183.fin.*omnino*,lege omnium.pag.184.lin.21.*essi*,lege & si pag.187. lin. 12.dicunt adde *non vindicavit Dominus bis in id ipsum in tribulatione. sm autem sa sa sunt* pag. 192. fin. *Hebræus* lege Hervæus.pag.193.lin.7 *finem*,lege fidem.pag.194.lin.16.*Issis*,lege Iris.pag.194.lin.12. *consors*, lege concors.pag.219 lin.10.*hoc non est*,lege hoc est. pag 218. lin. vlt.*sacrificabis*,lege sanctificabis. pag. 232.lin.13.*Kimbi*,lege Kimchi.pag 235.lin.41.*negative*,lege negari-ve.pag.238 lin.8.*i.i*, lege sibi. pag. 238 lin.13 *et*,lege es.p.241.lin.36.*beneficium*,lege veneficium.pag.243.lin.24.*os* lege eos.pag. 47.lin.37. *Mare*,lege Marte.pag.254.lin.19.*sensatam*,lege servatam.pag.255.lin.10. *immineve*,lege imminuere. pag. 256.lin.14.*sistma*,lege sistema.pag.256.lin.19.*ternam*,lege terram pag 257.lin.18.*aiatectice*, lege peripatetice.pag.264.lin.28.*potestati*,lege posteritati.pag.272.lin.25 *vatabus*,lege Vatabius.pag.272.lin.32. *Hancherus*,lege Nauclerus. pag.288.lin.29.*epist*.lege epitom.pag.88.lin.44.*nulla*,lege nulla enim.pag.589.lin. 10.*mendacitatem*,lege mendicitatem.pag.296.lin.penult.*Iustus*,lege Iusius.pag.297.lin.19.27.*incarnat.one*, lege incantatione.pag.320.lin.5.*Pater Abraham*,lege Pater Thare. pag.326. lin.32. *designat*, lege definat. pag 329. lin.46.*cap.* 1.lege 49.pag.339.lin.18 *Benefici*,lege Veneficii.pag.339.lin.32.*Synopis*, lege Synopsi. pag.349.lin.25.*numeratur*,lege nominatur.pag.355.lin.4 *secuti*,lege sicuti.pag.359.lin.10.*antecedari*, lege antecedentis probationem. pag 360 lin.32.*Natham*,lege Matham pag.365 lin 27. *ib.29.* lege lib. 2. pag. 390.lin.18. *Apostoli* ,lege Apostolos pag 404.lin.36 *qui*,lege quia.pag.412 lin.37.*fuisse*,lege fuisse prohibitam vi.pag.419.lin.16.*si*,lege sit.pag.421.lin 9 *quod*, lege quod neque.pag 424 lin.24.*quod est*, lege quod non est pag 425.lin.38.*cum*,lege cur.pag.457.lin.13.*directa*,lege diruta.pag.456.lin.37. *Pharaoni* ,lege de Pharaone.pag.461.vlt.*in* 5.lege in 4.pag.465.lin.40.*excelso*,lege excelsa. pag 467. lin.21. *probationem*, lege probationem vltimam pag 507,lin.19 *tenenda*,lege non contemnenda. pag 509. lin.12. *tertio*, lege tertio (stando solutioni 1. num. 8.) pag.512.lin.7.*legibus*,lege legibus civilibus. pag.518. lin. 5.*in qua* lege (in qua.pag.518. lin.13. *Baronium*,lege Baronium) pag.522.lin.8 & lege vt. pag.523. lin.40. *consilium*, lege concilium.

Este Libro,intitulado: *Palæstra Biblica*, su Autor el Rmo. P. Diego de Quadros, de la Compañia de Jesus; advirtiendo estas erratas corresponde à su Original. Madrid, y Agosto à 4. de 1725.

Lic. D. Benito de Rio Cao de Cordido.
Corrector General por su Magestad.

SUMMA DE LA TASSA.

DOn Balthasar de San Pedro Acevedo, Escrivano de Camara del Rey nuestro señor, y de Govierno del Consejo: Certifico, que aviendose visto por los señores de èl vn Libro,intitulado: *Palæstra Biblica, sivè Enchiridion Neotericorum*, Obra de Escriptuta, que con Licencia de dichos señores ha sido impresso, tassaron à ocho maravedis cada pliego, y el dicho Libro parece tiene ciento y treinta y vno, que al dicho respecto montan mil y quarenta y ocho maravedis de vellon, y à este precio, y no mas mandaron se venda dicho Libro; y que esta Certificacion se ponga al principio de cada vno, para que se sepa el precio à que se ha de vender: y para que conste lo firmè en Madrid à seis de Agosto de mil setecientos y veinte y cinco.

D. Balthasar de San Pedro.

IN-

INDEX
TRACTATUUM, ET CAPITUM
HUIUS OPERIS.

APPARATUS
AD PALÆSTRAM BIBLICAM.
PARS PRIMA.
PROLEGOMENA BREVIA.

PROLEGOMENON I.

SAcræ Scripturæ Nomina, ac Libri, pagina 1.

PROLEGOMENON II.

Author, & finis Scripturæ Sacræ, pagin. 3.

PROLEGOMENON III.

Sacræ Scripturæ Veritas, & Auctoritas, pag. 4.

PROLEGOMENON IV.

Sacræ Scripturæ ſtylus, & idioma, pag. 5.

PROLEGOMENON V.

Varietas verſionum Sacræ Scripturæ, pag. 6.

PROLEGOMENON VI.

Sacræ Scripturæ obſcuritas, varij ſenſus, ac vſus, pag. 9.

CATALOGUS AUTHORUM de Prolegomenis, pag. 13.

APPARATUS
AD PALÆSTRAM BIBLICAM.
PARS SECUNDA.
SYNOPSIS SACRÆ SCRIPTURÆ, & Scriptorum eius.

CAP. I. Totius œconomiæ Bibli-cæ, Librorumque vtriuſque Teſtamenti Sinopſin continens, pagin. 15.

Cap. II. De partibus Librorum veteris Teſtamenti, pag. 16.

Cap. III. De legibus, Iudicijſque Divinis, quæ in quinque Libris Moiſis continentur, ibidem.

Cap. IV. De Geneſi ſeu de Creatione Cœli, & Terræ, ibid.

Cap. V. De exodo, ſive de exitu filiorum Iſrael de Egypto, pag. 17.

Cap. VI. De Levitico, ſive de ijs quæ ad Dei cultum externum pertinent, ibid.

Cap. VII. De Numeris, ſeu de ordinibus filiorum Iſrael, pag. 18.

Cap. VIII. De Deuteronomio, ſeu Epitome Legis Moſaicæ, ibid.

Cap. IX. De exemplis virtutum, & vitiorum ſecunda Veteris Teſtamenti parte, ſive de Hiſtoria Sacra, & eius partibus, ibid.

Cap. X. De Hiſtoriæ continuæ ſubdiviſione, pag. 19.

Cap. XI. De prima Reipublicæ Iudaicæ adminiſtratione, ibid.

Cap. XII. De ſecunda Reipublicæ Iudaicæ forma. Hoc eſt de miniſterio Iudicum, ibid.

Cap.

Cap. XIII. De Regum Imperio tertia Reipublicæ Iudaicæ administratione, ibid.
Cap. XIV. De Pontificum Poteſtate quarta Reipublicæ Iudaicæ forma, ſive Gubernatione Populi Iſraelitici Miniſterio Pontificum, p. 20.
Cap. XV. De Hiſtoria Bibliorum diſcreta, & promiſcua, pag. 21.
Cap. XVI. De Antiqua Deum laudandi forma, quarta Veteris Teſtamenti parte, ibid.
Cap. XVII. De ſtudio ſapientiæ Veteris Teſtamenti parte quarta, ibidem.
Cap. XVIII. De Divinis revelationius, ſive de oraculis Prophetarum, quinta parte Veteris Teſtamenti, pag. 22.
Cap. XIX. De Prophetis Maioribus, ibidem.
Cap. XX. De Prophetis minoribus, pag. 23.
Cap. XXI. De Ratione conſolandi afflictos vltima Veteris Teſtamenti parte, pag. 24.
Cap. XXII. De Summa Librorum Novi Teſtamenti, ibid.
Cap. XXIII. De Dictis, & factis Chriſti prima Novi Teſtamenti parte, pag. 25.
Cap. XXIV. De Univerſo Eccleſiæ ſtatu ſecunda Novi Teſtamenti parte, ibid.
Cap. XXV. De naſcentis Eccleſiæ Catholicæ infantia, & initijs, ibidem.
Cap. XXVI. De Doctrinæ, & fidei Chriſtianę Progreſſu, ibid.
Cap. XXVII. De Epiſtola Pauli ad Romanos de lege operibus, & gratia pertractante, p. 26.
Cap. XXVIII. De Epiſtolis Pauli ad Corinthios, ibid.
Cap. XXIX. De Epiſtola Pauli ad Galatas de detectione falſæ doctrinæ, in quam Galatæ per Pſeudo Apoſtolos abducti fuerant, ibid.
Cap. XXX. De Epiſtola Pauli ad Epheſios de Laudibus conſtantię, & de retinenda vera fidei Catholicæ Doctrina, p. 27.
Cap. XXXI. De Epiſtola ad Philipenſes de fugienda primatus ambitione, & ſtudio humilitatis amplectendo, ibid.
Cap. XXXII. De Epiſtola ad Coloſſenſes de recta ad Deum via pertractante, ibid.
Cap. XXXIII. De Epiſtolis Pauli ad Theſſalonicenſes, ibid.
Cap. XXXIV. De Epiſtolis Pauli ad Timoteum, ibid.
Cap. XXXV. De Epiſtola Divi Pauli ad Titum de vita, & honeſtate Clericorum pertractante, p. 28.
Cap. XXXVI. De Epiſtola ad Philemonem de Pœnitentibus iterum in gratiam recipiendis, ibid.
Cap. XXXVII. De Epiſtola ad Hebræos, de Evangelio, & Fide Chriſtiana contra legis antiquæ cultum, & obſervantiam agente, ibid.
Cap. XXXVIII. De alijs Epiſtolis Canonicis, ibid.
Cap. XXXIX. De Epiſtola D. Iacobi de fidei fructibus, & hominis Chriſtiani operibus, ibid.
Cap. XL. De Epiſtolis Divi Petri; pag. 29.
Cap. XLI. De Epiſtolis B. Ioannis, ibid.
Cap. XLII. De Epiſtola Catholica D. Iudæ de fide cum Charitate coniuncta, ibid.
Cap. XLIII. De Militantis Eccleſiæ ſtatu, & Triumphantis Eccleſiæ ſtatu, ſive de Prophetia Novi Teſtamenti, quæ habetur in Apocalypſi B. Ioannis Apoſtoli, ibid.
Cap. XLIV. De Scriptoribus Sacris, ſive Canonicis, ac de ſtylo idiomate, & tempore, p. 30.
Cap. XLV. De Libris Hiſtorialibus ordine ſibi Chronologico ſubſequentibus, p. 31.

Cap.

Cap. XLVI. De Hiſtorialibus vagis in Chronologia, pag. 33.
Cap. XLVII. De Libris Sapientialibus, pag. 35.
Cap. XLVIII. De Prophetis Maioribus, pag. 36.
Cap. XLIX. De Prophetis Minoribus, pag. 37.
Cap. L. De Scriptoribus Novi Teſtamenti quoad legem, & Hiſtoriam, pag. 38.
Cap. LI. De Divo Paulo, & Epiſtolis eius, pag. 39.
Cap. LII. De Epiſtolis Canonicis, & earum Scriptoribus, pag. 40.
Cap. LIII. De Ioanne Evangeliſta, & eius ſcriptis, ibid.

APPARATUS

AD PALÆSTRAM BIBLICAM,

PARS TERTIA.

CAP. I. Decas prima Regularum, pag. 42.
Cap. II. Decas ſecunda Regularum, pag. 43.
Cap. III. Decas tertia Regularum, pag. 44.
Cap. IV. Decas quarta Regularum, ibid.
Cap. V. Decas quinta Regularum, pag. 45.
Cap. VI. Decas ſexta Regularum, ibidem.
Cap. VII. Decas ſeptima Regularum, pag. 46.
Cap. VIII. Decas octava Regularum, pag. 47.
Cap. IX. Decas nona Regularum, ibidem.
Cap. X. Decas decima Regularum, pag. 48.
Cap. XI. Decas vndecima Regularum, ibidem.
Cap. XII. Decas duodecima Regularum, pag. 49.
Cap. XIII. Decas decimatertia Regularum, pag. 50.
Cap. XIV. Decas decimaquatta Regularum, ibid.
Cap. XV. Decas decimaquinta Regularum, pag. 51.

APPARATUS

AD PALÆSTRAM BIBLICAM,

PARS QUARTA.

SECTIO PRIMA.

Adagialia Veteris Teſtamenti.

ADagia, & Phraſes ex Geneſi, pagin. 51.
Adagia, & Phraſes ex Libro Exodi, pag. 54.
Adagia, & Phraſes ex Libro Levitici, pag. 55.
Adagia, & Phraſes ex Libro Numerorum, ibid.
Adagia, & Phraſes ex Libro Deuteronomij, p. 56.
Adagia, & Phraſes ex Libro Ioſue, pag. 57.
Adagia, & Phraſes ex Libro Iudicum, ibidem.
Adagia, & Phraſes ex Libro Ruth, pag. 58.
Adagia, & Phraſes ex Libro 1. Regum, ibid.
Adagia, & Phraſes ex Libro 2. Regum, ibid.
Adagia, & Phraſes ex Libro 3. Regum, pag. 59.
Adagia, & Phraſes ex Libro 4. Regum, ibid.
Adagia, & Phraſes ex Libro 1. Paralypom. ibidem.
Adagia, & Phraſes ex Libro 2. Paralypom. ibid.

Adagia, & Phraſes ex Libro 1. Eſdræ, ibidem.
Adagia, & Phraſes ex Libro 2. Eſdræ, qui & Nehemias, p. 60.
Adagia, & Phraſes ex Libro Tobiæ, ibidem.
Adagia, & Phraſes ex Libro Eſdræ, Ibidem.
Adagia, & Phraſes ex Libro Pſalmorum, pag. 61.
Adagia, & Phraſes ex Libro Proverbiorum, pag. 64.
Adagia, & Phraſes ex Libro Eccleſiaſtæ, pag. 69.
Alta deſcriptio Hominis Senio confecti, pag. 71.
Adagia, & Phraſes ex Cantico Canticorum, p. 72.
Adagia, & Phraſes ex Libro Sapientiæ, ibid.
Adagia, & Phraſes ex Libro Eccleſiaſtici, pag. 73.
Adagia, & Phraſes ex Prophetia Iſaiæ, pag. 77.
Adagia, & Phraſes ex Prophetia Hieremiæ, pag. 81.
Adagia, & Phraſes ex Threnis Hieremiæ, p. 83.
Adagia, & Phraſes ex Prophetia Baruch, pag. 84.
Adagia, & Phraſes ex Prophetia Ezechielis, ibid.
Adagia, & Phraſes ex Prophetia Danielis, pag. 85.
Adagia, & Phraſes ex Prophetia Oſſee, ibidem.
Adagia, & Phraſes ex Prophetia Ioel, pag. 86.
Adagia, & Phraſes ex Prophetia Amòs, pag. 87.
Adagia, & Phraſes ex Abdia Propheta, ibidem.
Adagia, & Phraſes ex Prophetia Ionæ, ibidem.
Adagia, & Phraſes ex Prophetia Micheæ, ibidem.
Adagia, & Phraſes ex Propheta Nahum, p. 88.
Adagia, & Phraſes ex Propheta Abacuc, ibidem.
Adagia, & Phraſes ex Prophetia Sophoniæ, ibidem.
Adagia, & Phraſes ex Propheta Aggæo, ibidem.
Adagia ex Prophetia Zachariæ, ibidem.
Adagia, & Phraſes ex Prophetia Malachiæ, p. 89.
Adagia, & Phraſes ex Machabæorum Libro 1. ibid.
Adagia, & Phraſes ex Machabæorum Libro 2. ibid.

SECTIO SECUNDA.

Adagialia Novi Teſtamenti.

EX Mathæo Adagia, & Phraſes, pag. 90.
Ex Marco Adagia, & Phraſes, pagin. 91.
Ex Luca Adagia, & Phraſes, ibid.
Ex Ioanne Adagia, & Phraſes, p. 92.
Ex Actibus Apoſtolorum, Adagia, & Phraſes, ibid.
Ex Epiſtola ad Rom. Adagia, & Phraſes, pag. 95.
Ex Epiſtola 1. ad Corinth. Adagia, & Phraſes, p. 96.
Ex Epiſtola 2. ad Chorinth. Adagia, & Phraſes, p. 97.
Ex Epiſtola ad Galatas Adagia, & Phraſes, p. 98.
Ex Epiſtola ad Epheſios Adagia, & Phraſes, p. 99.
Ex Epiſtola ad Philipenſes Adagia, & Phraſes, ibid.
Ex Epiſtola ad Coloſenſes Adagia, & Phraſes, p. 100.
Ex Epiſt. 1. ad Theſalonicenſes Adagia, & Phraſes, ibid.
Ex Epiſt. 2. ad Theſal. Adagia, & Phraſes, ibid.
Ex Epiſt. 1. ad Timothenm Adagia, & Phraſes, p. 101.

Ex

Ex Epiſt. 2. ad Timot. Adagia, & Phraſes, ibid.
Ex Epiſt. ad Titum. Adagia, & Phraſes, ibid.
Ex Epiſt. ad Philemonem Adagia, & Phraſes, ibid.
Ex Epiſt. ad Hebræos Adagia, & Phraſes, ibid.
Ex Epiſt. Iacobi Adagia, & Phraſes, pag. 102.
Ex Epiſt. 1. Petri Adagia, & Phraſes, pag. 103.
Ex Epiſt. 2. Petri Adagia, & Phraſes, ibidem.
Ex Epiſt. 1. Ioannis Adagia, & Phraſes, ibid.
Ex Epiſt. 2. Ioannis Adagia, & Phraſes, pag. 104.
Ex Epiſt. 3. Ioannis Adagia, & Phraſes, ibid.
Ex Epiſt. Iudæ Adagia, & Phraſes, ibidem.
Ex Apocalypſis Ioannis Apoſt. Adagia, & Phraſes, p. 105.

APPARATUS

AD PALÆSTRAM BIBLICAM,

PARS QUINTA.

SYLLABUS DOCTORUM.

IN omnem Scripturam Interpretes, pag. 107.
In Geneſim Interpretes, pag. 108.
In Hexameron Interpretes, ibid.
In Exodum Interpretes, ibid.
In Leviticum Interpretes, p. 109.
In Numeros Interpretes, ibid.
In Deuteronomium Interpretes, ibid.
In Ioſue Interpretes, p. 110.
In Iudices Interpretes, ibid.
In Ruth Interpretes, ibid.
In Libros Regum Interpretes, ibid.
In Libros Paralypomenon Interpretes, pag. 111.
In Eſdram Interpretes, ibid.
In Tobiam Interpretes, ibid.
In Iudith Interpretes, ibid.
In Eſther Interpretes, ibid.
In Iob Interpretes, ibid.
In Pſalmos Interpretes, ibid.
In Proverbia Interpretes, pag. 112.
In Eccleſiaſtem Interpretes, ibid.
In Cantica interpretes, p. 113.
In Sapientiam Interpretes, ibid.
In Eccleſiaſticum Interpretes, ibid.
In Iſaiam Interpretes, ibid.
In Ieremiam Interpretes, p. 114.
In Threnos Interpretes, ibid.
In Ezechielem Interpretes, ibid.
In Danielem Interpretes, ibid.
In Prophetas Minores Interpretes, ibid.
In Libros Machabæorum, Interpretes, pag. 115.
In quatuor Evangelia Interpretes, ibid.
In Mathæum Interpretes, ibid.
In Marcum Interpretes, p. 116.
In Lucam Interpretes, ibid.
In Acta Apoſt. Interpretes, p. 117.
In omnes Epiſt. Pauli Interpretes, ibid.
In Epiſt. ad Rom. Interpretes, ibid.
In Epiſt. ad Corint. Interpretes, ibid.
In Epiſt. ad Galatas Interpretes, ibid.
In Epiſt. ad Epheſios Interpretes, pag. 118.
In Epiſt. ad Coloſ. & Philipenſes Interpretes, ibid.
In Epiſt. ad Theſal. Interpretes, ibid.
In Epiſt. ad Titum, & Timot. Interpretes, ibid.
In Epiſt. ad Philem. Interpret. ibid.
In Epiſt. ad Hebræos Interpret. ibid.
In Epiſtolas Canonicas Interpret. ibid.
In Epiſt. S. Iacobi Interpret. ibid.
In priorem S. Petri Interpret. p. 119.
In Poſter. S. Petri Interpret. ibid.
In primam S. Ioannis, & Reliquas Interpret. ibid.
In Epiſt. S. Iudæ Interpretes, ibid.
In Apocalypſim Interpretes, ibid.

DE-

DECADES BIBLICÆ, QUODLIBETICÆ.

DECAS PRIMA.

QUÆSTIO PRIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS Cœlum, & Terram, Genes. 1. v. 1.

ARTICULUS.

An Cœlum hic memoratum sit solum Cœlum Empireum? pag. 121.

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Et tenebræ erant super faciem abyssi, Genes. 1. vers. 2.

ARTICULUS.

Post quot tenebrarum horas, & in quo puncto producta fuerit Lux primi diei? pag. 129.

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Fiat Firmamentum, &c. Gen. cap. 1. v. 6.

ARTICULUS.

Quid veniat intelligendum nomine firmamenti? pag. 138.

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Et divisit Aquas, quæ sub Firmamento sunt ab aquis, quæ sunt suprà firmamentum. Gen. 1. vers. 7.

ART.

Utrum supra Cœlos dentur verè aquæ? pag. 146.

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

In principio creavit Deus Cœlum, & Terram, Genes. 1. vers. 1.

ART.

An Mundus in instanti, an successivè creatus fuerit? p. 153.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Germinet Terra herbam virentem, Genes. 1. vers. 11.

ART.

An Mundus vernò tempore, an verò autumno conditus fuerit? p. 159.

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Et omne, quod movetur, & vivit erit vobis in cibum, Gen. 9. vers. 3.

ART.

An ante diluvium esus carnium in vsu, & licitus fuerit? p. 166.

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Omnis quippè caro corruperat viam suam, Gen. 6. vers. 12.

ART.

An Omnes omnino, qui in diluvio perierunt æternùm damnati fuerint? pag. 176.

QVÆSTIO NONA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Arcum meum ponam in nubibus, Gen. 9. vers. 12.

ART.

An iris ante diluvium apparuerit? pag. 190.

QVÆSTIO DECIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Arphaxad genuit Sale, Gen. 11. v. 12.

ART.

Utrum inter Progenitores Christi, vsque ad Adam debeat inter Arphaxad,

xad, & Sale alter Cainam interponi? pag. 195.

DECAS SECUNDA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Fiat Lux, & facta eſt Lux, Gen. 1. v. 3.

ART.

An Lux primo die creata eadem fuerit cum luce ſolis? p. 206.

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me, & vos, Geneſ. 11. verſ. 15.

ART.

Utrum circumciſio inſtituta fuerit in remedium peccati originalis? p. 212.

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Oleum Sanctæ vnctionis Dei ſuper ipſum eſt, Levi. 21. verſ. 12.

ART.

An Oleum, quo in Lege Veteri tum Reges, tum Sacerdotes, & Pontifices vngebantur fuerit idem, nec ne? pag. 227.

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Iratus Dominus in Moiſem ait. Aaron frater tuus, &c. Exod. 4. verſ. 14.

ART.

Utrum Moiſes aliquomodo peccaverit tergiverſando in educendo ex Egypto populum Iſrael? p. 231.

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculoc eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, Deut. cap. 24. v. 1.

ART.

Utrum Iudæi dimittentes vxores peccarent nec ne? p. 237.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Conſurgetis de inſidijs, & vaſtabitis Civitatem, Ioſue 8. v. 7.

ART.

An liceat in bello iuſto vti inſidijs? pag. 243.

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Steteruntque Sol, & Luna donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis, Ioſue 10. v. 13.

ART.

Utrum Sol, & Luna ſtare naturaliter poſsint? pag. 256.

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filij tui, Iudic. cap. 8. v. 22.

ART.

An Gedeon peccaſſet, ſi delatum principatum accepiſſet? p. 260.

QVÆSTIO NONA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Vidi Mulierem in Thamnata de filiabus Philiſtinorum, Iudic. cap. 14. v. 2.

ART.

Utrum Sanſon peccaverit ducendo vxorem de filiabus Philiſtinorum? pag. 266.

QVÆSTIO DECIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Cum autem vidiſſet mulier Samuelem exclamavit voce magna, ex 1. Reg. cap. 28. verſ. 12.

ART.

An vera Samuelis Anima, vel ſolum illius Phantaſma apparuerit ope Pythoniſſæ? p. 271.

DECAS TERTIA.

QUÆSTIO PRIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Et percutiens servum Principis Sacerdotum amputavit auriculam eius, Math. 26. vers. 51.

ART.

An D. Petrus peccaverit amputando auriculam Malchi? p. 280.

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Misericordiam autem meam non auferam ab eo, ex 2. Reg. cap. 7. v. 15.

ART.

Utrum Salomon fuerit salutem æternam consequutus? 286.

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Cordis eius particulam, si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum, Tobiæ cap. 6. v. 8.

ART.

Qua virtute hic fumus depulerit Asmodæum, naturali ne, an supernaturali? pag. 296.

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Gratia, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem Spiritibus, qui in conspectu Throni sunt, Apoc. cap. 1. v. 4.

ART.

Qui nimirum per hos septem Spiritus designentur? p. 308.

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Et stellæ de Cœlo ceciderunt super terram, Apoc. cap. 6. v. 13.

ART.

Proprie ne, an methaphoricè hic stellarum casus sit accipiendus? p. 313.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Pater tuus primus peccavit, &c. Isaiæ cap. 43. vers. 27.

ART.

Utrum Abraham aliquando Idolatriæ crimine pollutus fuerit? pag. 317.

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Prius quam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te, Ierem. cap. 1. vers. 5.

ART.

An Propheta Ieremias in ventre Matris fuerit sanctificatus? p. 325.

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, Daniel. cap. 4. v. 13.

ART.

An Nabuchodonosor saltem quoad figuram externam in feram sit commutatus? pag. 339.

QUÆSTIO NONA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Princeps Persarum restitit mihi, & uno diebus, Daniel. cap. 10. vers. 13.

ART.

Utrum hic Angelus Persarum, qui restitit Gabrieli fuerit bonus Angelus, necne? pag. 345.

QUÆSTIO DECIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Sed dico numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum, Pauli ad Rom. cap. 10. v. 18.

ART.

An Evangelium tempore Apostolorum toto terrarum orbe sit divulgatum? pag. 351.

DE-

DECAS QUARTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, Math. cap. 1. v. 16.

ART.

An Christus Dominus Beatissimaque Virgo Maria, ex Davide originem duxerint per Salomonem? p. 356.

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, Math. 1. v. 18.

ART.

An inter BB. Virginem Mariam, & S. Iosephum intervenerit verum Matrimonium? p. 356.

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, Math. 1. v. 18.

ART.

Qua ætate esset S. Iosephus cum duxerit Sponsam eius Mariam? p. 377.

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu S. Math. 1. vers. 18.

ART.

An celebrato iam Matrimonio inter Iosephum, & Mariam verbi incarnatio contigerit? p. 318.

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERVA.

Ioseph autem cum esset iustus, &c. Mathæi 1. v. 18.

ART.

An sine temeritate probabiliter defendi possit S. Iosephum cæteros omnes omninò Sanctos, etiam Apostolos dignitate, & meritis antecellere? pag. 387.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, Math. 1. v. 20.

ART.

An D. Iosephus de sua vxore prægnante aliquid mali suspicatus fuerit? pagin. 399.

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Math. 1. v. 34.

ART.

An, & quando Beatissima Virgo Maria votum castitatis emiserit? p. 409.

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo, Lucæ cap. 1. v. 47.

ART.

An fomes peccati in V. Maria solum ligatus fuerit, vel prorsus extinctus? pag. 420.

QUÆSTIO NONA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Quoniam in lege nemo iustificatur apud Deum. Paul. Ad Galat. cap. 3. v. 11.

ART.

An, & quomodo lex vetus iustificaret? pag. 428.

QUÆSTIO DECIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

At vbi venit fides, iam non sumus sub Pædagogo. Ad Galat. cap. 3. v. 24.

ART.

Vtrum lex vetus fuerit abrogata, quoad præcepta moralia? pag. 437.

DE-

DECAS QUINTA.

QUÆSTIO PRIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA:

Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem. Lucæ 16. verſ. 16.

ART.

Vtrum lex vetus ante Chriſti Domini mortem fuerit quoad obligationem abrogata? pag. 447.

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Itaque fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti. Ad Rom. cap. 7. verſ. 4.

ART.

Vtrum in inſtanti mortis Chriſti mathematice conſiderato lex vetus fuerit formaliter abrogata? pag. 453.

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Si circumcidamini Chriſtus nihil vobis proderit. Ad Galat. cap. 5. verſ. 2.

ART.

Vtrum lex vetus fuerit aliquo tempore quoad obligationem prius mortua quam mortifera? pag. 462.

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Neſciebam fratres, quod Princeps eſſet Sacerdotum. Act. Apoſt. cap. 23. v. 5.

ART.

Vtrum lex vetus prius fuerit aliquo tẽpore mortua quoad inſtitutionem quam fuerit mortifera? pag. 473.

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Tum Paulus deſumptis viris purificatus cum illis intravit in templum. Actor. Apoſtol. cap. 21. verſ. 26.

ART.

Vtrum Apoſtoli ficte, & ſimulate vſurpaverint cœremonias veteris legis? pag. 480.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Cum autem veniſſet Cephas Anthiochiam. Ad Galatas cap. 2. verſ. 11.

ART.

Vtrum hic Cephas ſupra memoratus ſit Div. Petrus, necne? pag. 486.

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

In faciem ei reſtiti quia reprehenſibilis erat. Ad Galatas cap. 2. verſ. 11.

ART.

Vtrum D. Petrus ſerio reprehenſus fuerit à Div. Paulo, & an, & quatenus ille peccaverit? pag. 491.

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Si ex lege iuſtitia: ergo gratis pro vobis Chriſtus mortuus eſt. Ad Galat. cap. 2. verſ. 21.

ART.

Quo tempore lex vetus ceſſaverit quoad vtilitatem ipſius? pag. 503.

QUÆSTIO NONA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Quæ vtilitas circumciſionis? Ad Roman. cap. 3. verſ. 1.

ART.

Vtrum circumciſionis remedium duraverit etiam poſt mortem Chriſti? pag. 510.

QUÆSTIO DECIMA.

TEXTUS.

AD ILLA VERBA.

Viſum eſt Spiritus Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria.

ART.

Vtrum aliquando licitum fuerit poſt promulgationem Evangelij cogere Gentiles baptizatos ad Iudaizandum? pag. 517.

PRÆ-

R^mi P. M.
SEBASTIANI DE AZEVEDO,
È SOCIETATE IESU,
OLIM PHILOSOPHIÆ MAGISTRI COMPLUTENSIS
UNÀ CUM AUTHORE:
DEINDE IN CURIA MATRITENSI,
ET IMPERIALI COLLEGIO
REGALIUM STUDIORUM PRÆFECTI.

IN AUTHORIS LAUDEM.

EPIGRAMMA.

SORS mihi cum dederit tecum ſimul ire in arenam;
Huc venit ante tuas fida Camæna manus.
Claſsica Te liquidas properent reſonare per auras:
Cum tua doctiloquus prælia præla facis.

ALIUD

Limina doctrinæ ſternis per docta iuventæ:
Et Decades paucæ mille trophæa parant.
Ergo Compluti, iuvenes, tentate PALÆSTRAM:
Quà, duo ſi certent, VICTOR vterque canit.

ALIUD

Plurima ſecernunt qui plura volumina volvunt;
Qui legit at QUADROS, quod legit, omne legit.

CARMEN
LYRICUM HORATIANUM
EIUSDEM
AD EUNDEM.

PIERIDES ſacros cieant furores:
Dent pios laxis modulos habenis:
Et ſtylo numen gravidum ſuperbo
Rumpere noſtrum.

Pindari Argivum melos, atque cantus,
Dulceque Horatì modulamen, Orphei
Clara teſtudo, & Cythara occinendis
Verſibus adſint.

Pergito, QUADROS, volita per auras:
Excute auratas, gracileſque plumas,
Aliger celſum, quibus in cacumen
Antè volaras.

Perge ſacratum pia per volumen
Plura perdoctè loca diſputare:
Perge quæ verſas reſerare ſancto
Clauſa ſigillo.

Perge

Perge ad excelſos calamo triumphos:
Perge præclaris reboare ſenſis:
Pergito quantà frueris nitere
Dexteritate.

Nulla fert vanos tua pluma ſuccos:
Namque quot nigros biberat liquores,
Charta compreſsis totidem reſultat
Plena medullis.

Verba ſupremi reſonent Olympi:
Fulmine ignito crepitet PALÆSTRA:
Pallas oſtentet ſociata in vnum
Ora Minervæ.

Quadrat optata hæc methodus legenti:
Quadrat hoc flumen nitidum loquelæ:
Quadrat,& QUADROS,Decadeſque,Opuſque,
Propyleumque.

AUTHOR

AUTHOR
R. P. SEBASTIANO DE AZEVEDO, SOC. IESU,
Humillimè Regratiatur.

פָּסוּק

אַשְׁרֵהָנָה שִׁיר נִיכָּרוֹת
בָּאִר הַטֵּב וּבָלִי הֵירוֹת:
כִּי אַתָּה יָקָר בִּזְמִירוֹת
יִשְׁיָקָר לָשׁוֹן בְּתַהִלּוֹת:

ID EST

EPIGRAMMA.

Grandia, quæ ſacro latitant velamine pango:
O! vtinam benè ſint illa retecta ſatis.
Carmine cùmque tuo mihi ſic peregrinus haberis;
Lingua quoque eſt Laudi nunc peregrina tuæ.

ἘΠΌΣ ΑΝΑΚΡΕΟΝΤΙΚΟΝ
ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΠΡΟΣ
ΤΗΝ
ΘΕΟΤΟΚΟΝ.

Ἀκακώτατη ΜΑΡΙΑ,
Ἰδίωμα τοῦτο γράφω·
Ἵνα πᾶσα γλῶσσα φράζοι
Ὄνομ' ὁ βίβλους πίπλικε.
Δέκαδας τε, περιπαυλοντε
Κατακοσμέω φιλικῶς.
Διαυτα πρὸς πόδας σοῦ
Νεώτερος σὸς εἰμι.

CARMEN.
ANACREONTICUM
EIUSDEM
IN
DEIPARAM.

Puriſsima, ò MARIA,
Hæc Græca ſcripta pango:
Ut omnis lingua cantet
Nomen volumina implens.
Decades, & Apparatum
Diſcendi amans adorno.
Itaque tuas ad Aras
Recens adorat Author.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

NON ille ego ſum (Lector benevole) qui etiam in eam, quam ipſe paro Palæſtram, prodire ſine ſcuto queam, & ſine ſocijs: alioqui ad primas ipſe pugnas facilè occumberem. Propterea non parmà illà ſaxificà, & Meduſæà contectus appareo; ſed ſcuto mirifico, & Euchariſtico armatus venio in arenam. Cum enim in hoc præſenti tomo veteris legis, & ſacrificij ceſſatio per otium tractanda foret; nihil erat certè oportunius, quàm vt in ipſo limine, & fronte novum legis gratiæ ſacrificium collocaretur: quod quidem tam prodigioſum eſſet, vt foret ſimul cum iugi novitate vetuſtum; & foret etiam nulla prohibente vetuſtate perenne: vt in eò effatum illud reſonet Auguſtini, *quod* ſcilicèt, *manifeſtato Sacramento Gratiæ antiquæ legis neceſsitas ceſſaviſet.* Quantum autem ad ſocios attinet, animos mihi plurimos, & ſtrenuos ſemper iniecit ſors mea ſanè fœliciſsima, qua Societatis meæ ſine merito adſcriptus, inſtructiſsimas ſociorum copias quaquaversùm luſtro, & admiror; quibuſcum, quælibet phalanx ſit manus multa, & quælibet hæc manus multa ſit manus dextera. Quam ob rem licèt præfationis lege cogar anguſtijs, non poſſum ſaltem in re Biblica aliquos, licèt non omnes, de noſtratibus præterire, vt vbi mea defecerint, de avitis facinoribus res decoretur. Igitur de alienigenis memoro præclaros Heroes Scripturarios de Societate noſtra benè merentes, ſcilicèt, Bellarminos, Juſtinianos, Biſciolas, Pavonios, Tuſos, Britioſque, quos cum alijs ſacra ſemper tulit Italia. Dein Lorinos, Roverios, Raynaudos, Petavios, Salianos, Gallos percelebres. Serarios, Cotzenios, alioſque ex Germania prænobiles. Belgaſque præclariſsimos Cornelios, Bonfrerios, Bonartios, Crommios, atque Tyrinos. Cum quibus iungit Atletas ſuos clariſsima Luſitania, ſcilicèt Mendozas, Saàs, Barradios, Viegas, Acoſtas, Fernandez, Freyres, Pintos, Figueiros, & Magallanios. De quibus, & alijs pluribus, quos non eſt facile recenſere, ſacra volumina lucem clariſsimam acceperunt.

Veruntamen ſi pluſculùm cingor, & lubet ſolùm Nationales copias advehere; numera de Aragonica Corona quam plures, nimirùm, Balleſterios, Pererios, Schotos, Ormazas, Berlangas, & alios viros nobiliſsimos. Numera in Bæticis, Pinedas, Alcazares, Prados, Montefrios, Quiroſios. Numera inſuper ſi potes, eos qui in fæcundiſsima præluxere Caſtella, nempè, Serlogos, Riberas, Delrios, Pontes, Fernandios, Baezas, Velazquios, Salinas, Guevaras, Henaos, & Maſcharellios. Quorum omnium ſeriem (ſi tamen Toletum, & Maldonatum noſtra lumina Hiſpaniæ non prætermitto) tua, Lector, pace perrumpo, vt veniam ad Toletanos, & Complutenſes in re Biblica profeſſores, atque Magiſtros, qui cum domeſtici eſſent, debebant latus noſtrum proximiùs accingere, noſque eorum diſciplinam prædeceſſorum inter reliquas profiteri, vt de eorum articulis noſtri articuli ſcripturire non erubeſcant; neque nos facile carpant, ſi viderint Borgias, Sanctios, Caſtros, Salazarios, Marianas, Salmerones, Celadas, Naxeras, Azorios, Euſebios, & Pozas eſſe noſtros anteſignanos, quibus ſi iungas Dazas, & Piñas, non prætereundus erit glorioſus Almarza, cuius volumina, ſi non typis, ore tamen ſatis in Complutenſibus certaminibus perſonuere. Poſt quæ, ſi in hoc noſtro opere id accidat, vt noſtræ elucubratiunculæ alicui pòſt iam deſipiant, eò quod in altiora iam penetraverit;

rit; nihil nobis magis ex voto, neque poterit accidere quidpiam iucundius. Quoniam cum animus noster in hac Palæstra adornanda sit, studia Biblica renovare, quæ his temporibus nonnihil langueſcunt, & ad hæc omnium nobilium de ea re Magistrorum fecerimus quasi cornucopiam & florilegium; cùm nostri codices ideò desipiant, quia in alia doctiorum volumina longè sapidissima inventus Scholastica volitarit; tunc nos nobis præfixam attigisse videbimur cynosuram.

Atque cum de occasione, & causa huius suscepti laboris differere cœperimus; varia sunt, quæ ad id præstandum nos compulerunt: licèt, si Authores nuperos Illustrissimum Siurium, & Doctissimum Mascarellium, antequam typos meditaremur, videre licuisset; forsitan mutata vtilificatione rem tantis Doctoribus peragendam reliquissemus; quippè in qua eramus nos tantis viris plurimum impares: at verò cum ipsi prodierint post elucubrationes nostras censuræ commissas; Lectoris bona venia erit, dissimulare ea, quæ face eorum illuminante, appareat nos non fuisse benè assequutos. In primis Complutensis Academiæ speciosa, & litteraria inventus iam pridem id operis clamitabat: cùm enim hi qui ad Doctoratum in Theologia sunt promovendi, teneantur numerum Biblicarum Thesium, quas *quodl beticas* vocant, sustinere; neque huiuscemodi controversias ad filum scholasticum ritè diductas facilè nanciscantur, vt nimirum queant arte, & via dialectica sustineri; sed duntaxat in expositorum libris cursiva quadam interpretatione, expeditioneque videant esse donatas; avidè præoptabant Biblicarum quæstionum aliquos manipulos scholastica methodo collectos typis mandari; ne scilicèt per codicellos quosdam, vel incerti Authoris, vel characteris infidi cogerentur in re, quæ momenti est maximi, divagari. Quorum votorum vndique conclamantium cum multis retrò annis auritus, oculatusque ego testis extitissem; animo confovere non piguit ea, quæ tam iustis votis olim viderentur esse satisfactura: si nimirum nostra tenuitas non esset impar. Quamobrem cum de more quotannis binas Biblicarum quæstionum duodecadas essem propugnaturus; fortiori stimulo pervrgebar, vt labore vno, si possem, & meo muneri, & studentium vtilitati, seu potius indigentiæ consulerem: duplicabantur enim vota, & externa iam, & domestica: quis enim non videat quantum negotij faceſſeret scholaribus nostris, si adhuc in Theologia lactentes cogerentur Bibliorum Occeanum introire; & inde proprio delectu, & arte, quæ nondum in ipsis adolevere, quæstiones disputandas excerpere, & expolire? Vnde proculdubio eis operæ pretium esset, & magnopere levarentur, si Magister in libris, & Palæstris magis exercitus, ea stylo, & iudicio suo concinnaret, quæ deberent in publicum disputanda prodire: quæ etiam si posteà digna typis maturo examine viderentur; tum externis scholasticis, tum nostratibus propugnatoribus, maximo essent emolumento deservitura.

Præter quæ alia duo me non modicùm vellicabant. Primum scilicèt, quod cum in sacris, & religiosis familijs, vbi moris non est, controversias similes agitare, agnovissem plures, qui nedum hoc sacro studio delectarentur; sed in eo etiam versari percuperent, atque in gymnasijs suis disputationes similes agitari præoptarent, in quo Ecclesiasticis etiam sanctionibus pareretur; existimavi, me in hoc labore, si satis digno calamò attingeretur, talium præconcepta vota maturaturum, si præter desuetudinem, nulla alia difficultate in habendis ad manum Biblicis quæstionibus laborarent: quo ad initiandas, & gloriosè obeundas tales Palæstras (vt alicubi factum est) nostra qualicumque elucu-

cubratione propellerentur. Secundum eſt, quod cum perdocti viri paſsim in Eccleſis Cathedralibus pro Lectoralibus præbendis ſub hac cynoſura decertent, & huiuſcemodi ſtudij ſit nulla frequentia ; ac certaminis tempore cingantur anguſtijs ; vtiliſsimam opem ferret quiſquis in hoc genere quæſtiones dignas armaret, & eas ita pro arguendi, propugnandique reciproca vice digereret, vt grandibus expoſitorum voluminibus amandatis, in aliqua breviori ſphærula ea ſeponeret, queis dignè poſſent tanto certamini ſatisfacere, & tantæ colluctationis expectationem complere. Quibus omnibus poſtquam opella hæc noſtra aliquantulum deſerviret ; fortè inſuper ab aliquo non æſtimaretur inutilis, vt veluti clavis ad ſtudia Biblica ingredienda conduceret : pro quo in Apparatu ea congeſsimus, & in toto opere collocamus, cum quibus quiſquis certator ſit, in Palæſtram non ingrediatur inermis, & quiſquis ad Sacras Scripturas ſcrutandas per otium velit accedere ; clavem ſine mole regiam obtinebit, qua ingredi, & egredi rite poterit, atque intus, & foris cum ſufficienti dexteritate verſari.

Idæa igitur totius operis duobus modò voluminibus continetur ; niſi forte, Deo dante, ſit opus ſuperaddere tertium, quo diſputationum ſegetem adaugeamus. Ambo autem volumina centuriam quæſtionum vnam per quinas Decades iuſta diſtributione partientur, in quibus de novo, & veteri Teſtamento celeberrimæ iudicio Doctorum inſtituuntur, & expediuntur quæſtiones ſub methodo exactè ſcholaſticà, præciſa in quantum fieri poteſt, farragine replicarum, & nudis probationum, & obiectionum armis exertis : in quibus, & diſtinctiones, ſubdiſtinctioneſque non refugimus, quo perſpicuitati conſulamus, & propugnantibus in ſuis preſſuris opitulemur. Ex omni diſciplinarum genere in earum tractatione nonnulla ſeruntur ; quippè hæc ſuprema ſapientia omnes ancillas ſuas vocat ad arcem ; & quæ plurimis placitura condiuntur, omni debent condimento reſpergi. Necnon leviores quædam quæſtiunculæ interſeruntur, vt de graviorum aliarum prolixitate recreent animum faſtidientem. Quas quidem omnes Apparatu quodam præmunio, in quo breviuſcula Prolegomena ; Bibliorum ſynopſis ; Scriptorum canonicorum notitia ; Adagiorum vſus, & valor ; Regularum Decades, interpretumque manipuli præmittuntur ; vt & hoc, & alia volumina, quæ adijciantur, ſibi aliquod præparent propylæum, & inſuper ea non tam ſint purus Apparatus, quàm ſint vera inſtructio. De Apparatu, qui ad ſecundum Tomum pertinuerit, ibi opportunius præloquemur ; dabimus enim ante Decades nonnulla de modo arguendi, prælegendi, condendique lectiones certatorias, & adijciemus indicem locupletem, & accuratum pro excitandis noſtris centum quæſtionibus ad omnes libros, capitaque Bibliorum, ſi fieri poſsit. Vnum fortaſſe reſtat quod nobis poterunt obiectare : cur videlicèt nos (vti fecere alij Interpretes) non potius iugi filo interpretationis adhæſimus, quàm veluti fracto ſtylo voluerimus res diſsitas, & quaſi erraticas diſputare ? Sed primo non refragamur nos, & dono Magiſterij, & doctrinæ ſupellectili eſſe prædictis viris longè impares, & inferiores. Secundò tentamus nos an ſcriptitando leviora, & donante Deo, forſitan aſcendamus ad ſuppares. Tertiò noſter calamus tolerabitur, dum ſatisfacit indigentiæ ; forte autem vileſceret, ſi vellet adornare pretioſa. Quartò denique ſi obſervaveris ; hæc via ſcribendi eſt quodammodo difficilior ſivè res, quæ ſcribuntur, ſivè ſtylus ipſe conſiderentur : quia diſputatio inter modos ſciendi, eſt fortior, & firmior. Res enim ſunt maiori ex parte dubia illa, & graviores

dif-

difficultates, quæ in decursu librorum inveniuntur, & quarum pondus ita nobilissimos sœpè distrahit Authores, vt qua emergendum sit ignoretur: cum tamen per viam iugis interpretationis integra folia decurrantur, vbi cuncta sunt plana, & nulla tortura: quapropter hæc nostra scribendi methodus difficiliora in se suscipit disputanda, & plura, quæ iudicat faciliora, & minus operosa relinquit. Deinde quoad stylum nemo est qui ambigat stylum scholasticum pressiorem esse, neque valde capacem, vt ornatus causa multa inserantur; cum tamen in Interpretibus sœpè vsuveniat sine marginibus exspatiari, & eò latius ferri, quo pompa ferat eruditionis. Quapropter nos primas primis nostris Authoribus deferentes, hæc modo in gratiam iuventutis elucubrare decrevimus; quod si minus dignè præstitimus; indulgentiam illico deprecamur; sin autem qualecumque opus nostrum arriserit; Deo regratiare, & tu fruere. VALE.

APPA-

APPARATUS
AD PALÆSTRAM BIBLICAM.
PARS PRIMA.
PROLEGOMENA BREVIA;
PROOEMIUM.

NON ERAT RATIONI CONSENTANEUM, vt alumnos noſtros imparatos deduceremus ad prælium: quare, antequàm ad ipſas concertationes Biblicas procedamus, apparatus non prolixus præibit, in quo ea congerentur, quorum propugnator Biblicus ignarus eſſe non debet.

PROLEGOMENON I.
SACRÆ SCRIPTURÆ NOMINA, ac Libri.

Num. 1. PRÆCIPUA nomina Sacræ Scripturæ ſunt hæc ſex: *Sacræ Litteræ, Sanctæ Scripturæ, Scriptura, Biblia, Teſtamentum, Inſtrumentum.* Dictæ *Sacræ Litteræ* tum ratione Auctoris, qui Deus eſt, hoc eſt, ipſa Sanctitas, tum ratione argumenti Sacri, ac Sancti: eſt enim idem Deus, & quæ ad Deum aliqua ratione referuntur, qualia ſunt, quæ credenda proponuntur, & quæ ad Sacramenta ſpectant, & Religionem, & quæ ad mores Sanctè, & iuxta Divinæ Legis præſcriptum inſtituendos. Propter eaſdem rationes dictæ *Scripturæ Sanctæ*, ſicut illas appellat Sanctus Paulus ad Romanos Cap. primo *per Prophetas ſuos in Scripturis Sanctis.* Frequentèr ſine addito dicta *Scriptu-*

ra, aut *Scripturæ* per Antonomaſiam, & proptèr excellentiam ad alias Scripturas, vt Pſalmo 86. *Dominus narrabit in Scripturis*, & Io. 2. *crediderunt Scripturæ*. Appellata *Biblia*, quæ vox, licèt poſsit ſignificare libros cuiuſvis generis; facta tamen eſt quaſi proprium nomen Sacrorum voluminum proptèr illorum excellentiam: ſic appellata à Chryſoſt. Homil. 9. ad Coloſſ. *comparate vobis Biblia medicamenta animæ*: ſic in præfatione Eccleſiaſtici dicuntur *patria Biblia*. Eadem Sacræ Litteræ dictæ ſunt *Teſtamentum*, tum quia generatim Dei mentem, ac voluntatem teſtantur, ac manifeſtant, tum quia ſpeciatim varia Dei cum hominibus fœdera, pactaque de terrenis, Cœleſtibuſque bonis, de præceptorum, & ceremoniarum ſuarum obſervatione, præmio, ac pœna certè, ac firmè patefaciunt, & conteſtantur, tum demum, quia ſpeciatim in hiſce libris Deus hæreditatem legat, ſicut Math. 25. *poſsidete paratum vobis Regnum*, Græce *hæreditate poſsidete*, & ad Coloſſ. 3. *à Domino accipietis retributionem hæreditatis*. Vocantur demum à Patribus Tertulliano, Hieronymo, Caſsiano, & alijs *Inſtrumentum*, aut Divinum, Sacrumvè Inſtrumentum, tum quia nos inſtruit vt 2. ad Thimot. 5. *quæ* (Sacræ Litteræ) *te poſsunt inſtruere ad ſalutem*, tum quia docent, & inſtruunt authenticè de ijs, quæ in pactis, conventiſque, ac rebus omnibus, quas valdè certas, ratas, firmaſque eſſe oportet; tum demum quia Deus vtitur Sacris Litteris, tanquàm inſtrumento, quo nos imbuat ſui cognitione, amore, ac ſalutaribus vitæ præceptis.

2 Quod autem ſpectat ad libros, ex quibus Sacrorum Bibliorum volumen coaluit, triplex poteſt aſsignari Catalogus, duo pro veteri Teſtamento, tertius pro Novo. Duplex ergò Sacrorum Librorum veteris Teſtamenti Catalogus, alter eſt Iudaicus, alter Chriſtianus. Iudaicus tempore Eſdræ, vel ab ipſo Eſdra, vel à Concilio Sacerdotum, cui ipſe interfuit, confectus eſt. In iſto Catalogo hi libri continentur: Pentateuchus Moſis, Liber Ioſue, Iudicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Eſdræ duo, Iob, Pſalterium centum quinquaginta Pſalmorum, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Prophetæ maiores quatuor, Prophetæ minores duodecim. An liber Eſther in hoc Catalogo fuerit adnumeratus, adhùc inter Auctores eſt diſſenſio. Catalogus verò Chriſtianus auctoritate Innocentij Primi confectus præter libros omnes, iam enumeratos continet etiam hos alios: Tobiam, Iudith, Eſther, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Baruch, & duos libros Machabæorum. Porrò hi libri vtróque Catalogo comprehenſi Canonici ſunt, & inter Sacras Litteras numerati ex definitione Concilij Trid. *ſeſſ.* 4. ſtatim initio. Catalogus demum Librorum Novi Teſtamenti ab eodem Sacro Concilio loco indicato recenſetur, his verbis: „ Quatuor Evangelia, ſe„ cundum Mathæum, Marcum, Lu„ cam, & Ioannem, Actus Apoſtolo„ rum à Luca Evangeliſta conſcrip„ ti, quatuordecim Epiſtolæ Pauli „ Apoſtoli ad Roman. duę ad Corin„ thios, ad Galatas, ad Epheſios, ad „ Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ „ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Thi„ motheum, ad Titum, ad Philemo„ nem, ad Hebræos, Petri Apoſtoli „ duæ, Ioannis Apoſtoli tres, Iacobi „ Apoſtoli vna, Iudæ Apoſtoli vna, „ & Apocalypſis Ioannis Apoſtoli.

3 Quod ſi petas: an præter libros enumeratos ex veteri Teſtamento, fuerint aliquando aliqui

alij

alij Libri? Reſpondeo cum Serario noſtro in Prolegomenis, *cap.* 8. *quæſt.* 14. fuiſſe numerò XX. eoſque perijſſe. Primus liber Bellorum Domini Num. 21. II. liber Iuſtorum, ſeu liber Recti. Ioſue 12. & 2. Reg. 1. III. liber verborum, ſeu rerum geſtarum Salomonis 3. Reg. 2. IV. liber verborum Regum Iſrael 3. Reg. 14. V. liber verborum Regum Iudæ ibidem. VI. Samuelis lib. 1. Paralip. vlt. VII. Alius quidam eiuſdem Samuelis lib. 1. Reg. 12. VIII. Nathanis 1. Paralipom. 29. & 2. Paralipom. 9. IX. Gad Prophetę ibid. X. Ahiæ Prophet. 3. Reg. 14. & apertius 2. Paralipom. 9. *vt in libris Ahiæ Prophetæ.* XI. Addo Prophetę 2. Paralipom. 9. XII. Iehu Prophetæ 2. Paralipom. 20. XIII. Chozai Prophetæ 2. Paralipom. 33. XIV. Salomonis tria millia Parabolarum 3. Reg. 4. XV. Eiuſdem Cantica quinque, & mille 3. Reg. 4. XVI. Eiuſdem Phyſica de plantis, iumentis, volucribus, &c. ibid. XVII. liber Enoch, vt ex Iudæ Apoſtoli Epiſtola Sanct. Auguſt. lib. 18. de Civitat. cap. 18. colligit, alijque. XVIII. Epiſtola Eliæ Prophetæ, quam ad Regem Iſraelis miſit 2. Paralipom. 21. XIX. Hieremiæ deſcriptiones 2. Machabæor. cap. 2. XX. Ioannis Hircani liber dierum 1. Machabæor. vlt. Ex his viginti libris probabilitèr dici poteſt, ſi non omnes, certè nonnullos fuiſſe Canonicos, & authoritatis Divinæ, ac eos præſertim, qui non ſimpliciter citantur, ſed cum elogio, & titulo *Prophetæ.* Hos autem libros perijſſe credendum eſt, vel negligentia eorum, qui eos cuſtodiebant, quomodo periculum fuit, ne periret Deuteronomium inventum ſub Ioſia 4. Reg. 22. vel impietate, & malitia, quomodo Ioachim librum Hieremiæ Prophetæ Scalpello ſcidit, & in ignem proiecit, vt habemus Hierem. 36. vel demum Divina voluntate ob peccata Iudæorum, quomodo confringi voluit à Moyſe Tabulas Legis digito ſuo conſcriptas Exod. 32.

PROLEGOMENON II.

AVTHOR, ET FINIS Scripturæ Sacræ.

4 PRIMARIUS Auctor Sacrorum Librorum eſt ipſe Deus, inſtrumentarius verò homines, nimirum calami *ſcribæ velocitèr ſcribentis*, Pſalm. 44. Sic S. Paulus ad Hebræos 1. *Multifariam, multiſque modis*, inquit, *olim Deus loquens Patribus in Prophetis*, qui amanuenſes quidam Dei fuerunt, intelligentes tamen, quæ illis ſuggerebat Spiritus. Non ergo ab Auctoribus Librorum Sacrorum aliqua ſcripta fuerunt ſecundum hominem, nec aliqua, quæ Spiritus Sancti maieſtate, & peculiari directione digna non ſint: minutiſſima enim, quæ in Sacris Libris ſcripta ſunt, ſua non carent vtilitate, ſi cum maioribus coniungantur; & *quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Roman. 15.

5 Sacrorum Librorum finis triplex eſt. Remotus, qui eſt Divina gloria, & noſtra fœlicitas. *Hæc ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis.* Io. 20. Proprinquus, ſed generalis, eſt partim Dei cognitio potiſsimùm ſupernaturalis, partim amor illius, & proximi. Propinquus demum, ſed particularis conducens ad generalem ab Apoſtolo Paulo 2. ad Ti-

Timot. 3. ad quatuor capita revocatur, hoc eſt ad doctrinam, redarguutionem, correctionem, & eruditionem. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad eruditendum in iuſtitia.* Et quidem duo prima ſpectant ad dogmata, quando & vera docentur, & falſa redarguuntur. Poſteriora veró duo ad mores, quorum qui pravi corriguntur, qui boni, & recti traduntur.

PROLEGOMENON III.

SACRÆ SCRIPTVRÆ veritas, & auctoritas.

6 VERISSIMA ſunt omnia; quæ Sacris Biblijs continentur, quia eius verbum ſunt, qui eſt ſumma veritas, quique mentiri non poteſt. *Eſt Deus verax, omnis autem homo mendax,* Rom. 3. Ideò Libri Sacræ Scripturæ vocantur authentici, quòd ab Eccleſia Sacrorum, & Divinorum Librorum auctoritatem habeant; idem eſt enim authenticum, ac quod auctoritatem habet. Quamvis autem Libri Sacræ Scripturæ ſint in ſe authentici, hoc ipſo quòd ſcripti ſunt, & ab Spiritu Sancto dictati, & propterea ab ipſo Deo habent auctoritatem Librorum Divinorum; quia tamen eadem auctoritas nobis eſt ignota (ignoramus enim, quod ſint à Deo ſcripti, & dictati) propterea non ſufficit, vt à nobis pro talibus recipiantur, niſi accedat auctoritas Eccleſiæ. Ad hoc ergo, vt dicantur ſimpliciter, & quoad nos *authentici*, requiritur hæc Eccleſiæ auctoritas.

7 Quod ſi petas: an idem ſit librum eſſe authenticum, & Canonicum reſpectu Sacræ Scripturæ? Reſpondeo, non eſſe idem, ſicut non eſt idem, eſſe hominem, & eſſe animal. Nam eſſe Librum Canonicum ſupponit eſſe librum authenticum, & prætereà requirit, quòd in Canonem, ſivè Catalogum Sacrorum Librorum aliquando relatus fuerit: ſicut pari modo, eſſe hominem ſupponit eſſe animal, & prætereà requirit eſſe rationale, per quod conſtituitur in ratione hominis.

8 Quod ſi iterùm petas; qui nam dicantur libri apocryphi? Reſpondeo, eſſe omnes illos, qui vel omninò reijciuntur, vt falſi, vel non ſunt admiſi, vt Divinam auctoritatem habentes. Dicuntur autem apocryphi, hoc eſt occulti, abſconditi, quòd non producerentur, vel in Eccleſia legerentur. Ex his autem, quos Eccleſia non reiecit, vt errores continentes, ſed tantum non admiſit, fieri poteſt, vt aliquando in Catalogum recipiantur, ſicut de aliquibus factum eſt. Et hinc ortum habuit illa diſtinctio in Libros Protocanonicos, & Deuterocanonicos. Protocanonici ſunt, de quorum auctoritate numquam dubitatum eſt. Deuterocanonici verò, de quibus aliqua fuit aliquando controverſia. Et in horum numero ſunt liber Eſther, totus, vel certè ſeptem eius poſtrema capita, Tobias, Iudith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Baruch, Machabæorum libri, Epiſtola ad Hebræos, Epiſt. Iacobi, Epiſt. Iudæ, Epiſt. Petri ſecunda, Ioannis Epiſtolæ ſecunda, & tertia, & Apocalypſis. Addi his debent partes quorumdam librorum, vt in Daniele trium puerorum hymnus cum oratione Azariæ antecedenti, Suſannæ Hiſtoria, Belis, & Draconis à Daniele interfecti narratio,

Mar-

Marci caput vltimum, & Lucæ 22. de Chriſti ſudore ſanguineo, Angelique apparitione, & conſolatione Hiſtoria, & Ioannis Evangelij cap. 8. de adultera Hiſtoria. Verum, licèt de hiſce libris dubitare licuerit olim ante definitionem Eccleſiæ; iam poſt conciliorum decreta omnis excluſa eſt dubitatio, & nunc eiuſdem authoritatis cenſendi ſunt, tàm Protocanonici, quàm Deuterocanonici.

PROLEGOMENON IV.

SACRÆ SCRIPTVRÆ ſtylus, & idioma.

9 NON poteſt non niſi eloquens eſſe Sacræ Scripturæ ſtylus, vt optimè docet S. Auguſtinus lib. 8. de Doctrina Chriſtiana, cap. 8. quia quæ in illa continentur apte ſcripta ſunt ad eum finem, quem ſibi Spiritus Sanctus, & Scriptores Sacri præfixerunt, conſideratis circunſtantijs locorum, temporis, perſonarum, quibus iſta ſcribebantur, decorum in omnibus ſervando. Et cum eloquentia ſit pars ſapientiæ (neque enim poſſunt viri ſapientes non benè propriè, & aptè dicere) ſequitur, Scriptores Sacros, qui proculdubio ſapientiſsimi fuerunt, fuiſſe etiam valdè eloquentes. Quod ſi mihi, vt verbis S. Auguſtini loco citato vtar, minus apparet eorum eloquentia, non eos intelligo.

10 Quod ſi quæras: cur Sacra Scriptura non ſemper, & vbique eumdem ſervet tenorem eloquentiæ?

Reſpondeo, ideò fieri, vel quia Spiritus Sanctus Sacro Scriptori Hiſtorico; v. gr. aſsiſtens, ne erret, ipſi permittit, vt dictionem formet; vel quia, ſi dicamus, ſingula verba dictare, in verbis tamen ſuggerendis ſeſe Scriptorum ingenio, & modo attemperat, ac proinde aliqua inter eos ſtyli exiſtit inæqualitas. Sic Iſaias cultus eſſe dicitur, & politus, Hieremias ruſticior, Ezechiel ex vtroque mediè temperatus.

11 Quod verò ſpectat ad idioma; quo primum ſcripti ſunt Libri Canonici, poteſt hoc loco triplex lingua diſtingui, pura Hebraica, pura Chaldaica, & vtràque mixta, quam vocant Syriacam. Pura Hebraica vſi ſunt Iudæi ante captivitatem Babylonicam. Tempore captivitatis Chaldaica, non quidem perfecta, ſed partim Chaldaica, partim Hebraica. Et hinc orta eſt tertia lingua, qua vſi ſunt ijdem poſt captivitatem vſque ad Chriſtum, & deinceps & vocabatur Syriaca, vel Hebraica, latè ſumendo nomen linguæ Hebraicæ. Iam quod ſpectat ad Libros veteris Teſtamenti, omnes Libri, qui habentur in Canone Hebræorum, de quibus ſuprà, ſcripti ſunt lingua pura Hebraica, niſi quod in Libro Eſdræ, & Danielis quædam partes ſermone Chaldaico adnexæ ſunt. De alijs Libris, qui ſunt extra eumdem Canonem, ſic ſentiendum eſt. Liber Eſther ſcriptus eſt purè Hebraicè, Libri Tobiæ, & Iudith purè Chaldaicè, Liber Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, & duo Machabæorum extant Græcè. An aliquis ex illis primò Syriacè ſcriptus ſit? dubium eſt.

12 De Libris ſpectantibus ad Novum Teſtamentum, convenit inter omnes, illud Græca lingua ferè ſcriptum eſſe. Dixi *ferè*: nam ſola controverſia eſt de Evangelio Matthæi, & Marci, & de Epiſtolis ad Hebræos, & Romanos. Evangelium Matthæi communis opinio docet ſcriptum eſſe Hebraicè, & probat hoc S. Hieronymus Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis illa coniectura, quod

quod Matthæus loca veteris Teſtamenti citat non iuxta 72. Intepretum Græcam interpretationem, vt alij faciunt Evangeliſtæ; ſed iuxta Hebraicum textum. Evangelium Marci creditur ab eodem Romæ Latine conſcriptum, quod tamen certiſsimum non eſt, cum Romani Græcæ linguæ ſtudioſi eſſent. Addunt non pauci ab eodem ipſo Marco converſum in Latinum Idioma. Epiſtola ad Hebræos videtur ſcripta eorum idiomate, vt facilior, ad intelligendum, & clarior; reddita poſtea Græcè, vel à Sanct. Luca, vel à Clemente Romano, quorum ſtylum ſapit diſertum, ipſumque Græcum autographum à Paulo lectum, & probatum. Epiſtola ad Romanos videbatur etiam Latine ſcribenda, vt aliqui putant; ſed probabilior opinio cenſet, ſcriptam Græce, vt frequentes idiotiſmi Græcanici, quibus abundat, ſuadent.

13 Quod ſi quæras an Hebraicus Sacræ Scripturæ textus, qui nunc extat, ſit ſincerus, & incorruptus?

Reſpondeo, dubium non eſſe, quin in textu Hebræo (quod in omnibus ſcripturis vſuvenit, aut calamo exaratis, aut Typo impreſsis) menda per incuriam aliqua irrepſerint, præſertim cum in huius linguæ Alphabeto aliquæ litteræ ſint inter ſe multum ſimiles, ſicut ſunt illæ, quarum nomina ſequuntur, & quarum alibi, ſi forte haberi poterunt, dabuntur in hoc opere Characteres. De quo recolendus eſt Index. Nomina ergo ſunt. *Beth*, & *Caph*, quæ inter ſe ſunt ſimiles: ſicut *Nun*, & *Ghimel*: *He*, & *Chet*: *Vau*, & *Zain*: *Reſch*, & *Daleth*: *Mem* finale, & *Samech*. Sed inſuper malitia Iudæorum alia irrepſiſſe putant nonnulli. De quo Serar. in Prolog. c. 12. quæſt. 2.

PROLEGOMENON V.

VARIETAS VERSIONVM Sacræ Scripturæ.

14 PRIMO loco occurrit aliquid dicendum de Græca verſione facta à ſeptuaginta duobus viris, circa quam hæc brevitèr explicanda; *qua occaſione facta*; *quomodò*; *quantæ authoritatis*; *an modo ſit corrupta*; *quanti iam fieri debeat*, & *quomodo hæc verſio dicatur cum Hebræo conſentire?* Occaſionem dedit maximum deſiderium Ptolemæi Philadelphi, Regis Ægypti ad habendos in ſua locupletiſsima Bibliotheca Alexandriæ conſtructa Sacros etiam Libros Iudæorum. Quapropter ab Eleazaro Pontifice impetravit ſeptuaginta duos viros, ſenos ex qualibet Tribu, qui omnes Libros veteris Teſtamenti ad ſatisfaciendum regio deſiderio in Græcam linguam tranſtulerunt. Factum id autem eſt hoc modo, prout cenſent graves Authores. Singuli in diverſis cellulis ſuam interpretationem elaborarunt, in qua omnes planè ad verbum conſentientes Divino miraculo reperti ſunt; eandemque interpretationem ſeptuaginta duorum dierum ſpatio abſolverunt. Magna ergo foret authoritas eiuſmodi verſionis, ſi perveniſſet ad nos incorrupta; cum præſertim non tàm fuerint Interpretes, quàm ipſi, tamquam Divino Spiritu afflati Prophetarunt; & Apoſtoli, ac Evangeliſtæ in citandis Sacræ Scripturæ veteris locis ea vſi ſunt; & Eccleſia Græca ſemper; vniverſalis verò Catholica totis 600. annis pro authentica, & vulgata illam adhibuit, & multi Patres antiquiores eamdem commentarijs ſuis illuſtrarunt. Verum corrupta eſt nunc multis locis, quod

quod apertè affirmat S. Hieronymus præfatione in Libros Paralipomenon. Quamquam verò nunc eadem mendosa sit, tamen post editionem nostram *VULGATAM* præ alijs omnibus maximæ est authoritatis, quia olim authentica fuit expresso, vel tacito Ecclesiæ decreto, nec vnquam improbata, vel reiecta. Quamquam ob eam causam relicta sit, quòd cum impura esset, motus sit S. Hieronymus, vt Hebræa volumina Latino sermone transferret, vt idem testatur loco citato. Tandem quia in locis etiam illis, quæ constat, non esse corrupta, qualia sunt ea, quæ ab Apostolis, aut in Evangelio citantur, *SEPTUAGINTA* Interpretum versio diversa aliquando videtur à textu Hebraico; dicendum est, vel non dissentire, licèt ita prima fronte videatur; vel septuaginta subindè paraphrastas egisse, sententia tamen retenta; vel Hebræas voces plures habere significationes; vel quia nihil habet contrarium ei, quod habetur in fonte; idemque ipsum voluit addi, demi, mutari per hos Interpretes, qui Scripturæ est Author Deus.

15 Fuerunt aliæ Græcæ versiones ex Hebræo nimirum Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, duæque aliæ incertis Authoribus, quæ propterea citari solent nomine quintæ, & sextæ editionis. Aquila verbum verbo, Symmachus sensum sensui reddere conati sunt, Theodotion mediam viam sequutus est. Horum trium authoritas, vel exigua, vel nulla est, in ijs, quæ spectant ad Christum, & Christianam Religionem. Aquila enim ex Gentili Christianus, & ex Christiano Iudæus factus in odium Christianæ Religionis à se derelictæ, quæ de Christo sunt de industria corrupit, aut obscuravit. Nec melior fides, Symmachi, qui è Samaritano Iudęus, iterùmque circuncisus, tùm ex Iudęo Christianus, tandem ex Catholico hęreticus Ebionita factus est. Theodotion reliquis duobus scelere par, post susceptа Christiana Sacra, Tatiani, Marcionis, Ebionisque hęreses amplexatus est; tandemque proselytus factus, transijt ad Iudęos. Horum in ijs, quę ad Christianam Religionem non spectant, non parva est authoritas, pręcipuè apud Origenem, & S. Hieronymum. Ex his tribus prælatus videtur Theodotion, tamquam mediam ingressus viam, etiam Ecclesię testimonio, quę olim totum Danielem ex Theodotionis, versione legebat, & etiam num duo postrema capita cum hymno trium puerorum, & oratione antecedente, cap. 2. legit. Quinta, & sexta editio non damnantur ab antiquis, vt parum fideles, minusve sincerę; sed harum omnium versionum fragmenta tantum reliqua sunt, cum integrę versiones perierint. Lucianus Martyr, & Hesichyus etiam ediderunt versionem, quę erat septuaginta virorum. Et quidem Luciani emendationem Constantinopolis, & Græcia; Hesichij Ægyptus amplexa est. Iam ex superioribus memoratis editionibus Origenis Tetrapla, Hexapla, & Octapla coaluerunt, in eadem pagina quatuor, vel pluribus interpretationibus per columellas descriptis, & inter sese compositis, vt in quo discreparent, aut convenirent, facili comparatione agnosci posset. Similis industria adhibita est tum in celebri illa nostra editione Bibliorum Complutensium superiori sęculo tum in editione Bibliorum Regiorum, in quibus textus Hebraicus, Græcus, & Chaldęus eodem modo, & ad eundem vsum, & finè dispositus est. Addiderat Origenes ad textum obeliscos, & asteriscos, quibus, quę deessent, aut redundarent notata, faciliùs à legentibus cognosci possent. Porrò Tetrapla dicuntur,

quę

quę quatuor, Hexapla, quę ſex, Octapla, quę octo complectuntur interpretationes. Horum Tetraplorum, &c. ſit mentio non infrequens apud veteres, ideò hic explicata ſunt.

16 De textu autem Greco Teſtamenti Novi hoc etiam dici poteſt, quòd alicubi corruptum eſt, ſivè Librariorum, & Typographorum negligentia, & incuria, ſivè perfidia, & malitia Hereticorum. Quare potius ex Latino Græcus Textus, quam ex Græco Latinus eſt emendandus. Non negaverim tamen, poſſe ex Græco *Vulgatæ* editionis Latinę textum emendari, ſi aliunde ſuppetant argumenta, quibus evincatur, aut Latinam editionem eſſe corruptam, aut Græcam incorruptam. Græcus etiam contextus eſt vſui ad ambiguitates tollendas, & locorum multorum vim melius aſſequendam; cum nimirum Latinę linguę inopia Græcę fœcunditatem, & energiam ęquare non potuit.

17 De Paraphraſi Chaldęa hoc dicendum eſt, quod Chaldęa lingua editi ſunt Libri Tobię, & Iudith, & ex parte Libri Eſdrę, & Danielis. Prętereà in omnes Libros veteris Teſtamenti, qui Iudęorum Canone continentur, extat Chaldaicum *Thargum*, vt vocant, quę vox interpretationem, ſeu Paraphraſim ſignificat exceptis tamen Libris Paralipomenon, Eſdrę, & Danielis. Huius Paraphraſis Authores tres nominantur, R. Onchelos, Ionathan, & Ioſeph Cęcus. Et quidem vox *Onchelos* Aquilam ſignificat, atque ideò putant aliqui, hunc eumdem illum Aquilam eſſe, qui ex Hebręo in Græcum Sacros Libros convertit. Paraphraſis Oncheli, ſivè Aquilę eſt tantum in Pentatheucum. Ionathan ſignificat *Donum Dei*, vt etiam vox Græca *Theodotion*, quare non deſunt, qui huius partis Thargum Authorem faciant Theodotionem Græcę editionis, de qua ſupradiximus, Authorem. Ionathę Paraphraſis extat in Libros Ioſuè, Iudicum, Regum, & Prophetas omnes. Rabbi Ioſeph Cęci (quem aliqui dubitant, fuerit nè Didymus ille Cęcus, quem laudat S. Hieronymus, & videntem ſuum vocat in proęmio Epiſtolæ ad Galatas) eſt paraphraſis in Iob, Ruth, Eſther, & in libros Salomonis. Maximam autem afferunt hæ paraphraſes vtilitatem ad Convincendos Iudęos, à quibus magni fiunt, ad explicationem etiam Sacri Textus, eiuſque Sententiam meliùs aſſequendam; quamvis paraphraſis Chaldęa, excepta illa, quę eſt in Pentatheucum, Thalmudiſtarum fabulis conſperſa eſt; ſicut etiam non planè incorrupta Oncheli in Pentatheucum.

18 In Biblijs etiam Regijs extat totius teſtamenti Syriaca interpretatio prętęr Epiſtolam ſecundam Petri, ſecundam, & tertiam Ioannis, Epiſtolam Iudę, & Apocalypſim. Et Serarius noſter in ſuis prolegom. cap. 5. quęſt. 1. aſſerit à Maronitis Romam, quę deerant, eſſe delata. Huius verſionis Author putatur eſſe S. Marcus Evangeliſta; ſed non videtur probandum: & ſaltem, videtur certum, quoad Evangelium S. Ioannis, & Apocalypſim, non potuiſſe eſſe S. Marci, poſt cuius obitum ijdem libri ſcripti ſunt. Duplex eſt autem huius verſionis vtilitas. Altera communis, ſcilicèt, in multis noſtram editionem vulgatam firmat, ſtabilit, eique lucem affert, quod verſionum collatio facere ſolet. Altera vtilitas peculiaris eſt contra Hęreticos noſtri temporis, quia adiunctos habet titulos, & inſcriptiones varias, quibus ſignificatur, quid ex Novo Teſtamento legi ſoleat in huius, aut illius Sancti feſto die, in veneratione Sanctę Crucis, in quadrageſima, in ieiunijs alijs,

in

in commemoratione Fidelium Defunctorum, &c. ex quibus Eccleſiæ ritus ſtabiliuntur, & oſtenditur conſenſus cum Romana Eccleſia.

19 Una ſupereſt *VULGATA* noſtra editio Latina, quæ nunc in manibus omnium verſatur, & à Concilio Tridentino, & paſsim *VULGATA* editio nuncupatur, ad differentiam ſcilicèt aliarum Latinarum editionum ante S. Hieronymum, ac præſertim illius, quæ dicebatur *Itala*, quæ poſt editam ſuam à S. Hieronymo verſionem, relicta eſt, & verſio S. Hieronymi Doctorum, & Patrum conſenſione admiſſa. Duo autem videntur explicanda circa *Vulgatam* noſtram editionem Latinam, quiſnam ſcilicèt ſit illius Author, & quænam authoritas?

20 Author igitur huius *VULGATÆ* noſtræ editionis quoad vetus Teſtamentum eſt S. Hieronymus, qui illud totum ex Hebræo in Latinum tranſtulit, excepto Libro Sapientiæ, Eccleſiaſtico, Machabæis, Baruch, & Epiſtola Hieremiæ. Hoc enim idem S. Hieronymus affirmat in fine Libri de Eccleſiaſticis Scriptoribus, his verbis: *Vetus iuxta Hebraicum tranſtuli.* Exceptos autem Libros veteris Teſtamenti non convertit, quia vel Canonicos non putavit, vt *Eccleſiaſticum*; vel Hebræos non invenit, vt *Sapientiam*, vt ſignificat præfatione in Proverbia; nam Baruch à ſe ideò prætermiſſum diſertè narrat ipſemet præfatione in Hieremiam. Quamvis autem S. Hieronymus ex Hebræo in Latinum convertit etiam Pſalterium, quod etiam nunc extat inter eiuſdem opera, hanc tamen verſionem Eccleſia non recepit, ea fortaſſe de cauſa, quia cum in Eccleſijs quotidiè Pſalmi iuxta *SEPTUAGINTA* canerentur, ijſque fidelium aures aſſueviſſent; durum ac violentum propemodum fuiſſet inducere verſionem S. Hieronymi. Quarè ab eadem retenta eſt antiqua, prius tamen à Luciano Martyre emendata.

21 Quod pertinet ad interpretationem Novi Teſtamenti, Author ignoratur. S. Marcus creditur Evangelium ſuum Latinè ſcripſiſſe. Cæterorum licèt interpres ignoretur, non dubium tamen, eam interpretationem factam ſtatim initio Eccleſiæ, planeque veriſimilè eſt, ab Apoſtolis viſam, & probatam. Hanc à mendis, quæ vel per imprudentiam irrepſerant, vel ab aliquibus temerè inſerta erant, Damaſi Pontificis authoritate S. Hieronymus emendavit, vt idem teſtatur his verbis in fine Libri de Eccleſiaſticis Scriptoribus. *Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidi.*

22 Eiuſdem *VULGATÆ* noſtræ editionis authoritas apud Catholicos ſumma eſſe debet, vt re ipſa eſt, tum propter eius antiquum vſum in Eccleſia; tum quia S. Hieronymus illius Author, vt linguarum peritiſsimus peritè, vt Sanctiſsimus fidelitèr, & diligentèr interpretatus, & Divino auxilio ad opus benè perficiendum peculiaritèr adiutus eſt; tum quia de eadem extat Decretum Concilij Tridentini ſeſſ. 4. per quod declaratur *authentica*, quod idem eſt, ac abſolutè, & ſimpliciter fidelis, & ſyncera.

PROLEGOMENON VI.

SACRÆ SCRIPTVRÆ obſcuritas, varij ſenſus, ac vſus.

23 SACRAM Scripturam obſcuram eſſe, ac intellectu difficilem evidentèr oſtendunt tàm multa in Sacra Biblia Commentaria, quæ quotidiè prodeunt; Patreſque communi conſenſu teſtantur. Huius obſcuritatis cauſæ duæ ſunt; *PRIMA* petitur ex

rebus de quibus agit, ſunt enim frequentèr res ſublimes, Cœleſtes, quæ ſub ſenſum non cadunt, atque adeò illas imbecillitas noſtra non capit, *quomodo ſi dixero vobis Cœleſtia, credetis?* Ioannes 3. Sunt etiam aliquando res longinquitate temporis à nobis diſtantes, vt futuræ extremis Anti-Chriſti temporibus, & quæ olim fuerunt in veteri lege, & ante illam: hæ profecto non poſſunt non afferre difficultatem, & obſcuritatem propter morum illius ævi à noſtris diſcrepantiam, & propter ignorationem aliarum circunſtantiarum. *ALTERA CAUSA* obſcuritatis petitur ex modo eaſdem res proponendi, & explicandi: Sacræ enim Scripturæ metaphoris abundant, allegorijs, catachreſibus, antiphraſibus, quæque multa ſymbolis involuta de induſtria proponit. Voluit autem Deus ſuam Scripturam Sacram eſſe obſcuram; tùm ne vileſceret, tùm vt honeſtam excitaret in hominibus occupationem in illa ſcrutanda; tùm, vt ex difficultate creſceret ſtudij eiuſdem delectatio; tùm, vt altiùs mentibus noſtris infigeretur diù quæſita, & verſata.

24 Quoad ſenſum Sacræ Scripturæ, hic duplex eſt, *litteralis* ſcilicèt, ſivè Hiſtoricus, & *Myſticus*, ſivè vt alij appellant figuratus. Senſus litteralis eſt ille, quem verba, ſivè propriè, ſivè metaphoricè accepta ex Spiritus Sanctis loquentis intentione primò, & immediatè ſignificat. Dixi *metaphoricè*, quia quod metaphora, aut alio tropo ſenſus aliquis exprimatur, non facit quominus ſenſus ſit litteralis. *Cavete à fermento Phariſæorum.* Matth. 16. idem eſt, ac *cavete à doctrina Phariſæorum*, remota fermenti metaphora. Dixi *ex Spiritus Sanctis loquentis intentione*; nam ex ea pendet, vt verba, vel propriè ſumantur, vel metaphoricè, vt ſi quis dicat, *cave, leo rugiens circuit*, ambiguum eſt, ſimplicitèr ne, & vt verba ſonant, an verò tropicè intelligenda ſunt de leone, an de dœmone? *Myſticus* ſenſus eſt, qui non proximè per voces, ſed mediatè, & remotè, mediantibus ſcilicèt rebus, per voces ſenſu litterali ſignificatis ab Spiritu Sancto indicatur. V. gr. in Deuteronom. cap. 25. præcipitur, *non alligabis os bovi trituranti*, ſenſus litteralis eſt is, quem verba ſonant, *Myſticus* eſt, qui ſuppoſito ſenſu litterali, ex eo, & rebus per ipſum ſignificatis vlterius intenditur à Spiritu Sancto *hoc eſt*, vt explicat Paulus 1. ad Corinth. 9. Doctoribus, & Concionatoribus neceſſarium, & honeſtum victum ſuppeditandum: Senſus autem Myſticus triplex eſt, *Allegoricus*, *Tropologicus*, ſivè moralis, & *Anagogicus*. Allegoricus eſt de rebus credendis, Tropologicus de rebus agendis, Anagogicus de rebus ſperandis, iuxta hos verſus:

Littera geſta docet, quod credas Allegoria.
Moralis, quod agas, quo tendas Anagogia.

Quod ſi petas, quomodo ſit ſenſus litteralis inveſtigandus? Reſpondeo ad aſſequendum Sacræ Scripturæ ſenſum litteralem, multa iuvare. 1. Alia loca ſimilia. 2. Traditiones Eccleſiæ. 3. Conciliorum definitiones. 4. Interpretationes Patrum. 5. Theologiam Scholaſticam. 6. Linguarum peritiam. 7. Cognitionem aliarum ſcientiarum, & artium. 8. Diligentem conſiderationem antecedentium, & conſequentium, & adiunctorum, quod tamen in Prophetis, Proverbijs, Eccleſiaſtico, Pſalmis locum non habet. Nam Prophetæ, & Pſaltes, ſæpè à figura ad rem figuratam tranſiliunt; aut etiam longius evolant ad alia; Proverbia, & Eccleſiaſticus ſunt collectio quædam præceptorum, quæ neceſſarium inter ſe ordinem, nec requirunt, nec ſervant.

Quod

25 Quod ſi iterùm quæras, quomodo ſint eruendi myſtici ſenſus? Reſpondeo. Maiorem eſſe difficultatem in eruendo ſenſu myſtico, quam litterali; hic enim percipitur his adminiculis, quæ diximus; in ſenſu autem myſtico, pauciora habemus adiumenta, cum totus abſtractus ſit, ac ex Spiritus Sanctis pendeat intentione. Ad aſſequendos igitur ſenſus myſticos, multum iuvat aſſecutio ſenſus litteralis, in quo vt illi ſolidi ſint, fundari debent. Quarè ex ipſa re geſta, & Hiſtoria, quam ſenſus litteralis docet, quaſi è primo gradu aſcendendum eſt, iuvante Spiritu Sancto, ad myſteria fidei per allegoriam, ad mores per tropologiam, & advitam beatam per ananogiam.

26 Nunc aliqua remanent notatu digna, tàm de ſenſu litterali, quàm myſtico. *PRIMO.* Ergo notatu dignum eſt, cuiuslibet loci Sacræ Scripturæ ſenſum aliquem litteralem eſſe; alioquin tota fabrica ſenſus myſtici collaberetur. Senſus tamen myſticus in aliquibus quidem reperitur, in alijs verò non ita. Quis enim ſenſus myſticus horum verborum *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* *SECUNDO.* Eumdem locum Scripturæ Sacræ poſſe aliquando plures habere ſenſus litterales, tùm propter fœcunditatem Sacræ Scripturæ; tùm, quòd in ſignis ab hominibus inſtitutis eadem res duo ſimul ſignificare poteſt; Sono enim campanæ; v. gr. datur ſignum advitandum incendium, & advitandum tumultum, aut ſeditionem Populi; Sic Caiphas Ioann. 11. ſenſu politico, impio, & falſo dixit, *expedit vobis, vt moriatur vnus homo pro Populo, & non tota gens pereat*; qui tamen ab Evangeliſta dicitur prophetaſſe, quia illius voce Spiritus Sanctus verum, & bonum ſenſum expreſsit. *TERTIO.* Alia loca Sacræ Scripturæ eſſe, in quibus triplex ſenſus myſticus aſsignari poſsit, alia verò aliquando duos ſenſus; aliquando vnum tantum habere poſſe ex myſticis. Quare ex omnibus locis omnes ſenſus myſticos extundere velle, non ſolum ſupervacaneum, ſed etiam ineptum eſt. *QUARTO.* Senſum myſticum ferè erui ex veteri Teſtamento, quod figuris, allegorijs, ſymboliſque rerum futurarum abundat. Sunt etiam in novo, quæ hunc ſenſum admittunt. V. gr. *Navicula Petri* vndis iactata *Eccleſiæ perſecutiones* ſignificat, &c. *QUINTO.* Senſum myſticum digniorem eſſe, ſi cum eiuſdem loci ſenſu litterali conferatur: figuræ enim præſtat figuratum, quod intellige de eo myſtico ſenſu, quem Spiritus Sanctus intendit; ſed ſi non de ſubordinatis ſenſibus per modum figuræ, & figurati loquamur, ſed abſolutè; tunc dicendum, ſenſum litteralem æquè præſtantem, ac myſticum eſſe poſſe, cum de rebus præſtantiſsimis eſſe poſsit, vt de Trinitate, Incarnatione, Chriſti Paſsione, Reſurrectione, &c. Imò abſolutè omnibus penſatis dicendum eſt, ſenſum litteralem eſſe myſtico præferendum; tùm, quia de rebus æquè præſtantibus eſſe poteſt; tùm, quia in omnibus Scripturæ locis reperitur; tùm demùm, quia certior, & ad probandum vtilior. Dixi *vtiliorem*, ſuppoſito, quod non conſtet, ſenſum myſticum eſſe verùm, & à Spiritu Sancto intentum. Nam ſi hoc conſtat, æquè firmum argumentium peti poteſt ex ſenſu myſtico, ac ex litterali; conſtat autem ſenſum myſticum eſſe verùm, ac à Spiritu Sancto intentum, vel ex Scriptura Sacra, vt de illo de bove triturante, de ſuppeditando Concionatoribus neceſſaria conſtat ex S. Paulo, vel ex Concilijs, vel ex conſenſu Patrum, & Eccleſiæ Doctorum. Propterea argumenta deſumpta ex ſenſu myſtico infirma ſunt, quia neſcimus, an ille ſit verus.

27 Præter ſenſus hactenùs explicatos, quos omnes recipiunt, eſt alius

ſenſus dictus *accomodatitius*, & eſt quando ea, quæ litterali, aut myſtico ſenſu, alia occaſione dicuntur in Scriptura, transferimus ad res alias. Sic quod de Noe dicitur in Eccleſiaſtico cap. 44. *Inventus eſt iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* Eccleſia omnibus Confeſſoribus accomodat. Pulcherrimè hoc ſenſu, & convenientiſsimè vſus eſt S. Bernardus, & Baronius in ſuis præfationibus ad ſingulos Annalium Tomos. Et huiuſmodi ſenſu accomodatitio, nullum quaſi Divinum, neceſſarium, ac firmum argumentum ad probandum duci poteſt, quia Spiritus Sanctus nequè proximè, & immediatè, nequè remotè id ſignificare voluit, cum pro cuiuſque ingenio, cum quadrat, aliò, vt libuerit, torqueantur; & alteri argumento, quod nihil cum Sacræ Scripturæ argumento habet commune, adaptentur. Hic tamen inſinuo, Sacri Concilij Tridentini graviſsimum extare decretum contra eos, qui verba Scripturarum ad res prophanas, ac facetias, ad ſignificationes obſcænas traducunt, quod videri poteſt ſeſſ. 4.

28 Myſticis ſenſibus ſimiles ſunt ſenſus, qui *Cabàla* explicantur: ideò de Cabàla aliquid reſtat dicendum. *Cabàla* vox eſt Hebraica, & idem eſt, quod *receptio*, ſignificatque arcanam Scripturæ intelligentiam, à maioribus ad poſteros, quaſi per manus tranſmiſſam, atque receptam. Senſus ij cabaliſtici, non planis verbis, & quæ facilè percipiantur, explicari ſolent, ſicut dictum eſt de ſenſibus myſticis; ſed verbis obſcuris, & ænygmaticis, vt olim ſolebat Pythagoras ſua dogmata ſymbolis obvelare: ſufficiat vnum exemplum propoſitionum Cabaliſticarum apponere. *Niſi nomini Abraham littera* HE *addita fuiſſet, Abraham non generaſſet.* Et hæc quidem de veterum Hebræorum Cabàla. Eſt, & alia recentiorum Cabàla, quæ ferè in dictionibus, & litteris verborum Scriptuæ ludit ad eum modum quo fieri ſolent anagramatiſmi, vel aliquo alio ſimili; v. g. reſolvendo litteras, tranſponendo, vnam cum alia tranſmutando, figuram, aut vim arithmeticam illarum perpendendo. Videtur hæc Cabàla, ex aliquibus Scripturæ locis, quæ ſymbolicè, & non ſine myſterio, quod in litteris lateat, proponuntur, occaſionem ſumpſiſſe; vt cum prodigioſa illa manus tres obſcuras illas voces, aut initiales earum litteras ſcripſit in pariete, *Mane, Thecel, Phares*, Dan. cap. 5. Item cum Hieremias cap. 25. per litterarum mutationem cum Babel dicere vellet, dixit *ſeſac*, vt eo loco interpretatur S. Hieronymus. Simile myſterium eſt in Apocalypſis cap. 13. Cum agitur de numero nominis Beſtiæ. Si ergo Cabàla referatur ad myſteria hæc Scripturæ, quæ dixi, aut alia huiuſmodi enodanda, reijci non poteſt. Si verò in alijs per mutationem; v. gr. litterarum ſenſus bonos, & pios exprimat, laudem merebitur; ſed in re tenui verſabitur labor, ſimilis labori fabricantium anagramatiſmos. Si verò ſenſus malos eruat, aut quod peius eſt, ad magiam Hebraicis Characteribus abutatur, graviſsimè peccat rei Sacræ abuſu, & vſurpatione artium damnatarum.

29 Ut Sacris litteris vti poſsimus, vnum remanet explicandum, modus ſcilicèt Sacrorum Bibliorum diſcendorum. Ad Sacras igitur litteras intelligendas, præter bonitatem ingenij, reverens animi demiſsio, & mentis puritas afferenda eſt, quia Sapientia longè abeſt à ſuperbia Eccleſ. 15. *Et in malevolam animam non introibit Sapientia.* Addenda eſt oratio ex Iacobi monitu, *ſi quis indiget Sapientia, poſtulet à Deo.* Iacob. 5. Adhibendum prætereà eſt ſtudium diligens, & pertinax ex magna diſcendi cupiditate profectum,

San-

Sanctos Patres, & optimos quoſque Interpretes legendo, bonos Præceptores in Sacris litteris diligentèr verſatos conſulendo, & cum alijs, eidem ſtudio addictis, conferendo. Plurimum iuvat cognitio linguarum, præcipuè Hebraicæ, & Græcæ, & vniversè, quò plus quis in quocumque ſcientiarum genere profecerit, eo maiora habebit ad hoc ſtudium adiumenta. Vix enim eſt rei alicuius cognitio etiam mechanicarum artium, quæ in Scriptura interpretanda, vſui non ſit, & qubuſdam locis maximè neceſſaria: Quod quàm verùm ſit poteris facilè videre in libris Moralium explicationum S. Gregorij in Iob.

30 Hæc ſummatim de Prolegomenis Sacræ Scripturæ abundè dicta ſunt pro præſenti opportunitate, & inſtitutione: vix enim vlla notitia deſiderari poterit ex ijs, quæ neceſſariæ ſunt ad introitum præſentis Paleſtræ, quæ ibi ſatis inſinuata, traditaque non reperiatur. Deſumpta ingenuè ſunt ex Menochio, & Fabritio Britio; quippè vbi parciùs, & pulchriùs, ex probatiſque ſententis cuncta ſunt tradita. Verùm quia circa nonnulla ex illis contro verſię non deſinunt eſſe; & fortaſſe ſtudioſus quiſpiam inſtitutionem deſiderabit ampliorem de ijs, quæ ad Prolegomena pertinuerint; idcircò ſtatim damus Catalogum locupletem illorum Authorum, qui vel omninò, vel notabili ex parte hęc pertractarunt.

CATALOGUS.

1 P. Alphonſus Salmeròn, S. I. in Prolegomenis.

2 P. Nicolaus Serarius, S.I. in Prolegomenis.

3 Ioannes à S. Thoma, Trinitarius Excalceatus, in Prolegomenis.

4 Antonius à Matre Dei, Carmelita Excalceatus, in Prolegomenis; ſivè Iſagoge.

5 Ludovicus Tena, in Iſagoge.

6 Xantes Pagninus, Dominicanus, in Iſagoge.

7 Fulgentius Botens, Franciſcanus, in Æconomia Sacra.

8 Martinus Martinez Hypothipofeon.

9 Didacus de Turegano Benavides, Carmelita in Lect. Complut.

10 Petrus Lopez de Montoya, in Concordia editionum.

11 Garcia de Galarça, in Evangelicius inſtitutionibus.

12 Paulus Burgenſis, in Scrutinio Scripturarum.

13 Caſſiodorus, de Divinis Lectionibus.

14 P. Martinus del Rio, S.I. in Adagialibus, & Pharo Sapientiæ.

15 Fabianus Iuſtinianus, de Uſu Sacræ Scripturæ.

16 Ambroſius Catharimus, Dominicanus, in Clavibus Sacræ Scripturæ.

17 Laurentius à Villavicencio, Auguſtinianus, in Phraſibus Sacræ Scripturæ.

18 P. Ioannes de Ulloa, S.I. in ſuis Decad. Regularum.

19 P. Ioſephus de Acoſta, S. I. de Chriſto Revelato.

20 P. Ioannes Fernandez, S.I. in Theſauro Scripturarum.

21 Ioannes Driedo, de Dogmatibus Sacræ Scripturæ.

22 P. Iacobus Bonfrerius, S. I. in Pentateuchum.

23 S. Auguſtinus, in libris de Doctrina Chriſtiana.

24 S. Eucherius, in Formulis Spiritualibus.

25 P. Ioannes Payva, de Phraſibus, regulis, ſenſibuſque Scripturæ.

Lora

26 Lorca, Ciſtercienſis, de Locis, in 2. 2.

27 Eſcalante, Trinitarius, in Clypeo.

28 Leonardus Marius, in Prolegomenis.

29 P. Menochius, S. I. de Republica Hebræorum.

30 Franciſcus à Ieſu Maria, de Senſibus.

31 Bibliotheca Sancta, Sixti Senenſis Dominicani.

32 Bibliotheca Selecta, P. Antonij Poſſevini, S. I.

33 Fr. Franciſcus Ruizius, Benedictinus de Regulis interpretandi Sacram Scripturam.

34 Leo Caſtro, in Apologetico pro Vulgata.

35 Iodoccus Coccius, in Theſauro.

36 P. Ludovicus de la Cerda, Adverſaria Sacra.

37 P. Euſebius Nieremberg, de Origine Sacræ Scripturæ.

38 Ludovicus Novarinus, Electa Sacra.

39 Fr. Lucas de Montoya, Minimita, de Senſu Methaphorico litterali.

40 Fr. Hieron. Monterde, Mercedarius ſparſim in ſua Syllogiſtica expoſitiva conſulendus eſt.

Præter quos omnes, etiam ad peculiares quorumdam Sacræ Scripturæ Librorum Interpretes peculiaria quoque Prolegomena, vel Regulæ ſolent adnecti. V. g. Anteloquia Patris Pauli Sherlogi in Cantica. Regulæ P. Gaſparis Sanchez, in ſuis Operibus; & quid ſimile in P. Chriſtophoro de Caſtro in Hieremiam, & P. Iacobo Bonartio in Eccleſiaſticum. Sed qui locupletiſsimè, & non ſine ingenti labore ferè omnes huiuſcemodi Libros citat, & congerit, eſt Pater Iacobus de Monte Frio Societatis Ieſu in ſua refertiſsima Methodo Didaſcalica.

APPA-

APPARATUS
AD PALÆSTRAM BIBLICAM.
PARS SECUNDA.
SYNOPSIS SACRÆ SCRIPTURÆ, & Scriptorum eius.

PROOEMIUM.

POSQUAM BREVIA, ET CONCISA PROLEGOMENA accuratè, præmiſimus, quibus tyronibus aliqua ex parte ad Sacros Codices aditus patefieret; admodùm veriſimile eſt, quod eorum vota, ne ad tot, & tam varia volumina, tempore, ſtylo, Authore, & argumento nimis ſeiuncta, adeunda perterrefiant, nil optent ardentiùs, quàm vt brevi quodam intuitu, conciſaque ligatura, & Synopſi totius huius Occeani vaſtitatem, ſaltem à longè dimetiri, ac propria cymba tranare valeant. Quamobrem hanc, nedum librorum omnium, ac ſingulorum; ſed & argumenti etiam, Synopſin adiungimus; cum qua itidem Scriptorum Canonicorum ſummam atteximus: vbi & de ſtylo rurſus occaſione poſtulante, diſſeritur; & iuniorum gratia, nonnulla, tametſi non ad puram excocta penitùs Chronologia, præmittitur.

CAPUT I.

TOTIVS OECONOMIÆ BIBLICÆ, LIBRORVMQVE vtriuſque Teſtamenti Synopſin continens.

UNIVERSA Sacrorum Bibliorum Scriptura diſtinguitur in duo Teſtamenta. *VETUS*, ſcilicèt, ſivè primum (quod Hieronym. vocavit elimenta mundi, quibus Deum diſcimus) nil ferè eſt aliud, quam Prophetia Novi Teſtamenti. *Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum, lib. 15. cap. 1.* Ideò, ſic dictum, vel quòd temporalium rerum promiſsiones con-

ti-

tineat. *Ita idem contra Fauſtum Manich. lib. 4. cap. 2.* Vel quia per novum aboleatur. Sic idem Sanct. Doct. in Pſalm. 104. quibus in locis agit de lege veteri, ſivè de ſtatu Populi Dei. *NOVUM* autem, ſivè ſecundum, quod iuxta Auguſt. lib. 18. de Civitate Dei, cap. 54. eſt perfectio veteris Teſtamenti, ſic nuncupatur ex eo, quod vitæ æternæ promiſsionem contineat. Ita idemmet Auguſt. loco relato contra Fauſtum Manich. lib. 4. cap. 2. in quibus agit Sanct. Doct. de legis perfectione, ſivè de Eccleſia Chriſtiana. Utrumque igitur Teſtamentum homines ad legis obſervantiam inducit, & quidem *PRIUS* ad obſervantiam veteris per timorem pœnarum; *POSTERIUS* verò ad expletionem novæ per amorem filiorum.

CAPUT II.

DE PARTIBVS LIBRORVM *veteris Teſtamenti.*

IN libris Veteris Teſtamenti Populus Dei, ſivè Reſpublica Iudæorum inſtituitur. I. Legibus, & Iudicis ex ore Dei prolatis, qualia ſunt in Pentateucho, hoc eſt, in quinque libris Moyſis. II. Exemplis virtutum, & vitiorum in libris Hiſtoriæ Sacræ comprehenſis. III. Forma, ſeu ritu quodam Deum rectè laudandi, de quo in Davidis agitur Pſalmis. IV. Doctrina, hoc eſt præceptis Philoſophiæ Cœleſtis, ſivè recta in Eccleſia Dei converſandi ſcientia, in quem vſum quinque illi Sapientiales ſcripti ſunt libri. V. Revelationibus Divinis de venturo Meſsia, quibus Populus peccator ad ſalutarem monetur pœnitentiam, partim comminatione pœnarum, partim verò promiſsione beneficiorum, vt fit in libris Prophetarum. VI. Denique conſolationibus afflictorum, atque ſic præparatione quadam ad crucem, quæ in duobus exprimitur libris Machabæorum.

CAPUT III.

DE LEGIBVS, IVDICIISQVE *Divinis, quæ in quinque libris Moyſis continentur.*

SUMMA igitur Pentateuchi bifariam expenditur generatim, ſcilicèt, & ſpeciatim. *Generatim*, itaque in quinque libris Moyſis, in quibus agitur de conditione, ſeu qualitate. I. Domini legem ſtatuentis, vt in Geneſi. II. Miniſtri Legem proponentis, vt in Exodo. III. Corporis Legem continentis, vt in Levitico. IV. Populi Legem recipientis, vt in Numeris. V. Denique Epilogi Legem explicantis, vt in Deuteronomio. *Speciatim* autem complectitur. I. Seriem rerum in veteri Eccleſia Dei geſtarum tempore Patriarcharum, hoc eſt, directionem Populi per miniſterium Adæ, vt in Geneſi, Noe, vt in Geneſi, Abraham, vt Geneſi, Iſaac, Jacob, & Ioſeph, vt in eodem Geneſi explicatur. II. Acta Populi Iſraelitici ab egreſſu ex Ægypto in Deſertum vſque ad ingreſſum Terræ Promiſſæ, & hoc in reliquis quatuor Libris Exodo, nempè, Levitico, Numeris, & Deuteronomio.

CAPUT IV.

DE GENESI, SEV *de Creatione Cœli, & Terræ.*

GENESIS, vt ait Chryſoſtom. Eſt *Liber Cœli, & Terræ*: in quo agitur. I. De Mundi, ac Generis Humani, rerumque creatarum omnium exordio, vt in capitibus

bus 1. 2. 3. 4. & 5. II. Agitur de Diluvio, & Arca Noe, vt in cap. 6. 7. 8. & 9. III. De diuiſione Terræ, cap. 10. & 11. IV. De Confuſione Linguarum, cap. 11. V. Denique de Deſcriptione Gentium, ſivè electione Populi Dei, & deſcenſu eiuſdem Populi ad Ægyptum, à cap. 12. vſque in finem Geneſis. Habetque cap. 50. Ita Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum.

CAPUT V.

DE EXODO, SIVE DE *Exitu Filiorum Iſrael de Ægypto.*

HIC liber ideò ſic dictus eſt, quòd earum præcipuè rerum contineat Hiſtoriam, quæ in exitu Filiorum Iſrael de Ægypto contigerunt, eſtque inter reliquos Pentateuchi libros ferè præcipuus, in quo agitur. *Primò*, de Vocatione Moiſis, & præſervatione eius miraculoſa, à cap. 1. vſque ad cap. 7. *Secundò*, de Decem Plagis, à cap. 7. vſque ad cap. 12. *Tertiò*, de Corporali exitu Filiorum Iſrael de Terra Ægypti, cap. 12. *Quartò*, de Liberatione Populi Dei ab Ægyptiaca ſervitute, iam per tranſitum Maris rubri, & iam per ſubmerſionem Pharaonis cum omni ſuo Exercitu, à cap. 13. vſque ad cap. 17. *Quintò*, de Pugna Iſraelitarum cum Amalech, cap. 17. & 18. *Sextò*, de Lege data in Monte Sinai, hoc eſt, de decem Præceptis, ac iudicijs, & inſtructione Populi Dei, cap. 19. & 20. *Septimò*, denique de Myſticis, Diviniſque Præceptis; id eſt, de Arca Fœderis Domini, & conſtructione Tabernaculi, ac Altaris; de Sacerdotumque veſtibus, & vntione; à cap. 20. vſque in finem Exodi, qui liber 40. Capita habet.

CAPUT VI.

DE LEVITICO, SIVE DE *ijs, quæ ad Dei cultum externum pertinent.*

LEVITICUS, qui totius Pentateuchi eſt quaſi vmbilicus, & in quo (vt Paulino Diſc. ſcripſit Hieronymus) ſingula ſacrificia, immo ſingulæ penè Syllabæ, & Veſtes Aaron, & totus ordo Leviticus ſpirant Cœleſtia Sacramenta, agit potiſsimum de Cæremonijs, & Legibus. *Primò*, Sacrificij, & offerendorum à principio Levitici vſque ad cap. 8. *Secundò*, Sacerdotij, & conſecrandorum, à cap 8. vſque ad cap. 12. *Tertiò*, Edulij, & Cibariorum, quæque animalia eſſent munda, & quæ, vt immunda reputanda, idque cap. 12. *Quartò*, Purificationis immundorum, à cap. 12. vſque ad cap. 23. *Quintò*, Iubilæi, Phaſe, & Solemniorum, à cap. 23. vſque ad cap. 27. *Sextò*, tandem Votorum, ac Promiſſionum, à cap. 27. vſque in finem. *Incidenter* verò pertractat idem liber de Præceptis, tàm Moralibus, vt à cap. 19. vſque ad 21. quàm Iudicialibus, vt à cap. 21. vſque ad cap. 24. Agit vlterius de obſequijs præſtandis, ibique de Legibus, tàm Tabernaculi, & vtenſilium, quàm Indumentorum, idque à cap. 24. vſque in finem huius libri, in quo Cap. 27. numerantur.

CAPUT VII.

DE NUMERIS, SEU DE *Ordinibus Filiorum Iſrael.*

ORDINES, ſivè Numeri, in quos Deus Opt. Max. Populum Iſrael primum diſtribui præcepit, ſunt octo. *Primus*, Pugnantium, ſivè bellatorum à principio vſque ad cap. 7. *Secundus*, Oblatorum ipſo cap. 7. *Tertius*, Miniſtrorum, Levitarum, videlicèt, & Sacerdotum, eorumque Officia, à cap. 8. vſque ad cap. 13. *Quartus*, Exploratorum, à cap. 13. vſque ad cap. 16. *Quintus*, Peccatorum, nempè Core, Dathan, & Abiròn, à cap. 16. vſque ad cap. 26. *Sextus*, Genitorum in Deſerto, à cap. 26. vſque ad cap. 33. *Septimus*, Manſionum in erimo, cap. 33. *Octavus*, & poſtremus Præſidiorum, cap. 34 & inde vſque in finem libri, qui Cap. 36. habet.

CAPUT VIII.

DE DEUTERONOMIO, *ſeu Epitome Legis Moſaicæ.*

CONTINET hic liber repetitionem, ſivè Summam, & Epitomem. *Primò*, Itineris, & Laborum ab Iſraelitis perpeſſorum à principio, vſque ad cap. 4. *Secundò*, Fœderis, & præceptorum Moralium, ſcilicèt, Cæremonialium, & Iudicialium, à cap. 4. vſque ad cap. 27. *Tertiò*, Officiorum Eccleſiaſticorum, qualia in Deuteronomio per diſcurſum hinc inde repetuntur plurima. *Quartò*, Benedictionum, ſivè Promiſsionum Divinarum, quæ Filijs mandatis Dei obtemperantibus paratæ ſunt, à cap. 27. vſque ad cap. 33. & in Leviticò, cap. 25. *Quintò*, Maledictionum, ſivè pœnarum, quæ in Legum tranſgreſſores conſtitutæ ſunt ab eodem cap. 27. vſque ad cap. 33. & Levitici 25. *Sextò*, tandem Prædictionum, in qua parte Moyſes iam moriturus benedicendo Filijs Iſrael, cuilibet Tribui quæ eventura erant brevitèr expoſuit, atque Prophetavit, cap. 33. Quibus peractis, ipſe Moyſes demum moritur, defletur ab Iſraelitis, ſepelitur à Deo, in eiuſque locum Ioſue ſubſtituitur: habet hic liber, Cap. 34.

CAPUT IX.

DE EXEMPLIS VIRTUTUM, *& Vitiorum ſecunda Veteris Teſtamenti parte,* SIVE *De Hiſtoria Sacra, & eius partibus.*

SACRAM Hiſtoriam D. Auguſt. in lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 8. duplicem facit. *Continuam*, videlicèt, & *Diſcretam*. Continuam, ideſt, perpetua temporum ſerie cohærentem, vt ſunt quinque libri Moyſis, liber Ioſue, ſivè Ieſus Nave, liber Iudicum, liber Ruth, qui tamen magis ad Regnorum principia videtur pertinere, quatuor quoquè demum libri Regnorum, & duo Paralipomenon. Diſcreta, ſeu promiſcua eſt, quæ tamquam ex diverſo ordine inter ſe non ita connectitur; quales ſunt duo libri Eſdræ (qui tamen magis ſubſequi videntur ordinatam illam Hiſtoriam vſque ad Regnorum libros, vel Paralipomenon terminatam) liber Tobias, liber Iudith, librique Eſther, Iob, & Machabæorum libri duo.

CA-

CAPUT X.

DE HISTORIÆ CONTINUÆ subdiviſione.

IN hac parte deſcribitur quadruplex Iudaicæ Reipublicæ adminiſtratæ ratio: Deus enim Populum Iſrael quatuor gubernavit modis. Nempè I. Per *Duces*, vt per Moyſen de cuius Ducatu in 2. Pentateuchi actum eſt, ſcilicèt in Exodo: & per Ioſue, cuius Ducatus in eo depingitur libro, qui inſcribitur *Ieſus Nave*. II. Per *Iudices*, vſque ad Saul Regem, qui tamen Iudices non regebant per modum Imperij, aut alicuius dominij, quod ſibi Deus ipſe retinuerat; ſed per modum miniſterij exhortationis, & Conſilij. III. Per *Reges* à Saule vſque ad tranſmigrationem Babylonis. Et IV. Per *Pontifices* à reditu captivitatis Babylonicæ ad tempus propè Chriſti; quando Ioannes Hyrcanus, qui deſcendit de Machabæis, primus impoſuit ſibi diadema Regium. Lyranus in lib. Iudicum in principio. Porrò iam poſtquàm Iudicum, Regum, & Pontificum meminimus, quibus hoc loco Duces adduntur; clarè fit, vt alibi triplex, hic quadruplex eius veteris Populi gubernandi ratio tradatur, quod tamen parum refert.

CAPUT XI.

DE PRIMA REIPVBLICÆ Iudaicæ adminiſtrandi ratione.

DE hac Reipublicæ Iudaicæ prima adminiſtrandi ratione partim actum eſt in Exodo, in quo libro de Ducatu Moyſi tractatur; partim verò erit dicendum in libro Ioſue, in quo agitur: I. De Tranſitu Iordanis à principio vſque ad cap. 6. II. De Subverſione Regnorum hoſtilium, & impiorum, dict. cap. 6. III. De Introductione Populi Dei in Terram Promiſsionis, à cap. 7. vſque ad cap. 13. IV. De Diviſione Terræ Sanctæ, cap. 13. & 14. Et V. Demum de Ducis ordinatione, & obitu, cap. 23. & 24. Habet hic liber Capit. 24.

CAPUT XII.

DE SECUNDA REIPUBLICÆ Iudaicæ forma. Hoc eſt de miniſterio Iudicum.

HABETUR hæc forma in libro Iudicum, in quo agitur de Principibus, & Iudicibus, ac defenſione Populi Iſrael, & de Victorijs, & Triumphis habitis contra hoſtes, qui liber habet cap. 21. Huic adiungitur liber Ruth, in quo agitur I. De huius Fœminæ converſione ad Iudaiſmum, cap. 1. II. De eiuſdem Vita, & Moribus, cap. 2. III. De Occaſione futurarum nuptiarum, cap. 3. IV. Tandem de Matrimonio contracto per ceſsionem propinquioris inter Booz, & Ruth, ex quibus poſteà deſcendit Chriſtus. Habet hic liber, Cap. 4.

CAPUT XIII.

DE REGUM IMPERIO tertia Reipublicæ Iudaicæ adminiſtratione.

HUIUS Imperij Capita præcipua deſcribuntur in libris Regum, qui communitèr diſtinguuntur in duo volumina *Samuelis* videlicèt, & *Malachim*. In Samuelis volumine agente de Regno Iſrael vnito

duo continentur libri: nempè primus, & ſecundus Regum, in quibus agitur de Regno Iſrael; *tùm* per *electionem*, ibique de occaſionibus gubernationem Iudicum transferendi ad arbitrium Regum à principio, vſque ad cap. 9 & de Regno Saùlis labili à cap. 9. vſque ad cap. 16. & de Regno Davidis ſtabili, à cap. 16. vſque in finem libri primi Reg. qui habet cap. 31. Et *tùm* per *ſucceſsionem*, ibique de Succeſſoribus Saùlis, ſcilicèt Davide, & Isboſeth, cap. 2. 3. & 4. De Davidiſque Succeſſoribus, à cap. 5. vſque in finem libri ſecundi Reg. in quo 24. capita reperiuntur. *Malachim* autem volumen, pertractans de Regno Iſrael diviſo, partitur in duos libros; nempè in tertium, & quartum Regum, in quibus agitur de ſtatu Regni Davidici florentis ſcilicèt ſub Imperio Salomonis, idque in tertio libro Regum, qui habet cap. 22. & declinantis, vel cadentis ſub Imperio Regum Iudà, & Iſrael: idque recenſetur in quarto libro Regum, qui habet cap. 25. Huius verò Imperij præcipua capita repetuntur in duobus libris Paralipomenon, ideſt, *prætermiſſorum*, qui libri ſunt ſupplementum Hiſtoriæ Sacræ, ſeu potius veteris inſtrumenti totius Epitome, inquorum primo repetuntur Davidis Genealogia à principio, vſque ad cap. 10. vlterius electio, vnctio, & gubernatio, à cap. 10. vſque ad cap. 14. & demum virtutes, & res geſtæ, à cap. 14. vſque in finem libri primi Paralipomenon, qui habet cap. 29. In ſecundo autem Paralipomenon fit recapitulatio de Regno Salomonis integro, & vnito à principio, vſque ad cap. 10. & partito, ſeu diviſo, à cap. 10. vſque in finem libri ſecundi, qui habet cap. 36.

CAPUT XIV.

DE PONTIFICIUM poteſtate quarta Reipublicæ Iudaicæ forma, ſivè de Gubernatione Populi Iſraelitici miniſterio Pontificum.

CONTINENTUR hæc fermè in quatuor libris Eſdræ, quorum alij ſunt certi, & authentici nempè duo ab Hebræis, in vnum volumen contracti; hi ſunt primus, qui propriè dicitur Eſdræ, & ſecundus Nehemiæ. In primo agitur de reductione Populi Iſrael ex captivitate Babylonica ſub Ieſu Filio Ioſedech, qui fuit Sacerdos magnus; idque à principio, vſque ad cap. 7. Ulterius tractatur de Inſtructione Populi reducti per Eſdram Legis Doctorem, à cap. 7. & inde vſque in finem, libri primi, qui habet cap. 10. Secundus autem Nehemiæ verſatur circa inſtaurationem muri Civitatis Hieruſalem à principio, vſque ad cap. 13. & circa correctionem malorum interea ſubortorum cap. 13. qui liber habet cap. 13. Alij incerti, & apocryphi, qui totidem ſunt *tertius*, & *quartus*. Tertius, ſcilicèt, in quo repetuntur quædam alibi ſcripta circa captivitatem Babylonicam tempore Ioſiæ, quædam etiam, quæ contigerunt ſub Zorobabèl, & Eſdra, quibus interſeritur ſolutio cuiuſdam quæſtionis, & habet cap. 9. Et quartus, in quo ponuntur quædam viſiones, & ſomnia ſuper Populi Iudæorum liberatione à captivitate, & de reſtauratione Templi in Hieruſalem, hic liber habet cap. 16.

(§)

CA-

CAPUT XV.

DE HISTORIA BIBLIORUM discreta, & promiscua.

QUÆ sparsim, & sine ordine certo in Sacris litteris est tradita Historia continetur in libris Tobiæ, Iudith, Esther, Iob, & Machabæorum. In libro Tobiæ proponitur exemplum Crucis in Matrimonio, agiturque de ipsius Tobiæ probatione, & varijs virtutum ornamentis, de ministerio Archangeli Raphaelis, de instituendis liberis, & demum de honestate Matrimonij. Hicque liber Tobiæ habet Cap. 14.

In libro Iudith continetur Historia de liberatione Israel à persecutione Holofernis, ibique agitur. I. de Obsidione Hierusalem, Bethuliæ, & Populi Israel, & II. de Honestate, & probitate Iudith, & de interfectione Holofernis. Hic liber Iudith habet Cap. 16.

In libro Esther, quæ exemplum est perspicuum de Cruce Ecclesiæ, & de eius miranda liberatione agitur I. de Convivio Assueri. II. de Crudelitate Amàn, & eius interfectione procurata per providentiam, & humilitatem Esther. III. de Exaltatione Mardochæi. Et IV. & vltimo, de Liberatione Iudæorum; qui liber habet Cap. 16.

In libro Iob Idea, & exemplari afflictionum, & consolationum Iustorum, agitur I. de Patientia, & perfectione Iob, & de disputatione, quam habuit cum Amicis. Et II. de Providentia Divina, & Corporis Humani resurrectione; qui liber habet Cap. 42. De Machabæorum libro suo loco dicetur.

*** *** ***

CAPUT XVI.

DE ANTIQUA DEUM laudandi forma quarta veteris Testamenti parte.

LAUDES Divinæ continentur in Psalterio David, sivè in libro Psalmorum, in quo agitur I. de Christi Divinitate, Humanitate, Passione, Resurrectione, Ascensione, & Adventu ad Iudicium. II. agitur de Pœnis peccatorum. Et III. de Beneficijs Divinis, & laudibus Dei; qui liber habet Psalmos 150.

CAPUT XVII.

DE STUDIO SAPIENTIÆ veteris Testamenti parte quarta.

BENE, beateque vivendi præcepta, quæ in illis quinque continentur libris, quos maiores nostri appellarunt *Sapientiales*, pertinent, vel ad Philosophiam iam Moralem, iam Naturalem, & iam Contemplativam. Philosophiæ Morali, & Naturali correspondet liber Proverbiorum, seu de *dictis Sapientum*, in quo agitur de instructione, & disciplina incipientium servire Deo, & de correptione morum, & virtutum informatione; habetque hic liber Cap. 31. Philosophiæ Contemplativæ, sivè Theoricæ correspondent libri Ecclesiastès, & Canticorum. In libro Ecclesiastès, qui est concionator, agitur de Mundi vanitate, de Contemptu vitiorum, & de Profectu ambulantium in via Dei: qui liber habet Cap. 12. In libro Canticorum, seu Epithalamiorum agitur de Viri iusti perfectione, de Contemplatione Animæ Sanctæ, de Christique coniunctione cum

cum Eccleſia ; habetque hic liber Cap. 8.

Pertinent etiam hi libri Sapientiales ad Iudicia inſtruenda, & ad Populi Univerſi inſtitutionem. Iudiciorum inſtructioni correſpondet liber Sapientiæ, in quo agitur de Regimine Prælatorum, & obſervatione Iuſtitiæ, de Contemptu Idolorum, de Adventuque, & Paſsione Chriſti, qui eſt vera Sapientia ; habet hic liber Cap. 19. Populi Inſtitutioni correſpondet *Eccleſiaſticus*, ideſt, *Congregator*, in cuius libro agitur de Obedientia Subditorum, de Inſtitutione morum, de Nobilitate Sapientiæ, tandemque de laude Sanctorum ; habet hic liber Cap. 51.

CAPUT XVIII.

DE DIVINIS REVELATIONIBUS, ſivè de Oraculis Prophetarum quinta parte veteris Teſtamenti.

PROPHETARUM numero alij continentur propriè, alij impropriè. Impropriè autem, & ſub quadam ſimilitudine Prophetarum numero annectuntur liber Pſalmorum, Proverbia, Cantica Canticorum, Eccleſiaſtès, Sapientia, & Eccleſiaſticus, de quibus Capitibus immediatè præcedentibus locuti ſumus. Propriè autem tali numero continentur Prophetæ, tàm Maiores, quàm Minores. Maiores autem, ſivè principales ſunt quatuor, nempè Eſaìas, Hieremias, Daniel, & Ezechiel. Minores verò, ſivè minus principales ſunt duodecim, ſcilicèt: Oſſeas, Iohel, Amòs, Abdias, Ionàs, Michæas, Nahum, Abacuh, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias.

CAPUT XIX.

DE PROPHETIS Maioribus.

PRINCIPALIORES inter Prophetas numerantur quatuor, nempè Eſaìas, qui prophetavit temporibus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ, Regum Iudà ; vt Eſai. *Primo in princip.* prædixitque contra Iudæam, & Hieruſalem, deinde etiam contra Gentes, videlicèt Babylonem, Philiſthæos, & Damaſcum. Prophetavitque vlterius de Adventu Chriſti, de Vocatione Gentium, & de Regno Iudà, & Hieruſalem, vt affatur Hieronymus hic in Prologo, habetque eius volumen Cap. 66. Secundus eſt Hieremias, qui Prophetiam ſuam contexuit in diebus Ioſiæ, Ioachim Filij Ioſiæ, & Sedechiæ eiuſdem Ioſiæ Filij, vt teſtatur Orig. hic Homil. 1. & vt videtur Hieronymo in diebus Iudà, & Beniamin, prophetavitque futuram ſiccitatem, & adventum Regis Babylonij, Captivitatemque Iudæorum, & deſtructionem Civitatis Hieruſalem: habetque eius Prophetia Cap. 52. Tertius inter Propheras Maiores numeratur Ezechiel, qui ſe prophetaſſe teſtatur tempore Captivitatis, in qua ſimul cum Daniele fuit, ita Aug. in Pſalm. 64. prophetavitque eis, qui cum eo captivi fuerant (vt ait Athanaſ.) de ſceleribus Iudæorum, de ruina Hieruſalem, & de eius reparatione, & in ſumma eumdem habuit ſcopum, quem Hieremias ; habetque eius Prophetia Cap. 48.

Quartus demum eſt Daniel, qui prædicavit (ſecundum Aug. cit. de Rebus Mirabilibus Sacræ Scripturæ) eodem ſcilicèt Captivitatis tempore in Babylone ; prædicavit, inquam, Populo Iudaico, cui etiam contemporaneus ſuus Prophetavit Ezechiel ; prædi-

dixitque de Mundi Monarchia, & de mutationibus temporum; de Poteſtate, ac Æternitate Regni Chriſti, de Hiſtoria Suſanæ, & tandem de Deſtructione Belis, & interfectione Draconis; habetque eius Prophetia Cap. 14. His Prophetis Maioribus interſeruntur *Threni*, oratioque Hieremiæ de planctu, & lamentatione propter deſtructionem Hieruſalem; necnon Propheta *Baruch*, cuius Prophetia facta eſt poſt deſtructam Hieruſalem per Chaldæos, eſtque directa ad Captivos in Babilonia, prænuntians eis reditum Populi Iſrael, eaque, quæ ventura erant temporibus vltimis. Interſeritur etiam huic Prophetiæ Oratio Hieremiæ, in qua, prohibetur Idolatria, narraturque Captivitas, huius cauſa, & detegitur Idolorum falſitas, & impietas: habetque Baruch Prophetia Cap. 6.

CAPUT XX.

DE PROPHETIS *Minoribus.*

MINORES Prophetæ (ſic à noſtris Maioribus dicti) ſunt XII. *PRIMUS*, eſt Oſſeas, qui temporibus Oziæ, Jeroboam ſecundum Gloſſam Ordinariam in princip. Oſſee, prophetavit contra Samariam, ideſt contra decem Tribus (vt ibidem dicitur) de Idolatria Populi Iſrael, ſignificata per Mulierem Meretricem, & de inundatione peccatorum cum admonitione, vt Filij Iſrael ad Dominum convertantur; habetque Cap. 14.

SECUNDUS eſt Johel, cuius Prophetia facta eſt eiſdem temporibus, quibus Oſſee, vide Aug. de Civitate Dei, lib. 18. cap. 27. directaque eſt Tribui Iudà, & Hieruſalem, prout Hieronym. hic in Prologo: prophetavitque de Conſumptione Terræ Iudæorum per ærucam, bruchum, locuſtam, & æruginem, necnon de Iudicio futuro, & Spiritus Sancti effuſione; habetque Cap. 3.

TERTIUS eſt Amòs, qui prædicavit, ſuæque Prophetiæ appoſuit exordium tempore Eſaiæ, nempè ſub Ozia Reg. & ira Hieron. & Auguſt. ibidem; quique Prophetiam ſuam direxit contra Gentes finitimas, nempè Damaſcum, Gazam, Aſcalon, Azotum, Accaron, Tyrum, Idumeam, Teman, necnon contra Filios Ammon, & Moab. Hieronym. & Athanaſ. Ulterius prædixit de ſceleribus Iudæorum, & Gentium, de Ira Dei, & vindicta ſuper illos ventura, & demum de pœnitentia, ad quam prædicit finalem reparationem; habetque Cap. 9.

QUARTUS eſt Abdias, quem Prophetaſſe dicitur (ſic Athanaſ.) tempore Regis Ioſaphat, contra Idumæos, & Perſecutores Filiorum Iſrael, & de venturis ſuper Edon, ſivè Eſaù calamitatibus; habet Cap. 1.

QUINTUS eſt Ionas, qui prophetavit, ſub Regibus Ozia, & Jeroboam, Ninivitis (ſub quo nomine ſalutem Gentium præfigurat) de ſubverſione futura, niſi egerint pœnitentiam; habetque Cap. 4.

SEXTUS eſt Michæas, à quo, regnante Ioathan, edita eſt prophetia contra Hieruſalem, & Samariam, contra Achab, & contra Prophetas Seductores (vt ait Athanaſ. in Synopſi) loquutuſque eſt de vaſtatione, & captivitate Samariæ, de interituque Principum Iſrael, Pſeudo-Prophetarum, necnon de ingratitudine, & eorum malitia; habetque Cap. 7.

SEPTIMUS eſt Nahum, qui eodem tempore, quo Michæas ſuum vaticinium contexuit Aſſyrijs, & præcipuè Ninivitis, iterùm relapſis, de iudicio, & interitu illis obventuro vaticinando; habetque Cap. 3.

OCTAVUS eſt Abacuc, cuius Prophe-

pheria, ſecundum Hieron. ad Chromatium, emicuit tempore captivitatis ſuarum Tribuum ſub Manaſſe, eſtque ordinata adverſus Babylonem, & Nabuchodonoſor, pertractatque de diſputatione, quam Propheta habuit cum Deo, cur videlicèt, in hoc mundo iuſti conculcentur, & proſperè cedat impijs: vaticinaturque vlterius de Paſsione Chriſti, de Adventu Domini, & de ſubmerſione Regni Babylonici; habetque Cap. 3.

NONUS eſt Sophonias, qui, ſecundum Auguſt. de Civitate Dei, lib. 18. cap. 33. in diebus Ioſiæ Filij Amon, Reges Iudà, Prophetiam ſcripſit in Hieruſalem, & Univerſa Iudæa, eamque (vt ait Athanaſ.) contra Gentes direxit, loquutuſque eſt ſimul de ſervatore, & reſurrectione eius, de Dei Iudicio contra falſos Deos, & Gentes extraneas, & de conſolatione Populi Iſrael; habetque Cap. 3.

DECIMUS eſt Aggæus, qui in numerum Prophetarum cooptatus (ſecundum Aug. lib. 16. de Civitate Dei, cap. 35. ſub Zorobabèl, & Dario; & ſecundum Gloſſam hic poſt reditum à captivitate) ſcripſit Zorobabeli, Ieſu Filio Ioſedech, & toti Populo, qui erat in Iudà, & Hieruſalem, vaticinando reverſionem Populi Iudæorum, reædificationem Templi, renovationem Civitatis, & tandem Adventum Chriſti; habetque Cap. 2.

UNDECIMUS eſt Zacharias, qui eiſdem quibus Aggæus, duobuſque menſibuſque poſt illum ſecundum Hieron. hic in Prologo, prophetavit deliberatione Iudæorum, & vindicta contra Inimicos eorum, & de humilitate Adventus Chriſti, & eiuſdem Paſsionis; habetque Cap. 14.

DUODECIMUS eſt Malachias, qui prophetico Spiritu illuſtratus, vaticinatus eſt, ſecundum Hieron. hic in Prologo. Eiſdem temporibus, quibus Aggæus, & Zacharias, poſt reditum, ſcilicèt, à Babylone, direxitque vaticinium ad Iſrael, ſivè ſuper Iſrael, & non contra eam, vt hic affatur idem Hieron. prænuntiando abiectionem Populi Iudæorum, & Sacrificiorum eius, & demum Chriſti Adventum, Gentiumque vocationem; habet Cap. 4.

CAPUT XXI.

DE RATIONE CONSOLANDI afflictos vltima veteris Teſtamenti parte.

QUOMODO nos ad Crucem, & tribulationes perferendas oporteat eſſe animatos Machabeorum exemplo demoſtratur in duobus eorum libris; primo, videlicèt, & ſecundo. In primo igitur pertractatur de prælijs inter Hebræorum Duces, & Gentem Perſarum; & de liberatione Populi ſub Matathia, Iudà, Ionatha, & Simone; habetque Cap. 16. In ſecundo autem repetuntur quædam in primo libro dicta, ſuperadduntur que novitèr non pauca de tribulatione Populi, de conſtantiaque ſepem Fratrum, & Matris eorum in tormentis perpeſsis ab Antiocho, & de liberatione Populi per Iudam Machabæum; & habet Cap. 15.

CAPUT XXII.

DE SUMMA LIBRORUM Novi Teſtamenti.

IN Libris Novi Teſtamenti agitur de Eccleſiæ Chriſtianæ capite, & fundamento, quod eſt *CHRISTUS*, continetque hæc pars dictorum, factorumque *CHRISTI*, Hiſtoricam narrationem. Agiturque, etiam de eius corpore, & membris, hoc eſt de vniverſo Chriſtianitatis ſtatu, in qua parte Chriſ-

Chriſtianus Populus varijs, tàm fidei, præceptis, quàm regulis morum inſtruitur.

CAPUT XXIII.

DE DICTIS, ET FACTIS Chriſti prima Novi Teſtamenti parte.

FUNDAMENTUM Religionis Chriſtianæ, ſivè vera, & recta in Ieſum Chriſtum fides in quatuor continetur Evangelijs, ſcilicèt, in Evangelio D. Matthæi, in quo principalitèr agitur de Chriſti Humanitate, & habet cap. 28. In Evangelio D. Marci, in quo agitur præcipuè de Chriſti fortitudine, & Reſurrectione, & habet cap. 16. In Evangelio ſecundum Lucam, in quo principalitèr tractatur de Sacerdotio Chriſti, & habet cap. 24. Demumque in Evangelio ſecundum Ioannem, in quo Chriſti Divinitas, & Sacramenta apperiuntur, habetque cap. 21. De his igitur quatuor Evangelijs loquens Origenes dicit: (*Hæc tamen quatuor vnum tantum ſunt Evangelium, quia vnum nobis decantarunt Deum.*)

CAPUT XXIV.

DE VNIVERSO ECCLESIÆ Catholicæ ſtatu ſecunda Novi Teſtamenti parte.

IN ſecunda Novi Teſtamenti parte, quæ vniverſalis Eccleſiæ continet ſtatum, deſcribuntur ipſius Sanctæ, & Catholicæ Eccleſiæ initia, progreſſus, & finis: Initia verò depinguntur in Actis Apoſtolorum, Progreſſus in Epiſtolis Pauli, quas ad diverſas miſit Eccleſias, in alijſque Epiſtolis Canonicis ad omnes Eccleſias in genere conſcriptis ab alijs Apoſtolis, videlicèt, à Iacobo, Petro, Ioanne, & Iuda. Finiſque demum deſcribitur in Apocalypſi B. Ioannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ.

CAPUT XXV.

DE NASCENTIS ECCLESIÆ Catholicæ infantia, & initijs.

NASCENTIS Eccleſiæ initia explicantur in Actis Apoſtolorum, vbi agitur de Prædicatione Evangelij per totius Orbis vniverſum ambitum, & de huius Prædicationis fructibus, idque à principio, vſque ad cap. 11. agitur etiam de privilegio, & officio hominis Chriſtiani, cap. 11. & 12. necnon de Converſione Gentium, à cap. 12. vſque in finem. Pertractatur vlterius de Eccleſiæ Catholicæ perſecutionibus, & triumphis per diſcurſum voluminis, quod habet cap. 28.

CAPUT XXVI.

DE DOCTRINÆ, ET FIDEI Chriſtianæ Progreſſu.

PROGRESSUS Eccleſiæ, & Fidei Catholicæ non parum promotus eſt Epiſtolis Apoſtolorum, Pauli, videlicèt, Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ. D. Pauli Epiſtolæ ſunt quatuordecim, quarum decem ſcriptę ſunt ad Eccleſias, nempè; vna ad Romanos; duæ ad Corinthios; vna ad Galatas; vna ad Epheſios; vna ad Philippenſes, & alia ad Coloſſenſes; duæque ad Theſſalonicenſes cum ea, quæ dicitur ad Hebræos: quatuor verò ſcriptæ ſunt ad Diſcipulos, videlicèt duæ ad Timotheum, altera ad Titum, & alia ad Philæmonem. Iacobi autem Epiſtola vnica, duæque D. Petri, treſque D. Ioannis, & alia

D. Iudę pertinent ad omnia omnium Eccleſiarum membra, ad diverſoſque hominum ordines, & ſtatus, ad virtutes Theologicas, & demum ad confirmationem doctrinæ Apoſtolicæ, falſorumque dogmatum everſionem.

CAPUT XXVII.

DE EPISTOLA PAULI *ad Romanos de Lege, operibus, & gratia pertractante.*

IN Epiſtola ad Romanos, per quam D. Paulus eos revocat ab erroribus Gentilium, & cæremonijs legis ad veram, & Catholicam Fidem, agitur. I. de Lege Naturæ, cap. 1. II. de Imperio, & Poteſtate Iudiciaria, cap. 2. III. de Scripta Lege Decalogi, eodem cap. IV. de Circunciſione, & Cæremonijs Legis Moſaycę, cap. 3. V. de Fide, & eius Iuſtitia, cap. 4. VI. de Modo, & Forma iuſtificationis, cap. 5. VII. de Nova Lege Spiritus, ſivè Gratiæ, cap. 6. & 7. VIII. de Lege Peccati, ſivè Culpa Originali prædictæ Gratiæ Legi contraria, cap. 7. & 8. IX. tandem de Electione Dei gratuita, & prædeſtinatione Æterna, cap. 11. & inde vſque in finem, & habet hæc Epiſtola, cap. 16.

CAPUT XXVIII.

DE EPISTOLIS PAULI *ad Corinthios.*

DUAS Epiſtolas ſcripſit D. Paulus ad Corinthios. Prima agit de varijs Fidei dogmatibus, & de morum correctione, in qua etiam reprehendit Apoſtolus errores eorum, qui Baptiſmi vim æſtimabant ex Miniſtrorum Sanctitate. Sic verſiculo: *Obſecro*, & toto cap. 3. & 4. Damnatque eos, qui Fidei ſimplicitatem ad Philoſophiam reducere conabantur, cap. 10. verſiculo: *Verbum Crucis*, vſque infinem, & toto cap. 2. Ex probratque eos, qui immunditijs, & fornicationibus coinquinati erant, cap. 5. & 6. Reprehenditque ſimiliter eos, qui matrimonia damnabant, & cum Idolatris colludebant, dœmonijs oblata commedentes, cap. 8. 9. & 10. Increpat eos, qui Euchariſtiæ Communione pernitioſè abutebantur, cap. 11. Eoſque, qui de donis gratiæ gratis datæ non rectè ſentiebant, cap. 12. 13. & 14. Et tandem arguit erroris eos, qui de mortuorum reſurrectione male credebant, cap. 15. Obiurgando eos, qui Tardiores erant colligendis contributionibus in vſus pauperum deſtinatis. Habetque cap. 16.

Secunda verò Epiſtola ad Corinthios agit de fructibus Pœnitentiæ, in qua Apoſt. emendatos conſolatur, varioſque tractat locos, quaſi cohærentes; Deum, videlicèt, eſſe liberatorem ſuorum, cap. 1. Litteram occidere; Spiritum autem vivificare, cap. 3. Deumque per vaſa humilia ſæpè efficere magna, cap. 4. Nos hic exulare, vt in Cœlo æternam habeamus manſionem, cap. 5. Et triſtitiam, quæ eſt ſecundum Deum, non carere conſolatione; tandemque agit de varijs ſuæ Doctrinæ defenſionibus vſque in finem Epiſtolæ, quæ habet cap. 13.

CAPUT XXIX.

DE EPISTOLA PAULI *ad Galatas de detectione falſæ doctrinæ, in quam Galatæ per Pſeudo-Apoſtolos abducti fuerant.*

IN hac Epiſtola agitur I. de Fide ſemel ſuſcepta non temere mutanda, cap. 1. II. de Fidei Catholicæ veritate, atque certitudine, cap. 1. &

& 2. III. de Circunciſionis neceſsitate falſo præſumpta, cap. 3. & 4. Et IV. de Operibus carnis, & fructibus Spiritus, cap. 5. & 6. & habet cap. 6.

CAPUT XXX.

DE EPISTOLA PAULI ad Epheſios de laudibus conſtantiæ, & de retinenda vera Fidei Catholicæ Doctrina.

IN hac Epiſtola hortatur Apoſtolus Epheſius ad gratitudinem Deo pro beneficijs acceptis exhibendam, cap. 1. 2. & 3. Et ad omnis generis virtutum ſtudia capeſſenda, à cap. 3. vſque in finem, & habet cap. 6.

CAPUT XXXI.

DE EPISTOLA AD Philippenſes defugienda primatus ambitione, & ſtudio humilitatis amplectendo.

IN hac Epiſtola ad Philippenſes inſtruit D. Paulus ſimpliciores ad conſtantiam in perferendis perſecutionibus, cap. 1. Ad Fideique vnitatem, ad humilitatem veram, & ad Dei timorem, & patientiam, cap. 2. Præmonetque vlterius, vt ſibi caveant à Pſeudo Apoſtolis, quos vocat, *malos operarios*, & conciſionem, cap. 3. Necnon ſolatur à vera voluptate, quæ ex ſolidis virtutibus paratur, cap. 4. & habet cap. 4.

CAPUT XXXII.

DE EPISTOLA AD Coloſſenſes de recta ad Deum via pertractante.

CONTINET hæc Epiſtola exhortationem ad Chriſti amorem, eiuſque Doctrinam, ſeu Fidem Catholicam, cap. 1. & 2. Et ad honeſta hominis Chriſtiani officia, cap. 3. & 4. & habet cap. 4.

CAPUT XXXIII.

DE EPISTOLIS PAULI ad Theſſalonicenſes.

DUAS ad Theſſalonicenſes ſcripſit Paulus Epiſtolas: Unam, videlicèt de patientia in adverſis habenda; quæque deinde continet gratiarum actionem pro fructibus Fidei, cap. 1. Et Conſolationem, tàm ſui ipſius, quàm Theſſalonicenſium, cap. 2. Explicatque amorem ipſius Pauli erga Theſſalonicenſes, cap. 3. Tractatque de correctione errantium, cap. 4. Et de Virtutum regulis, & habet cap. 5. Aliam verò ſcripſit de noviſsimis temporibus, in qua commendat Theſſalonicenſes, præmunit à timore Iudicij, cap. 2. Monetque, vt caveant à converſatione hæreticorum, & ne in bono deficiant, cap. 3. & habet cap. 3.

CAPUT XXXIV.

DE EPISTOLIS PAULI ad Timotheum.

DUAS etiam ad hunc ſcripſit Paulus Epiſtolas, quarum prima eſt de Officio Epiſcopi, ſivè de Eccleſiaſtica diſciplina, in qua agitur. I. de Defenſione Sanctæ Doctrinæ, cap. 1. II. de Oratione, cap. 2. III. de Impoſitione manuum, cap. 3. IV. de Honeſtate vitæ, cap. 4. V. de Liberalitate erga pauperes, cap. 5. VI. de Iuriſdictione Eccleſiaſtica, eodem cap. Et VII. demum de Evangelij Prædicatione, cap. 6. & habet cap. 6. In ſecunda verò ſubſtituit Timotheum, eumque inſtruit. I. in Martyrio pro vera Fidei Catholicę Doctrina libentèr ſuſcipiendo. II. de Regula

Catholicæ veritatis. Et III. de Noviſſimorum temporum malitia, & habet cap. 4.

CAPUT XXXV.

DE EPISTOLA D. PAULI ad Titum de Vita, & honeſtate Clericorum pertractante.

INSTRUIT eumdem Paulus in hac Epiſtola, quales debeat ordinare in Epiſcopos, Præsbyteros, & Diaconos, cap. 1. Et quæ vera ſit Chriſtianæ Religionis Doctrina circa Fidem, & mores, cap. 2. Quomodoque tractandi ſint falſi Chriſtiani, alieni à Fide, & hæretici, cap. 3. & habet cap. 3.

CAPUT XXXVI.

DE EPISTOLA AD Philemonem de Pœnitentibus iterùm in gratiam recipiendis.

ROGAT hic Apoſtolus Philemonem, vt ignoſcat Oneſimo per viſcera ſua, per commune Societatis vinculum, & per mutuum inter illos amorem, & habet cap. vnicum.

CAPUT XXXVII.

DE EPISTOLA AD Hebræos de Evangelio, & Fide Chriſtiana contra Legis antiquæ cultum, & obſervantiam agente.

OSTENDIT Paulus in hac Epiſtola defectum, & evacuationem Legis Moſaicæ, perfectionem Legis Evangelicæ, & quod Chriſtus verus Deus ſit, & verus homo Dei, & hominum Mediator, & habet cap. 13.

CAPUT XXXVIII.

DE ALIIS EPISTOLIS Canonicis.

IN reliquis Epiſtolis Canonicis, nempè Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ deſcribitur. I. Subſtinentia adverſitatis. II. Fuga carnalis voluptatis. III. Amor ſupernæ, & Divinæ Charitatis. IV. Deletio veterùm litterarum, hoc eſt, peccatorum, & ſuperſcriptio novarum, ideſt, gratiarum, virtutum, donorum, & bonorum operum.

CAPUT XXXIX.

DE EPISTOLA D. IACOBI de Fidei fructibus, & hominis Chriſtiani operibus.

AGIT D. Iacobus in ſua Epiſtola. I. de Fortitudine, & conſtantia, de ſpe, & fiducia, & æquanimitate, cap. 1. II. de Pudicitia, Iuſtitia, de operibus miſericordiæ, aſsiduitate, & vigilantia, cap. 2. III. de Linguæ temperantia, cap. 3. IV. de Humilitate, & obedientia, de pœnitentia, benignitate, benevolentia, & conſcientiæ integritate, cap. 4. V. de Mediocritate, ſobrietate, temperantia, longanimitate, & Religione, Charitate, & mutua correptione, cap. 5. & habet cap. 5.

CAPUT XL.

DE EPISTOLIS D. PETRI.

DUÆ extant D. Petri Canonicæ Epiſtolæ. Prima de novo induendo homine, ſivè de reformandis in Eccleſia moribus, in qua agitur ſpecificè de gratiarum actione, cap. 1. Et in genere de Officijs Servorum, cap. 2. Et Coniugum, cap. 3. Hominis Politici, cap. 4. Et Perſonarum Eccleſiaſticarum, cap. 5. Quæ Epiſtola habet, cap. 5. In ſecunda verò agitur partim de futura rerum immutatione, partimque de laudibus Fidei, cap. 1. De Figuranda Hæreticorum conſuetudine, cap. 2. Et de præparatione ad futurum Iudicium, cap. 3. & habet cap. 3.

CAPUT XLI.

DE EPISTOLIS B. IOANNIS.

TRES Epiſtolas ſcripſit D. Ioannes: Primam videlicèt pertractantem de Virtutibus Theologicis, nempè: Fide, Spe, & Charitate, quæ habet cap. 5. Secundam verò agentem de Fidei perfectione, quæ conſiſtit in Charitate: Unde electam, & eius filios commendat, hortaturque ad fraternam Charitatem, & monet, vt devitent Hæreticos, & habet cap. vnicum. Tertia autem agit de veris Dei Filijs, quales ſoli ſunt illi, qui benè operantur, agitque etiam de hoſpitalitate; & extollit pietatem Gaij, quam exercebat in Peregrinos, eumdemque hortatur, vt in ipſa pietate perſeveret: & habet cap. vnicum.

*** *** ***
*** *** ***

CAPUT XLII.

DE EPISTOLA CATHOLICA D. Iudæ de Fide cum charitate coniuncta.

IN hac Epiſtola detegit D. Iudas impietatem Hæreticorum, eorum errores refutat: Mores eorum deſcribit, & doctrinam ſanam ad eos arguendos commendat; quibus in fine ſubijcit regulam, quomodo tractandi ſint Hæretici, & habet cap. vnicum.

CAPUT XLIII.

DE MILITANTIS ECCLESIÆ fine, & futuro Triumphantis Eccleſiæ ſtatu, ſivè de Prophetia Novi Teſtamenti, quæ habetur in Apocalypſi B. Ioannis Apoſtoli.

IN Apocalypſi B. Ioannis Apoſtoli continentur ſeptem Viſiones. *Prima*, quæ ſeptem habet Epiſtolas, in quibus pleniſsimè traditur quidquid veriſsimum pertinet Chriſtianiſmum, à principio huius libri vſque ad cap. 4. *SECUNDA* eſt, in qua ſunt ſigillorum myſteria, à cap. 4. vſque ad 8. *TERTIA* eſt, quæ habet ſeptem Angelos tuba canentes, à cap. 8. vſque ad 12. *QUARTA* verò de Muliere amicta Sole, draconeque Mulierem inſequente, ac de ore flumen aquarum poſt fugientem in Deſertum locum mittente; vlteriuſque beſtijs ex Mari, Terraque aſcendentibus, à cap. 12. vſque ad cap. 15. *QUINTA* verò agit de effuſione ſeptem phialarum iracundiæ Dei viventis, de mari vitreo igni mixto, & de ijs, qui vicerunt, beſ-

beſtiam, & de lætitia eorum cantantium carmen lætitiæ agni, à cap. 15. vſque ad cap. 17. *SEXTA* autem eſt ea, in qua deſcribitur Babylon, & agitur, tùm de illius, tùmque de beſtiarum, draconiſque condemnatione, ac de terrore eorum, qui pereunt, & conſolatione eorum, qui ſalvi fiunt. *SEPTIMA* tandem eſt de Sabbatho, & gloria, quam electi habituri ſunt ſub illud tempus, & in ſæculo futuro, à cap. 21. vſque in finem Apocalypſeos, cuius cap. ſunt 22.

CAPUT XLIV.

DE SCRIPTORIBUS Sacris, ſivè Canonicis, ac de ſtylo idiomatè, & tempore.

POSTQUAM de vniverſis Bibliorum libris Sypnoſin dedimus; atque eorum materiam brevi tetigimus; ſupereſt nunc docere, quinam fuerint Scriptores homines, quorum animis Deus arcana ſua, ac Divina Myſteria ſuggeſsit, ſenſus aperuit, mentes illuſtravit, linguas diſſertas fecit, manus admovit, dum hæc altiſsima oracula illis ad fidelium ſalutem ſcribenda dictabat: necnon de ſtylo, idiomate, & qualicumque (pro re præſenti) Chronologia, quidpiam præmittere; ſeorſim tamen ab ipſa materia librorum (licèt aliqua refricare opus ſit:) eò quod perſpicuitati ſit conſulturum. Quare Bibliorum ipſorum ordinem obſervantibus primùm libri quinque legis ſe offerunt, quos *Pentateuchum*, id eſt quintuplex volumen Græci appellaverunt: quos ſcripſiſſe Moſem ad eius vſque mortis narrationem, quæ ad calcem Deuteronomij refertur, vbi dicitur: *Et mortuus eſt Moſes*, nemo eſt qui ignoret; ſi probè novit, quæ Exodi 24. habentur, vbi de ſe ipſo, quaſi in alterius perſona ſic ait: *Scripſit Moyſes omnia verba Domini, & omnia iudicia.* Et rurſus Deuteronomij 31. *Scripſit Moyſes legem hanc* (nempè Protonomium, & Deuteronomium) *& dedit eam Sacerdotibus filijs Levi portantibus arcam*, ſcilicèt, vt inibi deferretur. Certum autem eſt ex multis Sacrarum Litterarum locis, in arca non ſolum Decalogum, aut alia Scripturæ fragmenta aſſervata fuiſſe; ſed etiam quinque libros Legis integros. Quod verò in fine Deuteronomij additur de Morte, & Sepultura Moyſis per octo verſus vſque ad calcem libri, quidam aiunt Ioſue ſcripſiſſe, vt ſuam cum morte Moſis Hiſtoriam necteret; quidam id Eſdræ tribuunt. Ioſephus verò autumat Moyſem iam moriturum virtute prophetica ſuam ipſius mortem Sacris libris adſcripſiſſe, veritus, ne Iudæi propter excellentes virtutes ſuas à Deo in Cœlum raptum prædicarent. Scripſit ſermone Hebraico; quamquàm Philo Iudæus Chaldaico putet. Sed ob id exiſtimo, quòd olim ante corruptionem Chaldaica eadem fuerit, quæ Hebræa: ſiquidem inde Abraham ortus patriam linguam in Palæſtinam aduexit, quam poſteri vſque ad Moyſem, & tranſmigrationem in Babylonem conſervarunt; quo tempore iam Chaldæi nativam linguam corruperant, & Hebræos captivos longo temporis intervallo in eandem barbariem compulerunt, quæ apud eos vſque ad tempora SALVATORIS, & Hieroſolymorum à Romanis excidium perduravit. Horum librorum nomenclaturam Hebræi ab initio librorum ſumunt: vt primus, BERESIT *in principio*: ſecundus, VALLE SEMOTH *hæc ſunt nomina*: tertiùs, VAICRA, *& vocavit*: quartus, VAIEDABBER, *& locutus eſt*: quintus, HELLE HADDEBARIM, *hæc ſunt verba*: Græci verò melius à materie libri

præ-

præcipuà, vt SEPTUAGINTA appellarunt: Primum, *Geneſim* à rerum creatione: ſecundum, *Exodum* ab exitu de Ægypto: tertium, *Leviticum*, quod de Levitarum officijs agat: quartum, *Numeri*, quod Tribuum multitudinem, ad bellum, & manſiones numeret: quintum, *Deuteronomium* ob legem repetitam. Primus liber continet Hiſtoriam duorum millium trecentorum, & octo annorum à creatione mundi ad mortem Ioſephi Patriarchæ. Secundus, à morte Ioſeph vſque ad conſtructionem Tabernaculi in Deſerto centum quadraginta ſex. Tertius, à Tabernaculi erectione vſque ad numerationem eorum, qui apti erant ad bellum, vnius menſis. Quartus, à prima die menſis ſecundi anni ſecundi egreſsionis de Ægypto vſque ad manſionem in campeſtribus Moab ſuper Iordanem, triginta octo annorum, menſium novem, & dierum viginti. Quintus, à manſione in campeſtribus Moab vſque ad mortem Moyſis, duorum menſium. Vixit autem Moyſes annis centum viginti, & mortuus eſt anno ab orbe condito bis milleſimo, quadrigenteſimo, nonageſimo tertio, & inſuper anni ſequentis die vigeſimo, ante Chriſtum natum milleſimo, quadrigenteſimo, ſexageſimo nono, minus diebus viginti. Itaque ſumma annorum ab exordio mundi vſque ad Chriſtum natum eſt trium millium, nongentorum, ſexaginta duorum, iuxta Hebræorum voluminum ſupputationem; ſecus iuxta Septuaginta interpretum editionem, de qua re inferiùs dicturi ſumus nonnulla in hoc tomo, & fuſius in ſecundo.

CAPUT XLV.

DE LIBRIS HISTORIALIBUS, ordine ſibi Chronologico ſubſequentibus.

LIBER IOSUE ab eodem duce ſcriptus eſt Hebræo ſermone ſibi familiari; ſic namque legimus libri huius capite vltimo: *Scripſit Ioſue poſt mortem Moyſis omnia verba, quæ locutus eſt ad eum Dominus in voluminine Legis Domini.* Hiſtoria eſt decem ſeptem annorum de tranſitu filiorum Iſrael per Iordanem, de Regum, Regnorumque impiorum ſubverſione, de diviſione Terræ Promiſſæ. Cætera verò ab eius morte vſque ad finem libri adiecit Samuel, qui cæteros libros Hiſtoriæ ſequentes vſque ad finem primi Regum ſubtexuit. Nonnulli putant Eſdram: Theodoretus cenſet totum librum collectum ex libro Iuſtorum multo poſt Ioſue mortem. Vixit centum viginti annis, obijt Ioſue anno ab orbe condito bis milleſimo, quingenteſimo decimo, ante Chriſtum milleſimo, quadrigenteſimo, quinquageſimo ſecundo.

Liber IUDICUM Hebraicè à Samuele compoſitus eſt, cui attexuit RUTH Moabitidis Hiſtoriam. Continent autem libri trecentorum decem, & ſeptem annorum narrationem à morte Ioſue vſque ad Heli: cuius principatus incœpit anno mundi bis milleſimo, octigenteſimo, decimo; ante Chriſtum milleſimo, centeſimo quinquageſimo ſecundo.

Libri, quos SAMUELIS appellant Hebræi; Græci verò primum, & ſecundum REGUM, ab eodem incœpti, ſed à Natham, & Gad Prophetis eodem dictionis genere abſoluti eſſe creduntur. Dicitur enim lib. 1. Paralypom. cap. 29. *Geſta David priora, & noviſsima ſcripta ſunt in libro Samue-*

muelis videntis, & in libro Natham Prophetæ, & in volumine Gad videntis. Sed incertum eſt: An hi tres compleverint duorum priorum librorum Regum Hiſtoriam; an alia volumina ſcripſerint, quæ non extant. De hoc capite ſexto, ſub nominibus Gad, & Natham, Iſidorus autumat, Davidem ſuam ipſius Hiſtoriam per centum viginti annos ab Heli vſque ad finem ſecundi Regum contexuiſſe, id eſt vſque ad mortem ſuam, quæ fuit anno ab orbe condito bis milleſimo, nongenteſimo, ac trigeſimo; & ante Chriſtum milleſimo trigeſimo ſecundo. Tertium, & quartum libros REGUM à Hieremia compoſitos ex eo, vel maximè apparet, quòd vltimum caput quarti libri Regum cum vltimo Hieremiæ ſtylo, verbis, & narratione conveniat. Itaque duobus his libris continetur Hiſtoria quingentorum, triginta ſeptem annorum. Quare excidium Hieruſalem, & tranſmigratio in Babylonem, in qua protrahitur Hiſtoria à mundi Geneſi per Sacros Libros, vſque ad finem Regum, accidit anno ab orbe condito termilleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo, ſeptimo, & ante Chriſtum ſexcenteſimo, decimo quinto.

Libri duo PARALYPOMENON (id eſt *præterm iſſorum*) quòd ea, quæ ab exordio mundi ad finem Regum in alijs omnibus prædictis libris prætermiſſa ſunt brevitèr in his, & per compendium explicantur ab Eſdra (qui 1. Paralypom. 6. Ioſedech Sacerdos dicitur) ſub vno volumine comprehenſi ſunt, quaſi in ſummam redigens à principio omnia eodem tempore geſta, vt ſuam ipſius Hiſtoriam ſubnecteret, vt fecit.

Liburum ESDRÆ litteris Hebræis primùm à ſe inventis, ſed Chaldæo ſermone Eſdras digeſsit. Cui NEHEMIAS adiecit eodem dictionis, & Scripturæ charactere alterum librum ſuo nomine prænotatum, qui cap. 29. ESDRÆ appellatur, quòd res geſtas ſub illo ſimul enarret, & apud Hebræos à priore non ſit diviſus, ſed in vnum connexus. Subſequuntur liber tertius, & quartus ESDRÆ apocryphi, quòd incertum ſit de eorum Authore, & de infallibili Hiſtoriæ veritate. Græci Patres tertium Eſdræ Canonicum faciunt, & primo loco reponunt, quòd Hiſtoriam connectat cum vltimo capite libri 4. Regum ex rebus geſtis in captivitate ante reditum in Hieruſalem, quem narrant liber primus, & ſecundus Eſdræ. At Eccleſia Catholica tertium, & quartum Eſdræ hactenùs non retulit inter Canonicos; ſed apocryphos iudicat. Vixit Eſdras cum Nehemia, & templum inſtauravit anno ab orbe condito termilleſimo, quadringenteſimo, vigeſimo primo; qui fuit Iudaicæ liberationis tertius, & ante Chriſtum quingenteſimus, quadrageſimus primus. Mortuus eſt in extrema ſenectute poſtquàm omnes pœnè Divinas Scripturas in excidio Hieroſolymitano à Chaldæis incenſas non ſine divinitatis numine fideliſsimè, vt prius erant (per Spiritus Sancti aſsiſtentiam) reſtituiſſet, novis, ac promptioribus ad ſcribendum repertis litteris, ne cum Samaritanis ex Gentibus advenis, qui litteras à Moyſe traditas (prout didicerant) retinebant, commune quid haberent. Ergo Iudæi litteris eiuſdem valoris, figura tamen à Moſaycis, ſeu Samaritanicis diſcrepantibus vtuntur. Ita Hieronymus, tametſi res adhuc ſub iudice ſit non vſque quaque certa.

CA-

CAPUT XLVI.

DE HISTORIALIBUS *vagis in Chronologia.*

IOB pronepos Eſau, vt apparet Geneſ. 36. (tametſi Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis à Nachor, fratre Abraham genus duxiſſe exiſtimet) primus omnium hominum, quorum extent litterarum monimenta, ſcripſiſſe fertur lingua, & characteribus Syris, anno ab orbe condito bis milleſimo, trecenteſimo; ante Chriſtum milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo ſecundo. Omnes ſpiritualis militiæ ſuæ pugnas, victorias, ac triumphos eruditiſsimo, diſertiſsimoque ſermone complexus eſt. Ab initio vſque ad tertium caput ſoluta oratione progreditur; hinc verò vſque ad quadrageſimum ſecundum hexametris verſibus decurrit; inde verò ad finem iterùm proſa concluditur. Moyſes verò, antequam quinque Legis libros conſcriberet, in ſermonem Hebraicum tranſtulit Iob, vt Origenes comment. in eundem, & Iudæorum Rabbini teſtantur, ad Populi Captivi ſub Pharaone in Ægypto conſolationem. Vixit annos ducentos & decem iuxta Hebraicam veritatem: ſeptuaginta ante perſecutionem ſuam; poſt eam verò centum, quadraginta. Athanaſius addit triginta.

TOBIAS poſt recuperatam ſanitatem Chaldaica lingua librum hunc compoſuit eiuſdem ferè argumenti cum Iob: calamitates enim ſuas, & Divinas conſolationes digeſsit, dum Captivus teneretur in Ninive, ſub Salmanaſar Aſſyriorum Rege, qui anno Oſſee Regis Iſrael nono, & Ezechiæ Regis Iudà ſexto, Iſraelitas devicit, & tranſtulit in Aſſyriam iuxta Haylam, & Habor Civitates Medorum. Chaldaica veritas non extat; nam qui Hebraicis litteris exaratus repertus eſt his temporibus Conſtantinopoli, non per omnia reſpondet noſtris Codicibus; magis conſonat Græcis. Hieronymus confitetur ſe vnius diei labore à Chaldaica tranſtuliſſe lingua, cuius opus in editione vulgata probatur. Vixit centum duobus annis, iuxta Hebræos; iuxta Græcos verò centum, quinquaginta octo: ſepultus eſt Ninive anno ab orbe condito termilleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo; ante Chriſtum quatercenteſimo ſecundo. Numeratur hic liber inter Canonicos in Concilio Florentino ſub Leone decimo, & Tridentino ſeſſ. 4. & Carthaginenſi tertio, cui interfuit Auguſtinus anno quatercenteſimo decimo poſt Chriſtum natum, confirmato à Leone IV. 20. diſt. cap. de *Libellis*, & à Synodo Trullenſi, & Innocentio I. in Epiſt. ad Exuperium, cap. vltim. & à Gelaſio in Concilio 70. Epiſcoporum, Auguſt. lib. 2. de Doctrin. Chriſtian. cap. 5. Iſidorus 6. Etymolog. capit. 1.

IUDITH librum Chaldaicè ſcripſit Ioachinus Ieſu Sacerdotis magni filius, quo Bethuliæ liberationem ab Exercitu Artaxerxis priſci, qui Aſſuerus, & Nabuchodonoſor in ſcriptura cognominatur, expreſsit, Duce Exercitus Holoferne à Iudith capite detruncato. Artaxerxes verò, cum Collega ſuo Cyro primus Medis, Perſis, & Aſſyrijs imperavit, vt in Daniele, & in Eſdræ primo legimus. Hunc quoque librum ex Chaldæo Latinum fecit Hieronymus. Vixit Iudith centum viginti quinque annis: erat autem quindecim cum Patriam liberavit teſte Philone. Obijt anno ab orbe condito termilleſimo, quingenteſimo, & ſexageſimo. Receptus eſt hic adhuc Græcus in Canonem à Nicæna Synodo, anno à nato Chriſto tercenteſimo, vigeſimo quarto: & ab ijs, quos in Tobia recitavimus.

Librum ESTHER à principio vſque ad initium decimi capitis Mardochæus ſcripſit, vt Eſther 9. legimus in hæc verba: *Scripſit itaque Mardochæus omnia, & litteris comprehenſa miſit ad Iudæos.* Et paulò infrà: *Suſceperunt Iudæi cuncta geſta, quæ libri huius volumine continentur.* Cætera verò ſex capitula addita ſunt à Ioachino Ieſu Sacerdotis magni filio, vt Philo ait in Chronologia. Simillima ſunt his, quæ ſcribit Ioſephus lib. 11. antiquitatum. Suſpicor Ioſephum hinc Epiſtolarum quæ ellic refert exemplaria ad verbum deſumpſiſſe. Hunc librum Eſther (propter lacinia quædam inſerta) Melito Sardienſis, Gregorius Naziancenus, & Athanaſius tamquam apocryphum reiecerunt; at Concilium Carthaginenſe III. in Sacrorum voluminum numerum retulit, & vniverſa Eccleſia in Concilijs Florentino, & Tridentino, & olim prædicti Patres. Claruit Mardochæus vnà cum Ioachim ſub Artaxerxe Perſarum, ac Medorum Rege: mortuus eſt anno vitæ ſuæ (dubio apud Interpretes) ab orbe condito termilleſimo, ſexcenteſimo; ante Chriſtum tercenteſimo, ſexageſimo ſecundo. Hunc librum Concilium Carthaginenſe III. recepit in Canonem anno Chriſti quadringenteſimo decimo. Ab hac Hiſtoria vſque ad initium Machabæorum lapſi ſunt centum octoginta, & octo anni.

MACHABÆORUM libri primus, & ſecundus in Canonem recepti ſunt, ab hinc mille ducentis annis, vt Auguſtinus eſt Author libr. 18. de Civitate Dei. *Machabæorom* (inquit) *libros non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis accipit, propter quorumdam martyrum paſsiones vehementes, quæ in eis continentur.* Ioſephus verò etiam apud Iudæos inter ſacra volumina haberi teſtatur. Hieronymus ait in Prologo Hiſtoriarum Regum, librum primum Hebraico ſermone ſe vidiſſe conſcriptum: ſecundum verò non niſi Græco: ſed vtrumque integrum Eccleſia in Canonem recepit, vt apparet in Concilio Florentino, & Tridentino: & olim à Gelaſio Papa in Concilio 70. Epiſcoporum id Decretum erat, & ab Innocentio I. in Epiſt. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum, ab Auguſtino lib. 2. de Doctrin. Chriſtian. cap. 5. & ab Iſidoro lib. 6. Etymolog. cap. 1. & in Concilio Carthaginenſi III. quod fuit confirmatum à Leone IV. in Synodo Trullenſi. Author primi libri proſus ignoratur, ſecundi veró à Hieronymo creditur fuiſſet Ioſephus Matathiæ filius, in libro 2. adverſus Pelagianos; ab alijs Philo Iudæus ſenior. Quiſquis autem fuerit ex Hiſtoria Iaſonis Cyrinæi, qui res à Machabæis geſtas quinque libris explicavit, in vnius epitomem mira brevitate contraxit, vt ipſe teſtatur dicens: *Ab Iaſone Cyrinæo quinque comprehenſos libros tentavimus vno volumine breviare.* Itaque initio ſecundi libri Epiſtolæ apponuntur, in reſiduo libri nihil ferè aliud, quam quod ſeptem capitibus libri primi continetur.

Alij verò duo libri *Machabæorum*, tertius, & quartus, qui hoc tempore prioribus additi circumferuntur, prorſus apocryphi ſunt. Verum *Machabæi* non generis agnominatione, ſed caſu dicti fuerunt. Cum enim Iudas quatuor litteris, pro Teſſera, vſus fuiſſet in vexillis, quæ initia ſunt dictionum illius ſententiæ, quæ habetur Exod. 15. *Quis ſicut tu in fortibus Domine?* Vulguſque militum, quaſi vnicam dictionem pronuntiaſſet, *Michabi*: vocis corruptione à milite externo Iudas, & cæteri Duces, qui eiſdem vexillis vtebantur, *Machabæi* dicti ſunt. Ita Sixtus. Ergo libri duorum, & quadraginta annorum Hiſtoriam texunt, ſcilicèt, ab anno mundi termilleſimo, ſeptingenteſimo, octogeſimo octavo, vſque ad termilleſimum,

octin-

octingenteſimum trigeſimum, qui eſt ante Chriſtum centeſimus, trigeſimus ſecundus. Itaque ſumma annorum à creatione mundi, vſque ad Chriſtum eſt, termille nongentorum ſexaginta duorum. Sed de vario, ac exactiſsimo numerandi modo, tomo 2. dicemus fuſius; tamenſi non omninò etiam in hoc prætermittamus, vbi res poſtulat.

CAPUT XLVII.

DE LIBRIS SAPIENTIALIBUS.

PSALTERIUM DAVIDIS, ideſt, librum centum quinquaginta Pſalmorum à Davide integrè compoſitum teſtantur Auguſtinus, & Chryſoſtomus. Sed quia Eman, Idithum, & Aſaph cantoribus quoſdam Pſalmos à ſe compoſitos tradidit ad canendum, eorum titulis prænotati ſunt. Et ſic Eſdræ 3. legimus hos laudaſſe Deum per manus Davidis, ideſt, Pſalmis ab eo editis. Hieronymus verò in Epiſtolis ad Sophronium, & Cyprianum, ſequens Athanaſium, arbitratur ab eiſdem compoſitos, quorum epygraphis prænotati ſunt: nempè, Davide, Salomone, Moyſe (non duce, ſed cantore, eo quòd in Pſalm. 98. Samuelis mentio fiat multis, poſt Ducem, ſæculis nati:) Aſaph, Ethan Ezrachi, Eman Ezraita, Idithum, & tribus filijs Chorè, quos refert liber primus Paralypomenon cap. 15. In Græcis verò voluminibus adduntur Ezechiel, & Hieremias, quibus adſcribitur Pſalmus: *Te decet hymnus Deus in Syon*: Et *ſuprà flumina Babylonis*. Et filij Ioiadæ, & Aggæus, & Zacharias. Hic ergo liber varijs carminum generibus conſtat, vt poemata Pindari apud Græcos, & Horatij apud Latinus. Omnes Pſalmi Hebraico ſermone compoſiti, ab Eſdra verò ſunt collecti poſt captivitatem Babylonicam, vt Chryſoſtomus ait: vel ab amicis Ezechiæ Regis ante captivitatem iuxta Athanaſij ſententiam: alioqui multos plures hymnos Davidem ſcripſiſſe teſtantur Hebræi. Vixit David cum cantoribus circa annum ab Orbe condito bis milleſimum nongenteſimum, & triceſimum; ante Chriſtum verò milleſimum, trigeſimum ſecundum.

Salomon ſcripſit Hebraico idiomatè librum PROVERBIORUM, & ECCLESIASTEM, & CANTICUM CANTICORUM hexametris, & pentametris verſibus, vt Iſidorus ait ex Ioſepho, & Hieronymo. Quidam putant (vt Sixtus ait) à Sebna ſcriba Ezechię, & Eſaìa Propheta horum trium librorum ſententias ex varijs libris fuiſſe collectas. Scripſit etiam librum SAPIENTIÆ, vt ex cap. 9. eiuſdem operis apparet: *Tu Domine*, ait, *elegiſti me in Regem Populo tuo, & dixiſti me ædificare Templum in Monte Sancto tuo, iuxta ſimilitudinem Tabernaculi, quod præparaſti ab initio.* Hebraico ſtylo compoſitus eſt, ſed non extat niſi Græco; ſubinde quidam falſo putant, eſſe vnius, aut alterius Philonis opus, aut Ieſu Filij Sirach, vt olim dixit Auguſtinus, ſed ſententiam retractavit: in plurimis namque Concilijs Salomonis opus appellatur, vt Carthaginenſi III. Lateranſi magno, & à Gelaſio Papa in cap. *Sancta Romana*, diſtinct. 17. à Synodo in Trullo celebrata, Innocentio I. in Epiſtola ad Exuperium, cap. vltim. Leone IV. 20. diſtinct. cap. de *Libellis*. Auguſtino lib. 2. de Doctrin. Chriſtian. cap. 5. & ab Iſidoro lib. 6. Etymolog. cap. 1. noviſsimè à Concilijs Florentino, & Tridentino, ſeſſ. 4. à quibus in Canonicorum numerum cooptatum eſt. Obijt Salomon anno ab orbe condito bis milleſimo, nongenteſimo, ſeptuageſimo; ante Chriſtum natum nongenteſimo, nonage-

ſimo ſecundo. Librum quoque ECCLESIASTICUM Salomoni tribuunt prædicta Concilia, & Gelaſius vbi ſupra; quoniam ex ſententijs illius collectus ſit à Ieſu Filio Syrach Hebræa Lingua, in qua eum Hieronymus ſe vidiſſe teſtatur. Sed alter Ieſus nepos prioris in Græcum tranſtulit, vt ipſe in præfatione teſtatur, & Damaſcenus ait libro quarto de Fide orthodoxa tempore Philonis Evergetis Regis Ægypti, anno ab orbe condito termilleſimo, ſeptingenteſimo; ante Chriſtum ducenteſimo, ſexageſimo ſecundo. Receptus eſt in Canonem à Concilio Carthaginenſi III. cap. 43. ſub nomine Salomonis ob aſsignatam rationem à Concilijs Florentino, & Tridentino, Gelaſio Papa, Innocentio I. Leone IV. 20. diſtinct. cap. de *Libellis*, & à Synodo Trullenſi. Auguſtino 2. de Doctrin. Chriſtian. cap. 5. Iſidoro 2. Etymolog. cap. 1.

CAPUT XLVIII.

DE PROPHETIS Maioribus.

ESAIAS Hieroſolymita de Tribu Iudà Regi Ezechiæ genere coniunctus Hebraico ſermone, & venuſtiſsima proſa ſuam texit prophetiam: niſi quòd canticum vineæ, & verbis Syon, & Regis Ezechiæ hexametris, & pentametris verſibus deccurrunt, vt Iſidorus ait. Quatuor Regum Hiſtoriam Oziæ, Ioathæ, Achàz, & Ezechiæ, ſed magis Evangelium texere curavit. Adeò præclara, ac magnifica de Chriſto protulit teſtimonia. Quia verò Optimates domus Regiæ, *Principes Sodomorum*, & *Populum Gomorrhæ* appellavit, ab impio Rege Manaſſe per medium diſſectus occubuit: ac ſub quercu Rogel ſepultus eſt anno termilleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo; ante Chriſtum ſeptingenteſimo, vigeſimo ſecundo.

HIEREMIAS ex Anathot viculo Tribus Benjamin ab Hieruſalem tribus milliaribus, Filius Helchiæ Sacerdotis magni, adoleſcens cœpit prophetare ſermone Hebraico ſubruſtico, ſed ſenſuum maieſtate ſublimi. Ab ore eius excepit BARUCH ſcriba vaticinia de Synagogæ excidio, & futura Eccleſia Chriſti: & lamentationes, quibus vrbis everſionem, & plebis exilium flevit, more Hebræorum Alphabetica methodo: ſed genere à Saphico non diſsimili. Vixit ſub Ioſia, Ioachim, & Sedecia Regibus Iudà, vſque ad tranſmigrationem reliquiarum in Ægyptum. Occubuit in Taphnis à plebe ſua lapidibus obrutus, anno ab orbe condito termilleſimo, trecenteſimo, quinquageſimo. Victorinus, & alij vetuſtiſsimi Patres putant, ipſum adhuc vivere, & cum Helia ab Anti-Chriſto perimendum.

BARUCH Hieremiæ Diſcipulus, & ſcriba in Ægyptum ductus cum eo, pòſt in Babylonem, librum edidit Hebraicè de calamitatibus Captivorum, de reditu in Hieruſalem, de Adventu Filij Dei in carnem: qui vna cum libro, & pecunijs miſſus eſt in Hieruſalem ad Sacerdotes, vt pro ſalute Nabuchodonoſor deprecaretur. Acta ſunt hæc anno quinto captivitatis Babylonicæ. Concilium Florentinum, & Tridentinum hunc librum in Catalogum Canonicorum retulerunt. Sic olim Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedago, cap. 3. & Euſeb. cap. 19. & Eccleſia, cum Prophetam legit in Vigilia Pentecoſtes toti Populo Chriſtiano.

EZECHIEL, Propheta, & Sacerdos de Terra Sarera puer ductus in Exilium, Iechonia Rege, Hebraico ſcripſit ſtylo mediocri, ſed diſſerto, viſiones, & oracula, ſibi divinitus revelata. Caput eius primum, & octo poſtrema adeo obſcura ſunt,

vt

vt cautum ſit, non niſi triginta annorum homines ea attingere audere. Moritur in Chaldea à Duce gentis ſuæ obtruncatus, quòd de Idolatria illum reprehenderat, anno ab orbe condito termilleſimo, trecenteſimo, ſexageſimo.

DANIEL de Tribu Iudà genere Regio in Bethebero propè Hieruſalem natus, puer adductus in Babylonem cum Ioachim Rege Eunuchus Regis Chaldæorum effectus eſt, iuxta Eſaiæ vaticinium cap. 39. Scripſit de Regnis mundi, & Glorioſo Chriſti Adventu, & duratione captivitatis, & tempore venturi Meſsiæ. Caput 1. & initium 2. vſque ad illud: *Reſponderunt Chaldæi Regi Syriace*: Hebraico ſermone narrantur. Hinc verò ad finem ſeptimi capituli Hebraicis caracteribus, ſed Lingua Chaldaica: ab initio octavi vſque ad finem duodecimi iterùm Hebraico ſermone; cætera Græcè tantum reperiuntur ſcripta, vt Hieronymus ibidem ait, ex Theodotionis translatione. Ea verò, quæ in Hebraicis Codicibus non continentur, vt Oratio Azariæ, hymnus trium puerorum, Suſannæ Hiſtoria, & Belis narratio: tametſi ab Origene tractatu 31. in Matthæum velut apocripha reijciantur, & ab Euſebio, & Apollinario; tamen Eccleſia Catholica ab Apoſtolorum temporibus in Canonem recepit in Officio Canonico eadem recitans. Obijt Babylone Regibus gratiſsimus anno mundi termilleſimo, quadringenteſimo.

CAPUT XLIX.

DE PROPHETIS *Minoribus.*

OSSEAS ex Tribu Iſachar, & Oppido Belometh, Eſaiæ ſynchronos, ſeu contemporaneus fuit. Contra decem Tribus Hebraicè ſcripſit ſub nomine Ephraim, & Samariæ. Obijt in Patria anno termilleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo.

IOEL de Tribu Ruben ex agro Bether, de imminentibus Iudaicæ Genti malis, Regno Chriſti, & miſsione Spiritus Sancti ſcripſit Hebraicè ſub Rege Ioram. Deceſsit anno termilleſimo quinquageſimo.

AMOS Paſtor ex Oppido Thecue non Iudæ, ſed Tribus Zabulonis, contra decem Tribus prophetavit. Vixit ſub Ieroboam Rege Iſrael, à quo, & Filio Amaſiæ Sacerdotis, quem de duobus vitulis aureis reprehenderat, clavo per tempora transfixus occubuit, anno termilleſimo, centeſimo, decimo.

ABDIAS Sicheræ natus in agro Iehthachmar Pentacontarchus, ſeu Quinquagenarius Ochoziæ Regis Iſrael, poſt duas hominum quinquagenas Cœleſti igne abſumptas, ad comprehendendum Eliam miſſus eſt, qui deſerto Rege, adhæſit illi. Prophetavit Hebraicè contra Idumæos, ſepultus in Samaria anno termilleſimo, ſexageſimo.

IONAS ex Regione Opher, viculo Geth, in Tribu Aſſer, contra Damaſcum, & Ninivem Aſſyriorum Metropolim, iuxta Lycum Fluvium à Nino conditam, Hebraicè prophetavit: tametſi Ninivitas ſua ipſorum Linguà fuerit allocutus. Item de Morte, & Reſurrectione Chriſti ſub eius Hiſtoria Typus datur. Vixit temporibus Eſaiæ, & obijt in Terra Sacar anno milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo.

MICHÆAS Moraſthite viculo ortus in Tribu Ephraim, contra Samariam, & Hieruſalem vaticinatus eſt, & Adventum Salvatoris, & locum Nativitatis illius apertè prædixit: Præcipitatus ab inimicis obijt anno termilleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo.

NA-

NAHUM Elchæſeus viculo ſemidiruto natus ex Tribu Simeon, contra Ninivitas vaticinatur, quòd poſt veniam comparatam per pœnitentiam in maiora flagitia prolapſi fuiſſent. Prædixit everſionem Ninive, & totius Regni Aſſyriorum paulò poſt factam à Nabuchodonoſor. Vixit ſub Manaſſe, & moritur anno termilleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo quinto.

ABACUCH, ex Agro Bezocchar, & Tribu Simeon, contra Babylonem, & Nabuchodonoſor, quia Templum, & Hieruſalem evertera:, vaticinatur. Hic ab angelo aſportatus eſt in Lacum Leonem in quem Daniel conie-ctus erat, vt prandium illi deferret. Obijt biennium ante reditum ex captivitate, ſepultus in agro ſuo anno termilleſimo, quadrigenteſimo, ac ſexto decimo.

SOPHONIAS ex Sarabatha monte, prophetavit vaſtationem Hieruſalem, & totius Regni Iudæorum ſub Ioſia, Hieremiæ contemporaneus anno termilleſimo, trecenteſimo, trigeſimo.

AGGÆUS puer Babylone in Iudæam reverſus eſt, vaticinatur de reædificatione Templi, & Gentium ſubverſione. Vixit poſt reædificatum Templum, in quo primus cecinit Alleluya: obijt anno quinquageſimo poſt reditum ex Babylone, ab orbe condito termilleſimo, quadringenteſimo, ſexageſimo nono.

ZACHARIAS ex Terra Calthæorum fuſius, & obſcurius cæteris duodecim (quos minores appellant) in ſolutione Captivitatis Babylonicæ prophetavit ſtylo pœnè Danieli conſentienti, & de eadem re cum Aggæo. Senex moritur, & cum eo ſepelitur anno termilleſimo, quadringenteſimo ſexageſimo.

MALACHIAS ex Oppido Sopha in Tribu Zabulon forma præſtanti fuit: prophetavit contra improbos mores Populi, præſertim Sacerdotum, qui poſt reditum, & inſtauratum Templum, ad priſtina delicta reverſi eſſent. Claruit anno termilleſimo, quadringenteſimo, ſexageſimo ſecundo; ante Chriſtum quingenteſimo. Hæc ferè ex Hieronymo, Iſidor. de partibus veteris Teſtamenti, & Sixto.

CAPUT L.

DE SCRIPTORIBUS Novi Teſtamenti quoad Legem, & Hiſtoriam.

MATTHÆUS ſub Caligula Cæſare anno poſt Chriſti Aſcenſionem octavo in Iudæa ante diſceſſum per orbem Hebraicè ſcripſit Evangelium, teſtibus Irenæo, & Hieronymo: in Græcam verò linguam translatum eſt à Ioanne Evangeliſta (vt Theophilactus ait.) Hinc in afferendis teſtimonijs ſemper ſequitur Hebraicam veritatem; cæteri interdum SEPTUAGINTA. Obijt Matthæus anno Chriſti quinquageſimo.

MARCUS vnus ex Septuaginta Diſcipulis, Pauli primum, deindè Petri comes in prædicatione fuit, ſic in actis legimus, & Papias refert lib. 1. de Domini verbis. Et Clemens lib. 6. Hypotipoſeon. Anno decimo poſt Chriſti Aſcenſionem Græcè ſcripſit Evangelium, vt à Petro edoctus fuerat; ſubinde à multis Petri Evangelium eſt appellatum. Moritur octavo Neronis anno.

LUCAS item ex ſeptuaginta Diſcipulis, Pauli comes, Græcè eloquentiſsimè ſcripſit anno poſt Chriſti Aſcenſionem decimoquinto: hinc Paul. Evangelium dicitur à multis.

IOANNES Apoſtolus lectis aliorum Evangelijs Græcè quoque ſcripſit contra Hæreticos ſuum, in quo præcipuè

cipuè de Christi Divinitate diſeruit, ſub Trajano Cæſare anno ſexageſimo octavo poſt Chriſti Aſcenſionem ex hominum conſortio deceſsit : anno verò Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo Ioſephus Iudæus Tiberinus comes in Hebraicum eloquium translatum invenit in Gazophilazio Tiberiadis : ſed vt invenctor ſuſpectus, ſic quoque volumen Hebraicum non obtinuit certam probationis Fidem.

Librum ACTUUM APOSTOLORUM Lucas ad Theophilum ſcripſit eodem Græcę dictionis ſtylo, quo Evangelium. Continet Evangelicę Legis per Orbem promulgationem, & Apoſtolorum geſta, præſertim Pauli, cuius individuus comes fuit, vſque ad annum Neronis quartum, nempè, Chriſti ſexageſimum primum. Hic quoque liber à Ioſepho repertus eſt Tiberiade Hebraico ſermone exaratus.

CAPUT LI.

DE D. PAULO, ET *epiſtolis eius.*

PAULUS Apoſtolus, qui ante Saulus de Tribu Benjamin natus Tarſo Urbe Ciliciæ, vt dicitur Actor. 22. tredecim Epiſtolas Græco ſermone compoſuit, & vnam ad Hebræos Hebraico. Ergo primam ad ROMANOS miſit Corintho per Phœbem miniſtram Eccleſiæ Cenchrenſis, in qua conciliat credentes ex Iudęis, & Gentibus : qui de dignitate, & meritis ad Eccleſiaſtica miniſteria contendebant. DUAS AD CORINTHIOS, priorem per Stephanum, & Fortunatum, hac ſedat eorum diſsidia, & factiones, quas circa Evangelij Prędicatores quidam excitaverant ; poſteriorem ex Philippis Macedoniæ per Titum, & Lucam, quos admonet, vt ſynceros Evangelij Miniſtros ſequantur ; malos reijciant. Quartam AD GALATAS Roma, per hanc in Iudaiſmum relapſos gravitèr obiurgat, & à Moſaica ſervitute ad Evangelicam revocat libertatem. Quintam AD EPHESIOS ex Romano carcere per Tychicum : in ea formam Chriſtianæ vitæ præſcribit. Sextam AD PHILIPPENSES ex Romano carcere per Epaphroditum : per hanc ſuadet vnitatis concordiam contra Pſeudo-Apoſtolos. Septimam AD COLOSSENSES ex Epheſinis vinculis per Tychicum : in ea etiam ſuperſtitiones corrigit, & Chriſtum aſcendiſſe ad Deum docet. Octavam, & nonam AD THESSALONICENSES ab Athenis per Tychicum : priore conſtantiam in Fide, & perſecutionibus ſuadet : poſteriore iterùm hortatur ad afflictiones perferendas propoſito prœmio. Decimam, & vndecimam AD TIMOTHEUM : priorem miſit ex Loadicæa per Tychicum : hac docet, quæ Magiſtrum, & Paſtorem Eccleſiæ deceant : poſteriorem ex vinculis Romanis, in hac præparat illum ad perſecutiones, & martyrium perferendum. Duodecimam AD TITUM Nicopoli Macedoniæ : inſtituit per eam ordinare Miniſtros Eccleſiæ, & oves gubernare. Tredecimam AD PHILEMONEM ex vinculis Romanis per Oneſimum : hunc ſervum illi hero ſuo reconciliat in illa. Quatuordecimam AD HEBRÆOS Hebraico ſermone compoſuit ex vinculis Romanis, & per Timotheum miſit, quam Lucas, aut Clemens in Græcum verterunt eloquium : docet in ea, Moſaica Legalia ceſſaſſe per Chriſti Adventum, & Novum Teſtamentum ſucceſsiſſe. Hanc ab Apoſtolo Paulo ſcriptam, & inter Canonica ſcripta recipiendam decrevit Nicæna Synodus, & Concilium Laodicenum, Carthaginenſe tertium, Araufican um, Florentinum, & Tridentinum. Hanc Epiſtolam Divinam Scripturam appellat

lat Auguſt. lib. 2. de Doctrin. cap. 8. & 3. de Trinit. cap. 11. de Baptiſm. Parvul. cap. 27. & Hieronymus ad Dardanum, & Comment. in Epiſt. ad Titum, cap. 2. & 59. cap. *Quoniam.*

CAPUT LII.

DE EPISTOLIS CANONICIS, & earum Scriptoribus.

IACOBUS Apoſtolus Græcè ſcripſit Epiſtolam vnam de varietate tentationum, de Fide, & operibus, de divitijs, & paupertate, de patientia, de Sacerdotibus: quam Laodicenum Concilium, & Carthaginenſe tertium, Innocentius, Gelaſius, Leo vbi ſuprà, Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſt. noviſsimè Concilium Florentinum, & Tridentinum, inter Canonica retulere. Præfuit multis annis Hieroſolymitarum Eccleſiæ.

PETRUS Apoſtolorum Princeps duas Epiſtolas Græcè ſcripſit: priorem per Sylvanum ad eos, qui in diſperſione erant Fideles, adhortans ad perfectiorem vivendi rationem, & perferendas cum gaudio tentationes: poſteriorem ad Neophytos ex Iudæis, docens eos ſynceram Fidem, & præparans ad diem Iudicij. Hanc in Canonica retulit Laodicenum Concilium, & Carthaginenſe tertium, noviſsimè Florentinum. Cuius ſententiæ olim fuerunt Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum. Auguſtinus lib. 2. de Doctrin. Chriſtian. cap. 8. Iſidorus lib. 6. Etymolog. cap. 1. Damaſcenus lib. 4. cap. 18. Innocentius, Gelaſius, & Leo vbi ſuprà.

IUDAS Apoſtolus Epiſtolam breviſsimam Græco ſermone compoſuit ad Fideles, de ſuſcepta Fide vtilitèr tuenda, & fugiendis ſeductoribus.

A prædictis Synodis, & Patribus in Canonem recepta eſt.

CAPUT LIII.

DE IOANNE EVANGELISTA, & eius Scriptis.

IOANNES Græcè ſcripſit, præter Evangelium, tres Epiſtolas, & Apocalypſim: primam ad cuiuſque ætatis Fideles, docet charitatem in Deum, & quàm male hoc præceptum obſervemus. Hanc miſit ad Parthos, vt Auguſtinus ait lib. 2. queſt. Evang. & Hyginius in Epiſtola prima ad omnes Chriſti Fideles. Duas alias ſcripſit de recta Fide, & hoſpitalitate ſervanda, & vitandis hæreticis ad Electam, & Gaium. Prædicta Concilia has inter libros Canonicos numerarunt cum Apocalypſi, quæ prophetiam continet ab exordio Eccleſiæ ad finem vſque ſæculi. Quam etiam receperunt Dionyſius lib. Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 3. Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone, Clemens. Alexandr. lib. 2. Pedago, cap. 13. Ireneus lib. 4. Adverſus Hæreſes, Baſilius, Epiphanius, Gregorius Theologus, & Latini Patres. Hieronymus in lib. de Viris Illuſtribus, & in Epiſtola ad Dardanum, & in Epiſtola ad Paulinum. Auguſt. lib. 2. de Doct. Chriſt. Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem. Beda, Caſiodorus, Rabbanus, Rupertus, Richardus Victorinus. Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 18. refert Origenem fuiſſe huius ſententiæ, & lib. 7. cap. 23. Dionyſium Alexandrinum. Et lib. 4. cap. 18. Iuſtinum Martyrem. Tandem Concilium Carthaginenſe III. & Tolet. IV. Florentinum, & Tridentinum. Innocentius, Gelaſius, & Leo, vbi ſuprà. Iſti omnes, & Ioannis eſſe, & Canonicam authoritatem habere probaverunt. Scripta ſunt hæc à Ioanne in Inſula Pathmos, in quam à Domitiano Cæſare relegatus eſt anno Chriſti nonage-

geſimo ſeptimo : tametſi Tertullianus, Epiphanius, Andræas, & Arethas Cæſarienſes Epiſcopi ſub Nerone, triginta octo annis antè ſcriptum fuiſſe contendant. Ergo ſumma annorum veteris Teſtamenti à creatione Mundi, vſque ad Chriſtum termille nongentorum ſexaginta duorum eſt. Aſt Novi Teſtamenti à Chriſti ortu, vſque ad Ioannis Evangeliſtæ deceſſum, centum duorum. Vixit quippè Ioannes ferè centum. Sed Prophetiam texuit de Iudæorum perditione, & Eccleſiæ ſucceſſu, vſque ad finem Mundi, immo verò de Hieruſalem triumphanti, Sanctorum præmio, & Beatitudine Dei in æternum, & vltrà. Amen.

Hæc ſunt, quæ pro hac noſtri Apparatus parte in Iuniorum gratiam componenda, concinnata, atque ingenuè deſſumpta ſunt ex Doctore Georgio Edero, & Illuſtriſsimo Galarça, Epiſcopo Caurienſi, percèlebri noſtro P. Gaſpare Sanchez ſuffragante : non tamen ſic inerter, & oſcitantèr, vt locum non habuerit noſtra diligentia, & ſtudium. Quippè in primis quoad Anacephaleoſim Bibliorum ſub vno tractu, & filo orationis exhibemus ea, quæ non niſi per Tabularum ſpectra, atque ſegmenta, Iunioribus ſemper ingrata, alibi offeruntur. Deinde ea, quæ circa Scriptores deſumuntur, ne adoleſcentes evaderent eorum prorſus ignari, luſtrata ſunt diligentèr, & alicubi emendata, ſivè in re, ſivè in Chronologia, vbi res deſiderabatur exactior. Poſtremò verò circa hanc Chronologiam Scriptorum (quæ, vt ipſe Galarça ait, Chronologia Hebræorum eſt, quæ, Teſte Torniello, ſatis eſt mendax) nonnulla præſertim in Prophetis Minoribus mihi apparent minus cohærentia, vt puta 1. ponere Oſſeam, qui creditur antiquius cæteris prophetaſſe, decedentem anno 3340. & Ioelem, Amòs, & Abdiam longè priores etiam ad centurias annorum, vt cernere eſt lib. 4. cap. 5. Deinde 2. ſimul cum hoc ponere Oſſeam, Joel, & Abdiam ſub idem tempus vaticinantes, vt facit lib. 7. cap. 7. Tandem 3. quia inibi etiam bis ponit eundem Abdiam vaticinantem ſcilicèt tempore Ioſaphat, & tempore Ozię, mediante inter vtrumque bona annorum centuria. Quamobrem debebunt intereà Biblici propugnatores ſuper his punctis Chronologicis non multum vexari quoaduſque in noſtro ſecundo tomo, dante Deo, aperiamus quomodo vniverſim ſe genere debeant in re Chronologica. Quod ſi tamen de prædictorum Prophetarum Chronotaxi ſolicitentur ; fructuosè adiri poterunt noſter Cornelius, & noſter Tyrinus in Chronico ſua nitida commentaria præcedente, ac denique Doctiſsimus Ribera noſter in Prophetas Minores.

Pro Coronide huius partis notatum tene, quod, quemadmodum in Prolegomenis præmiſſum eſt, haud latet nos, Deum eſſe vnicum, & primarium Authorum Sanctarum Scripturarum ; verumtamen, vt alij etiam vſurpant, Authores etiam in noſtro titulo huius partis nuncupare non recuſavimus (tametſi ſecundarios) eos homines, quorum calamis vſus eſt Spiritus Sanctus ad hos libros Sacratiſsimos componendos. Quos, licèt Scriptores Canonicos de more potius, quam Authores compellandos eſſe cenſemus, vt in fronte huius partis cunctis teſtatum eſt ; tamen, ne cum diceremus *Scriptorum Synopſis* putaretur eſſe eorum, qui in Sacras Scripturas Commentarios elaborarunt, vocem Authoris ſupraſcribendam cenſuimus, quam ſemper volumus iuſta ſua intelligentia correctam, atque donatam.

***.

APPARATUS
AD PALÆSTRAM BIBLICAM.
PARS TERTIA.
PROOEMIUM.

QUAMQUAM IN ANIMO FUERAT MANIPULOS Regularum ad interpretandas Sacras Scripturas ex SS. Patribus, doctiſque hominibus elicitos diſtributim per partes quæſtionibus tractandis in fronte præponere, vt ita nullo negotio ab ſtudioſis condiſcerentur; nihilominus, re melius perpenſa, ex doctiſsimorum hominum voto placuit eas inde reſcindere, vbi non oportunè admodum inſererentur; eo quòd inibi non tàm facilè appareret, cuinam loco, aut cui difficultati elucidandæ inſervirent. Cumque longè vtilius plurimæ, quæ in ipſo curſu reſolutionum aptius ſunt collocandæ; ibi donentur: rurſuſque cum aliarum multarum Decades, quas iam pridem SS. Patres, & primores Interpretes obſervaverant, ſint in hoc noſtro opere pars doctrinæ, & inſtitutionis nedum non prætereunda; ſed etiam maximè commendanda, vtpotè in qua ſitus eſt ritæ interpretationis articulus; nos eas in hoc loco manipulatim duximus conſcribendas.

CAPUT I.

DECAS PRIMA REGULARUM.

I. UA ſunt idiomata, hoc eſt linguæ proprietates Sacræ Scripturæ. Auguſtin. quæſtionibus in Geneſ. quæſt. 31. & in Ioann. tract. 10.

II. Sunt quædam peculiaria verba in Sacris Litteris, quibus vtuntur ad aliquid propriè ſignificandum. Ambroſ. Luc. 1.

III. Dicit quandoque Scriptura illud eſſe, & fieri, aut factum fuiſſe, quòd licèt phyſicè, ac realiter non ſit tale;

tale; tale nihilhominus esse debet, & vice versa. P. Ioann. Ulloa in Decadibus Regularum. Decad. 3. num. 23.

IV. Consuevit Scriptura aliquando totum pro parte, aut partem pro toto ponere. Gregor. III. Mor. cap. 9.

V. Quæ remota sunt à cognitione nostra prius ex Divina authoritate credenda sunt: deinde per hæc nota sunt vt cumque noscenda, quantoquisque magis, minusve potuerit pro suæ capacitatis modo divinitus adiutus internis, externisque rationibus. Aug. lib. 5. de Genes. ad litter. cap. 12.

VI. Solet etiam nomen esse commune possessori, & rei possessæ. P. Ulloa, Decad. 5. num. 45.

VII. Scripturæ Sacræ si defenduntur secundum loquutiones proprias, quæ appellantur idiomata; quantò magis secundum eas, quas cum alijs communes habent? Augustin. lib. 1. quæst. super Genes. cap. 31.

VIII. Modus dicendi Divinæ Scripturæ omnibus patet. Ipsa tamen non omnibus penetrabilis est. Augustin. epist. 3. ad Volusian.

IX. Solent Authores Canonici citare verba aliorum, quæ tamen non sunt vnius, & eiusdem, sed diversorum; aut vnius eiusdem, sed in diversis locis. P. Ulloa, Decad. 5. num. 49.

X. Veteris instrumenti lectionem non probè intelligentes noxam incurrunt, non Scripturæ culpa; sed legentis. Basilius ad Chilonem de Vita solitaria, & Hieronymus in epist. ad Galat. cap. 5.

CAPUT II.

DECAS SECUNDA Regularum.

XI. IN omni allegoriæ hæc regula retinenda est, vt pro sententia præsentis loci consideretur, quòd per similitudinem dicitur. Aug. in Psalm. 8.

XII. Quæ de Christo dicuntur interdum de ipso solo, interdum de eius membris, interdum de vtrisque dicuntur. P. Gaspar Sanchez in Isai. cap. 49.

XIII. Nonnulla omittit Sacra Scriptura, quæ tamen vera ratione creduntur. Augustin. de Assumptione B. Mariæ.

XIV. In Scriptura Sacra quædam cum non sint, dicuntur tamen; alia cum sint, non dicuntur; alia neque sunt, neque dicuntur. Gregor. Naziancen. lib. 5. Theolog.

XV. Solet nomen esse commune actionibus, sivè rebus, & tempori in quo fiunt, vel sunt. P. Ulloa, Dec. 5. num. 24.

XVI. Significatio Scripturæ Sacræ, quæ non videtur necessaria, indaganda est solerti Lectori. Augustin. contra Faust. lib. 12.

XVII. Quæ in Divinis Libris scripta non sunt tractare debemus per ea, quæ scripta sunt. Origen. in Matthæi cap. 23.

XVIII. Solet quoque nomen esse commune actioni, & eius occasioni. P. Ulloa, Decad. 5. num. 51.

XIX. Ambigua in Sacris Litteris, si explicari non possint, in vtramque partem intelligi possunt; si Fidei regula non obstet. Augustin. 2. de Trinit. cap. 1. & de Doctrin. Christian. cap. 2.

XX. In rebus obscuris, atque à nostris oculis remotissimis si quæ inde scripta etiam Divina Legerimus, quæ possint salva Fide, qua imbuimur, alijs, atque alijs parere sententijs; in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita proijciamus, vt si fortè diligentius discussa veritas eam rectè labefacta verit, corruamus; non pro sententia Divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, vt eam velimus Scripturarum, quæ nostra est, cum potius eam, quæ Scripturarum est, nostram

esse velle debeamus. August. de Genes. ad litt. cap. 18.

CAPUT III.

DECAS TERTIA *Regularum.*

XXI. SOLET in Scriptura infligi vltimum supplicium huius vitæ propter culpam emitativè in se minorem alijs, prius dissimulatis. P. Ulloa, Dec. 4. num. 115.

XXII. Mos est Scripturarum semper adversis læta subiungere, & postquam Deus tristia comminatus fuerit, ad pœnitentiam eos, quos terruit, provocat; rursus negligentes, & nolentes agere pœnitentiam comminatione deterret, ne bonitas Dei induret cor nostrum. Hieronym. 2. Comm. in Osee cap. 5. & 6.

XXIII. Sacra Scriptura non est multiloqua in ijs, quæ non sunt multum necessaria. Chrysostom. in Act. Apostol. homil. 5.

XXIV. Solet Scriptura dicere tunc vel ab eo rem fieri, quando, vel à quo certò, & resolutè manifestatur, aut declaratur. P. Ulloa, Dec. 1. num. 73.

XXV. Sanctarum Scripturarum regula est, duas generationes bonorum, & malorum nosse, hoc est, singulorum singulas. Hieronym. in Matth. cap. 23.

XXVI. Multa in Scripturis Sanctis dicuntur iuxta opinionem temporis, quo gesta referuntur, & non iuxta id, quòd veritas continebat. Hieronym. in Hieremiam cap. 28. & Matthæi cap. 14.

XXVII. Solitum in Scriptura est, quòd alij Authores Canonici etiam Historici prætermittant aliqua, quæ certò fuerunt in casu illo, quem narrant; quæque per alios Authores Canonicos posteriores referuntur. P. Ulloa, Dec. 2. num. 14.

XXVIII. Non quid Omnipotentia Dei facere possit, cui cuncta possibilia sunt; sed quid in naturæ ordine ab eo institutum sit, videndum est. August. de Genes. ad litter. cap. 1.

XXIX. Sacra Scriptura cohæret sibi tota. Chrysostom. in Marc. homil. 4.

XXX. Solet Scriptura dicere idem activè, & passivè, sine pleonasmò, sed cum emphasi. P. Ulloa, Decad. 3. num. 42.

CAPUT IV.

DECAS QUARTA *Regularum.*

XXXI. ALLEGORIA aliud prætendit in verbis, aliud significat in sensu. Non tamen est quærenda in præceptis, quæ ad vitam pertinent, aut in ijs, quæ perspicua, & manifesta sunt. Hieronym. in epist. ad Galat. cap. 4 & in Zachar. 4.

XXXII. In narratione rerum gestarum res ipsæ prius intelligendæ sunt, vt narrantur; tum demum, si quid aliud significant, oportet perscrutari. August. 8. de Genes. ad litter. cap. 7.

XXXIII. Scriptura vtitur non raró verbis sonantibus actum secundum; sed tantum significantibus exigentiam, sivè connaturalitatem, quam ad illum actum secundum habent res, de quibus tunc est sermo. P. Ulloa, Dec. 3. num. 71.

XXXIV. Omnia, quæ scripta sunt in Sacris Litteris ad Christum referuntur. August. in Psalm. 71.

XXXV. Constituti erant in Populo Iudæorum Sacerdotales gradus, qui Prophetas, Pseudo-Prophetasque discernerent, hoc est, intelligerent, qui de Dei Spiritu loquerentur; qui

de

de contrario. Hieronym. in Iſaiam. 3.

XXXVI. Scriptura interdùm vtitur verbis ſonantibus rem eſſe, aut non eſſe; ſignificantibus autem proximitatem ſolam, ſed certam de eo quod ſit, aut de eo quòd non ſit. P. Ulloa, Dec. 3. num. 63.

XXXVII. Sacræ litteræ habent, ſed non oſtendunt eloquentiam: omnes namque virtutes, & ornamenta eloquentię eſſe in Sacris litteris monſtrare ſe poſſe dicit Auguſtinus lib. 4. de Doct. Chriſt. cap. 6. & 7.

XXXVIII. Cum ea, quę non accidunt Deo, tanquam illi accidant loquimur; eum facere agnoſcimus, vt nobis accidant ea dumtaxat, quę laudabilia ſunt: & hoc quantum ſcripturarum vſus admittit. Aug. 4. de Geneſ. ad litter. cap. 9.

XXXIX. Solet Scriptura vti verbis innuentibus in Deo paſsiones, aliquibus noſtratibus ſimiles. P. Ulloa, Dec. 1. num. 53.

XL. Sivè figuratè, ſivè proprie dictum ſit, quod dictum eſſe narratur; dictum tamen eſſe non debet putari figuratum. Aug. 11. de Geneſ. ad litter. cap. 39.

CAPUT V.

DECAS QVINTA *Regularum.*

XLI. LEX vetus Moyſis nomine frequenter appellatur in Sacris litteris. Didymus de Spir. Sanct. interprete Hieronymo.

XLII. Solet Scriptura vti actu ſecundò pro actu primò iuris, dignitatis, aut meriti ſivè in ordine ad bonum, ſivè in ordine ad malum. P. Ulloa, Decad. 3. num. 30.

XLIII. Ambiguitas, & repugnantia, quę eſſe videtur in ſacris litteris ex ipſius textus conſequentibus, & adiunctis tollenda eſt; ſi autem Scripturę repugnantia pertractari, aut diſcuti non poteſt, ſaltem id intelligatur, quod fides ſana prędcribit. Aug. 3. de Doctrina Chriſt. c. 2. & de Geneſ. ad litter. lib. 1. c. vlt. & contra Fauſt. Manichęum lib. 9. cap. 6. & 7.

XLIV. In Divinis Scripturis vera aliquando tacentur, non mentiendo; ſed tacendo. Aug. contra mendacium ad Conſentium, cap. 10.

XLV. Solet Scriptura dicere, aut ſupponere illud eſſe, quod licèt phyſicè non ſit; plerumque eſſe ſolet. P. Ulloa, Dec. 3. num. 36.

XLVI. *Donec* ſeu *vſque* dupliciter intelligitur in ſacris litteris: ſępè enim ex idiomate Sacrę Scripturę certum tempus in eius aſſumptione ſignificat, & ſępè infinitum. Hieronym. adverſus Helvidium.

XLVII. Si quis quęrat illa in Scripturi Divinis, quę miranda putant Philoſophi, inveniet. Ambroſ. in prędat. Evang. Lucę.

XLVIII. Eſt etiam conſuetudo Scripturę negare abſolutè, ſeu videri negare id, quod, quamvis verè aut phyſicè ſit verum; tamen non apparet, ſeu non conſtat eſſe. P. Ulloa, Decad. 4. num. 22.

XLIX. Mos eſt Sacrę Scripturę futurorum veritatem in typis prędmittere. Hieronym. ſupr. Daniel. cap. 11.

L. Sacra Scriptura de omnibus virtutibus, & vitijs exempla habet; & contra omnia vitia remedia. Chryſoſt. in Act. Apoſtol. homil. 29.

CAPUT VI.

DECAS SEXTA *Regularum.*

LI. SOLET Scriptura aliquibus tribuere, quod non ipſi; ſed ſui maiores, ſui Collegę, ſui Cives, ſui Cognati

nati fecerunt, vel faciunt. P.Ulloa,Decad. 1. num. 57.

LII. Non in hoc tantùm Sacri Libri ſcripti ſunt, vt res geſtæ; ſed vt allegorica in eis quęrantur. Aug. 15. de Civit.Dei,cap.27.

LIII. Vbicumque in veteri teſtamento *Allophyli* ideſt *alienigenæ* legerimus, non commune nomen omnium externarum gentium; ſed propriè Philiſtini, qui nunc Paleſtini vocantur, accipiendi ſunt. Hieronym. Comment.in Amòs cap. 1.

LIV. Solet Scriptura genus, aut nomen fœmineum appingere viris interdum favoris interdum dedecoris cauſa. P. Ulloa,Decad. 4. num. 124.

LV. Figuratè qui omnia dici in Sacris litteris credunt, falluntur. Aug. 8. de Geneſ. ad litter. cap. 1.

LVI. In maſculino genere fœmineum continetur. P. Gaſpar Sanchez in Iſaìam cap. 59.

LVII. Solet Scriptura loqui de rebus non prout ſunt phyſicè in ſe ipſis; ſed prout apparent eſſe. P. Ulloa, Dec. 3. num. 93.

LVIII. Sacra Scriptura laudanda, vel vituperanda hominum facta, vel ipſa iudicat, vel legentibus iudicanda proponit. Nec ſolum homines ipſos, vel laudabiles, vel vituperabiles intimans; verum etiam quędam in vituperabilibus laudanda, & in laudabilibus vituperanda non tacet. Aug. lib. 22. contra Fauſtum, cap. 65.

LIX. Pœnitentiam agere, & converti ad Dominum non ſunt idem in Sacris litteris. Rupertus in cap. 5. Oſſee.

LX. Iuxta Scripturam vnius tantùm licèt privati ſcelus redundare ſolet in totam Communitatem.

P. Ulloa, Decad. 4. num. 112.

CAPUT VII.

DECAS SEPTIMA *Regularum.*

LXI. SACRA Scriptura plerumque de virtutibus, & vitijs ſic agit, vt dum loquendo aliud inſinuat, aliud tacendo innoteſcat. Gregor. 1. Mor. cap. 5. & 6.

LXII. Sententia cùm ſine additio dicitur in Sacris litteris, ſemper bona intelligitur. Greg. 28. Mor. cap. 2.

LXIII. Sacra Scriptura aliquid dicit in quibuſdam locis, quod in illa re geſta, quam videtur commemorare, non invenitur. Auguſt. Pſalm. 77.

LXIV. Peccator, actio, reſque mala typus eſſe ſolet rei Sanctiſſimę; & Sanctus, actio bona, & res bonę typus eſſe ſolet rei pravę. P. Ulloa, Decad. 4. num. 86.

LXV. Litteralis expoſitio maximè commendatur vbi commodè fieri poteſt. Baſil. in Hexameron,congreſ. 9.

LXVI. Locum vnum Sacrę Scripturę exponere per alium eiuſdem Scripturę clariorem, optima interpretatio. Auguſt. 3.de Doctrin.Chriſtian. cap. 26.

LXVII. Nomen in Scriptura commune eſſe ſolet cauſę morali, & phyſicę. P. Ulloa,Decad. 5. num. 56.

LXVIII. Decentiſsimum eſt Myſticis Scripturarum eloquijs ſacram, & abſtruſam Cœleſtium Spirituum veritatem arcanis velamentis, & Sacratiſſimis ſignis occultare. Dionyſ. Areop. de Cœleſti Hierarch. cap. 2.

LXIX. Divinis litteris potius credendum eſt, quàm Angelis de Cœlo deſcendentibus, aut mortuis reſurgentibus. Chryſoſt. epiſt. ad Galat. cap. 1.

Nu-

LXX. Numerus ſeptenarius ſpecialitatem ſignificat in Sacra Scriptura. P. Ulloa, Decad. 4. num. 104.

CAPUT VIII.

DECAS OCTAVA *Regularum.*

LXXI. DIVINA Scriptura verarum rerum nomina aliquando tribuit rerum ſimilitudinibus. Aug. lib. 2. de Mirabilibus Sacrę Scriptur. cap. 9.

LXXII. Figuratę loquutiones Sacrę Scripturę ſuavius, & iucundius nos afficiunt, quàm ſi eadem ſententia planis verbis diceretur. Aug. 2. de Doctrina Chriſt. cap. 6.

LXXIII. Loquutiones Hyperbolicę ſunt frequentes in Sacra Scriptura: vnde non ſemper ſunt alienę à veritate, & maieſtate ſermones. P. Ulloa, Decad. 1. num. 77.

LXXIV. Nil ferè de obſcuritatibus Sacrę Scripturę eruitur, quod non planiſsimè dictum alibi reperiatur. Aug. 2. de Doctrina Chriſtian. cap. 6.

LXXV. Quod divinarum litterarum authoritate traditur ſine vlla cunctatione aſſerendum eſt. Aug. 7. de Geneſ. ad litt. cap. 1.

LXXVI. Solet Scriptura loco nominis proprij perſonarum, vrbium, aut locorum nominis ſignificationem ponere. P. Ulloa, Dec. 2. num. 25.

LXXVII. Loquutiones quędam in Sacris litteris inuſitatæ nobis magis videntur proprietatem linguę vnde translatę ſunt, repręſentare, quàm altiorem ſenſum continere. Aug. lib. 2. de Doctrina Chriſtian. cap. 13.

LXXVIII. *Antequam* ſivè *priuſquam*, ſivè *ante* licèt ſæpè conſequentiam indicent; tamen non numquam ea, quę cogitabantur oſtendit. Hieronym. adverſus Helvidium.

LXXIX. Quod multotiès eadem pœnitus verba habent multos ſenſus non vtcumque accommodatitios, morales, anagogicos, ſeu tropologicos; ſed litterales ſtrictos, atque rigoroſos. P. Ulloa, Dec. 1. num. 5.

LXXX. Hanc habet conſuetudinem ſermo Divinus, vt per tropologiam, & metaphoram hiſtoriæ exprimat veritatem. Hieronym. in Oſſee, cap. 10.

CAPUT IX.

DECAS NONA *Regularum.*

LXXXI. SACRA Scriptura ferarum nomine aliquos homines appellat propter affectiones interturbantes. Chryſoſt. in Geneſ. hom. 12.

LXXXII. Solet in Scriptura mutari nomen perſonæ, quando in hac contingit ſpecialis aliqua mutatio. P. Ulloa, Dec. 4. num. 15.

LXXXIII. Sacræ Scripturę obſcuritas, cum diverſas pariat ſententias, vtilis eſt. Auguſt. 11. de Civit. Dei cap. 19.

LXXXIV. Numquam in tota veteris teſtamenti ſerie reperimus, Angelos, qui tam ſedulo Patribus apparuerunt, cum luce apparuiſe, niſi ea nocte, quà Chriſtus natus eſt. Beda in hom. ſupr. Evang. *Paſtores loquebantur.*

LXXXV. Solet Scriptura vocare Angelos homines, qui prędſunt, & gubernant. P. Ulloa, Dec. 5. num. 76.

LXXXVI. Vetus teſtamentum eſt occultatio novi, & novum manifeſtatio veteris. Aug. de Vera Religione, cap. 17.

LXXXVII. *Omnes* pro *multi*, & *multi* pro *omnibus* frequenter in ſacris litteris ponuntur. Aug. contra Iulian.

lian. Pelagian. libro 6. capitul. 12.

LXXXVIII. Res in Scriptura ſolent habere nomen non illius, quod ſunt; ſed illius quod poſteà erunt. P. Ulloa, Dec. 5. num. 41.

LXXXIX. Omnia divina eloquia ſalubria ſunt bene intelligentibus; periculoſa ijs, qui ea volunt ad ſui cordis perverſitatem detorquere. Aug. in Pſalm. 48.

XC. In Sacris litteris nihil eſt, quod non ingentem Theſaurum contineat; modò ſcrutatorem habeat. Ideò in Sacris litteris nihil contemnatur, aut obiter prætereatur, etiam ſi nomina recenſeantur. Chryſoſt. hom. 21. & 24. in Geneſ.

CAPUT X.

DECAS DECIMA *Regularum.*

XCI. IN multorum concurſu poni ſolet ſeorſum, atque vltimo loco illud, quod maius & præcipuum eſt in ordine illo. P. Ulloa, Decad. 4. num. 95.

XCII. Apertis Sacrarum Litterarum teſtimonijs probandum eſt, quod credi volumus, & adverſus Eccleſię hoſtes illis vtendum. Auguſt. contra Epiſt. Petiliani Donatiſtæ de vnitate Eccleſiæ, cap. 19.

XCIII. Sponſi in Sacris Litteris dicuntur viri, & ſponſæ vxores, etiam ſi non concubuerint. Hieronym. in Matth. cap. 1.

XCIV. Multoties eſt modus rationalis interpretandi Scripturam recurrere ad conſuetudinem, quam in loquendo habent Scripturę. P. Ulloa, Dec. 1. num. 4.

XCV. Quę colliguntur ex Scripturis Sanctis perinde habenda ſunt, ac ſi in illis ſcripta eſſent. Greg. Naz. lib. 5. Theolog.

XCVI. Duplex ſignificandi modus traditur in ſcripturis per ſimilitudines, alter per ſimiles imagines, alter per diſſimiles formas, vt diverſa prorſus, & alia quàm videantur inſinuet. Dion. cap. 2. Cœleſti Hyerarch.

XCVII. Viri adulti ſolent vocari in Scriptura ſine improperio *pueri* præſertim quando ſervile munus obeunt. P. Ulloa, Dec. 3. num. 59.

XCVIII. Ex Sacris litteris perperam intellectis ortę ſunt hæreſes, nulla tamen eſt Scripturarum, ſed malè intelligentium culpa. Sed hoc commodi elicuit Deus, vt multa, quę latebant in Scripturis aperta ſint, hæreticis Eccleſiam exagitantibus. Hilar. de Synod. adverſus Arianos. Aug. in Pſalm. 44.

XCIX. Si locus aliquis intellectu difficilis occurrat in Sacris litteris; durus ſit ille impio; non Chriſtiano; quandoque enim ſolvetur, & fiet oleum vſque ad oſſa penetrans. Aug. in Pſalm. 44.

C. Mos Scripturæ eſt parva parvipendere, ideſt, implicitè, aut explicitè negare id, quod in genere ſuo eſt parvum, & leve, ſivè quoad numerum, ſivè quoad durationem, ſivè quoad diſtantiam. P. Ulloa, Dec. 2. num. 9.

CAPUT XI.

DECAS VNDECIMA *Regularum.*

CI. DIVINÆ litteræ non ſolum mores in ijs, qui prędicabiles ſunt, ſed eorum parentes plerumque ſolet laudare. Ambroſ. ſupr. cap. 1. Lucæ.

CII. Sententia aliqua probabilis tamdiu non eſt contra fidem, donec veritate certiſsima refellatur. Aug. lib. 1. de Geneſ. ad litt. cap. 9.

CIII. In comparationibus, ſivè in mul-

multorum concurſu ſolet Scriptura vni negare, quòd phyſicè convenit illi; collatum verò cum eo, quòd alteri, vel alteri competit, eſt longè minus. P. Ulloa, Decad. 4. num. 1.

CIV. Profunditas myſteriorum, atque iudiciorum Dei non eſt perquirenda. Ambroſ. de Vocat. Gentium, lib. 1. cap. 4.

CV. Sacræ Scripturæ locus quilibet, ſi diligenter excutiatur, ingentem doctrinæ materiam poteſt ſuppeditare. Origen. homil. 1. in Exod.

CVI. Divina eloquia tantò quiſque altiùs intelligit, quantum in eis intendit. Gregor. in Ezech. homil. 7.

CVII. Quód Scriptura loqui ſolet verbis dubitativis, & quaſi excludentibus certam ſcientiam de rebus, quas ibi dicit. P. Ulloa, Dec. 1. num. 52.

CVIII. Interrogationes quædam in Sacris Litteris, quæ negationem inferre videntur, non ſunt negativè intelligendæ. Ambroſ. de Pœnitentia, lib. 1. cap. 8.

CIX. Sacra Scriptura ea tradit, quæ ad animarum inſtructionem noſtrarum quomodocumque ſpectant: ea autem quorum pondus ferre non valemus, ſilentiò occultavit. Baſil. in Hexam. congreſſ. 9. Damaſcen. lib. 1. Fidei Orth. cap. 1.

CX. Frequentes ſunt in Scriptura repentini tranſitus de rebus temporalibus, de quibus tunc agebatur, ad res ſpirituales. P. Ulloa, Decad. 4. num. 76.

CAPUT XII.

DECAS DUODECIMA Regularum.

CXI. SPIRITUS, tàm in novo, quàm in veteri Teſtamento vbicumque ſine additamento ponitur, in bonam partem intelligitur; ex contrario malus Spiritus ſemper cum additamento legitur. Hieronym. in 1. Commentar. Michææ cap. 2.

CXII. Spiritus Prophetiæ, nec ſemper, nec eodem modo Propheræ animum tangit. Gregor. homil. 1. in Ezechiel.

CXIII. Vetus Teſtamentum quadrifariam traditur ſecundum Hiſtoriam, ſecundum Ætiologiam, ſecundum Analogiam, ſecundum Allegoriam. Auguſt. de vtilitate credendi ad Honoratum.

CXIV. Solet Scriptura enuntiare de Typis, ſeu enuntiare videtur, quod non illis, ſed per illos rebus figuratis conveniunt. P. Ulloa, Dec. 4. n. 92.

CXV. Tropologia libera eſt, & ijs tantum legibus circumſcripta, vt pietatem ſequatur, intelligentiæ, ſermoniſque contextum: neque in rebus multum inter ſe contrarijs copulandis violenta ſit, neque enim eadem eſt lex Hiſtoriæ, & Tropologiæ. V. Ruiz.

CXVI. Duo Teſtamenta vetus, & novum differunt figuris, & figuratis multitudine, ac paucitate Sacramentorum, timore, & amore, ſervitute, & libertate. Auguſt. de Vera Relig. cap. 17. de Catechiz. Rudib. cap. 4. & de Moribus Eccleſiæ cap. 28.

CXVII. Nomen ſolet eſſe commune rei, & ablationi, ſeu abolitioni, ſeu deſtructioni rei. P. Ulloa, Dec. 5. num. 75.

CXVIII. Prophetæ figura præteriti temporis ea, quæ ventura erant ſæpè cecinerunt. Quòd, & Apoſtoli etiam faciunt. Auguſt. de Sermone Domini in Monte, lib. 1. & epiſt. 80.

CXIX. Ex verbis ſenſum ſequamur, & ex ſenſu rationem, & ex ratione veritatem apprehendamus. Hylar. lib. 5. de Trinit.

CXX. Solos eos Propheras veteris Teſtamenti Sancta Scriptura nuncupat, qui prænuntiarunt Adventum

Christi, vel ad quos sermo factus est de Adventu Christi. Rupert. Abbas in cap. 1. Oseæ.

CAPUT XIII.

DECAS DECIMATERTIA *Regularum.*

CXXI. PROVERBIALES formæ Scripturæ, sicut etiam vulgares, non sunt capiendæ in rigore summulistico. P. Ulloa, Dec. 4. num. 114.

CXXII. Conandum est efficere, ne aliqua absurditas, vel repugnantia putetur esse in Scripturis Sacris, quæ opinionem Lectoris offendat. August. lib. 5. de Genes. ad litter. cap. 8.

CXXIII. Epistolæ Pauli quo tempore scriptæ sint, & quæ priùs, quæ posteriùs nosse, multum confert ad quæstiones explicandas. Chrysostom. in epist. ad Rom. homil. 1.

CXXIV. *Non vltrà* : *non amplius* solent tantùm significare minorem frequentiam, aut magnitudinem quàm antè. P. Ulloa, Dec. 1. num. 17.

CXXV. Quæ pertinent ad Fidem, & bonos mores apertè traduntur in Sacra Scriptura. August. 2. de Doctrin. Christian. cap. 9.

CXXVI. Vulgare item est vti verbis sonantibus benedictionem, sed significantibus maledictionem, & consequentèr vti verbis (etiam sine ironia) in significatione contraria communi, atque frequenti. P. Ulloa, Decad. 2. num. 45.

CXXVII. Divina Scriptura tamquam infirmis aliquando infirmiter loquitur, & tamen innuit aliquid, quod intelligat, qui voluerit. August. 5. de Genes. ad litt. cap. 6.

CXXVIII. Ad Sanctas Scripturas si admissa fuerint, vel officiosa mendacia; quid in eis remanebit authoritatis? nulla ergo suspicio mendacij admittenda est. August. ad Hieronym. epist. 11.

CXXIX. Solet Scriptura loqui de rebus, aut personis tamquam habentibus aliquid, quòd verè, ac simpliciter iam non habent; habuerunt tamen priùs. P. Ulloa, Decad. 4. num. 10.

CXXX. Nomina propria, etiam sola, si recenseantur in Sacra Scriptura, non contemnantur. Chrysostom. homil. in Genes. 24.

CAPUT XIV.

DECAS DECIMA QUARTA *Regularum.*

CXXXI. DIVINÆ Scripturæ consuetudo est eundem hominem diversis nominibus nuncupare. Hieronym. adversus Helvid.

CXXXII. Nova nomina propter aliquem eventum superadiecta solent in Scriptura transire in nomina propria, & quasi primitiva, taliaque, vt per illa discernantur personæ, aut res ab alijs. P. Ulloa, Dec. 5. num. 1.

CXXXIII. Omne quòd dicitur in Sacris Litteris quadripartita potest qualitate distingui. Aut enim mala malè, aut bona benè, aut mala benè, aut bona malè dicuntur. Gregor. 23. Mor. cap. 3.

CXXXIV. Sacra Scriptura plurima continet, quorum quædam in contrariam, quædam in diversam, quædam in ambiguam significationem accipiuntur. August. lib. 3. de Doctrin. Christian. cap. 25.

CXXXV. Regulare est in Sacra Scriptura vti verbis imprecationem, aut maledictionem sonantibus, quæ tamen re ipsa non significant maledictionem, sed vaticinium. P. Ulloa, Dec. 2. num. 41.

CXXXVI. Disputationis disci-

pli-

plina ad omnia genera quæſtionum, quæ in Litteris Sanctis ſunt penetranda, & reſolvenda, plurimum valet; ſophiſtica tamen cavenda eſt. Auguſt. lib. 2. de Doctrin. Chriſtian. cap 31.

CXXXVII. Familiare eſt Scripturæ dicere, rem tunc eſſe, quando, licèt iam olim fuerit; per effectum tamen, aut per cauſam, aut per aliam viam manifeſtum fit, rem illam eſſe. P. Ulloa, Dec. 4. num. 16.

CXXXVIII. In Teſtamento Novo penè nulla in Evangelica, aut Apoſtolica Doctrina reperiuntur, quamvis ardua Divina præcepta, & promiſſa, quæ illis veteribus deſint. Auguſt. lib. 1. Detract. cap. 22.

CXXXIX. Sacra Scriptura ex ijs, quæ tenuiter præmittit, Divina expectanda indicat, quæ ſubiungit. Gregor. 4. Mor. cap. 4.

CXL. Omnes Prophetarum repromiſsiones, quæ excedunt illius temporis mediocritatem, ad Chriſti referamus Adventum. Hieronym. in Iſaiam cap. 30.

CAPUT XV.

DECAS DECIMA QUINTA Regularum.

CXLI. MUtata rerum forma, nominiſque cauſa manet tamen antiquum nomen. P. Gaſp. Sanchez, Eſdræ 1. cap. 4. num. 22.

CXLII. Inter Hebræos participium præſentis temporis pro participio præteriti activi vſurpari ſolet. Gaſpar Sanchez, Eſdræ 2. cap. 13. num. 19.

CXLIII. Multa, quæ ſuperſtitiosè, ac impie coluit deluſa Gentilitas, piè in Eccleſiæ ſolemnitates translata ſunt. P. Gaſp. Sanchez, Tobiæ 4. num. 62.

CXLIV. Id ab aliquo ædificatum dicitur, à quo amplificatum eſt. Gaſp. Sanchez Iudith 1. num. 1.

CXLV. Prolepſis, vel anticipatio in quocumque idiomatè frequens. P. Gaſpar Sanchez, 1. Machabæor. Prolegomen. 1. num. 7.

CXLVI. Quòd Sacra Scriptura ſolet abſolutè dicere non fieri, non fuiſſe, non eſſe, non eſſe futurum id, quod licèt verè phyſicè coram Deo fiat, fuerit, ſit, aut ſit futurum; rarò tamen, aut parcè, aut non ſicut aliàs, eſſe ſolet. P. Ulloa, Decad. 1. num. 8.

CXLVII. Vel ipſi Authores Canonici inſerere ſolent ſuis ſcriptis ſententias, immo, & verba aliorum antiquiorum, quin illos nominent. P. Ulloa in Prolog. Operis.

CXLVIII. In Scriptura ſolent non numquam verba vicem gerere adverbij. P. Gaſp. Sanchez, Eſdræ 2. cap. 9. num. 6.

CXLIX. Hebræi, maximè cognati, & coniuges, fratrum ſe, & ſororum nomine ſalutant. P. Gaſpar Sanchez, Tobiæ cap. 8. num. 13.

CL. Scriptura ſæpè de Deo Humano modo loquitur. P. Gaſpar Sanchez, Tobiæ 12. num. 19.

En centum, & quiquaginta Regulas ſanè, riteque interpretandi Sacras Litteras, quas ex Patribus apud Ruizium Benedictinum, ex Cantapetrenſi, ex Sanctio, & noviſsimè ex noſtro P. Ulloa collectas dedimus; donec forſitan, Deo dante, alias fermè totidem in ſecundo huius operis Tomo noſtro, dum de ratione apte interpretandi prę loquium ſit, adiungemus: de quibus omnibus non poterit lux plurima, & legitima pro Sacris eloquijs penetrandis non affulgere.

JHS

APPARATUS
AD PALÆSTRAM BIBLICAM.
PARS QUARTA.
SECTIO PRIMA.
ADAGIALIA VETERIS TESTAMENTI.
PROOEMIUM.

ID IGITUR EST, QUOD LABOR HIC MODÒ præstat: vt nimirum, Phrases, Adagia, Adagialiaque disquirat, vbi potissimum residere solet omnis genuinæ interpretationis compago, & nexus. In quo genere cum nostræ Societatis vir longè præclarus Pater Martinus del Rio ea dexteritate insudaverit circa Testamentum vetus, vt in eo per hanc viam dilucidando sit facilè Princeps, huius viri labores sectati sumus, non densa, sed parca manu, vt quasi scintillante pulsu fulgurarent modus expositionis, seligendo ex ijs, quæ ibi eruditissimè congeruntur, ea, quæ ad id vivacius perficiendum forent famulatura.

EX GENESI.

1 COELI, & Terræ ornatus, sivè militia, cap. 2. vers. 1. *ideſt.* Ordo Sydereus, & machina creaturarum.

2 Morte, vel moriendo mori, cap. 2. vers. 17. *ideſt.* Indubitatò moriendum; quin fiat remissio.

3 Os ex ossibus meis, & caro, de carne mea, vers. 23. *ideſt.* Vinculum coniugij, consanguinitatis, vel filiationis, etiam civilitèr.

4 Scire bonum, & malum, cap. 3. vers. 5. *ideſt.* Cognitio summa.

5 Consuere folia ficus, & facere sibi perizomata, vers. 7. *ideſt.* Inutile.

vtile, & non duraturum culpę velamen.

6 Conterere caput. *ideſt.* Velox, & plena victoria.

7 Calcaneo inſidiari, verſ. 15. *ideſt.* Benè cœpta pervertere.

8 Reverti in terram, ſeu pulverem, ſeu cinerem, verſ. 19. *ideſt.* Mori.

9 In foribus eſſe, cap. 4. verſ. 7. *ideſt.* Quod inſtat, & pręſentiſsimum eſt.

10 Septuplum, ſivè ſepties, & ſeptuagies ſepties punire, vel ignoſcere, verſ. 15. & 24. *ideſt.* Vſque ad vltimum quadrantem plena vindicta.

11 Ambulare cum Deo, vel poſt Deum, vel coram Deo, cap. 5. verſ. 22. *ideſt.* Rara Sanctitas, & ſingularis.

12 Filij Dei, & Filiæ hominum, cap. 6. verſ. 11. *ideſt.* Viri alioqui boni, capti Mulierculis.

13 Quaſi Nembroth robuſtus venator coram Domino, cap. 10. verſ. 10. *ideſt.* Oppreſſor aliorum iniuſtus, aut fraudulentus.

14 Culmen pertingit ad Cœlum, cap. 11. verſ. 4. *ideſt.* Hiperbolica celſitudo.

15 Sicut pulvis terræ, arena maris, aut Stellæ Cœli, cap. 13. verſ. 16. *ideſt.* Immenſa quęlibet multitudo.

16 Levare manum ad Dominum, cap. 14. verſ. 22. *ideſt.* Signum efficacię, & veritatis in promittendo.

17 A filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ, verſ. 23. *ideſt.* Neque viliſsimum. quidpiam.

18 Ædificari ab aliquo, cap. 16. verſ. 11. *ideſt.* Generari, aut produci.

19 Onager inter homines, verſ. 12. *ideſt.* Homo ferus, & Atrox.

20 Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, verſ. 12. *ideſt.* Qui cunctos infeſtat, & ab omnibus infeſtatur.

21 Ponere buccellam panis, vèl panem, cap. 18. verſ. 5. *ideſt.* Frugale convivium.

22 Peccatum clamans ad Deum, cap. 18. verſ. 20. *ideſt.* Culpa indiſsimulabilis.

23 Sum pulvis, & cinis, verſ. 27. *ideſt.* Humana imbecillitas, digna conculcari.

24 A Puero vſque ad ſenem, cap. 19. verſ. 4. *ideſt.* Nemine dempto.

25 Reſpicere poſt tergum, verſ. 17. *ideſt.* Iuſtificatus, qui redit ad crimina.

26 Verſa in ſtatuam ſalis, verſ. 26. *ideſt.* Pharmacum Sapientiæ, & columna memoriæ.

27 In monte Dominus videbit, cap. 22. verſ. 14. *ideſt.* Spei erectio, atque roboratio.

28 Sicut Stellæ Cœli, verſ. 17. *ideſt.* Immenſa multitudo.

29 Dei Princeps, cap. 23. verſ. 6. *ideſt.* Qui in Domino dominatur.

30 Habitare, vel eſſe in medio populi, verſ. 10. *ideſt.* Princeps, vt Miniſtrum ſe gerens.

31 Ire ad dexteram, ſivè ad ſiniſtram, cap. 24. verſ. 49. *ideſt.* Quaquaverſum, & vndique.

32 Poſsidere portas inimicorum, verſ. 60. *ideſt.* Potiri divinis, & humanis in hoſtes.

33 Odor agri pleni, cap. 27. verſ. 27. *ideſt.* Odor ſuaviſsimus.

34 Heri, & nudius tertius, cap. 3. verſ. 2. *ideſt.* Tempus præteritum indefinitè.

35 Decem vicibus, verſ. 7. *ideſt.* Sæpè.

36 Percutere Matrem cum Filijs, cap. 32. verſ. 11. *ideſt.* Strages maxima.

37 Sicut arenam Maris, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Maxima multitudo.

38 Quaſi vultum Dei, cap. 33. verſ. 10. *ideſt.* Splendor pluſquam humanus.

39 Fœtere facere, cap. 34. verſ.

verſ. 30. *ideſt.* Diſplicere,& ingratum facere.

40 Viri numeri, ibid. verſ. 30. *ideſt.* Pauci, & rari.

41 Terror Dei, cap. 35. verſ. 5. *ideſt.* A Deo ſpeciatim immiſſus.

42 Nihil noſſe, præter panem quo quis veſcitur, cap. 39. verſ. 6. *ideſt.* Pater familias,qui non computat rationem dati, & accepti.

43 Levare Caput, cap. 40. verſ. 13. *ideſt.* Reſtitui priſtinæ dignitati.

44 Movere manum, aut pedem, cap. 41. verſ. 44. *ideſt.* Facere quidquam.

45 Medullam terræ comedere, cap. 45. verſ. 18. *ideſt.* Rei cuiuſque optima.

46 Dies parui, & mali, cap. 47. verſ. 9. *ideſt.* Vita triſtis, & modica.

47 Vſque ad os parvuli, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Pro libito: *à pedir de boca.*

48 Intelligere fecit manus, cap. 48. verſ. 14. *ideſt.* Actio myſterioſa,& ſignificans.

49 In gladio, & arcu meo, ex eodem cap. verſ. 22. *ideſt.* In labore, & prælio.

50 Manus in cervicibus inimicorum, cap. 49. verſ. 8. *ideſt.* Dominatio vincentis.

51 Sicut aqua, cap. 49. verſ. 4. *ideſt.* Pro cordis dolore, & æſtu liquefaciente.

52 Lavare in vino ſtolam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum, ex eodem cap.verſ.11. *ideſt.* Abundantia vini albi, & rubri.

53 Ceruus èmiſſus, ibid. cap.21. *ideſt.* Aggreſſor hoſtium intrepidus.

54 Domini iaculorum, ibid. 23. *ideſt.* Periti iaculandi.

55 Paſtor, lapis Iſrael, ibid.verſ. 24. *ideſt.* Rector, & ſtabilimentum populi.

56 Apponi, vel congregari ad populum ſuum,ibid. verſ. vltimo. *ideſt.* Mori, atque ſepeliri.

57 Nùm Deus ego? cap. 50. verſ. 19. *ideſt.* Sibi nemo innitatur.

EX LIBRO EXODI.

58 IGNORAT Ioſeph, cap.1. verſ. 9. *ideſt.* Ignorantia ingratitudinis.

59 Deus apparet in flamma, & medio rubi,cap.3.verſ. 2. *ideſt.* Tribulationibus prẹmi,& non comprimi.

60 Solve calceamentum depedibus tuis, ibid.verſ. 5. *ideſt.* Mundanorum purgatio ad contemplationem divinorum.

61 Terra fluens lactè, & melle, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Terra vberrima, & feraciſsima cunctæ alimoniæ.

62 Ægypti ſpolia eodem cap. verſ. vltimo. *Ideſt.* Poſſeſsio iniuſtorum.

63 Vir verborum, cap. 4. verſ. 10. *ideſt.* Dominator linguæ.

64 Os alicuius, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Interpres illius.

65 Eſſe Deum, vel pro Deo alicui, eod. verſ. *ideſt.* Vir prodigioſus.

66 Præbere gladium, quo occidat, cap. 5. verſ. 22. *ideſt.* Occaſio ruinæ.

67 Anguſtia ſpiritus, ex cap. 6. verſ. 9. *ideſt.* Dolor animi.

68 Incircunciſus labijs, auribus, corde, ibid. verſ. 12. & 20. *ideſt.* Superfluitas amputanda.

69 Digitus Dei eſt hic, ex cap.8. verſ. 15. *ideſt.* Dei Potentia.

70 Voces Dei, ex cap. 9. verſ. 23. *ideſt.* Tonitrua.

71 Malitia contra facies, ex cap. 10. verſ. 10. *ideſt.* Nota nequitia.

72 Tenebræ palpabiles, tenebræ Ægyptiæ, ibid. verſ. 21. *ideſt.* Spiſſamentis caligo.

73 Nec vngula, ex eodem cap. 10. verſ. 26. *ideſt.* Pecus minima.

A

74 A ſolio vſque ad molam, vel ad carcerem, ex cap. 11. verſ. 5. *ideſt.* A ſummo ad imum.

75 Non mutiet canis, ibid. verſ. 6. *ideſt.* Silentium ſummum.

76 Erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monimentum ante oculos tuos, ex cap. 13. verſ. 9. *ideſt.* Memoriale agendorum.

77 Armati, ex eod. cap. verſ. 18. *ideſt.* Pro exitu honorifico militari.

78 Egredi manu excelſa, ex cap. 24. verſ. 8. *ideſt.* Fidenter, & animosè.

79 Submergi, vel deſcendere, ſicut plumbum, vel lapis, ex cap. 15. verſ. 5. & 10. *ideſt.* Prompta ſummerſio.

80 Sicut ſtipulam devoravit, ibid. verſ. 7. *ideſt.* Velox abſumptio.

81 Tacere vt lapis, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Rudes, & ſaxei homines.

82 Ollæ carnium Ægypti, ex cap. 16. verſ. 3. *ideſt.* Illecebræ refugarum.

83 Quid eſt hoc? ibid. verſ. 15. *ideſt.* Effectus mirabilis, cuius latet cauſa, & Myſterium.

84 Portare ſuper alas Aquilarum, ex cap. 19. verſ. 4. *ideſt.* Curare aliquem cum amore, & velocitate.

85 Peculium eſſe, ex eod. cap. 19. verſ. 5. *ideſt.* Cordi eſſe alicui.

86 Munera excæcant prudentes, & ſubvertunt verba iuſtorum, ex cap. 23. verſ. 8. *ideſt.* Syncerum iudicium tollunt.

87 Caput Myrrhæ, ex cap. 30. verſ. 23. *ideſt.* Myrrha optima.

88 Flos Myrrhæ electæ, ibid. ex græco. *ideſt.* Myrrha optima.

89 Facie ad faciem loqui, ex cap. 33. verſ. 11. *ideſt.* Os ad os.

90 Noſſe ex nomine, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Magis familiarem habere.

91 Cornuta facies, cap. 34. verſ. 30. *ideſt.* Splendore coruſcans.

EX LIBRO LEVITICI.

92 EVOMERE gentes, vel homines, cap. 18. verſ. 28. *ideſt.* Abominari, & deteſtari.

93 Non maledices ſurdo, cap. 19. verſ. 14. *ideſt.* Abſenti ne detrahas.

94 Nec coram cœco pones offendiculum, ibid. *ideſt.* Simplicem ne circunvenias.

95 Non comedere placentas in populo. Item non ambulare fraudulenter, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Non eſſe Aſſentatorem, nec Detractorem.

96 Apprehendet meſsium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem, cap. 26. verſ. 5. *ideſt.* Frugum imponderabilis copia.

97 Comedetis vetuſtiſsima veterum, & vetera novis ſupervenientibus, proijcietis, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Frugum imponderabilis copia.

98 Cœlum ſicut ferrum, & terra ænea, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Aridítas terræ, & imbrium egeſtas.

99 Fugere, & cadere nemine perſequente, terreri à ſonitu folij, ibid. verſ. 17. & 36. *ideſt.* Animus nimis inquietus, & providus.

EX LIBRO NUMERORUM.

100 AMEN Amen, cap. 5. verſ. 22. *ideſt.* In veritate; & fiat, fiat.

101 Donec exeat per nares veſtras, cap. 11. verſ. 201. *ideſt.* Saturitas plurima.

102 Numquid manus Domini invalida, vel abbreviata eſt? Ibid. verſ. 23. *ideſt.* Domini potentia, & liberalitas.

103 Terra devorat habitatores ſuos, cap. 13. verſ. 33. *ideſt.* Terra inſalubris.

104 Quaſi locuſtæ præ illis, ibid. verſ. vltim. *ideſt.* Quaſi res minima, & debilis multitudo.

De-

105 Devorare ſicut panem, cap. 14. verſ. 9. *ideſt.* Victoria facilis, vel quotidiana violentia.

106 Paſtores, ſeu paſcentes, ibid. verſ. 33. *ideſt.* Interdum Tyranni, & Latrones.

107 Eruere alicui oculos, cap. 16. verſ. 14. *ideſt.* Craſſe aliquem velle decipere.

108 Nec aſſellum accipere, ibid. verſ. 18. *ideſt.* Rem minimam; neque re aliena vti.

109 Pactum ſalis, cap. 18. verſ. 19. *ideſt.* Sempiternum.

110 Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon, ſcopuli torrentium inclinati ſunt, vt requieſcerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum, cap. 21. verſ. 14. *ideſt.* Similibus delictis dare ſimiles pœnas.

111 Ignis egreſſus eſt, & flamma devoravit, ibid. verſ. 30. *ideſt.* Celere exitium.

112 Lucerna extincta, ibid. verſ. 30. *ideſt.* Status cadens, vel filius moriens.

113 Mori morte iuſtorum, cap. 23. verſ. 10. *ideſt.* Ad felicitèr reſurgendum.

114 Non eſt Deus, quaſi homo, vt mentiatur; neque vt filius hominis, vt mutetur, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Deus verax, & immutabilis eſt.

115 Vir, cuius obturatus eſt oculus, cap. 24. verſ. 3. *ideſt.* Hęreticorum, & Pręvaricatorum cæcitas.

116 Vir, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius, ibid. verſ. 4. *ideſt.* In lapſu dignoſcitur lubricum.

117 Heu quis victurus, quando iſta faciet Deus, ibid. verſ. 23. *ideſt.* Fortiſsima tribulatio.

118 Contra Solem, cap. 25. verſ. 4. *ideſt.* Palam, & ante omnes.

119 Exire, & intrare ſeu egredi, & ingredi, cap. 27. verſ. 17. *ideſt.* Cum dexteritate rem agere.

120 Sicut oves abſque paſtore, ibid. verſ. 17. *ideſt.* Populus vagus, & fuſus.

121 Clavi in oculis, & lanceæ in lateribus, cap. 33. verſ. 56. *ideſt.* Infeſtatio graviſsima.

EX LIBRO DEUTERONOMIJ.

122 SICUT ſolent apes perſequi, cap. 1. verſ. 44. *ideſt.* Perſequutio odioſa, & implacabilis.

123 Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni Verbo, quod procedit ex ore Dei, cap. 8. verſ. 3. *ideſt.* Rerum cibariarum inopia.

124 Quandiu Cœlum imminet terræ Deuteronom. cap. 11. verſ. 21. *ideſt.* Duratio ſæculorum.

125 Vxor, quæ dormit in ſinu: In ſinu eſſe, vel dormire, cap. 13. verſ. 6. *ideſt.* Perſona intima, & prædilecta.

126 Filij Belial, cap. 13. verſ. 13. *ideſt.* Viri iniqui.

127 Oculus malignans, ſeu nequam, cap. 15. verſ. 9. *ideſt.* Oculus invidi.

128 Matrem capere cum Filijs, cap. 22. verſ. 6. *ideſt.* Fructus colligendus eſt: non extirpandus.

129 Non arabis in bove, & aſsino, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Paria ab imparibus ne exigamus.

130 Non indueris veſtimento, quod ex lana, linoque contextum eſt, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Placet Deo ſimplicitas non ſolum in perſonis; ſed etiam in rebus.

131 Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas, cap. 25. verſ. 4. *ideſt.* Non fraudabis operarium mercede ſua.

132 In Caput, & non in caudam, cap. 28. verſ. 13. *ideſt.* Primum, & honorabile; non poſtremum, & vile.

133 A planta pedis vſque advertícem, ibid. verſ. 35. *ideſt.* Totus homo.

134 Esse in Proverbium, ac fabulam, ibid. vers. 37. *idest.* Miseria maxima, & stupefaciens.

135 Iugum ferreum cervici imponere, ibid. vers. 48. *idest.* Grave, & tyrannicum.

136 Fortis, seu durus faciebus; ibid. vers. 50. *idest.* Homo procax, & perfrictæ frontis.

137 Radix germinans fel, & amaritudinem, cap. 29. vers. 18. *idest.* Author sceleris.

138 Absumat èbria sitientem; ibid. vers. 19. *idest.* Peccator devorat innocentem.

139 Fumabit nasus, vel furor Domini, ibid. vers. 20. *idest.* Iustitia Dei.

140 Mel de petra, oleum de saxo, cap. 32. vers. 13. *idest.* Utilitas insperata.

141 De vinea Sodomorum, & de suburbanis Gomorrhæ, cap. 32. vers. 32. *idest.* De bona plantatione fructus iniquus.

142 Uva eorum, Uva fellis, & Botri amarissimi, fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile, eodem versic. & vers. 33. *idest.* Fuges iniquitatis.

143 Homo Dei, cap. 33. vers. 1. *idest.* Qui pro Deo est.

144 Cornua Rhinocerotis, cornua eius, cap. 33. vers. 17. *idest.* Robur iniuctum.

145 Cornu ventilare, cap. 33. vers. 17. *idest.* Victoria facillima.

146 Ferrum, & æs calceamentum, cap. 33. vers. 25. *idest.* Ferri, & æris magna abundantia.

147 Non caligavit oculus eius, nec dentes moti sunt, cap. 34. vers. 7. *idest.* Senectus vegeta.

EX LIBRO IOSUE.

148 SERVUS Domini, cap. 1. vers. 1. *idest.* Familiaris Deo, & à consilijs eius.

149 Diebus, ac noctibus, ibid. vers. 8. *idest.* Assiduè.

150 Funiculus coccineus Raab, cap. 2. vers. 17. *idest.* Signum certæ salutis.

151 Auferre opprobrium Ægypti, cap. 5. vers. 9. *idest.* De tenebris, & erroribus sæculi emergere ad lucem.

152 Dare gloriam Deo, cap. 7. vers. 19. *idest.* Dicere veritatem.

153 Quasi vir vnus, cap. 9. vers. 2. *idest.* Summa concordia.

EX LIBRO IUDICUM.

154 SICUT feci, ita reddidit mihi Deus, cap. 1. vers. 7. *idest.* Lex Talionis, sivè, quod tibi non vis, alteri ne feceris.

155 Sicut Sol in ortu suo splendet, cap. 5. vers. 31. *idest.* Luctus crescens.

156 Quasi vnum virum, cap. 6. vers. 16. *idest.* Summa concordia.

157 Nonne melior est racemus Æphraim vindemijs Abiezer? cap. 8. vers. 2. *idest.* Plus est quidpiamo ptimum, quàm plura mediocria.

158 Ponere animam suam in manibus suis, cap. 12. vers. 3. *idest.* Vita periclitans.

159 De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo, cap. 14. vers. 14. *idest.* De adverso præsidium.

160 Dulcius melle, ibidem, vers. 18. *idest.* Dulcissimum.

161 Fortior Leone, ibidem, vers. 18. *idest.* Fortissimum.

162 Arare in vitula aliena, ibidem, vers 18. *idest.* Per Muliebria media gratiam comparare.

163 Vulpes Sansonis incendiariæ, cap. 15. vers. 4. *idest.* Hæretici.

164 Suram fœmori imponere, cap. 15. verſ. 8. *ideſt.* Situs ſtupentis, & admirantis.

165 Digitum, vel manum ſuper os ponere, cap. 18. verſ. 19. *ideſt.* Silentium indicere.

166 Loqui ad cor alicuius, cap. 19. verſ. 3. *ideſt.* Blandiri, & conſolari verbis, quæ audienti ſint cordi.

167 Quaſi vir vnus, cap. 20. verſ. 1. *ideſt.* Summa concordia.

EX LIBRO RUTH.

168 MANUS Domini, cap. 1. verſ. 13. *ideſt.* Afflictio, & Plaga vehementior.

169 Dominus vobiſcum, cap. 2. verſ. 4. *ideſt.* Benedicat tibi Dominus.

170 Sub alas confugere, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Patrocinium quærere.

171 Pallium expandere ſuper aliquem, cap. 3. verſ. 9. *ideſt.* Suſcipere in tutelam.

172 Tu talis, cap. 4. verſ. 1. *ideſt.* Quidam: innominatus. *Fulano.*

173 Calceamentum ſolvere, cap. 4. verſ. 8. *ideſt.* Colere, & revereri.

EX LIBRO I. REGUM.

174 VULTUS idem, vel immutatus, cap. 1. verſ. 18. *ideſt.* Nihil adverſum.

175 & 176 Suſcitare de pulveres: elevare de ſtercore, cap. 2. verſ. 2. *ideſt.* Fauſta fortuna de adverſa.

177 Fiat voluntas Dei, cap. 3. verſ. 18. *ideſt.* Deum ſequor.

178 Numquid, & Saùl inter Prophetas, cap. 10. verſ. 13 *ideſt.* Inferior inter alios ſuperioris ordinis collocatus.

179 Filius vnius anni, cap. 13. verſ. 1. *ideſt.* Innocens.

180 Oculi ſunt illuminati, cap. 14. verſ. 27. *ideſt.* Qui de deliquio animi reviviſcit.

181 Ab impijs egredietur impietas, cap. 24. verſ. 14. *ideſt.* Impietatis contagio in bonos proſerpit.

182 Canem mortuum perſequi, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Oſtentare ſe adverſus debiles.

183 Pulicem perſequi, ibidem, verſ. 15. *ideſt.* Hominem levem, & nuſquam conſiſtentem.

184 Non relinquere mingentem ad parietem, cap. 25. verſ. 22. *ideſt.* Clades maxima, & cædes.

185 Ligari in faſciculo viventium, ibid. verſ. 29. *ideſt.* Quieta, & diuturna vita.

186 Rotari quaſi in impetu, & circulo fundæ, ibidem. *ideſt.* Vita brevis, & agitata.

187 Sicut perdix perſequitur in montibus, cap. 26. verſ. 20. *ideſt.* Studioſa, & laborioſa perſequutio.

EX LIBRO II. REGUM.

188 AQUILIS velociores, cap. 1. verſ. 23. *ideſt.* Dexteritas in venando.

189 Caput Canis, cap. 3. verſ. 8. *ideſt.* Summa vilitas, atque deſpectio.

190 Fuſum tenens, ibid. verſ. 29. *ideſt.* Animus Muliebris.

191 Cæcus, & claudus non intrabunt in Templum, cap. 5. verſ. 8. *ideſt.* Studia, & conatus animi ſuperabunt.

192 Scintillam extinguere, cap. 14. verſ. 7. *ideſt.* Filium vnicum mori.

193 Urſa raptis Catulis, cap. 17. verſ. 18. *ideſt.* Sævitia trux, & cæca.

194 Non eſt pars, cap. 20. verſ. 1. *ideſt.* Nihil commune.

Qui

295 Qui interrogant, interrogent in Abela, ibid. verſ. 18. *ideſt.* Conſilium à ſapientibus expectandum.

196 Cornu ſalutis, cap. 22. verſ. 3. *ideſt.* Qui potentèr ſalvat.

197 Funes Inferni, ibid. verſ. 6. *ideſt.* Dolores graviſsimi.

EX LIBRO III. REGUM.

198 SUB ficu ſua, & ſub vite ſua habitare, cap. 4. verſ. 25. *ideſt.* Securitas, abundantia, & delitiæ.

199 A Cedro vſque ad hyſſopum, ibid. verſ. 33. *ideſt.* A minimo, vſque ad maximum.

200 Non eſt homo, qui non peccet, cap. 8. verſ. 46. *ideſt.* Culpa excuſabilis.

201 Concilium ſenum, cap. 12. verſ. 8. *ideſt.* Conſilium ſanum.

202 Minimus digitus groſsior dorſo, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Debilitas fortior eſt robore.

203 Scorpionibus cædere, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Aculeis æreis, & ferreis.

204 Claudicare in duas partes, cap. 18. verſ. 21. *ideſt.* Eſſe inconſtantem.

205 Aut in Diverſorio eſt, aut certè dormit, ibid. verſ. 27. *ideſt.* Preces irritæ.

206 Ne glorietur accinctus æquè, vt diſcinctus, cap. 20. verſ. 11. *ideſt.* Ne ſit gloria ante certamen.

EX LIBRO IV. REGUM.

207 CURRUS Iſrael, & Auriga eius, cap. 2. verſ. 12. *ideſt.* Gubernatio, & protectio.

208 Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum; & ſi ſalutaverit te quiſpiam, non reſpondeas illi, cap. 4. verſ. 29. *ideſt.* Age quod agis.

209 A turre cuſtodum, vſque ad Civitatem munitam, cap. 17. verſ. 9. *ideſt.* In omni incolatu.

210 In baculo arundineo, & confracto ſperare, cap. 18. verſ. 21. *ideſt.* Spes falſa, & vana.

211 Venerunt filij vſque ad partum, & vires non habet parturiens, cap. 19. verſ. 3. *ideſt.* Benè cogitata, & animo reſoluta non edere.

EX LIBRO I. PARALYPOM.

112 NON in corde duplici, cap. 12. verſ. 33. *ideſt.* Syncero animo.

EX LIBRO II. PARALYPOM.

213 IN exemplum, cap. 7. verſ. 20. *ideſt.* Vide apud Delrium, Adagio 135. & per ſe patet.

214 Homo: filius hominis, cap. 13. verſ. 11. *ideſt.* Humana fragilitas.

EX LIBRO I. ESDRÆ.

215 SALIS memores, cap. 4. verſ. 14. *ideſt.* Amicitiæ, & confidentiæ tenaces.

216 Oculus Dei ſuper aliquem, cap. 5. verſ. 5. *ideſt.* Deus proſpiciens alicui.

217 Manus Domini ſuper aliquem, cap. 7. verſ. 6. *ideſt.* Deus increpans, & animadvertens.

218 Paxillum, vel clavum dare, cap. 9. verſ. 8. *ideſt.* Firmitatem oſtendere.

219 Sepem dare, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Cuſtodiam, & protectionem.

EX LIBRO II. QUI ET Nehemias.

220 AD extrema Cœli, cap. 1. verſ. 9. *ideſt.* Locus remotiſsimus.

221 Lapides in pulverem redactos reædificare, cap. 4. verſ. 2. *ideſt.* Impoſsibilitas rei.

EX LIBRO TOBIÆ.

222 TRANQUILLUM poſt tempeſtatem, cap. 3. verſ. 12. *ideſt.* Serenitas animi poſt tribulationem.

223 Sicut equus, & mulus, cap. 6. verſ. 17. *ideſt.* Effrænata libido.

EX LIBRO IUDITH.

224 UNO animo, cap. 1. verſ. 11. *ideſt.* Summa concordia.

225 Una voce, cap. 7. verſ. 18. *ideſt.* Summa concordia.

226 Labia charitatis, cap. 9. verſ. 13. *ideſt.* Amatorij Sermones.

227 Filij Titan, cap. 16. verſ. 8. *ideſt.* Robuſti homines, & invicti.

228 Anathema oblivionis, ibid. verſ. 23. *ideſt.* Monimentum proſperitatis, ſeu gratitudinis.

EX LIBRO ESTHER.

229 QUI non ſunt, cap. 14. verſ. 11. *ideſt.* Dij falſi: & ignorantes Deum.

Patibulum Aman, cap. 7. verſ. 10. Cadere in foveam à ſe factam: ſeu pati, quod parabat alteri.

230 Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua, cap. 2. verſ. 4. *ideſt.* Cuncta bona huius vitæ danda ſunt pro vita.

231 Parati ſuſcitare Leviathan, ex cap. 13. verſ. 8. *ideſt.* Aſſueti ad imprecationes malas.

232 Seminant dolores, & metunt eos, cap. 4. verſ. 8. *ideſt.* Peccatores, qui fructificant malum.

233 Qui timent pruinam, irruet, ſuper eos nix, cap. 6. verſ. 16. *ideſt.* Qui timet parum laboris, incidet in graviora.

234 In ventum verba proferre, ibid. verſ. 26. *ideſt.* Verba caſſa, & inania.

235 Aranearum tela, cap. 8. verſ. 14. *ideſt.* Plurima laboratio in re tenui.

236 Lapides excavant aquæ, cap. 14. verſ. 19. *ideſt.* Aſsiduitas, & ſi remiſſa, potens eſt.

237 Adſpergi ſulphure; ſeminari ſale, cap. 18. verſ. 15. *ideſt.* Evertere, & ſterilizare.

238 Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum, cap. 20. verſ. 24. *ideſt.* Peccator fugiens homines, & in Deum incidens.

239 Sicut aurum igne probatum. Item ſicut ſcoria, cap. 23. verſ. 10. *ideſt.* Probatio fidelis, & infidelis in Deum.

240 Levis ſuper faciem aquæ, cap. 24. verſ. 18. *ideſt.* Inſtabilitas improbi.

241 Via vinearum, cap. 24. verſ. 18. Via delitioſa, & iucunda.

242 Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, ibidem, verſ. 19. *ideſt.* Impius ab vna calamitate vertitur in aliam.

243 Sicut nix, vel ros ſolvitur, eodem verſicul. *ideſt.* Fluxa, & fugitiva fœlicitas improborum.

244 Avis ignorat, cap. 28. verſ. 7. *ideſt.* Res occultiſsima.

245 Sicut palma multiplicabo dies, cap. 29. verſ. 18. *ideſt.* Multitudo annorum.

246 In Canticum. *ideſt.* In Lamentum.

Era-

247 Frater tui draconum, & ſocius ſtructionum, ibid. verſ. 29. *ideſt.* Afflictus ſui vehementer ſine conſolatore.

248 Vnus ſerit, alius comedit, cap. 31. verſ. 8. *ideſt.* Alter alteri laborat.

249 Senes non ſemper ſapiunt, cap. 32. verſ. 9. *ideſt.* Ætas non ſemper attingit meliora.

250 Venter quaſi muſtum abſque ſpiraculo, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Sermo conceptus, & repreſſus.

251 Sicut lapis, & incus, cap. 41. verſ. 15. *ideſt.* Res valdè dura.

252 Amaltheę cornu, cap. 42. verſ. 14. *ideſt.* Bonorum copia.

EX LIBRO PSALMORUM.

253 TANQUAM pulvis, quem proijcit ventus à facie terræ, Pſalm. 1. verſ. 3. *ideſt.* Sicut ea, quę facilè huc, & illuc impelluntur.

254 Paſcere in virga ferrea, Pſal. 2. verſ. 9. *ideſt.* Imperium rigidum.

255 Tanquàm vas figuli confringe eos, ibid. *ideſt.* Irreparabiliter conteres.

256 Cubavi, dormivi, & exurrexi, Pſalm. 3. verſ. 6. *ideſt.* Vita ſecura, & ſolicitudinis expers.

257 Percutere in maxilla, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Attrox contumelia.

258 Dentes confringere, ibid. *ideſt.* Robur hoſtis debilitare.

259 In malum, quod alteri paraſti, incidere, Pſalm. 7. verſ. 16. *ideſt.* Quod tibi non vis, alteri ne feceris.

260 Cum ſonitu perire, Pſalm. 9. verſ. 8. *ideſt.* Opes iniquę citò ſurgentes, & cadentes.

261 De portis mortis, Pſalm. 9. verſ. 15. *ideſt.* Periculum inſtans vitæ.

262 Corde, & corde, (Pſalm. 11. verſ. 3. *ideſt.* Aliud verbis, aliud animo gerere.

263 Devorare ſicut eſcam panis, Pſalm. 13. verſ. 4. *ideſt.* Facilis victoria, ſeu iugis violentia.

264 Sub vmbra alarum, Pſalm. 16. verſ. 8. *ideſt.* Protectio.

265 Cuſtodire, vt pupillam oculi tui, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Res chariſsima, & ſervatiſsima.

266 Cum Sancto Sanctus eris, Pſalm. 17. verſ. 26. *ideſt.* Familiaritas communicat moribus.

267 Pedes cervorum, ibid. verſ. 34. *ideſt.* Magna celeritas.

268 Filij alieni, ibid. verſ. 46. *ideſt.* Spurij, adulterini, degeneres, & alienigenæ.

269 Sponſus procedens de thalamo, Pſalm. 18. verſ. 6. *ideſt.* Vir lætus, & hilaris habitu, & colore ſplendeſcens.

270 Vermis, & non homo vermiculus ligni, Pſalm. 21. verſ. 7. *ideſt.* Vile quidpiam, & facile conteri.

271 Tanquam cera liqueſcens, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Oppreſsio magni doloris, vehementer vrgentis.

272 Cornua vnicornium, Pſalm. 21. verſ. 22. *ideſt.* Robur invictum.

273 In medio vmbræ mortis, Pſalm. 22. verſ. 4. *ideſt.* Magnum, & imminens exitium.

274 Non eſt ſanitas in carne mea, Pſalm. 37. verſ. 4. *ideſt.* Morbus cuncta pervadens.

275 Dies palmi, Pſalm. 38. verſ. 6. *ideſt.* Dies breves, & pauci.

276 Ex luto fœcis, Pſalm. 39. verſ. 3. *ideſt.* De diſcrimine ſummo.

277 Abyſſus, & Abyſſum invocat, Pſalm. 41. verſ. 8. *ideſt.* De obſcuro, & malo in obſcuriora, & peiora.

278 In vnum, Pſalm. 47. verſ. 5. *ideſt.* Vnanimitas, & concordia.

279 Dolores, vt parturientis, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Periculoſi, & acerbi.

280 Statuere contra faciem, Pſal. 49. verſ. 21. *ideſt.* Palam alicui exprobare vitia ſua.

281 Nive candidior, Pſalm. 50. verſ. 9. *ideſt.* Res candidiſsima.

282 Dividere linguas, Pſalm. 54. verſ. 10. *ideſt.* Diſcordare ſententias.

283 Cibum cum aliquo capere, ibid. v. 5. *ideſt.* Familiaritatem habere.

284 Deſcendunt in infernum viventes, ibid. Pſalm. 54. verſ. 16. *ideſt.* Celerrima præcipitatio morientis.

285 Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum: & ipſi ſunt iacula, ibid. verſ. 22. *ideſt.* Vir duplex animo.

286 Molliti ſermones ſuper oleum, ex eodem verſ. *ideſt.* Verba blanda, & mordentia.

287. Deducere in puteum interitus, ibid. verſ. vltimo, *ideſt.* Deſerere in perditionem.

288 A vulva, & ab vtero, Pſal. 57. verſ. 4. *ideſt.* A pueritia, & infantia.

289 Aſpis ſurda obturans aures ſuas, ibid. verſ. 5. *ideſt.* Detrectator recti conſilij.

290 Sicut limax auferentur, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Cito diffluent.

291 Antequam ſpinæ rhamnus fiant, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Subito morientur, priuſquàm ſcelera cumulent.

292 Priuſquàm ollę ignem rhamni ſentiat, ibid. *ideſt.* Prompta perditio: vel irritus conatus improbi.

293 Ignis rhamni, ſeu ſpinarum, ex eod. verſ. *ideſt.* Iratus latrans, & non mordens.

294 Lavare manus in ſanguine, Pſalm. 47. verſ. 13. *ideſt.* complacentia iuſtitię.

295 Famen pati, vt canes, Pſal. 48. verſ. 7. & 16. *ideſt.* Fames graviſſima.

296 Vino compunctionis potari. Item dare poculum, vel vinum ſoporis, Pſalm. 49. verſ. 5. *ideſt.* Dolor rapiens mentem, & ſenſus.

297 Olla ſpei, vel lotionis, Pſal. 49. verſ. 10. *ideſt.* Aliquem ſibi ſubijcere vſque ad viliſsima miniſteria.

298 Tanquàm parieti inclinato, & maceriæ depulſę, Pſalm. 61. verſ. 4. *ideſt.* Imminentia damni inopinati, vel repentini.

299 Sicut adipe, & pinguedine repleri, Pſalm. 62. verſ. 6. *ideſt.* Vita affluens opibus, & delicijs.

300 In velamento alarum, ibid. 8. *ideſt.* In protectione.

301 Partes vulpium erunt, ex eodem, Pſalm. verſ. 2. *ideſt.* Trucidabuntur, vt ſint eſca vulpium.

302 Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, Pſalm. 63. verſ. 7. *ideſt.* Verſutum Conſilium converſum contra Conſultorem.

303 Sagittę parvulorum factæ ſunt plagę eorum, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Conatus irritus impotentis.

304 Tranſire per ignem, & aquam, Pſalm. 65. verſ. 12. *ideſt.* Perpeti plurima.

305 Dormire inter medios Cleros, Pſalm. 67. verſ. 14. *ideſt.* Verſari in ſummo diſcrimine, & inter ſortes acerbas.

306 Terram lingere, Pſalm. 71. verſ. 9. *ideſt.* Animi demiſsio conculcationi parata.

307 Florere ſicut fœnum terrę, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Multiplicatio magna, & ſubita.

308 Os in Cœlum ponere, Pſal. 62. verſ. 9. *ideſt.* Superis, & inferis obtrectare.

309 Lavare manus inter innocentes, ibid. verſ. 13. *ideſt.* Teſtari innocentiam.

310 Somnium ſurgentium, vel ſomnum viſionis nocturnę, ibid. verſ. 20. *ideſt.* Fœlicitas fallax, & fugax.

311 Filij Ephraim intendentes, & mittentes arcum converſi ſunt in die belli, Pſalm. 77. verſ. 9. *ideſt.* Iactabundi ſolent citius fugere in Prełlio.

312 Reddere in ſinum, Pſalm. 78. verſ. 12. *ideſt.* Vnde ortum eſt malum, eò redit.

Ce-

313 Cedros Dei, Pſalm. 79. verſ. 11. *ideſt.* Exaltatos à Deo.

314 Manus eius in cophino ſervierunt, Pſalm. 80. verſ. 7. *ideſt.* In humilibus miniſterijs, vel mendicitate verſari.

315 Vt ſtercus terrę, Pſalm. 82. verſ. 2. *ideſt.* Res longè abijectiſsima.

316 Terra oblivionis, Pſalm. 87. verſ. 13. *ideſt.* Locus damnatorum.

317 Dies Cœli, Pſalm. 88. verſ. 30. *ideſt.* Tempus benè locatum.

318 Somnus eſt, vel vt ſomnium, Pſalm. 89. verſ. 5. *ideſt.* Brevitas vitæ humanę.

319 Sicut herba tranſit, ibid. Pſalm. 89. verſ. 6. 5. *ideſt.* Inconſtantia, & brevitas vitæ.

320 Anni noſtri ſicut araneę meditabuntur, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Vita noſtra laborioſa, & leviſsima.

321 Sub pennis ſperare, Pſalm. 90. verſ. 4. *ideſt.* In protectionem cuiuſquam ſe recipere.

322 Super aſpidem, & baſiliſcum ambulare, & conculcare leonem, & draconem, ibid. verſ. 13. *ideſt.* Nihil pertimeſcat is, quem Deus protegit.

323 Cornu exaltare, Pſalm. 91. verſ. 11. *ideſt.* In ſublime efferri.

324 Vt cremium areſcere, Pſalm. 91. verſ. 4. *ideſt.* Vſque ad medullas oſsium abſumi.

325 Cinerem manducare, vel cinere cibari, ibid. verſ. 10. *ideſt.* In ſtatu pœnitentiæ verſari.

326 Potum cum fletu miſcere. Item: Lachrymæ ſunt mihi panis, ſeu cibari pane lachrymarum, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Pœnitentia amariſsima.

327 Dies mei ſicut vmbra declinarunt, ibidem, verſ. 12. *ideſt.* Dies hominis velocitèr tranſeunt.

328 Oratio Cicadæ, vel Miricæ, ibidem, verſ. 18. *ideſt.* Oratio humilis, ſedula, atque ferveſcens.

329 Renobavitur, vt aquilæ, iuventus tua, Pſalm. 102. verſ. 5. *ideſt.* Cruda, viridiſque ſenecta.

330 Secundum altitudinem Cœli à Terra, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Immenſa diſtantia.

331 Quantum diſtat ortus ab occidente, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Diſtantia ſumma.

332 Ferrum pertranſijt animam eius, Pſalm. 104. verſ. 19. *ideſt.* Dolor vehemens.

333 A terra ſuſcitare, Pſalm. 112. verſ. 7. *ideſt.* De imis ad ſumma.

334 Circumdederunt ſicut apes, Pſalm. 117. verſ. 12. *ideſt.* Moleſta, & pertinax perſecutio.

335 Ignis in ſpinis, ibid. *ideſt.* Ira velox, & vorax.

336 Lapis angularis, ibidem, verſ. 22. *ideſt.* Fundamentum ædificij, & Princeps Populi.

337 Cor pingue, ſeu incraſſatum, Pſalm. 118. verſ. 70. *ideſt.* Homo hebes, & rudis.

338 Vter in pruina, ibid. verſ. 83. *ideſt.* Res rugata, & contracta.

339 Super aurum, & Topazium, ibid. verſ. 127. *ideſt.* Dona pretioſiſsima.

340 Sagittæ acutæ, & carbones deſolatorij, Pſalm. 119. verſ. 4. *ideſt.* Calumniatores, & maledici.

341 Habitare cum habitantibus cedar, Pſalm. 119. verſ. 5. *ideſt.* Vagabundi, & profugi à Patria.

342 Seminare in lachrymis, & in exultatione metere, Pſalm. 125. verſ. 5. *ideſt.* Studere virtuti.

343 Vanum ante lucem ſurgere, Pſalm. 126. verſ. 2. *ideſt.* Rem immaturè peragere.

344 Panem doloris manducare, ex eodem, Pſalm. & verſ. 5. *ideſt.* Panem iniuſtè partum.

345 Filij excuſſorum, ibidem, verſ. 4. *ideſt.* Parentibus iuvenibus procreati.

346 Labores manuum taurum, Pſal. 127. verſ. 2. *ideſt.* De proprijs veſci.

347 Novellæ olivarum, Pſalm. 127. verſ. 3. *ideſt*. Liberi certi, & genuini, pij, ſani, & florentes.

348 Fœnum tectorum. Herba tectorum, Pſalm. 128. verſ. 6. *ideſt*. Fœnum aridum.

349 Parvulos ad petram allidere, Pſalm. 136. verſ. 9. *ideſt*. Cupiditates inſurgentes allidere.

350 Seſsio, & reſurrectio, Pſal. 138. verſ. 1. *ideſt*. Omne genus actionis.

351 Semita, & funiculus, vel via, & ſtratum, ſeu cubile, vel ſemita, & terminus, ſeu limes, ibid. verſ. 3. *ideſt*. In negotio, & otio, die, & nocte, in via, & in termino.

352 Noviſsima, & antiqua ſeu nova, & vetera, ibid. verſ. 5. *ideſt*. Omnia omninò.

353 Vir linguoſus non dirigetur in terra, Pſalm. 139. verſ. 12. *ideſt*. Vir loquax non proſperabitur.

354 Oleum peccatoris non impinguet caput, Pſalm. 140. verſ. 5. *ideſt*. Laudes impiorum averſeris.

355 Tange montes, & fumigabunt, Pſalm. 143. verſ. 5. *ideſt*. Fulmen Dei montes abſumit. Item ſuperbia occulta.

EX LIBRO PROVERBIORUM.

356 DEGLUTIRE ſicut infernus viventem, ex cap. 1. 12. *ideſt*. Præcipitata mors.

357 Fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum, Proverbiorum cap. 1. verſ. 67. *ideſt*. Dolus imprudens non habet exitum.

358 Comedere fructus viæ ſuæ, & conſilijs ſuis ſaturari, ibid. verſ. 31. *ideſt*. Eſſe ſibi Authores in malum.

359 Proſperitas ſtultos perdit, ex eodem cap. verſ. 32. *ideſt*. Sapientis eſt ferre fortunam.

360 Quærere ſicut pecuniam, & effodere ſicut theſauros, Prover. cap. 2. verſ. 4. *ideſt*. Sedulitas in quærendo, & perſeverantia in removendo adverſa.

361 Sanitas vmbilici, & irrigatio oſsium, cap. 3. verſ. 8. *ideſt*. Sanitas perfecta, & integritas hominis interioris.

362 Quem diligit Dominus, corripit, ibid. verſ. 12. *ideſt*. Correctio remedium eſt; non damnum.

363 Lignum vitæ, ibid. verſ. 18. *ideſt*. Quod vitam facit longævam, atque iucundam.

364 Non dormiunt, niſi malè fecerint: & rapitur ſomnus ab eis, niſi ſupplantaverint, cap. 4. verſ. 16. *ideſt*. Conſuetudo malè faciendi.

365 Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ex eodem cap. 4. verſ. 27. *ideſt*. Tene medium in omnibus per viam rectam, & regiam.

366 Labia diſtillantia mel, cap. 5. verſ. 3. *ideſt*. Blandum alloquium.

367 Amara quaſi abſinthium, & acuta, quaſi gladius biceps, ibid. verſ. 4. *ideſt*. Res moleſta, & lethalis.

368 Bibe aquam de ciſterna tua, ibid. verſ. 15. *ideſt*. Labore tuo fruere, & vive.

369 Cerva gratiſsima, & gratiſſimus hinnulus, ibid. verſ. 19. *ideſt*. Amor coniugalis.

370 Sponſor manum defigit, & ſe illaqueat, cap. 6. verſ. 1. *ideſt*. Ne ſpondeas ſuprà virtutem tuam.

371 Vade ad formicam piger, cap. 6. verſ. 6. *ideſt*. Eſto providus in futurum.

372 Veniet ſibi, quaſi viator, egeſtas, & pauperies, quaſi vir armatus, ibid. verſ. 11. *ideſt*. Egeſtas potenter, & celeriter conſumet pigrum.

373 Vade ad apem, ex eodem cap. ſecundum ſeptuaginta interpretes. *ideſt*. Operi mandato diligenter incumbe.

374 Non poteſt homo abſcondere ig-

ignem in ſinu, quin ardeant veſtimenta, ex eodem cap. verſ. 27. *ideſt.* Malum inteſtinum latens,& conſervatum tandem erumpit.

375 Nemo poteſt ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantę eius, ibid. verſ. 28. *ideſt.* Summa,& immediata diſcrimina vitanda ſunt.

376 Sicut bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, cap. 7. verſ. 22. *ideſt.* Ignorans periculum animę.

377 Stultus ad vincula trahitur, ibid. *ideſt.* Ad vincula iniquitatis.

378 Feſtinat avis ad laqueum, ibid. verſ. 23. *ideſt.* Incautus ad culpam.

379 Os bilingue, ſeu perverſum, cap. 8. verſ. 13. *ideſt.* Fallax.

380 Aquæ furtivę dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior, cap. 9. verſ. 17. *ideſt.* Bona malè parta malis gratioſa ſunt.

381 Aves volantes ſequi, ex eodem cap. iuxta LXX. interp. *ideſt.* Labor inanis.

382 Paſcere ventum, cap. 10. verſ. 4. *ideſt.* Irritus labor.

383 Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt, ibid. verſ. 5. *ideſt.* Providus occaſione potitur.

384 Qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis, ibid. verſ. 5. *ideſt.* Improvidus eſt confuſione dignus.

385 Stultus cæditur labijs: Stultus labijs verberabitur, ibid. verſ. 8.& verſ. 10. *ideſt.* Verba ſtulti ipſi nocebunt.

386 Vena vitę os iuſti, ibid.verſ. 11. *ideſt.* Vir iuſtus in Republica, ſcaturigo eſt omnis bonitatis.

387 Virga in dorſo eius, qui indiget corde, ibid. verſ. 13. *ideſt.* Stultus, & amens pœna indigent.

388 In multiloquio non deerit peccatum, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Verba ſuperflua aliqua ex parte ſemper offendunt.

389 Impius, vt turbo tranſiens, ibid. verſ. 25. *ideſt.* Iniquitas eſt præceps, & velox.

390 Iuſtus fundamentum ſempiternum, ex eodem verſ. *ideſt.* Iuſtus latet, ſed in ſoliditate perſiſtit.

391 Acetum dentibus, & fumus oculis, ibid. verſ. 26. *ideſt.* Res vehementer moleſta.

392 Anni impiorum breviabuntur, ibid. verſ. 27. *ideſt.* Improbitas vitiorum mortem accelerat.

393 Superbiæ comites contumelia, & contritio, cap. 11. verſ. 2. *ideſt.* Superbus irridetur, & teritur.

394 Manus in manu, manus ad manum, ibid. verſ. 21. *ideſt.* Homo ſegnis, & piger.

395 Circulus aureus in naribus ſuis, ibid. verſ. 22. *ideſt.* Ornatus excedens perſonam.

396 Poſsidere ventos, ibid. verſ. 29. *ideſt.* Dilapidator bonorum nihil iam poſsidens.

397 Putredo in oſsibus, cap. 12. verſ. 4. *ideſt.* Domeſticus, & iugis cruciatus;v. gr. in vxore diſſoluta.

398 Glorioſus indigens pane, ibid.verſ. 9.*ideſt.* Iactantia cum inopia.

399 Qui ſectatur otium, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Piger, & iners.

400 Via ſtulti recta in oculis eius, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Stultus ſequitur iudicium proprium.

401 Teſtis repentinus, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Suſpectus, conductitius, & rei plenę non cognitor.

402 Manus fortium dominabitur, ibid. verſ. 24. *ideſt.* Labor conſtans victor eſt ſemper.

403 Subſtantia feſtinata minuetur, cap. 13. verſ. 11. *ideſt.* Repentinæ divitię facilè diffluunt, ſeu dilapidantur.

404 Multi cibi in novalibus Patrum, ibid. verſ. 23. *ideſt.* Cultura, & cultus SS. PP. dat multas fruges bonæ Doctrinę.

405 Qui parcit Virgæ, odit Filium ſuum. Qui autem diligit illum, inſtanter erudit, ibid. verſ. 24. *ideſt.* Opportuna verborum,& verberum caſtigatio.

406 Vbi non ſunt boves, præſepe vaccum eſt: vbi autem plurionæ ſegetes ibi manifeſta eſt fortitudo bovis, cap. 14. verſ. 4. *ideſt.* Agricultura dat fruges:Sinè eius labore non dantur ſegetes.

407 Pauper etiam proximo odioſus: Divitis multi amici ſunt, ibid. verſ. 20. *ideſt.* Amicitia ſæculi eſt infida, & inconſtans.

408 Vita carnium, ſanitas cordis, ibid. verſ. 30. *ideſt.* Bona valetudo pendet ab animæ lætitia, & lautitia.

409 Reſponſio mollis frangit iram. Sermo durus ſuſcitat furorem, cap. 15. verſ. 1. *ideſt.* Ira manſuetudine corrigenda eſt.

410 Infernus, & perditio, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Abyſſus profunda Deo nota.

412 Ad olera vocari, ibid. verſ. 18. *ideſt.* Ad parcam Cœnam.

413 Ignis in labijs impij,cap.16. verſ. 27. *ideſt.* Vehementer iratus.

414 Correptio plus proficit apud ſapientem, quam plagæ apud ſtultum, cap. 17. verſ. 10. *ideſt.* Sapiens docilis eſt: & ſtultus durus.

415 Qui dimittit aquam, Caput eſt iurgiorum, ibid. verſ. 13. *ideſt.* Ex temulentia iurgia proficiſcuntur.

416 Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Qui ſe extollit, & ſua, veniet in deiectionem.

417 Omni tempore diligit, qui amicus eſt:Et Frater in anguſtijs comprobatur, ibid. verſ. 17. *ideſt.* Germana amicitia durat in adverſis.

418 Qui exaltat oſtium, quærit ruinam, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Vana exaltatio propinqua eſt contemptui.

419 Animus gaudens ætatem floridam facit: Spiritus triſtis exſiccat oſſa, ibid. verſ. 22. *ideſt.* Valetudo exterior pendet ab animo.

420 Oculi ſtultorum in finibus terræ, ibid. verſ. 24. *ideſt.* Oculi ſtultorum inquieti, & vagantes.

421 Stultus ſi taceat, ſapiens videtur, ibid. verſ. vltim. *ideſt.* Stultitiam minuit ſilentium.

422 Ocaſiones quærit, qui vult recedere ab amico, cap. 28. verſ. 1. *ideſt.* Amicitia falſa calumniam fingit.

423 Fraternum auxilium, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Concordia inexpugnabilis.

424 Fratrum diſcordia, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Odia inteſtina domeſticorum, & propinquorum, maximè Fratrum.

425 Mors, & vita in manu linguæ, ibid. verſ. 21. *ideſt.* Verba recta, vel iniqua dant vitam, vel interitum.

426 Qui feſtinus eſt, pedibus offendet, cap. 19. verſ. 2. *ideſt.* Non eſt inconſultò feſtinandum, & aggrediendum.

427 Ira Regis, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Ira gravis, implacabilis, & terribilis.

428 Piger abſcondit manum ſuam ſub aſcella, nec ad os illam applicat, ibid. verſ. 24. *ideſt.* Summa pigritia, & irreſolutio damnoſa.

429 Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit, ibid. verſ. 25. *ideſt.* Caſtigatio alterius lucrum eſt alteri.

430 Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æſtate, & nemo dabit, cap. 20. verſ. 4. *ideſt.* Qui quærit commodum, ne fugiat incommoda.

431 Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer, cap. 20. verſ. 11. *ideſt.* Ætas in homine nuntia eſt alterius ætatis.

432 Malum, malum eſt, dicit om-

omnis emptor, & cum receſſerit, tunc gloriabitur, ibid. verſ. 14. *ideſt.* Mercator aſtutus, & fraudulentus.

433 Os calculo implebitur, ibid. verſ. 27. *ideſt.* Mendacitas duras luet pœnas, & cruciatus.

434 Hæreditas, ad quam feſtinatur in principio, in noviſsimò benedictione carebit, ibid. verſ. 21. *ideſt.* Ante tempus non eſt anxiè optanda hereditas, & paranda nequiter.

435 Ruina eſt homini devotare Sanctos, & poſt vota retractare, ibid. verſ. 25. *ideſt.* Vota Deo ſervanda.

436 Fornicem ſuper aliquem incurvare: vel, reducere ſuper aliquem rotam, ibid. verſ. 26. *ideſt.* Vltimum, & grave exitium, quo delentur improbi per Regem iuſtum.

437 Cor Regis in manu Dei, cap. 21. verſ. 1. *ideſt.* Regibus refragari caſſum, & periculoſum eſt.

438 Cœtus Gigantùm, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Collectio impiorum, & perditorum.

439 Deſideria occidunt pigrum, ibid. verſ. 25. *ideſt.* Deſiderijs moritur piger.

440 Vir obediens loquetur victoriam, ibid. verſ. 28. *ideſt.* Verba cum factis ſunt victricia.

441 Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea, cap. 22. verſ. 6. *ideſt.* Mores primi ſemper valent.

442 Tripliciter, ibid. verſ. 20. *ideſt.* Perfectè.

443 Ne tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt Patres tui, ibid. verſ. 28. *ideſt.* Prophanas novitates ne inducito.

444 Statue cultrum in gutture tuo, cap. 23. verſ. 2. *ideſt.* Infer tibi vim, vt abſtineas à gula.

445 Panis mendacij, ibid. verſ. 3. *ideſt.* Convivia doloſa.

446 Nudior piſtillo, cap. 23. verſ. 31. *ideſt.* Prorſus egenus.

447 Mordebit, vt coluber, ibid. verſ. 32. *ideſt.* Dulcedo ebrietatis amaricatur in fine.

448 Sicut regulus venena diffundet, ibid. verſ. 32. *ideſt.* Baſiliſcus eſt vinum, & voluptas carnis.

449 Eſſe ſicut dormiens in medio mari, ibid. verſ. 24. *ideſt.* Vir vitioſus, & ſui negligens.

450 Et quaſi ſopitus Guvernator amiſſo clavo, ibid. *ideſt.* Idem, quod ſuprà.

451 Lucerna impiorum extinguetur, cap. 24. verſ. 20. *ideſt.* Generatio illorum eradicabitur.

452 Labia deoſculabitur, ibid. verſ. 26. *ideſt.* Mutua, & ſyncera benevolentiæ conteſtatio.

453 Mala aurea in lectis argenteis, cap. 25. verſ. 11. *ideſt.* Dictum, vel factum ſingulariter vtile, & pretioſum.

454 Verbum dictum ſuper rotis ſuis, ibid. *ideſt.* Quando oportunitas poſtulabit.

455 Frigus nivis in die meſsis, ibid. verſ. 13. *ideſt.* Res vehementer optabilis, & iucunda.

456 Nubes, & ventus; & pluviæ non ſequentes, ibid. verſ. 14. *ideſt.* Ampla promiſſa, ſed verbo tenùs.

457 Mel comedes, quod ſufficit, ibed. verſ. 16. *ideſt.* In dulciſsimis, & ſauviſsimis, etiam moderatio adhibenda.

458 Pretioſum facere pedem ſuum, ibid. verſ. 17. *ideſt.* Nimia familiaritas evitanda.

459 Dens putridus, & pes laſſus, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Amicus inofficioſus.

460 Acetum in nitro, ibid. verſ. 20. *ideſt.* Exacerbatio improbi ad Conſilium ſanum.

461 Tinea veſtimento, & vermis ligno, ibid. *ideſt.* Inteſtina corroſio, & cruciatus internus.

462 Prunas ſuper alicuius caput con-

congregare, ibid. verſ. 22. *ideſt.* Aliquem beneficijs conciliare nobis.

463 Mittere lapidem in acervum Mercurij, Prov. 26. verſ. 8. *ideſt.* Honor exhibitus inſipienti indecorus, & infructuoſus fortè damnandus.

464 Spina naſcitur in manu temulenti, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Quandoquid aliàs rectum, non rectè fit: vel cum imperat indignus.

465 Leo in via: Leæna in itineribus, ibid. verſ. 13. *ideſt.* Difficultates imaginariæ.

466 Auribus canem apprehendere, ibid. verſ. 17. *ideſt.* Res periculoſa.

467 Cum defecerint ligna extinguetur ignis, ibid. verſ. 20. *ideſt.* Ira quieſcit, ſublata detractione.

468 Argento ſordido vas fictile ornatum, ibid. verſ. 23. *ideſt.* Labia tumentia cum corde peſsimo.

469 Ne glorieris in craſtinum, cap. 27. verſ. 1. *ideſt.* Res infecta, ſivè non facta necdum eſt gloriæ.

470 Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua, ibid. verſ. 2. *ideſt.* Laus propria probatur nemini.

471 Melior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus, ibid. verſ. 5. *ideſt.* Melior eſt amor, qui pungit, quàm amor otioſus.

472 Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis, ibid. verſ. 6. *ideſt.* Melior eſt amor, qui elicit ſanguinem, quàm oſculum falſum.

473 Anima ſaturata calcabit favum. Anima eſſurientis etiam pro dulci amarum ſumet, ibid. verſ. 7. *ideſt.* Adepta faſtidimus: Et non adepta nos cruciant.

474 Avis tranſmigrans de nido ſuo, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Homo inconſtans, & vagus.

475 Melior eſt vicinus iuxta, quàm frater procùl, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Is, qui opitulatur, melior eſt fratre negligente.

476 Benedicere proximo voce grandi de nocte conſurgentem, ibid. verſ. 14. *ideſt.* Immodicè laudare, & adulari.

477 Tecta perſtillantia in die frigoris, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Incommoda, & intolerabilis habitatio.

478 Ventum tenere manu, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Rixoſa Mulier implacabilis.

479 Oleum dexteræ ſuæ vocabit, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Conatus in reprimendo inutiles.

480 Ferrum ferro exacuitur, ibid. verſ. 17. *ideſt.* Hominum converſatio, & convictus admodum vtilis ad ingenia.

481 Stultum in pila contundere, quaſi ptiſanas, feriente deſuper pilo, ibid. verſ. 22. *ideſt.* Nec dolore, ne ignominia corrigitur ſtultus.

482 Pro buccella panis, cap. 28. verſ. 23. *ideſt.* Res minimi pretij.

483 Virga, atque correctio tribuit ſapientiam, cap. 29. verſ. 15. *ideſt.* Puerorum ignorantia virga correctionis diſcutitur.

484 Servus verbis non poteſt erudiri, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Homo contumax dolore cogitur, vt doceatur.

485 Sanguiſugæ filiæ, cap. 30. verſ. 15. & verſ. 16. *ideſt.* Quidquid eſt inexplebile.

486 Infernus ſemper dicit, Affer, affer, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Importuna, & vehemens petitio nunquam quieſcens.

487 Os vulvæ inſaturabile, ibid. *ideſt.* Abyſſus libidinoſa.

488 Terra non ſatiatur aqua, ibid. verſ. *ideſt.* Helluones, & ebrioſi.

489 Ignis nunquam dicit: ſuffi cit, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Æſtus cuiuſcumque cupiditatis.

Via

490 Via Aquilæ in Cœlo, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Velociſsimus aſcenſus ad ſublimia.

491 Via colubri ſuper petram, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Motus nobis infeſtus: ſed incognitus initio, & fine.

492 Via Navis in medio Mari, *ideſt.* Itinera hominum in medio ſæculo ignota.

493 Via viri in adoleſcentia, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Æſtus adoleſcentiæ graditur per vias, & affectus difficiles, & incognitos.

494 Via viri in adoleſcentula ſecundum aliam lectionem, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Via incarnationis in B. Virgine MARIA, in qua, & per quam tranſivit IESUS, ſine veſtigio.

495 Via mulieris adulteræ, ibid. verſ. 20. *ideſt.* Res occulta, vel impudentia procax.

496 Servus cum regnaverit, ibidem, verſ. 22. *ideſt.* Dominatio imperioſa, & ſine amore.

497 Stultus ſaturatus cibo, ibid. verſ. 22. *ideſt.* Petulantia plena, & inverecunda.

498 Odioſa Mulier in Matrimonium aſſumpta, ibid. verſ. 23. *ideſt.* Diſcordia inteſtina, & iugis.

499 Ancilla hæres Dominæ ſuæ, ibidem. *ideſt.* Inſolentia in infimis.

500 Formicæ, Populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi, ibid. verſ. 25. *ideſt.* Debilitas provida.

501 Lepuſculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile ſuum, ibid. verſ. 26. *ideſt.* Puſillus benè vallatus.

502 Regem locuſta non habet, & egreditur vniverſa per turmas ſuas, ibid. verſ. 27. *ideſt.* Mutua concordia parium roborat parvos.

503 Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum, ibidem, verſ. 28. *ideſt.* Cultura proprij talenti exaltat homines.

504 Leo fortiſsimus beſtiarum ad nullius pavebit incurſum, ibid. verſ. 30. *ideſt.* Princeps debet eſſe magnanimus.

505 Gallus ſuccinctus lumbos, ibid. verſ. 31. *ideſt.* Princeps armatus pro ſuis.

506 Aries Dux gregis, ibid. verſ. 31. *ideſt.* Dux animoſus, & imperterritus gradiens in fortitudine ante ſuos.

507 Rex, cui nemo poteſt reſiſtere, ibid. verſ. 31. *ideſt.* Rex invictus, & invincibilis.

508 Qui fortiter præmit vberad eliciendum lac, exprimit Butyrum, ibid. verſ. 33. *ideſt.* Qui vult penetrare ad intima, inſtet, & ſuperet. Vel vt ſequens.

509 Qui vehementèr emungit, elicit ſanguinem, ibid. verſ. 33. *ideſt.* Ne quid nimis.

EX LIBRO ECCLESIASTÆ.

510 NIHIL ſub ſole novum, cap. 1. verſ. 15. *ideſt.* Cuncta in orbe currunt ordine ſuo.

511 Curvum non poteſt dirigi, ibid. verſ. 14. *ideſt.* Perverſi difficilè corriguntur.

512 Sapientis oculi in capite eius, cap. 2. verſ. 14. *ideſt.* Prævidendo, & providendo.

513 Omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniverſa ſub Cœlo, cap. 3. verſ. 1. *ideſt.* Nihil tractandum eſt, atque peragendum præter ordinem ſuum.

514 Vidi ſub ſole in loco iudicij, impietatem, & in loco iuſtitiæ, iniquitatem, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Serpit corruptela iuſtitiæ.

515 Comedere carnes ſuas, cap. 4. verſ. 5. *ideſt.* Pigrum eſſe, & otioſum.

516 Melius eſt, duos eſſe ſimul, quàm vnum. Item væ ſoli, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Præſtantior eſt fida ſocietas, quàm ſolitudo ad pericula declinanda.

Fu-

517 Funiculus triplex difficilè rumpitur, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Multitudo vnita magis reſiſtit.

518 Omnes ambulant cum Adoleſcente ſecundo, ibid. v. 15. *ideſt.* Principi iam iam Regnaturo omnes aplaudunt. Hiſpanicè: *Al Sol que nace.*

519 Multas curas ſequuntur ſomnia, cap. 5. verſ. 2. *ideſt.* Nocturna Phantaſmata miſcentur ex diurnis.

520 Ubi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, & Sermones innumeri, ibidem, verſ. 10. *ideſt.* Somnijs ne credas.

521 Excelſo, excelſior eſt alius, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Potentia ſæculi non eſt Omnipotentia.

522 Avarus non impletur pecunijs, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Avaritia eſt inſatiabilis.

523 Laborare in ventum, ibidem, verſ. 15. *ideſt.* Labor inanis.

524 Melior illo ſit abortivus, cap. 6. verſ. 3. *ideſt.* Vir infœlix, & deſpicabilis.

525 Omnis labor hominis in ore eius, ibid. verſ. 7. *ideſt.* Omnis Humana ſolicitudo indulget ventri.

526 Anima non implebitur, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Cupiditas inſatiabilis.

527 Melius eſt videre, quod cupias, quàm deſiderare, quod neſcias, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Præſtat frui præſentibus, quàm inhiare incertis, atque futuris.

528 Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, cap. 7. verſ. 7. *ideſt.* Brevis lætitia ſtultorum.

529 Melior eſt finis orationis, quàm principium, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Rectitudo verbi, & operis aſpera initia conſummat in fructu, & pace.

530 Noli eſſe iuſtus multum, ibidem, verſ. 16. *ideſt.* Virtus eſto diſcreta.

531 Ne plùs ſapias, quàm neceſſe eſt, ibid. *ideſt.* Ne captioſe, & iactanter ſophyſticeris.

532 Melior eſt canis vivus Leone mortuo, cap. 9. verſ. 4. *ideſt.* Res modica vtilis, quàm res grandior in ſtatu inutili.

533 Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Purum, & immaculatum te ſemper geras.

534 Oleum de capite tuo non deficiat, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Miſericordiæ operibus te ſemper dedito.

535 Melior eſt ſapientia fortitudine, Melior eſt ſapientia, quàm arma bellica, ibid. verſ. 16. & 18. *ideſt.* Melior eſt virtus, quàm potentia, & robur.

536 Qui in vno peccaverit, bona perdet vnguenti, ibid. verſ. 18. *ideſt.* Error vnius, vel in re vna magna ſolet eſſe perditio.

537 Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem vnguenti, cap. 10. verſ. 1. *ideſt.* A re minima damnum maximum.

538 Cor ſapientis in dextera eius: & cor ſtulti in ſiniſtra eius, ibid. verſ. 2. *ideſt.* Cogitationes, dicta, & facta ſapientis tendunt ad rectum; ſtulti verò ad iniquitatem.

539 Cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat, ibid. verſ. 3. *ideſt.* Homines de ſuo ingenio, & genio cæteros taxant.

540 Qui diſsipat ſepem, mordebit eum coluber, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Quæ legibus, & Religione recepta ſunt, periculosè moventur.

541 Qui transfert lapides, affligetur in eis, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Res amota de loco ſuo, prona eſt offenſioni.

542 Qui ſcindit ligna, vulneratur ab eis, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Nemo ſine detrimento ſuo alijs nocet.

543 Si ferrum hebetatum fuerit; multò labore exacuetur, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Difficilis eſt recuperatio virtutis.

Labor

544 Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem pergere, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Ignorantes vias errore cruciantur per invia.

545 In pigritijs humiliabitur contignatio, & infirmitate manuum perſtillabit domus, ibid. verſ. 18. Principijs obſta, ne malum creſcat.

546 Pecuniæ obediunt omnia, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Eleemoſyna cuncta impetrabit.

547 Aves Cœli portabunt vocem, & qui habet pennas, anuntiabit ſententiam, ibid. verſ. vltim. *ideſt.* De Proximo tuo, quæ dixeris, inopinatò revelabuntur.

548 Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, cap. 11. verſ. 9. *ideſt.* Dona irrevocabilitèr.

549 Da partem ſeptem, necnon, & octo, ibid. verſ. 2. *ideſt.* Dignis, & indignis largire eleemoſynam.

550 Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, quocumque loco ceciderit, ibi erit, ibidem, verſ. 3. *ideſt.* Irreparabilis, & immutabilis ruina cuiuſpiam.

551 Qui obſervat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes, nunquam metet, ibid. verſ. 4. *ideſt.* Nimia obſervatio ad agendum tollit geſta quam plura.

552 Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua, ibid. verſ. 6. *ideſt.* Opere incipiendum, & non ceſſandum.

ALTA DESCRIPTIO HOMINIS ſenio confecti.

553 TEMPUS afflictionis, cap. 11. verſ. 1. *ideſt.* Senectus.

Antequam tenebreſcant Sol, & Lumen, & Luna, & Stellæ, verſ. 2. *ideſt.* Influendo morbos propter cadentes vires.

Et antequam revertantur nubes poſt pluviam, verſ. 3. *ideſt.* Catharri inſanabiles.

Quando commovebuntur cuſtodes domus, verſ. 3. *ideſt.* Coſtæ, brachia, vel dentes.

Et nutabunt viri fortiſsimi, ibid. *ideſt.* Tibiæ, & genua labaſcent.

Et otioſæ erunt molentes imminuto numero, ibid. *ideſt.* Dentes molares, attriti, & pauciores.

Et tenebreſcent videntes per foramina, ibid. *ideſt.* Oculorum lumina obſcurabuntur.

Et claudent oſtia in platea, ibid. verſ. 4. *ideſt.* Labia cuſtodientia palatum rarius aperientur ad cibum.

In humilitate vocis molentis, ibid. *ideſt.* In tarditate reſpiraculi.

Et conſurgent ad vocem volucris, ibid. *ideſt.* Ad ſonitum paſſerculi expergefient.

Et obſurdeſcent omnes filiæ carminis, ibid. *ideſt.* Obſurdeſcent aures.

Excelſa quoque timebunt, & formidabunt in via, verſ. 5. *ideſt* Vias acclives, atque declives propter imbelles poplites.

Et florebit Amygdalus, ibid. *ideſt.* Veniet repentina canities.

Et impinguabitur locuſta, ibidem, *ideſt.* Crura podagra laborabunt.

Et diſſipabitur capparis, ibid. *ideſt.* Langueſcet æſtus libidinis.

Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, ibid. *ideſt.* Finis ſæculi, & initium æternitatis: & carcer ſepulchri.

Et circuibunt in platea plangentes, ibid. *ideſt.* Gemitus, & lachrymæ funus comitabuntur.

Rumpatur funiculus argenteus, *ideſt.* Filum vitæ.

Et recurrat vitta aurea, ibidem. *ideſt.* Et ſolvatur anima.

Et conteratur hydria ſuper fontem, ibid. *ideſt.* Et teſta corporis conteratur.

Et

Et confringatur rota ſuper ciſternam, ibid. ſub verſ. 6. *ideſt.* Et rota vitæ, quæ volvit dies, & annos decidat in ſepulchrum.

554 Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Sermo verus vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.

555 Faciendi plures libros nullus eſt finis, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Scriptio ne ſit ſuperflua, ſed ſelecta.

EX CANTICO CANTICORUM.

556 OLEUM effuſum nomentuum Cantic. cap. 1. verſ. 2. *ideſt.* Homines ſua induſtria, & labore alijs opitulantes.

557 In odorem vnguentorum currere, ibid. verſ. 4. *ideſt.* Boni exempli virtutem conſectari.

558 Nigra, ſed formoſa, ibidem, verſ. 5. *ideſt.* Pulchritudo animi non deturpatur ex eo corpore.

559 Tabernacula cedar, & pelles Salomonis, ibid. & verſ. 5. *ideſt.* Ij, qui plus habent intrinſecùs quàm forinſecùs pollicentur.

560 Vineam meam non cuſtodivi, cap. 1. verſ. 6. *ideſt.* Rem propriam parùm curare.

561 Capite vulpes parvulas, cap. 2. verſ. 15. *ideſt.* Principijs obſta.

562 Lilium inter ſpinas, ex eodem verſ. 10. *ideſt.* Qui probus eſt inter improbos.

563 Oculi Columbarum, cap. 4. verſ. 1. *ideſt.* Vir ſimplex caſtus, & innocens.

564 Hortus concluſus fons ſignatus, cap. 4. verſ. 12. *ideſt.* Pudicitia cuſtodita, & ſervata virginitas.

565 Lacte lotus, cap. 5. verſ. 12. *ideſt.* Mirabilis copia, vel magna mundities.

566 Thyrſa pulchrior, cap. 6. verſ. 3. *ideſt.* Venuſta cum ſuavitate, & maieſtate.

567 Pulchra, ſuavis, & decora ſicut Hieruſalem, ibid. *ideſt.* Pulchritudo omnibus numeris abſoluta.

568 Naſus ſicut turris Libani, cap. 7. verſ. 4. *ideſt.* Rectitudo, & æqualitas; virtuſve diſcernendi.

569 Mandragoræ dederunt odorem ſuum, ibid. verſ. vltim. *ideſt.* Sopore corripi.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

570 INFERORUM Regnum. Sap. cap. 1. verſ. 14. *ideſt.* Confuſio, & dolor.

571 Manibus, & verbis accerſire. Sap. ex eodem cap. verſ. 16. *ideſt.* Diligentèr, ſedulò, aliquid accerſere.

572 Fumus, veſtigium nubis, & nebula, cap. 2. verſ. 3. *ideſt.* Tranſitoria res, fragilis, & inconſtans.

573 Fortitudo noſtra lex iuſtitiæ, cap. 3. verſ. 2. *ideſt.* Qui adhæret Deo, fortis eſt.

574 Spuria vitulamina non dabunt radices altas, cap. 4. verſ. 3. *ideſt.* Conſilia improba non facient profectum.

575 Lanugo, quæ à vento tollitur, cap. 5. verſ. 15. *ideſt.* Res vana, & inſtantanea.

576 Spuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, ibid. *ideſt.* Homo bulla.

577 Memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis, ibid. *ideſt.* Res, quæ vix ſui veſtiguim relinquit.

578 Diadema ſpeciei, verſ. 17. *ideſt.* Specioſum.

579 Pro galea iudicium certum, verſ. 19. *ideſt.* Infallibilis, & inflexibilis fortitudo æquitatis.

580 Potentes potentèr tormenta patiuntur, cap. 6. verſ. 7. *ideſt.* Prælatorum durior punitio.

Aſsi-

581 Aſsidere foribus, cap. 6. verſ. 15. *ideſt*. Qui præſentiſsimus adeſt.

582 Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur, cap. 11. verſ. 17. *ideſt*. Culpa ſecum affert Pœnam.

583 Luto vilior, cap. 15. verſ. 10. *ideſt* Res viliſsima.

585 Vita, ludus, ſeu luſſus, ibid. verſ. 12. *ideſt*. Quaſi ſorte vivimus.

586 Hybernalis glacies, cap. 16. verſ. vltim. *ideſt*. Res planè fluxa, & nullius durationis.

587 Aqua ſupervacua, ibid. *ideſt*. Res inutilis.

588 Uſque ad Cœlum attingebat ſtans in terra, cap. 18. verſ. 16. *ideſt*. Pœna inevitabilis.

589 Bonam eſcam, cap. 19. verſ. 20. *ideſt*. Nectar, & Ambroſia, ſeu Principum epulæ.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

590 DUABUS vijs terram ingredi, ex cap. 2. verſ. 15. *ideſt*. Duobus Dominis ſervire.

591 Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, cap. 3. verſ. 22. *ideſt*. Fugienda curioſitas Divinorum.

592 Qui amat periculum, in illo peribit, ibid. verſ. 27. *ideſt*. Occaſio peccati fugienda.

593 Ne coneris contra ictum fluvij, cap. 4. verſ. 32. *ideſt*. Vitia inolita ne violenter retundas. Ne Principi reſiſtas.

594 Lignum aridum in extremo, cap. 6. verſ. 3. *ideſt*. Supervia arida, & arefaciens.

595 Amicus ſocius menſæ, ibid. verſ. 10. *ideſt*. Amicus falſus.

596 Amicus fidelis, protectio fortis: qui invenit illum, invenit theſaurum, verſ. 14. *ideſt*. Amicus verus, eſt ad omnia.

597 Amicus fidelis, medicamentum vitæ, & immortalitatis, verſ. 16. *ideſt*. Amicus verus prodeſt vitæ temporali, & futuræ.

598 Gratia dati in conſpectu omnis viventis, cap. 7. verſ. 37. *ideſt*. Eleemoſyna quibuſcumque, & donaria cuius ſunt grata.

599 In omnibus operibus tuis memorare noviſsima tua, ibid. verſ. 40. *ideſt*. Singularum rerum finem attende.

600 Vinum vetus, & Amicus antiquus, cap. 9. verſ. 14. *ideſt*. Amicus antiquus ſuavis, & fidus præ novo.

601 Longè obeſto ab homine poteſtatem habente occidendi, ibidem, verſ. 18. *ideſt*. Amicus Principis periclitabitur.

602 In medio laqueorum ingredi, ibid. verſ. 20. *ideſt*. In periculis multis verſari.

603 Super dolentium arma ambulare, eodem verſicul. *ideſt*. Periculoſa cum Potentioribus familiaritas.

604 In manu Artificum opera laudabuntur, ibid. verſ. 24. *ideſt*. Ex Artifice commendatur opus: vel ex opere Artifex.

605 Qualis Rector eſt Civitatis, tales, & inhabitantes in ea, cap. 10. verſ. 2. *ideſt*. Principes dant mores Populo.

607 Rex hodie eſt, & cras morietur, ibid. verſ. 12. *ideſt*. Tyrannus eſt brevis.

608 Brevis in volatilibus apis eſt, & initium dulçoris, habet fructus illius, cap. 11. verſ. 3. *ideſt*. Non mole corporis metiamur homines; ſed induſtria, & virtute.

609 Ante mortem ne laudes hominem quemquam, ibid. verſ. 30. Quoniam in filijs ſuis agnoſcitur vir. *ideſt*. Sola perſeverantia laudari debet. Et Pater in Filijs.

610 Non omnem hominem inducas in domum tuam, ibid. verſ. 31. *ideſt*. Familiaritas debet eſſe ſelecta.

611 Perdix in cavea, ibidem,

verſ. 32. *ideſt.* Superbus arrogans, & inquietus.

612 Ab ſcintilla vna augetur ignis, ibid. verſ. 34. *ideſt.* Res modica ſolet ingens damnum afferre.

613 Æramentum æruginat, cap. 12. verſ. 11. *ideſt.* Improbus exitum molitur benefactori.

614 Qui tetigerit picum, inquinabitur ab ea, cap. 13. verſ. 1. *ideſt.* Vitia viſcoſa ſunt conviventibus.

615 Quid communicabit cacabus ad ollam? ibid. verſ. 3. *ideſt.* Noxia ſocietas pauperis cum divite.

616 Omne animal diligit ſimile ſibi, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Amicitia cum ſimilibus ineunda.

617 Omnis caro ad ſimilem ſibi coniungetur, ibid. verſ. 20. *ideſt.* Membrum amat membro cohærere.

618 Si communicabit lupus agno aliquando, ibid. verſ. 21. *ideſt.* Inter bonos, & malos nequit dari ſocietas.

619 Quæ communicatio ſancto homini ad canem? ibid. verſ. 22. *ideſt.* Vir iuſtus quomodo communicat cum peccatore?

620 Venatio Leonis onager in extremo, ibid. verſ. 23. *ideſt.* Tenuiores præda ſunt locupletum.

621 Appoſuit tibi aquam, & ignem, cap. 14. verſ. 17. *ideſt.* Te fecit liberum.

622 Sicut gutta maris, & calculus arenæ, cap. 18. verſ. 8. *ideſt.* Finiti, & modici ad magna, & infinita eſt comparatio nulla.

623 Ardorem refrigerabit ros, ibid. verſ. 18. *ideſt.* Tribulationem temperat conſolatio.

624 Antequam loquaris, diſce, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Sciolus garrire ſolet, quæ neſcit.

625 Qui citò credit, levis eſt corde, & minorabitur, cap. 19. verſ. 3. *ideſt.* Credulitas diſpendium parat.

626 Sagitta infixa femori carnis, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Stultus inquietus donec virus evomat.

627 Concupiſcentia ſpadonis de virgine virginem, cap. 20. verſ. 2. *ideſt.* Infidelitas cuſtodientis.

628 Datus incipientis, non erit vtilis, ibid. verſ. 14. *ideſt.* Dona ſtultorum non proſunt.

629 Mutus in ore, ibid. verſ. 31. *ideſt.* Dona iudicem corrumpentia.

630 Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus, ibid. verſ. 32. *ideſt.* Res omninò infructuoſa.

631 Quaſi à facie colubri, fuge peccata, cap. 21. verſ. 2. *ideſt.* Peccatum eſt monſtrum.

632 Quaſi qui colligit lapides ſuos in hyeme. cap. 9. verſ. 9. *ideſt.* Stulto labore quidpiam moliri.

633 Stupa, vel, ſtipula collecta, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Res vilis, & conſumptibilis.

634 Vas confractum, ibid. verſ. 17. *ideſt.* Cor fatui.

635 Sarcina in via, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Res moleſta, & oneroſa.

636 In ore fatuorum cor illorum: in corde ſapientium os illorum, ibid. verſ. 39. *ideſt.* Neque dicenda, neque tacenda ſunt omnia.

637 Lapidari lapide luteo: Lapidari ſtercore boum, cap. 22. verſ. 1. & 2. *ideſt.* Ingens ignominia, & probrum coram omnibus.

638 Muſica in luctu, ibid. verſ. 5. *ideſt.* Res importuna.

639 Quaſi qui conglutinat teſtam, ibid. verſ. 7. *ideſt.* Res valdè difficilis, & inutilis.

640 Cum dormiente loquitur, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Inutilis opera.

641 Super plumbum quid gravabitur, ibid. verſ. 17. *ideſt.* Intolerabile cuiuſpiam conſortium.

642 Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij, non diſſolvetur, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Quæ-

vis

vis ſocietas vnanimis, & charitate colligata.

643 Ante ignem camini vapor;& fumus ignis inaltatur, ibid. v. 30. *ideſt.* Poſt diſsidia,& rixas, cœdes, & bella.

644 Giganteam animam, cap. 23. verſ. 5. *ideſt.* Vir ſuperbus, & peſſimus.

645 Duo genera abundant in peccatis; & tertium adducit iram, & perditionem, ibid. verſ. 21. *ideſt.* Vindicta ſtatim adeſt iracundis inconſtantibus, & adulteris.

646 Homini fornicario omnis panis dulcis, ibid. verſ. 24. *ideſt.* Effrenis, & multivola libido.

647 Aſcenſus arenoſus in pedibus veterani, cap. 25. verſ. 27. *ideſt.* Vir taciturnus, cui vxoris garrulitas eſt moleſta.

648 Non des aquæ tuæ exitum, ibid. verſ. 34. *ideſt.* Licentiam cohibe circumquaque.

649 Vaſa figuli probat fornax, ibid. verſ. 6. *ideſt.* Improbus calore crepat, & diſilit.

650 Ruſticatio de ligno oſtendit fructum illius, cap. 27. verſ. 7. *ideſt.* Fructus arboris cultura dignoſcitur, & in moribus populi concionator.

651 Volatilia ad ſibi ſimilia conveniunt, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Similis ſimilem quærit affectu, aut genere.

652 Leo venationi inſidiatur ſemper, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Pabulum de crudelitate, & voracitate continuum.

654 Stultus ſicut luna mutatur, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Inconſtantia viri in moribus, & doctrina.

655 Denudare amici myſteria deſperatio eſt animæ infelicis, ibid. verſ. 24. *ideſt.* Qui amicum prodidit, rurſus de amicitia diffidat.

656 Qui in altum mittit lapidem ſuper caput eius cadet, ibid. verſ. 28. & 29. *ideſt.* Vir noxuis, & blaſphemus à ſe ipſis pœnas luunt.

657 Plaga doloſa doloſi vulnera dividet, ibid. *ideſt.* Plaga doloſa in plagantem revertetur.

658 Qui foveam fodit, incidet in eam, ibid. verſ. 29. *ideſt.* Quod tibi non vis, alteri ne feceris.

659 Qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo, ibid. *ideſt.* Offendiculum proximum fit ruina ſibi.

660 Qui laqeuum alij ponit, peribit in illo, ibid. *ideſt.* Si laqeuum tendis, te colligabis.

661 Lingua tertia, cap. 28. verſ. 16. *ideſt.* Lingua ſuſurronis.

662 Sepi aures tuas ſpinis, ibid. verſ. 28. *ideſt.* Cuſtodi hominem interiorem tuum ab auditione noxia.

663 Ori tuo facito oſtia, & ſeras. Aurum tuum, & argentum tuum confla. Et verbis tuis facias ſtateram, & frænos ori tuo rectos,ex eodem cap. verſ. 29. *ideſt.* Habeto imperium oris, & linguæ.

664 Initium vitæ hominis:aqua, & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem, cap. 29. verſ. 28. *ideſt.* Vita humana paucis eſt contenta.

665 Appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro, cap. 30. verſ. 18. *ideſt.* Sero adveniens auxilium, & beneficium.

666 Spado complectens virginem, & ſuſpirans, ibid. verſ. 21. *ideſt.* Res ſine potentia vtendi.

667 Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium, cap. 31. verſ. 7. *ideſt.* Aurum offendiculum eſt avaris.

668 Ante grandinem præibit coruſcatio, cap. 32. verſ. 14. *ideſt.* Horrorem damnationis præibit lux brevis impiorum.

669 Quaſi in procellamaris, cap. 33. verſ. 5. *ideſt.* Inconſtantia animi.

670 Quaſi rota carri,& axis verſatilis, ibid. verſ. 5. *ideſt.* Vir citò volubilis.

671 Equus emiſſarius, ibid.

verſ. 6. *ideſt.* Vir effrænis in vitia, & prenſator inhians.

672 Duo, & duo, & vnum contra vnum, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Rerum hominum diſſonans harmonia.

673 Quaſi qui colligit acinos poſt vindemiatores, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Qui poſt alios aliquid operis faciunt, vel qui neque parcunt reliquijs.

674 Cibaria, & virga, & onus aſino, ibid. verſ. 25. *ideſt.* Servus eſt ſerviturus, alendus, & corrigendus.

675 Iugum, & lorum curvant collum purum, ex eodem verſ. *ideſt.* Dura duris domantur.

676 Apprehendit vmbram, ex cap. 34. *ideſt.* Sectantes vana ſtudia.

677 Unus Ædificans, & vnus deſtruens. Unus orans, & vnus maledicens, ibid. verſ. 28. *ideſt.* Unus, & idem in operibus moralibus ſibi contrarius.

678 Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangitur, quid proficit lavatio illius, ibid. verſ. 30. *ideſt.* Pœnitentia contriti ad crimina revertentes.

679 Nubes pluviæ in tempore ſiccitatis, cap. 25. verſ. 36. *ideſt.* Res vehementer grata in opportunitate.

680 Non omnia omnibus expediunt, cap. 37. verſ. 30. *ideſt.* Singulis non ſunt ſingula, ſed ſibi propria tempore, & loco.

681 Mihi heri, & tibi hodie, cap. 38. verſ. 23. *ideſt.* Viciſsitudo morientium, fortunæ cuiuſvis.

682 Sapientia ſcribæ in tempore vacuitatis, ibid. verſ. 25. *ideſt.* Acquiritur, & oſtenditur cum otio, & ieiunio.

683 Roſa plantata ſuper rivos aquarum, cap. 39. verſ. 18. *ideſt.* Pulchritudo ſuavis, & iugis.

684 Quaſi libanus, ibid. 19. *ideſt.* Bonæ devotionis odor, atque fragrantia.

685 Florere flores quaſi lilium, ibid. *ideſt.* De ſuave olentiſsima venuſtate.

686 A reſidente ſuper ſedem glorioſam vſque ad humiliatum in terra, & cinere, cap. 40. verſ. 3. *ideſt.* A maximo ad minimum.

687 Ab eo, qui vtitur hyacintho, & portat coronam vſque ad eum, qui operietur lino crudo, ibid. verſ. 3. *ideſt.* Idem, quod ſuprà.

688 Sicut fluvius ſiccabuntur, ibid. verſ. 13. *ideſt.* Opes iniuſtorum evaneſcentes.

689 Sicut tonitruum magnum in pluvia perſonabunt, ibid. *ideſt.* Fulgor divitis diſparens ad vindictam Domini.

690 Facultates, & virtutes exaltant cor, ibid. verſ. 26. *ideſt.* Vires, & pecunia faciunt ſuperbum.

691 Non eſt bonum omnem reverentiam obſervare, cap. 41. verſ. 20. *ideſt.* Non contradicere malo, & pudefieri ad bonum.

692 De diſcubitu in panibus, ibid. verſ. 24. *ideſt.* De victu ſemper ſoliciti.

693 Super mulierem nequam bonum eſt ſignum, cap. 42. verſ. 6. *ideſt.* Laſciva mulier, quantum vis cuſtodita, ſe prodit.

694 De veſtimentis procedit tinea, ibid. verſ. 13. *ideſt.* Malum inteſtinum.

695 Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, ibid. verſ. 14. *ideſt.* Minus nocet cuipiam vir durus, quam mulier blanda.

696 Nati quaſi non nati, cap. 44. verſ. 9. *ideſt.* Quorum vix ſuperſt memoria.

697 Vſque ad calceamenta, cap. 46. verſ. 22. *ideſt.* Vſque ad abiectiſſima quæque.

698 Adeps ſeparatus à carne, cap. 47. verſ. 2. *ideſt.* Vir iuſtus, quaſi in carne non degens.

Oſſa

699 Ossa pullulent de loco suo, cap. 49. vers. 12. *idest* Reanimentur in gloria resurrectionis ossa Sanctorum.

700 Signum in dextera manu, ibid. vers. 13. *idest*. Res cuipiam charissima.

701 Stella matutina in medio nebulæ, cap. 50. vers. 6. *idest*. Doctor illuminans.

702 Luna plena in diebus suis lucet, ibid. *idest*. Sapientia plena Doctoris in radios effunditur.

703 Sol refulgens, ibid. *idest*. Scriptura Sacra.

704 Arcus refulgens inter nebulas gloriæ, ibid. vers. 8. *idest*. Vir misericors.

705 Oliva pullulans, ibid. vers. 11. *idest*. Vir gratiloquus, & fructificans in Ecclesia.

706 Cupressus in altitudinem se extollens, cap. 51. vers. 19. *idest*. Homo rectus, & incorruptibilis.

707 Efflorvit, tamquam præcox uva, eodem vers. 11. *idest*. Eruditio, prudentia, virtusque suprà ætatem.

EX PROPHETIA ISAIÆ.

708 UMBRACULUM in vinea, & tugurium in cucumerario, ex cap. 1. vers. 8. *idest*. Eversio brevi complenda.

709 Principes Sodomorum, & populus Gomorrhæ, ibid. cap. 1. vers. 10. *idest*. Gubernatores vehementer improbi.

710 Peccata vestra vt coccinum, rubra quasi vermiculus, ibidem, vers. 18. *idest*. Maximè tetra, & inolita.

711 Bona terræ comedere, ibid. vers. 19. *idest*. Sanitate, & opulentia frui.

712 Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mixtum est aqua, ibid. vers. 22. *idest*. Corruptio bonæ doctrinæ, & sanæ prædicationis.

713 Constabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, cap. 2. vers. 4. *idest*. Instrumenta belli vertentur in instrumenta pacis.

714 Mulieres dominatæ sunt eis, cap. 3. vers. 12. *idest*. Viri effœminati.

715 In cornu filio olei, cap. 5. vers. 1. *idest*. Locus munitus, & copiosus.

716 Expectavit vt faceret uvas, & fecit labruscas, ibid. vers. 2. *idest*. Ingratus alumnus, vel vitiosa perversio.

717 Trahere iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum, ibid. vers. 18. *idest*. Pessimæ consuetudinis robur, & pondus.

718 Caudæ titionum fumigantium, cap. 7. vers. 4. *idest*. Homines vehementer minaces, & iracundi cum potentia sæculi vi peritura.

719 Butyrum, & mel comedere, ibid. vers. 15. *idest*. Prima alimonia infantium, simplicitatis index.

720 Vsque ad collum, cap. 8. vers. 8. *idest*. Calamitas valida, & penitissima.

721 Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus; Sycomoros succiderunt, sed cedros mutabimus, cap. 9. vers. 10. *idest*. Ruina cum spe restaurationis ad melius.

722 Carnem brachij sui vorare, cap. 9. vers. 20. *idest*. Dissidium intestinum ad invicem se mordentium.

723 Numquid gloriabitur securis contra eum, &c. cap. 10. vers. 15. *idest*. Insana gloriatio de viribus proprijs Deo non adscripta.

724 Aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? Ibid. & eodem vers. *idest*. Vt suprà.

725 Quomodo si elevetur virga, contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est, cap. 10. vers. 15. *idest*. Vt suprà.

Puer

726 Puer ſcribet eos, ibid. 19. verſ. *ideſt.* De numero infra decem.

727 Plaga Madian hic, & dies Madian, ibid. verſ. 26. *ideſt.* Tempus victoriæ memorabilis.

728 Computreſcet iugum à facie olei, ibid. verſ. 27. *ideſt.* Chriſtus à ſervitute nos liberans.

729 Confringet lagunculam in terrore, ibid. verſ. 33. *ideſt.* Superbiam facilè infringere.

730 Habitabit lupus cum agno, ex cap. 11. verſ. 6. 7. & 8. *ideſt.* Ferini mores manſueſcent.

731 Pardus cum hædo accubabit, ibid. *ideſt.* Innocens non devorabitur ab homine verſipelli.

732 Vitulus, & leo, & ovis ſimul morabuntur, ibid. *ideſt.* Animi multùm diſcrepantes in ſummam conſenſionem venient.

733 Puer Parvulus minabit eos, ibid. *ideſt.* Chriſtus Dominus cum ſimplicibus Doctoribus ſuis reget illos.

734 Vitulus, & vrſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum, ibid. verſ. 7. *ideſt.* Diſsimiles adunabuntur in Domino.

735 Leo ſicut bos comedet paleas, ibid. *ideſt.* Ferocia manſueſcet.

736 Delectabitur infans ſuper foramine aſpidis, &c. Et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Non nocebit ſerpens antiquus fide imbutis.

737 Contrivit Dominus baculum impiorum. Virgam dominantium, cap. 14. verſ. 5. *ideſt.* Dominus temperaxit à malis immiſsis per homines.

738 Ponam eam in poſſeſsionem ericij, ibid. verſ. 23. *ideſt.* Deſertio, & amandatio ad ſpinas, & horrores.

739 Scopabo eam in ſcopa terens, ibid. *ideſt.* Anihilabo.

740 Ex radice enim colubri eggredietur regulus, &c. Et ſemen eius abſorbens voluerem, ibid. verſ. 29. *ideſt.* Aſperiores, & ferociores poſteri, quàm parentes.

741 Finitus eſt pulvis, cap. 16. verſ. 4. *ideſt.* Florens, & turgidus ecce cadet.

742 Vocem calcantium abſtuli, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Ceſſabit canticum, & lætitia.

743 Venter ſonans quaſi cythara, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Rectificatio cordis, & cogitationum in Deum.

744 Duo, vel tria, ſivè quatuor, aut quinque, cap. 17. verſ. 6. *ideſt.* Pauci ſuperſtites.

745 Sicut aratra, & ſegetes, quæ derelicta ſunt à facie filiorum Iſrael, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Ingens timor, & fuga.

746 Cymbalum alarum, cap. 18. verſ. 1. *ideſt.* Res in ſpeciem egregia, ſed inanis.

747 Gens lineæ, lineæ, & conculcationis, ibid. verſ. 2. *ideſt.* Gens opprimenda, & quaſi de linea in lineam conterenda.

748 Angulus populorum, cap. 19. verſ. 13. *ideſt.* Principes Populi.

749 Incurvans, & retrænans, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Cuncta confuſa, & inexpedita ſenibus, & junioribus. *No avrà quien ate, y deſate.*

750 Quaſi mulieres, ibidem verſ. 16. *ideſt.* Effeminatos, & timidos.

751 Tritura mea, & Filij areæ meæ, cap. 21. verſ. 10. *ideſt.* Populi à Domino conterendi.

752 In anno mercenarij, ibidem verſ. 16. *ideſt.* Anno pleno miſerijs.

753 Sicut aſportatur gallus gallinaceus, cap. 22. verſ. 17. *ideſt.* Superbia, & iactantia facile de ſuo loco amovebitur.

754 Quaſi amictum, ſic ſublevabit te, ibid. cap. 22. verſ. 17. *ideſt.* Fa-

Facile quasi, qui pallium sublevat.

755 Quasi pilam mittet te, ibid. vers. 18. *idest*. Movebit ad nutum reciprocis vicibus.

756 Clavis super humerum, ibid. vers. 21. *idest*. Potestas Christi, & iurisdictio. Seu facultas faciendi, & impediendi aliquid.

457 Paxillus in loco fideli, ibid. vers. 23. *idest*. Princeps à Deo electus, & rectus.

758 Paxillum auferre, ibid. vers. 25. *idest*. Potestatem, & Imperium evertere.

759 Canticum meretricis, cap. 23. vers. 15. *idest*. Cantio amatoria, & illecebrosa.

760 Erit sicut populus, sic Sacerdos, cap. 24. vers. 2. *idest*. Omnimoda, sicut culpæ, sic etiam pœnę, & exitij similitudo.

761 Sicut servus, sic Dominus eius, &c. ibid. Sicut ancilla; sic domina eius, ibid. *idest*. Punitio sine acceptione personarum, sivè conditionis, aut facultatum.

762 Sicut emens sic ille, qui vendit, ibid. *idest*. Vt suprà, &c.

763 Sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit, ibid. *idest*. Vt suprà, &c.

764 Sicut qui repetit, sic qui debet, ibid. *idest*. Vt suprà, &c.

765 Qui fugerit à voce formidinis, cadet in foveam, & qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo, ibid. vers. 18. *idest*. Multiplicitas malorum sine effugio.

766 Murus, & antemurale, cap. 26. vers. 1. *idest*. Protectio Dei contra nequitias hominum.

767 Ros lucis, ibid. vers. 19. *idest*. Res valdè iucunda, & salutaris. Glorioſa Resurrectio.

768 In mensura contra mensuram, cap. 27. vers. 8. *idest*. Prout quis fecerit, sic recipiet.

769 Flos decidens, cap. 28. vers. 1. *idest*. Pulchritudo brevis, & fluxa.

770 Manda remanda, manda remanda, expecta, rexpecta, &c. Expecta, re expecta: modicum ibi, modicum ibi, ibid. vers. 10. *idest*. Inanis iussio, & inanis promissio, iuxta perfidiam iudaicam.

771 Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui, ibid. vers. 20. *idest*. Perversi, dum seriuntur, intelligunt.

771 Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, ibid. vers. 20. *idest*. Ad angustias insociabiles redigentur.

772 Pallium breve vtrumque operire non potest, ibid. vers. 20. *idest*. Vt suprà, &c.

772 Convertetur Libanus in Charmuel, &c. Et Charmuel in saltum commutabitur, cap. 29. vers. 17. *idest*. Inculta subitò culta; & quę culta sunt inculta fient.

773 Malus in vertice montium, cap. 30. vers. 17. *idest*. Vir conterritus relictus in spectaculum, & testimonium supplicij.

774 Torrens inundans, cap. 30. vers. 28. *idest*. Copia, & impetus punitionis.

775 Stultus fatua loquetur, cap. 32. vers. 6. *idest*. Homo sermone discernitur.

776 Tenebrę, & palpatio, ibid. vers. 14. *idest*. Densissima obscuritas.

777 Seminare super omnes aquas, ibid. vers. vltimo. *idest*. Prædicatio Evangelica, & fructuosissima.

778 Immittentes pedem bobis, & asini, ibid. *idest*. Fertilitas ingens.

779 Concipietis ardorem; parietis stipulam, &c. Spiritus vester, vt ignis vorabit vos, cap. 33. vers. 11. *idest*. Ira, & lascivia sese vertens in cineres.

780 Confidere super baculum arundineum confractum, cap. 36. vers. 6. *idest*. Reportare damnum, vnde spes affulgebat.

Co-

781 Comedent ſtercora ſua, & bibent vrinam pedum ſuorum, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Sima fames obſeſſorum.

782 Fodi, & bibi aquam, cap. 37. verſ. 25. *ideſt.* Quod aggreſſus ſui, feliciter terminavi.

783 Ponere circulum in naribus, & frænum in labijs, ibid. verſ. 29. *ideſt.* Ducam te, & flectam arbitratu meo.

784 In via, qua venit, per eam revertetur, ibid. verſ. 34. *ideſt.* Erit labor irritus.

785 Sicut pullus hirundinis: ſic clamabo; meditabor vt columba, cap. 38. verſ. 14. *ideſt.* Ingens mœror, & animi dolor.

786 Omnis caro fœnum, cap. 40. verſ. 6. *ideſt.* Pulchritudo humana fluxa, & brevis.

787 Quaſi ſtilla ſitulæ, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Res vilis, & inutilis.

788 Momentum ſtateræ, ibid. *ideſt.* Minimum grani additamentum.

789 Pulvis exiguus, ibid. *ideſt.* Res leviuſcula, & contemptibilis.

790 Primus, & noviſsimus, cap. 41. verſ. 4. *ideſt.* Vnus omnia præſtans.

791 Quaſi non ſint, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Res nihili habita.

792 Vermis, ibid. verſ. 14. *ideſt.* Res abiecta, & infirma.

793 Calamum quaſſatum confringere. Linum fumigans extinguere, cap. 42. verſ. 3. *ideſt.* Afflictos affligere, & miſeris miſeriam addere.

794 Cinerem paſcere, cap. 44. verſ. 20. *ideſt.* Res arida, & vaniſsima.

795 Delere, vt nubem, vel nebulam, ibid. verſ. 22. *ideſt.* Delere omnino, & facilè.

796 Væ, qui contradicit fictori ſuo. Teſta de ſamijs terræ, cap. 45. verſ. 9. *ideſt.* Divinæ Providentiæ refractarius. Lutum quid ad Deum?

797 Aratrum aranti, ibid. *ideſt.* Vt ſuprà, &c.

798 Opus abſque manibus, ibid. *ideſt.* Opus infirmum, & inutile.

799 Væ, qui dicit Patri quid generas? Et mulieri quid parturis? Ibid. verſ. 10. *ideſt.* Filij ſucenſentes parentibus.

800 Nervus ferreus cervix tua, cap. 48. verſ. 5. *ideſt.* Homo pertinax.

801 Frons ærea, ibid. *ideſt.* Populus contumax.

802 Sicut flumen, ibid. 18. *ideſt.* Maxima abundantia, & perennitas.

803 Sicut gurgites maris, ibid. *ideſt.* Copia abiens, & rediens.

804 Os ſicut gladius acutus, cap. 49. verſ. 2. *ideſt.* Lingua efficax ad perſuadendum.

805 Sagitta electa, ibid. *ideſt.* Sagitta victrix.

806 In manibus ſuis deſcribere, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Fida, atque continua cura, & recordatio.

807 Numquid tolletur à forti præda, & quod ablatum fuerit à robuſto ſalvabitur? Ibid. verſ. 23. *ideſt.* Res difficillima.

808 Facies, vt petra duriſsima, cap. 50. verſ. 7. *ideſt.* Conſtantia.

809 Attendite ad petram, vnde exciſsi eſtis, &c. Et ad cavernam laci, de qua præciſsi eſtis, cap. 51. verſ. 1. *ideſt.* Reſpicite ad Chriſtum.

810 Quaſi hortus Domini, ibid. verſ. 3. *ideſt.* Loca amæniſsima.

811 Sicut oryx illaqueatus, ibid. *ideſt.* Tepeſcens in via Domini.

812 Ebria non à vino, ibid. verſ. 21. *ideſt.* Quævis perturbatio animi.

813 Aſſur, cap. 52. verſ. 4. *ideſt.* Oppreſſor tyranus.

814 Sicut ovis ad occiſionem ducitur, &c. Et ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcit, cap. 53. verſ. 7. *ideſt.* Manſuetudo, & innocentia.

815 Vinum, & lac, cap. 55. verſ. 1. *ideſt.* Apta omnibus alimenta.

816 Pro ſaliunca aſcendet abies, & pro vrtica creſcet myrthus, ibidem, verſ. 13. *ideſt.* Qui prius noxis, & mordaces iuſti poſtmodum, & benigni.

817 Lignum aridum, cap. 56. verſ. 3. *ideſt.* Vir ſterilis induſtria, & virtute.

818 Speculatores cæci, ibidem, verſ. 10. *ideſt.* Qui dignitates, & Cathedras occupant ſine talento.

819 Canes muti non valentis latrare, ibidem, *ideſt.* Paſtores, & Doctores, qui vitia non carpunt.

820 Ventus auferet, tollet aura, cap. 57. verſ. 13. *ideſt.* Pulviſculus vento diſperſus.

821 Mare fervens, ibid. verſ. 20. *ideſt.* Fluctuatio impietatis.

822 Contorquere quaſi circulum, caput ſuum, cap. 58. verſ. 5. *ideſt.* Caput demiſſum, & incurvatum.

823 Extendere digitum, ibidem, verſ. 9 *ideſt.* Gravitèr convitiari.

824 Ova aſpidum ruperunt, cap. 59. verſ. 5. *ideſt.* Se cum hoſtibus interimere.

825 Telas araneæ texuerunt, ibidem. *ideſt.* Labor caſus, & inutilis.

826 Palpare ſicut cæcus parietem, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Denſa caligo, & ignorantia.

827 Rugire, quaſi vrſi, & quaſi Columbæ gemere, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Ferocitas in humiles, & timiditas in hoſtes.

828 Qui receſsit à malo, prædæ patuit, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Innocens devoratur à malis.

829 Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, &c. Et pro lignis æs: & pro lapidibus ferrum, cap. 60. verſ. 17. *ideſt.* Pro bonis minoribus promiſsio maiorum.

830 Sicut panus menſtruatæ, cap. 64. verſ. 6. *ideſt.* Noſtra bona opera ſæpè fordeſcunt.

831 Cadere quaſi folium, ibid. *ideſt.* Res vana caduca, & marceſcens.

832 Ponere menſam fortunæ, cap. 66. verſ. 11. *ideſt.* Vani, & nugaces, qui detrahunt providentiæ.

833 Et implentes genio mixtionem, ibid. *ideſt.* Gentilica comportatio.

834 Puer centum annorum, ibid. verſ. 20. *ideſt.* Regeneratus in Chriſto pollens prudentia ſenili. Vel ſenex vitioſus; idem.

835 Secundum dies ligni, ibid. verſ. 22. *ideſt.* Vita maximè diuturna, & tranquilla dans fructum in tempore ſuo.

836 Lupus, & agnus paſcentur ſimul, ibid. 25. *ideſt.* Diſsidia placata Pax Chriſtiana.

837 Serpenti pulvis panis eius, ibid. *ideſt.* Congruus cibus ſit vnicuique.

838 Quaſi quis excerebret canem, cap. 66. verſ. 3. *ideſt.* Demoliri, & deſtruere.

EX PROPHETIA HIEREMIÆ.

839 CIVITATEM munitam, columnam ferream, & murum æreum, ex cap. 1. verſ. 18. *ideſt.* Fortitudo Prælati, & Concionatoris.

840 Ciſternæ diſsipatæ, quæ continere non valent aquas, cap. 2. verſ. 13. *ideſt.* Inane vmbraculum, & refugium.

841 Lavare ſe nitro, & multiplicari ſibi herbam borith, ibid. verſ. 22. *ideſt.* Exquiſita lotio, & mundities.

842 Onager aſſuetus in ſolitudinem, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui, ibidem, verſ. 24. *ideſt.* Furor Humanæ concupiſcentiæ impatiens fræni, & conſilij.

843 Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, ibid. verſ. 26. *ideſt.* Summa confuſio.

644 Frons meretricis, cap. 3. verſ. 3. *ideſt.* Nota impudentiæ.

845 Novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas, cap. 4. verſ. 3. *ideſt.* Renovamini ſpiritu mentis veſtræ.

846 Lupus ad veſperam vaſtavit eos, cap. 5. verſ. 6. *ideſt.* Voracitas ſtimulata, & impunis.

847 Frigidam fecit ciſterna aquam ſuam, cap. 6. verſ. 7. *ideſt.* Pertinax ſtudium in fovenda malitia.

848 Uſque ad racemum colligent, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Nihil relictum, quod non auferatur.

849 Pax, Pax, & non erat Pax, ibid. verſ. 14. *ideſt.* Blanda alloquutio, atque falſa palpatio removens pœnitentiam.

850 Luctus vnigeniti, ibid. verſ. 26. *ideſt.* Summus, & acerbiſsimus luctus.

851 Aes, & ferrum, ibid. verſ. 28. *ideſt.* Malos Principes.

852 Potum dare aquam fellis, cap. 8. verſ. 14. *ideſt.* Mærorem, & anguſtiam.

853 Serpentes Reguli, quibus non eſt incantatio, ibid. verſ. 17. *ideſt.* Virus meluctabile, promptum, & læthiferum.

854 Numquid reſina non eſt in Galaad, aut Medicus non eſt ibi? ibid. verſ. 22. *ideſt.* Numquid non erat lex, & Sacerdos?

855 Cibare Abſynthio, cap. 9. verſ. 15. *ideſt.* Iugis afflictio, & calamitas.

856 Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ibid. verſ. 21. *ideſt.* Peccatum per ſenſus noſtros ingreditur.

857 Fornax ferrea, cap. 11. verſ. 4. *ideſt.* Vita mala, & tribulatio fervens.

858 Si cum peditibus, currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis? cap. 12. verſ. 5. *ideſt.* Audaces in maiora, cum deficiant in minoribus.

859 Avis diſcolor facta hæreditas, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Gens alioquin grata in odium verſa.

860 Seminare triticum, & ſpinas metere, ibid. verſ. 13. *ideſt.* Benefacienti non regratiari.

861 Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, cap. 8. verſ. 11. *ideſt.* Amor arctiſsimus.

862 Omnis laguncula implebitur vino, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Vindictæ furor inexhauſtus.

863 Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, ibid. verſ. 23. *ideſt.* Malitia inolita, & indurata.

864 Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum, quaſi dracones, cap. 14. verſ. 6. *ideſt.* Summus ſqualor, & aquarum penuria.

865 Occidit ei Sol, cum adhuc eſſet dies, cap. 15. verſ. 9. *ideſt.* Curſus proſperitatis, in medio ſiſtens, & interruptus triſtem eventum.

866 Numquid ſæneratur ferrum ferro? ibid. verſ. 12. *ideſt.* Duo duri non cohærebunt.

867 Quaſi mendacium aquarum infidelium, ibid. verſ. 19. *ideſt.* Plaga deſperata.

868 Scribi ſtylo ferreo in vngue adamantino, cap. 17. verſ. 1. *ideſt.* Peccatum pertinax in corde hominis, & indelebile in memoria Divina.

869 Quaſi myricæ in deſerto, ibid. verſ. 6. *ideſt.* Homines nullius frugi, & viles.

870 Perdito fovit, quæ non peperit, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Avarus incumbens in opes alienas.

871 In terra ſcribi, ibid. verſ. 13. *ideſt.* Pro nihilo haberi, & contemni.

872 Numquid deficiet de petra agri nix Libani: aut evelli poſſunt aquę erumpentes frigidæ, & defluentes? cap. 18. verſ. 14. *ideſt.* Quod à natura eſt, eſt immutabile.

873 Erit ei anima, quaſi expolium,

lium, cap. 21. verſ. 9. *ideſt.* Evadet vivus.

874 Sepultura aſini, cap. 22. verſ. 19. *ideſt.* Inſepultus, à beſtijs, Avibuſque lacerandus.

875 Paſci à vento, ibid. verſ. 22. *ideſt.* Vagum, & inſtabile domicilium.

876 Annulus in manu dextera, ibid. verſ. 24. *ideſt.* Res vehementèr chara, & pretioſa.

877 Vas fictile, atque contritum, ibid. verſ. 28. *ideſt.* Qui eſt vilis, inutilis, & infidus.

878 Quid paleis ad triticum? cap. 23. verſ. 28. *ideſt.* Doctrinæ falſæ ad veram, & prophanis ad Sacra?

879 Malleus conterens petram, ibidem, verſ. 29. *ideſt.* Verbi Dei legitima prædicatio.

880 Ficus bonæ valdè, &c. Et ficus malæ malæ valdè, cap. 24. verſ. 3. *ideſt.* Religioſus bonus optimus: & Religioſus malus vir peſsimus.

881 In Sibilum, cap. 25. verſ. 9. *ideſt.* In Fabulam, & irriſionem.

882 Celeuma quaſi calcantium concinetur, ibidem, verſ. 30. *ideſt.* Exhortatio ad calcandum.

883 Ponat te Deus ſicut Sedetiam, & ſicut Achab, cap. 29. verſ. 21. *ideſt.* Te peſsimum peſsimè tractet.

884 Vox in excelſo audita, cap. 31. verſ. 15. Intenſiſsima vociferatio.

885 Patres comederunt uvam acerbam, &c.

Et dentes filiorum obſtupuerunt, ibid. verſ. 29. *ideſt.* Patris crimen redundat in filios.

886 Cor vnum, cap. 32. verſ. 39. *ideſt.* Summa concordia.

887 Si irritum poteſt fieri pactum (Dei) &c. Cum die, & pactum (Dei) cum nocte, vt non ſit dies, & nox in tempore ſuo, cap. 33. verſ. 20. *ideſt.* Eius promiſſa firmiſsima.

888 Demergere in cæno pedes alicuius, cap. 38. verſ. 22. *ideſt.* Vir poſitus in offendiculo à ſuis, & de relictus.

889 Sicut amicitur paſtor pallio ſuo, cap. 43. verſ. 12. *ideſt.* Operimentum non protegens.

890 Sicut pediculis purgat Paſtor veſtimentum ſuum, ibid. *ideſt.* Summa diligentia ſcrutantis.

891 Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt, cap. 46. verſ. 12. *ideſt.* Colliſio fortium ruina vtriuſque.

892 Eſtote quaſi hædi ante gregem, cap. 50. verſ. 8. *ideſt.* Duces audaces, & confidentes.

893 Effuſi eſtis ſicut vituli ſuper herbam, & mugiſtis ſicut Tauri, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Superbi, & petulantes in victoria.

894 Dare manum, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Cedere vincenti.

895 Malleus vniverſæ terræ, ibid. verſ. 23. *ideſt.* Tyrannus, & vaſtator Provinciarum.

896 Quaſi ventus peſtilens, cap. 51. verſ. 1. *ideſt.* Graveolentia ſuperbiæ.

897 Pedalis præciſionis, ibidem, verſ. 13. *ideſt.* Iuſta menſura.

EX THRENIS HIEREMIÆ.

898 ARIETES non invenientes paſcua, cap. 1. litt. VAV. verſ. 6. *ideſt.* Squalidi diuturna fame.

899 Quaſi polluta menſtruis, ibidem, verſ. 17.

PHE.

ideſt. Opera ſanguinolenta, & carnalia.

900 Magna velut mare, cap. 2. verſ. 13.

MEM.

ideſt. Profunda mæſtitia.

901 Signum ad ſagittam, cap. 3. verſ. 12. litt. DALETH. *ideſt.* Is, cui omnes iniuriantur.

902 Cibare cinere, ibid. verſ. 16.

ideſt. OErumna maxima, & Pœnitentia.

903 Scutũm cordis, ibid. verſ. 65. litt. TAV. *ideſt*. Obcæcatio, & duritia.

EX PROPHETIA BARUCH.

904 SICUT dies Cœli ſuper Terram, ex Baruch, cap. 1. verſ. 2. *ideſt*. Diuturni, & pacifici.

905 Sicut trabes in domo, cap. 6. verſ. 18. *ideſt*. Homo inſulſus, & pene inſenſatus.

906 Rugiunt clamantes ſicut in cœna mortui, ibid. verſ. 31. *ideſt*. Clamor irritus.

907 Nihil poſſunt, ſicut corniculæ inter medium Cœli, & Terræ, ibid. verſ. 53. *ideſt*. Res infirma vilis, & inepta.

908 Sicut formido in cucumerario, ibid. verſ. 69. *ideſt*. Terriculamentum inane.

EX PROPHETIA EZECHIELIS.

909 QUASI ſpecies electri, ex cap. 1. verſ. 4. *ideſt*. Res puriſsima, & ſplendidiſsima.

910 Quaſi ſonum aquarum multarum, ibid. verſ. 24. *ideſt*. Vox admodum alta, & ſonora.

911 Quaſi ſonum ſublimis Dei, ibidem, *ideſt*. Vox altera fortiſsima.

912 Filius hominis, & filij hominum, cap. 2. verſ. 1. *ideſt*. Chriſtus Dominus: omnis homo.

913 Gentes apoſtatrices, ibidem, verſ. 3. *ideſt*. Peccatores veteres in malitia; quaſi turmatim illam ſectantes.

914 Cum ſcorpionibus habitas, ibid. verſ. 6. *ideſt*. Cum ſocio perfido, crudeli, & virulentiſsimo.

915 Ut adamantem, & vt ſilicem dedi faciem tuam, cap. 3. verſ. 9. *ideſt*. Robur ſemper invictum.

916 Baculus panis, cap 4. verſ. 16. *ideſt*. Robuſtæ vires.

917 Finis venit, venit finis, cap. 7. verſ. 2. & 6. *ideſt*. Exitum ſupremum, & imminens.

918 Afflictio vna, afflictio ecce venit, ibid. verſ. 5. *ideſt*. Ut ſuprà.

919 Qui emit, non lætetur, & qui vendit, non lugeat, ibid. verſ. 12. *ideſt*. Poſſeſsio rei brevis, & incerta.

920 Quaſi Columbæ convallium, ibid. verſ. 16. *ideſt*. Magnus timor, & trepidatio.

921 Omnes manus diſſolventur, &c. Et omnia genua pluent aquis, ibid. verſ. 17. *ideſt*. Vaſtus timor, & efficax.

922 Aurum eorum in ſterquilinium erit, ibid. verſ. 19. *ideſt*. Quæ putabantur pretioſa habebuntur nihili.

923 Hæc eſt lebes, nos autem carnes, cap. 11. verſ. 3. *ideſt*. Arcta, & periculoſa obſidio.

924 Vita vna, ſeu cor vnum, ibidem, verſ. 19. *ideſt*. Summa concordia.

925 Cor lapideum, & cor carneum, ibid. *ideſt*. Indocilitas, & docilitas.

926 Extendere rete, & capere in ſagena, cap. 12. verſ. 13. *ideſt*. Inſidiæ protenſæ, & inevitabiles.

927 In longum differentur dies, & peribit omnis viſio, ibid. verſ. 22. *ideſt*. Vana, & temeraria procraſtinatio.

928 Vulpes in deſertis, cap. 13. verſ. 4. *ideſt*. Hæretici occulti.

929 Linire parietem luto, abſque paleis, vel &c. Linire, abſque temperatura, ibid. verſ. 10. *ideſt*. Peſsimi Magiſtri, & Doctores falſo fucco docentes.

930 Conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manus, & cervicalia ſub capite vniverſæ ætatis, ibid. verſ. 18. *ideſt*. Concionatores paraſiti, & aſſentatores.

Cape-

931 Capere animas volantes, ibidem, verſ. 20. *ideſt.* Qui volat, intercipitur.

932 Sicut Mater, ita, & filia eius. cap. 16. verſ. 44. *ideſt.* Generatio, & educatio mores imprimunt.

933 Soror Sororum, ibid. verſ. 45. *ideſt.* Convictus, & cognatio eſt communio ſcelerum.

934 In lumborum contritione ingemiſcere, cap. 21. verſ. 6. *ideſt.* Summus dolor, & mæror animi.

935 Tabeſcet omne cor, ibidem, verſ. 7. *ideſt.* Dolores frangi, & reſolvi.

936 Plaude ſuper femur, ibidem, verſ. 12. *ideſt.* Magnitudo doloris.

937 Manus complodere, cap. 22. verſ. 13. *ideſt.* Plauſus, & gratulatio vindictæ.

938 Terra immunda; & non compluta, ibid. verſ. 24. *ideſt.* Arida, & præ ſiti ſqualida.

939 Principes Principum, cap. 23. verſ. 23. *ideſt.* Qui inter eos ſunt præſtantiſsimi.

940 Olla, cuius rubigo in ea eſt, &c. Rubigo eius non exivit ex ea, cap. 24. verſ. 6. *ideſt.* Peccati obſtinatio omnibus perſpicua.

941 Radere pulverem ab aliquo, cap. 26. verſ. 4. *ideſt.* Nihil omninò relinquere.

942 Dare in limpidiſsimam petram, ibid. verſ. 14. *ideſt.* Ponere in manifeſto.

943 Caput aromatis, cap. 27. verſ. 22. *ideſt.* Precioſiſsimum, & quaſi primum.

944 Eſſe quaſi carmen muſicum, quod ſuavi, dulcique ſono canitur, cap. 33. verſ. 32. *ideſt.* Concionatores ſonori, dulces, & non proficientes.

945 Hortus voluptatis, cap. 36. verſ. 35. *ideſt.* Res delicioſiſsima, & fertiliſsima.

946 Umbilicus terræ, cap. 38. verſ. 12. *ideſt.* Quod perfectum eſt in ipſa.

947 Peperit, & non peperit. Ex in certo Ezechielis loco. *ideſt.* Res, cui contradicitur: vel quæ aliter ſe habet, ac videtur.

EX PROPHETA DANIELIS.

948 REDACTA quaſi in favillam æſtivæ areæ, cap. 2. verſ. 35. *ideſt.* Nimis contrita, & comminuta.

949 Ferrum non poteſt teſtæ miſceri, ibid. verſ. 43. *ideſt.* Imparia coniugia.

950 Quaſi lana munda, cap. 7. verſ. 9. *ideſt.* Res candidiſsima.

951 Terram non tangere, cap. 8. verſ. 4. *ideſt.* Curſus celerrimus.

552 Deſideria, ſeu vir deſideriorum, cap. 9. verſ. 23. & cap. 10. verſ. 11. *ideſt.* Valdè deſiderans.

EX PROPHETIA OSSEE.

953 SEPIRE viam ſpinis, & maceria, cap. 2. verſ. 6. *ideſt.* Cingi adverſis, ne perdatur fœlicitas.

954 Vallem Achor ad aperiendam ſpem, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Vexatio oculos aperit.

955 Sanguis ſanguinem tetigit, cap. 4. verſ. 2. *ideſt.* Peccatum peccato accumulatum.

956 Peccata Populi mei comedent, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Diſſimulantes peccata propter lucrum.

957 In ligno ſuo interrogabit, & baculus eius anunciabit ei, ibidem, verſ. 12. *ideſt.* Irrita, & ſtolida conſultatio.

958 Sicut vacca laſciviens declinavit, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Qui iugum reſpuit.

959 Paſcet eos Dominus ſicut agnum

agnum in latitudine, ibid. *ideſt.* Ad libitum vagabuntur.

960 Ligavit eum ſpiritus in alis ſuis, ibid. verſ. 18. *ideſt.* Ruina pravi exempli in ſuperiore eſt velox in ſubditos.

961 Quaſi Panthæra Ephraim, cap. 5. verſ. 14. *ideſt.* Velox interitus.

962 Quaſi imber, cap. 6. verſ. 3. *ideſt.* Copia.

963 Quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens, ibidem, verſ. 4. *ideſt.* Res ſtatim evaneſcens.

964 Quaſi Clibanus ſuccenſus à coquente, cap. 7. verſ. 4. *ideſt.* Ardens libidine, & paratus ad ſcelus.

965 Quieſcere paululum à commiſtione fermenti, cap. 7. verſ. 4. *ideſt.* Superbia, & nequitia diſſimulata.

966 Subcinericius panis, qui non reverſatur, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Cor impœnitens.

967 Columba ſeducta non habens cor, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Magna ſtoliditas Prælati, & Patris, qui filios negligit.

968 Facti quaſi arcus doloſus, ibid. verſ. 6. *ideſt.* Hypochritæ.

669 Ventum ſeminabunt, & turbinem metent, cap. 8. verſ. 7. *ideſt.* Labores noxij.

970 Culmus ſtans non eſt in eo, ibid. *ideſt.* Virtus falſa : opes infructuoſæ : hononor indigni : conatus irriti.

971 Vas immundum, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Omnis peccator ſceleribus deditus.

972 Onager ſolitarius ſibi, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Libertinus, & licentioſus.

973 Quaſi panis lugentium, cap. 9. verſ. 4. *ideſt.* Oblatio de iniquis. Sacerdos indignè immolans.

974 Caro mea ex ipſis, ibidem, verſ. 12. *ideſt.* Teſtari ſe expertem culpæ.

975 Dicent montibus, operite nos, &c.

Et colles cadite ſuper nos, cap. 10. verſ. 8. *ideſt.* Summa rerum miſeria, & deſperatio.

976 Ephraim vitula docta diligere trituram, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Ab ineunte ætate aſſueſce labori.

977 Sicut mane tranſijt, cap. 10. verſ. 1. *ideſt.* Velociſsimè deficere, & finiri.

978 In funiculis Adam trahere, ibidem, verſ. 4. *ideſt.* In legibus, quę humana ſapiant, & charitatem.

979 Quaſi exaltans iugum ſuper maxillas, ibidem. *ideſt.* Lenis, & paterna caſtigatio.

980 Sequi Æſtum, cap. 12. verſ. 1. *ideſt.* Noxia ſectari.

981 Chanaam, ibid. verſ. 7. *ideſt.* Populi impiorum.

982 Germinans ſicut lilium, cap. 14. verſ. 6. *ideſt.* Sancti viri bonis operibus laborantes.

983 Erumpet radix eius, vt Libani, ibid. *ideſt.* Firmitas animi, & conſtantia mentis.

984 Quaſi oliva gloria eius, ibid. verſ. 7. *ideſt.* Vir bonus, & converſus ad Dominum.

985 Odor eius, vt Libani, ibid. *ideſt.* Sanctitate fragrans.

986 Memoriale illius ſicut vinum Libani, ibid. verſ. 8. *ideſt.* Memoria, & recordatio gratiſsima.

987 Ego, vt abietem virentem, ibid. verſ. 9. *ideſt.* Secura, & commoda Dei protectio.

EX PROPHETIA IOEL.

988 DENTES eius, vt dentes leonis, &c. Et molares eius, vt catuli leonis, ex cap. 1. v. 6. *ideſt.* Vaſtator avidus, & crudelis.

989 Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo, ibid. verſ. 17. *ideſt.* Excidium obſidionis vrgentis.

Qua-

990 Quaſi arca ſitiens, ibid. 20. *ideſt.* Summus ſqualor, & ſiccitas.

291 Omnes vultus redingentur in ollam, cap. 2. verſ. 6. *ideſt.* Metus graviſsimus nigre faciens vultus.

EX PROPHETA AMOS.

992 VERTEX Carmeli, ex cap. 1. verſ. 2. *ideſt.* Amœnitas, & fertilitas.

993 Tria, & quatuor, ſeu ter, & quater, ibid. verſ. 6. *ideſt.* Peccandi nullus finis.

994 Altitudo cedrorum altitudo eius, cap. 2. verſ. 9. *ideſt.* Vir procerus.

995 Fortis quaſi quercus, ibid. *ideſt.* Robuſtiſsimus.

996 Stridebo ſuper vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno, ibid. verſ. 13. *ideſt.* Gravi calamitate, & iniuria oppreſſus.

997 Eruere ex ore leonis duo crura, &c. Vel extremum auriculę, cap. 3. verſ. 12. *ideſt.* De ingenti prædatione pauculum liberare.

998 Vaccæ pingues, ſeu baſan, cap. 4. verſ. 1. *ideſt.* Fœminæ, quæ viris volunt prævalere.

999 Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus, & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber, cap. 5. verſ. 19. *ideſt.* Nec domi, nec foris vlla ſecuritas.

1000 Numquid currere queunt in petris equi, Aut arari poteſt in bubalis? cap. 6. verſ. 13. *ideſt.* De vnoquoque ea dumtaxat, quæ natura ipſis dedit, ſunt poſtulanda.

1001 Si reticebunt ad fœminas, ibid. *ideſt.* Impetus laſcivientium male ſe cohibens.

1002 Cornua nobis aſſumpſimus, ibid. verſ. 14. *ideſt.* Induere arma, & animos ad præliandum.

1003 Sicut concutitur triticum in cribro, cap. 9. verſ. 9. *ideſt.* Vindicta in malos cum ſervatione bonorum.

1004 Comprehendet arator meſſorum, &c. Et calcator uvæ mitentem ſemen, ibid. verſ. 13. *ideſt.* Tritici, & vini erit copia inexhauſta.

EX ABDIÆ PROPHETA.

1005 EXALTARI vt Aquila, & inter ſydera ponere nidum ſuum, cap. 1. verſ. 4. *ideſt.* Potentia, & dignitate pollentes, & inde ſibi proſpera pollicentes.

1006 Non erit Pyrophorus, ibid. verſ. 18. *ideſt.* Clades tam truculenta, vt nec Sacris parcat.

EX PROPHETIA IONÆ.

1007 QUI neſciunt quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam, cap. 4. verſ. 11. *ideſt.* Pueri rudes, & ignorantes.

EX PROPHETIA MICHEÆ.

1008 PONAM quaſi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea, cap. 1. verſ. 6. *ideſt.* Vrbs penitus complananda, & diruenda.

1009 Ponam in pomorum cuſtodiam agri, ibid. *ideſt.* In parvum tuguriolum.

1010 Planctus Draconum, ibid. verſ. 7. *ideſt.* Planctus vehemens, & longe manans.

1011 Luctus ſtruthionum, ibid. *ideſt.* Luctus profundus ex imis ſibilans, & anhelans.

1012 Calvitium ſicut aquilę, ibid. verſ. 16. *ideſt.* Mœſta decapillatio.

1013 Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum; & mendacium potius loquerer, cap. 2. verſ. 11. *ideſt.* Vtinam non bonè eventura forent, quę prævideo, & loquor.

Ope-

1014 Operire vultus ſuos, cap. 3. verſ. 7. *ideſt.* Confuſio, & ignominia.

1015 Ædificare Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem iniquitate, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Prælati tàm Seculares, quàm Eccleſiaſtici, qui ſunt exactores ad lucrum proprium.

1016 Congregare, quaſi fœnum areæ, cap. 4. verſ. 12. *ideſt.* Congregari ad necem.

1017 Septem, & octo, cap. 5. verſ. 5. *ideſt.* Plurimi, & infiniti.

1018 Ab illa quæ dormit in ſinu tuo, coſtodi clauſtra oris tui, cap. 7. verſ. 5. *ideſt.* Caute incede cum intimis tuis.

EX PROPHETA NAHUM.

1019 FULGURA diſcurrentia, ex cap. 2. verſ. 5. *ideſt.* Summa velocitas.

1020 Sicut ficus cum groſsis, cap. 3. verſ. 12. *ideſt.* Res caduca, & fluxa.

EX PROPHETA ABACUC.

1021 FACTUM eſt iudicium, & contradictio potentior, ex cap. 1. verſ. 3. *ideſt.* Iniquitas prævalens æquitati.

1022 Quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens Principem, ibid. verſ. 4. *ideſt.* Populus quaſi auxilio Dei deſtitutus.

1023 Quomodo vinum potantem decipit, cap. 2. verſ. 5. *ideſt.* Humana proſperitas eſt fallax.

1024 Dilatavit quaſi Infernus animam ſuam. Et quaſi mors non adimpletur, ibid. *ideſt.* Inſaturabilis cupiditas, & ambitio dominationis.

1025 Lapis de pariete clamavit, & lignum, quod, &c. Inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit, ibidem verſ. 11. *ideſt.* Id facinus, quod latere non poterit.

EX PROPHETIA SOPHONIÆ.

1026 INDUI veſte peregrina, ex cap. 1. verſ. 8. *ideſt.* Tranſire de factione in factionem.

1027 Involuti argento, ibid. verſ. 11. *ideſt.* Viri opulenti plus opibus quam Deo fidentes.

1028 Scrutari in lucernis, ibid. verſ. 12. *ideſt.* Sedula, & accurata luſtratio.

1029 Defixi in fœcibus, idid. *ideſt.* Homo, qui pacem habet in opulentia, & commoditatibus ſuis.

1030 Labium electum, cap. 3. verſ. 9. *ideſt.* Lingua fidei, & charitatis vinculo colligata.

1031 Humero vno, idid. *ideſt.* Summa concordia.

1032 Nugæ, ibid. verſ. 18. *ideſt.* Homines nugaces, & vani.

EX PROPHETIA AGGÆI.

1033 MITTERE in ſaculum pertuſum, ex cap. 1. verſ. 6. *ideſt.* In vanum laborare.

EX PROPHETIA ZACHARIÆ.

1034 MURUS ignis in circuitu, ex cap. 2. verſ. 5. *ideſt.* Protectio Dei inexpugnabilis, & hoſtes territans.

1035 Torris erutus de igne, cap. 3. verſ. 2. *ideſt.* Homo de medio periculo ereptus.

1036 Mons magnus. Lapis primarius, cap. 4. verſ. 7. *ideſt.* Boni Principes, & Fundatores Sancti.

1037 Lapis ſtanneus in manu, cap. 4. verſ. 10. *ideſt.* Iudices ſyndici, & viſitatores.

1038 Volumen volans; vel falx volans, cap. 5. verſ. 1. *ideſt.* Velox ſucciſsio, & vindicta.

1039 Extendi vt arcus, cap. 9. verſ.

verſ. 13. *ideſt.* Expeditus, id eſt in prælio, & facilis ad vincendum.

1040 Pecora occiſionis, cap. 11. verſ. 5. *ideſt.* Ij, qui deſtinantur ad necem.

1041 Vaſſa Paſtoris ſtulti, ibid. verſ. 15. *ideſt.* Inſtrumenta prorſus inepta ad munus obeundum.

1042 Poni ſuper liminare crapulæ, cap. 12. verſ. 2. *ideſt.* Salutantes templa, & Eccleſiam: non tamen ingredientes.

1043 Lapis oneris, ibid. verſ. 3. *ideſt.* Lydius lapis, ſeu lapis probationis.

1044 Planctus Adadremmon in campo Mageddon, ibid. v. 11. *ideſt.* Maximus, & funeſtiſsimus planctus.

EX PROPHETIA MALACHIÆ.

1045 HERBA fullonum, ex cap. 3. verſ. 2. *ideſt.* Purificatio immunditiæ.

1046 Aperire cataractas cœli, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Miſericordia Dei diffluens in imbres.

1047 Inſcribi libro monumenti, ibid. verſ. 16. *ideſt.* In libro vitę eſſe deſcriptum.

1048 Non derelinquet radicem, & germen, cap. 4. verſ. 1. *ideſt.* Totius poſteritatis ſpes amputabitur.

1049 Salietis ſicut vituli de armento, ibid. verſ. 2. *ideſt.* Exultatio ingens.

1050 Cinis ſub planta pedum. ibid. verſ. 3. *ideſt.* Res vilis, & abiecta.

EX MACHABÆORUM LIB. I.

1051 RADIX peccatrix, ex cap. 1. verſ. 11. *ideſt.* Vir nequam cum ſcandalo, & ruina cæterorum.

1052 Synagoga Aſsidæorum, cap. 2. verſ. 42. *ideſt.* Religioſorum cœtus.

1053 Dare cornu alteri, ibid. verſ. 48. *ideſt.* Palmam cedere.

1054 Sſtercuſet, & vermisſ, ibid. verſ. 42. *ideſt.* Res contemptibiliſsima.

EX MACHABÆORUM, libro 2.

1055 STULTUM eſt ante hiſtoriam effluere; in ipſa autem hiſtoriam ſuccingi, cap. 2. verſ. vltimo. *ideſt.* Exordia, & Prolegomena ad menſuram operis præcidantur.

1056 Exiſtimans ſe prę ſupervia terram ad navigandum: pelagus verò ad iter agendum deducturum, cap. 5. verſ. 21. *ideſt.* Superba temeritas.

1057 Sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, &c. Et montium altitudines in ſtatera appendere, cap. 9. verſ. 8. *ideſt.* Suprà humanam conditionem ſe extollere.

1058 Sydera cœli contingere ſe arbitrabantur, ibid. verſ. 10. *ideſt.* Ventoſiſsima elatio.

1059 Parati muros ferreos penetrare, cap. 11. verſ. 9. *ideſt.* Fiducia, & animoſitas ad quævis pericula perrumpenda.

1060 Vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt; alternis autem vti, delectabile, cap. 11. verſ. vltimo. *ideſt.* Temperatio, & ſobrietas delectat, & prodeſt.

Ad finem huius ſectionis primæ notandum, atque obſervandum eſt, quòd aliquando P. Martinus Delrius citat adagium iuxta verſionem ſeptuaginta Interpretum: Quòd prę oculis habendum eſt, ne forte, ſi alicubi in *Vulgata* non reperiatur; exiſtimetur id minus fideliter ac veraciter in hac ſectione inſertum fuiſſe.

SECTIO SECUNDA.

ADAGIALIA NOVI TESTAMENTI.

PROOEMIUM.

CUM PATER MARTINUS DELRIUS MORTE PRÆVENTUS ADAgialia novi teſtamenti explicare non potuiſſet; atque P. Andræas Scotus, qui in id incubuit, non ita facile ad manus potuerit comparari; viſum mihi eſt, ne hæc Pars Apparatus manca, & mutila remaneret, ſupplere de probatis, & receptis Authoribus ea, quæ in hac parte pro novo teſtamento ſufectura eſſe creduntur. Cumque de quatuor Evangeliſtis ſit ſumendum exordium; non minutim, & prolixè cuncta perſequimur; ſed ea ſolum, quibus, & lectorum voto, & ſcriptoris muneri ſatisfactum eſſe videatur.

EX MATTHEO.

1 FILIUS, cap. 1. verſ. 1. *ideſt.* Quivis deſcendens.

2 Vox clamantis in Deſerto, cap. 3. verſ. 8. *ideſt.* Vox, quæ clamatura eſt.

3 Baptizare in Spiritu Sancto, & igne, cap. 3. verſ. 15. *ideſt.* Delere peccata Spiritus Sancti gratia.

4 Non in ſolo pane vivit Homo ſed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei, cap. 4. verſ. 4. *ideſt.* In omni alia re qua Deus eum ſuſtentare voluerit.

5 Amen quipè dico vobis, cap. 4. verſ. 16. *ideſt.* Veritatem vobis dico.

6 Donec tranſeat Cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribi à lege, cap. 5. v. 17. *ideſt.* Semper, & vſque in Finem complementum accipiet minima legis particula.

7 Frater, cap. 5. verſ. 22. *ideſt.* Quivis Proximus.

8 Tuba canere, cap. 6. verſ. 2. *ideſt.* Oſtentatio, & iactantia.

9 Mammona, cap. 6. verſ. 24. *ideſt.* Opes, & divitiæ.

10 In nomine tuo, cap. 7. verſ. 22. *ideſt.* In tua virtute, & potentia.

11 Filij ſponſi, cap. 9. verſ. 25. *ideſt.* Thalamo inter eſſentes.

12 In aure audire, cap. 10. verſ. 27. *ideſt.* Secretò excipere.

13 Invenire animam. cap. 10. verſ. 13. *ideſt.* Amare illam.

14 Reſpondens Ieſus, cap. 11. verſ. 25. *ideſt.* Sermonem exordiens.

15 Miſericordiam, volo, & non Sacrificium, cap. 12. verſ. 7. *ideſt.* Potius quam Sacrificium.

16 Vaſſa fortis diripere, cap. 12. verſ. 29. *ideſt.* Bellica inſtrumenta.

17 Fratres Chriſti, cap. 13. verſ. 55. *ideſt.* Cognati ipſius.

18 Qui dixerit Patri, vel Matri munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificaberit Patrem ſuum, aut Matrem ſuam, cap. 15. verſ. 5. *ideſt.* Qui prætextu Religioſæ oblationis ſubſtraxerit parentibus debita.

19 Quem dicunt homines eſſe filium hominis eſſe? Cap. 16. verſ. 14. *ideſt.* Illum videlicet, quem vulgò reputant.

Pec-

20 Peccare in te, & audire te, cap. 18. verſ. 15. *ideſt.* Coram te: & obedire tibi.

21 Duo in carne vna, cap. 19. verſ. 5. *ideſt.* Duorum ſumma concordia.

22 Hoſannà Filio David, cap. 21. verſ. 9. *ideſt.* Ferto ipſi opem de excelſis.

23 Scriba legis, cap. 23. verſ. 2. *ideſt.* Sacerdos legis peritiſsimus.

24 Abominationem deſolationis, cap. 24. verſ. 15. *ideſt.* Abominanda deſolatio templi, & ſacrorum,

25 Neſcire aliquem, cap. 25. verſ. 12. *ideſt.* Diſplicere in eo.

26 Prima Sabbati, cap. 28. verſ. 1. *ideſt.* Prima dies hebdomadæ.

EX MARCO.

27 HOMO in ſpiritu immundo, cap. 1. verſ. 23. *ideſt.* Ab eo poſſeſſus, vel energumenus.

28 Animam perdere, & ſalvam facere, cap. 3. verſ. 4. *ideſt.* Vitam amittere, vel ſervare.

29 Semen iactum ſecus viam, ſuprà petram, & inter ſpinas, cap. 4. verſ. 2. *ideſt.* Verbum Dei in corde hominum non cuſtoditum, vel areſcens, vel ſuffocatum.

30 Non poterat ibi virtutem vllam facere, cap. 6. verſ. 5. *ideſt.* Ibi non erat aptitudo ad oſtendendam Dei potentiam.

31 Ephpheta, cap. 6. verſ. 35. *ideſt.* Arrige aures.

32 Amen dico vobis. Si dabitur generationi iſti ſignum, cap. 8. verſ. 12. *ideſt.* Non dabitur.

33 Bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem mitti in gehennam, cap. 9. verſ. 34. *ideſt.* Melius eſt hic pati aliquid, quàm deputari ad infernum.

34 Vermis eorum non morietur, ibid. *ideſt.* Semper cruciabuntur intrinſecùs.

35 Omnis victima ſale ſalietur, cap. 9. verſ. 49. *ideſt.* Homo tribulatus gratus erit Deo.

36 Benedictum Regnum, cap. 11. verſ. 10. *ideſt.* Felix, & fauſtum per Ieſum-Chriſtum.

37 Tranſire ab hora, & transferre calicem, cap. 14. verſ. 35. *ideſt.* Liberari à ſuplicio, & morte imminenti.

38 Vna Sabbatorum, cap. 16. verſ. 2. *ideſt.* Prima dies hebdomadæ.

EX LUCA.

39 DE vice Abia, cap. 1. verſ. 5. *ideſt.* De poſteritate Abiæ in hebdomada ſua.

40 Sicera, ibid. *ideſt.* Quidquid inebriare poteſt.

41 Benedicta tu in mulieribus, ibid. *ideſt.* Fæliciſsima mulierum.

42 Inveniſti gratiam, ibid. *ideſt.* Gratiſsima es, & accepta.

43 Regnavit in Domo Iacob in æternum, ibid. *ideſt.* De familia Iacob Rex erit æternus.

44 Magnificavit Dominus miſericordiam cum illa, ibid. *ideſt.* Singulari miſericordia erga eam eſt vſus.

45 Ponere in corde ſuo, ibid. *ideſt.* Apud ſe cogitare.

46 Maria conſervabat omnia verba hæc conferens incorde ſuo, ibid. cap. 2. verſ. 19. *ideſt.* Tacitè cuncta obſervabat, & retinebat.

47 Maſculinum aperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur, ibid. *ideſt.* Primogenitum Domino conſecrabitur.

48 De lapidibus ſuſcitare filios Abrahę, cap. 3. verſ. 8. *ideſt.* De prorſus attritis inſtaurare poſteritatem, & de infidelibus fideles facere.

49 In poteſtate erat ſermo eius, cap. 4. verſ. 23. *ideſt.* Cum magna authoritate loquebatur.

50 In Sabbato ſecundo primo, cap. 6. verſ. 11. *ideſt.* In die ſeptimo à Paſchate, qui erat venerabilis vt primus.

51 Iuſtificaverunt Deum, cap. 7. verſ. 29. *ideſt.* Iuſtitiam Dei planè confeſsi ſunt.

52 Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, cap. 14. verſ. 23. *ideſt.* In pagos, & domos ruſticas, ne cedas excuſationi.

53 A tempore Ioannis Regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit, cap. 16. verſ. 16. *ideſt.* Quiſque illud avidiſsimè quærit, & rapere conatur ſibi.

54 Non manducabo Paſcha, donec impleatur in Regno Dei, cap. 22. verſ. 16. *ideſt.* Non amplius manducabo Paſcha ante mortem, & Reſurrectionem meam, qua accipiam Regnum à Deo.

55 Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es, cap. 23. verſ. 46. *ideſt.* Non eſt timere Deum inſultare ſocio ſupplicij.

56 Vna Sabbati, cap. 24. verſ. 1. *ideſt.* Prima die hebdomadæ, vt ſuprà.

EX IOANNE.

57 QUI non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, cap. 1. verſ. 5. *ideſt.* Non ex commixtione carnali.

58 Verbum caro factum eſt, ibid. *ideſt.* Factum eſt homo conſtans anima, & corpore.

59 Solvite Templum hoc, & in triduo reædificabo illud, cap. 2. verſ. 19. *ideſt.* Occidetis me, ſolvendo corpus ab animâ, & poſt triduum reſurgam.

60 Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui diſcendit de cœlo, cap. 3. verſ. 13. *ideſt.* Non penetrat Cœleſtia, niſi cœleſtis.

61 Bethſayda probatica piſcina, cap. 5. verſ. 2. *ideſt.* Lacus pluvialis ſine piſcibus dictus piſcina per catacrèſim.

62 Non aſcendam ad diem feſtum, cap. 7. verſ. 8. *ideſt.* Nondum aſcendo, vel non palam.

63 Amen Amen, cap. 8. verſ. 58. *ideſt.* Quamveriſsimè.

64 Da gloriam Deo, cap. 9. verſ. 24. *ideſt.* Deo, & non homini tribue opus eius.

65 Gabbattha, cap. 19. verſ. 15. *ideſt.* Locus editus, & altus.

EX ACTIBUS Apoſtolorum.

66 NOSSE tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, Act. Apoſt. cap. 1. *ideſt.* Non pertinet ad vos ſcire, & quærere diem iudicij, & Dei providentias arcanas.

67 Sabbati habens iter, ibid. *ideſt.* Mille paſſus.

68 Merces iniquitatis, ibid. *ideſt.* Pecunia crimine obtenta.

69 Abire in locum ſuum, ibid. *ideſt.* Sortem à Deo prœordinatam accipere.

70 Mente confundi, cap. 2. *ideſt.* In admirationem rapi.

71 Auribus percipite, ibid. *ideſt.* Intendite in mirabilia.

72 Ignem, & vaporem fumi *ideſt.* Conflagrationem vniverſi.

73 Vir approbatus à Deo in virtutibus, & prodigijs, ibid. *ideſt.* Patrator miraculorum grandium.

74 Solutis doloribus inferni, ibi. *ideſt.* Solvendo Sanctos Patres à Lymbo, & pœna damni.

75 Caro mea requieſcet in ſpe, ibid. *ideſt.* Sub fide reſurrectionis.

76 Non relinqui in inferno, nec videre corruptionem, ibid. *ideſt.* Reſurgere ex mortuis.

77 Ij, qui longè ſunt, ibid. *ideſt.* Gentiles.

78 Recipere ſermonem, & apponi animas tria millia, ibid. *ideſt.* Totidem converti.

79 Communicare in fractione panis, & orationibus, ibid. *ideſt.* Convictus corporalis, & ſpiritualis.

80 Specioſa, cap. 3. *ideſt.* Propter ſpecialem ornatum.

81 Tempora refrigerij à conſpectu Domini, ibid. *ideſt.* Diſcretio vniverſalis iudicij, & redemptio iuſtorum.

82 Tempora reſtitutionis omnium, ibid. *ideſt.* Vt ſuprà.

83 Dijudicari in benefacto hominis infirmi, cap. 4. *ideſt.* Adducit ad iudicium pro ſanitate paralytici.

84 Lapis reprobatus ab ædificantibus factus in caput anguli, ibid. *ideſt.* Chriſtus Dominus.

85 Domine reſpice in minas eorum, ibid. *ideſt.* Reprime minas eorum.

86 Extendere manus ad ſanitates, ibid. *ideſt.* Impartiri ſanitatem.

87 Nonne manens tibi manebat? cap. 5. *ideſt.* Nonne res tua ſub tua erat poteſtate?

88 Tentare Spiritum Domini, ibid. *ideſt.* Gerere aliquid, quaſi occultum eſſet Deo.

89 Omnia verba vitæ huius, ibid. *ideſt.* Cuncta, quæ ſunt de tenore huius vitæ Chriſtianę.

90 Præcipiendo præcipimus, ibid. *ideſt.* Authoritate Pontificali prohibuimus.

91 Introducere ſuper nos ſanguinem, ibid. *ideſt.* Nos accuſſare homicidij.

92 Foras ad breve hominem fieri, ibid. *ideſt.* Tantiſper egredi.

93 Viros boni teſtimonij, cap. 6. *ideſt.* Qui bonum teſtimonium habent à reliquis.

94 Verbum Domini creſcebat, ibid. *ideſt.* In fide, & opere credentium.

95 Teſtamentum Circumciſionis, cap. 7. *ideſt.* Præceptum de Circumciſione in ſe, & ſuis poſteris.

96 Exponere infantes, ne vivificarentur, ibid. *ideſt.* Iubere infantes interfici, ne vivi manerent.

97 Potens in verbis, & operibus ſuis, ibid. *ideſt.* Fortis, & eloquens.

98 Fugit in verbo iſto, ibi. *ideſt.* Fugit propter ſermonem hunc.

99 In Eccleſia in ſolitudine, ibi. *ideſt.* In Congregatione populi, quę erat in deſerto Montis Synà.

100 Servire militię cœli, ibid. *ideſt.* Soli, Lunæ, & Stellis.

101 Dura cervice, & in circumciſis cordibus, ibid. *ideſt.* Homines libertini, & procaces.

102 Accipere legem in diſpoſitione Angelorum, ibid. *ideſt.* Miniſterio ipſorum.

103 Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei, ibid. *ideſt.* In ſuprema celſitudine ad iudicandum.

104 Eſſe in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis, cap. 8. *ideſt.* In nequitia intentionis, & reatu peccati.

105 Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare, cap. 9. *ideſt.* Noxia res eſt potentiori reſiſtere pertinacitèr.

106 Vas electionis, ibid. *ideſt.* Inſtrumentum electum gratiæ, & gloriæ.

107 Eccleſia ædificabatur, ibid. *ideſt.* Meritò, & multiplicatione fidelium.

108 Aſsignavit eam vivam, ibid. *ideſt.* Redivivam exhibuit.

109 Cecidit ſuper eum mentis exceſſus, cap. 10. *ideſt.* Elevatus fuit à terrenis.

110 Reſponſum, ibid. *ideſt.* Craculum.

Deus

111 Deus non eſt acceptor perſonarum, ibidem. *ideſt.* Non diſcernens inter Iudæos, & Gentiles quoad ſalutem æternam.

112 Iudex vivorum, & mortuorum, ibidem. *ideſt.* Iuſtorum, & peccatorum, vel mortuorum, & qui modò vivunt, & victuri ſunt poſteà.

113 Deus dedit gentibus pœnitentiam ad vitam, cap. 11. *ideſt.* Tempus, locum, & media pœnitendi, vt ſalventur.

114 Erat manus Domini cum eis, ibid. *ideſt.* Deus confortabat eos gratia, & portentis.

115 Significabat per Spiritum, ibid. *ideſt.* Denunciabat ſpiritu prophetico.

116 Percuſo latere Petri, ibid. *ideſt.* Cùm à latere pulſaretur.

117 Super cubiculum Regis, ibid. *ideſt.* Theſaurorum cuſtos erat.

118 Miniſtrantibus illis Domino, & ieiunantibus, cap. 13. *ideſt.* In bonis operibus ſecundùm ſuos gradus, & officia.

119 Manus Domini ſuper te, ibid. *ideſt.* Supplicium factum à Domino.

120 Die Sabbatorum, ibid. *ideſt.* Die conſuetæ ſolemnitatis pro Synagoga.

121 Inveni David, ibid. *ideſt.* Elegi, & præelegi illum.

122 Implevit Ioannes curſum ſuum, ibid. *ideſt.* Officium Præcurſoris.

123 Non ſum dignus ſolvere calceamenta pedum eius, ibid. *ideſt.* Officium etiam minimum ei præſtare.

124 Cùm adminiſtraſſet voluntati Dei, ibid. *ideſt.* Cùm ad nutum Divinæ providentiæ deſerviſſet.

125 Excuſo pulvere pedum in eos, ibid. *ideſt.* Execrando omnem convictum eorum.

126 Ingredi vias ſuas, cap. 14. *ideſt.* Agere ſecundùm voluntatem arbitrij.

127 Non ſine teſtimonio, ibid. *ideſt.* Non ſine publicatione Deitatis.

128 Traditi gratiæ Dei, ibidem, *ideſt.* Ab Spiritu Sancto confirmati, & aſſumpti.

129 Oſtium fidei, ibid. *ideſt.* Chriſtus Dominus.

130 A contaminationibus ſimulacrorum, cap. 15. *ideſt.* A comeſtione de Idolothithis, ſeu dicatis Idolis.

131 A ſuffocatis, & ſanguine, ibid. *ideſt.* Ab animali mortuo per ſuffocationem occluſſo ſanguine.

132 Apperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo, cap. 16. *ideſt.* Converſa eſt per Paulum.

133 Spiritum Pythonem, ibid. *ideſt.* Spiritum divinantem.

134 Incitabatur Spiritus eius in ipſo, cap. 17. *ideſt.* Ardebat zelo Spiritus Sancti.

135 Seminiverbius, ibid. *ideſt.* Seminator verborum.

136 Erant ſcenofactoriæ artis, cap. 18. *ideſt.* Tabernaculorum opifices.

137 Sanguis veſter ſuper caput veſtrum, ibid. *ideſt.* Pœna debita veniet ſuper vos ex rebellione veſtra.

138 Fiducialiter agere in Synagoga, ibid. *ideſt.* Cum fiducia Iudæis prædicare.

139 Loquebantur linguis, cap. 19. *ideſt.* In varietate idiomatum.

140 Anunciantes actus ſuos, ibidem, *ideſt.* Denunciantes ſuas Magicas operationes.

141 Se dare in theatrum, ibid. *ideſt.* Prodire in publicum.

142 Conventus forenſes aguntur, & Proconſules ſunt, ibid. *ideſt.* Tribunalia ſunt, & Iudices.

143 Alligatus ego Spiritu, cap. 20. *ideſt.* Spiritu Sancto feror.

144 Lupi rapaces, ibid. *ideſt.* Hæretici callidi, & crudeles.

145 Intrantes domum Philippi Evan-

Evangeliſtæ, cap. 21. *ideſt.* Prædicatoris, qui in Samaria Evangelizavit Eunnucho.

146 Diſceſsionem doceas à Moyſe, cap. 21. *ideſt.* Dogmata ei contraria.

147 Secundum legem teſtimonium habere, cap. 22. *ideſt.* Bonam opinionem de obedientia legis.

148 Incipientem interfici, cap. 23. *ideſt.* Virum petitum, & appetitum ad mortem.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

149 SECUNDUM Spiritum ſanctificationis, cap. 1. *ideſt.* Secundum operationem Spiritus Sancti.

150 Revelatur ira Dei. Ex Epiſt. Pauli ad Romanos, ibid. cap. 1. *ideſt.* Certò expectatur.

151 Intellecta conſpiciuntur. Ex Epiſt. Paul. ad Roman. ibid. cap. 1. *ideſt.* Intellectualitèr percipiuntur.

152 Theſaurizare iram, cap. 2. *ideſt.* Cumulare crimina ad vindictam.

153 Requieſcere in lege, ibidem, *ideſt.* Non vagari erroribus.

154 Habere formam ſcientiæ, & veritatis in lege, ibid. *ideſt.* Doctum in ſpeculativis, & practicis.

155 Præputium iuſtitiam cuſtodiens in circumciſione reputabitur, ibid. *ideſt.* Gentilis benè operans, & iuſtitiam amplectens in Populo Dei computabitur.

156 Sepulchrum patens eſt guttur eorum, cap. 3. *ideſt.* Corda, & ora fœtorem exhalantia.

157 Contritio, & infœlicitas in vijs eorum, ibid. *ideſt.* Ambulare in via damnationis æternæ.

158 In ſuſtentatione Dei, ibid. *ideſt.* Deo nos expectante.

159 Lex iram operatur, cap. 4. *ideſt.* Propter violationem eius iram merentur.

160 In ſpem contra ſpem credidit, ibid. *ideſt.* Fretus eſt Divina gratia contra id, quod pollicebatur natura.

161 Forma futuri, cap. 5. *ideſt.* Figura Chriſti.

162 Neque exhibeatis corpora veſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma iuſtitiæ Deo, cap. 6. *ideſt.* Ne patiamini in membris veſtris characterem mali, ſed boni.

163 Mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti, cap. 7. *ideſt.* Mortui eſtis Legi Moſaycæ per Legis Chriſti incorporationem.

164 Venundatus ſub Peccato, ibid. *ideſt.* Factus ſervus in Peccato Originali.

165 Lex infirmabatur per carnem, cap. 8. *ideſt.* In Ritu ſolum carnali infirma erat, & imperfecta.

166 Subijcere creaturam in ſpe, ibid. *ideſt.* Suſtentare hominem ſpe reſurrectionis futuræ.

167 Spiritus poſtulat gimitibus inenarrabilibus, ibid. *ideſt.* Facit nos gemere plus, quàm dici poteſt, pro re inenarrabili.

168 Anathema eſſe à Chriſto, cap. 9. *ideſt.* Separari à Chriſto.

169 Non ex operibus, ſed ex vocante, ibid. *ideſt.* Sed ex gratia vocationis Dei.

170 Quem vult, indurat, ibid. *ideſt.* Indurari permittit, non largiendo miſericordiam ſuam.

171 Quis credidit auditui noſtro? cap. 10. *ideſt.* Ijs, quæ audierunt ex nobis.

172 Reliquæ ſecundum electionem gratiæ Dei ſalvæ fient, cap. 11. *ideſt.* Plures Iudæi Chriſtum recipient.

173 Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, ibid. *ideſt.* Scriptura Sancta malè intelligatur ab ipſis.

174 Si delibatio Sancta eſt, & maſa, cap. 12. *ideſt.* Si pauci Iudæi aſſump-

assumpti sunt in gratiam, totum genus poterit sanctificari.

175 Oleaster insertus in bonam olivam, ibid. *idest.* Gentilis Christi gratia inunctus.

176 Carbones congeres super caput eius, ibid. *idest.* Fovebis in eo ignem charitatis.

177 Opera tenebrarum, & arma lucis, cap. 13. *idest.* Vitia, & virtutes.

178 Per offendiculum manducare, cap. 14. *idest.* Scandalizando infirmum.

179 Id ipsum sapere in alterutrum, cap. 15. *idest.* Concordes esse.

180 Observare eos, qui faciunt dissensiones, & offendicula, cap. 16. *idest.* Discernere perversas doctrinas.

EX EPISTOLA I. AD CORINTH.

181 LOQUI Dei Sapientiam in mysterio, cap. 2. *idest.* Prędicare Incarnationem Filij Dei.

182 Spiritus scrutatur profunda Dei, cap. 2. *idest.* Scrutari facit Dei arcana.

183 Spiritualis iudicat omnia, cap. 2. *idest.* Gratia discretionis ornatus.

184 Lac potum dare, non escam, cap. 3. *idest.* Rudiora elementa præbere.

185 Per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, cap. 1. *idest.* Simplicissima prædicatione salus æterna paratur.

186 Quod infirmum est Dei, & quod stultum est Dei, sapientius, & fortius est hominibus, cap. 1. *idest.* Passio, & mors Christi, quæ putata est stultitia.

187 Stultus fiat, vt sit sapiens, cap. 3. *idest.* Opinionem suam fidei subijciat.

188 Hæc transfiguravi in me, & Apollo propter vos, cap. 4. *idest.* Hæc mihi adscribo, & Apollo propter vos.

189 Spectaculo esse Deo, angelis, & hominibus, cap. 4. *idest.* Palàm persecutiones in Christo perpeti.

190 Tradere Sathanæ in interitum carnis, cap. 5. *idest.* Tradere quamquam dœmoni in carne exercendum.

191 Fermentum malitiæ, & nequitiæ, cap. 5. *idest.* Corruptio vitiorum.

192 Azymi synceritatis, & veritatis, ibid. *idest.* Veritas bonorum operum.

193 Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, c. 6. *idest.* Quandoque etiam licita omitti oportet.

194 Portate Deum in corpore vestro, ibid. *idest.* Obsequio Domini mancipari.

195 Nolite fraudare invicem, cap. 7. *idest.* Reddite debitum.

196 Melius est nubere, quàm vri, ibid. *idest.* Melius est coniugem habere, quàm à concupiscentia superari.

197 Coniux infidelis per fidelem coniugem sanctificatur, ibid. *idest.* Ad fidem trahitur.

198 Servus in Domino vocatus libertus est Domini, ibid. *idest.* Liberè potest Domino servire, ac si in libertate vocatus esset.

199 Turpem se videri super virgine sua, ibid. *idest.* Cùm nuptiæ virgini retardantur.

200 Sunt dij multi, & Domini multi, cap. 8. *idest.* Per hominum errorem, Deitatis nomen hominibus attribuitur.

201 Conscientia infirma ædificabitur ad manducandum Idolotita, ibidem, *idest.* Scandalizabitur idolatrando.

202 Signaculum Apostolatus mei

eſtis, cap. 9. *ideſt*. A me huiſtis initium, & characterem Fidei.

203 Numquid de Bobus cura eſt Deo? ibid. *ideſt*. Providentia ſpecialis ſicut de Rationalibus?

204 Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit bravium, cap. 9. *ideſt*. Multi ſunt vocati, pauci verò electi.

205 Aerem verberare, ibid. *ideſt*. Inaniter laborare.

206 Tentatio humana, cap. 10. *ideſt*. Quæ ineſt homini inevitabilitèr.

207 Non dividicans Corpus Domini, cap. 11. *ideſt*. Non diſcernens ab alijs cibis.

208 In vnum Corpus baptizari, & in vno Spiritu potari, cap. 12. *ideſt*. Corpus Myſticum Eccleſiæ Spirituali generatione, & potu Sacramentali reficitur.

209 Æmulamini Chariſmata meliora, ibid. *ideſt*. Concupiſcite meliora dona Spiritus Sancti.

210 Es ſonans, aut Cymbalum tinniens, cap. 13. *ideſt*. Qui alijs anunciat, & ſibi non prodeſt.

211 Evacuari Prophetiam, & ſcientiam deſtrui, ibid. *ideſt*. Pervenire ad beatitudinem.

212 Spiritus loquitur myſteria, cap. 14. *ideſt*. Revelat ſenſus latentes.

213 Neſcire virtutem vocis, cap. 14. *ideſt*. Ignorare interpretationem ſententiæ.

214 Quis ſupplet locum Idiotæ? ibid. *ideſt*. Quid proficit Populus ſimplex, & non intelligens?

215 Decem millia verborum in lingua, ibid. *ideſt*. Infinita verba, ſine intellectu.

216 Evacuare omnem Principatum, & poteſtatem, & virtutem, cap. 17. *ideſt*. Cum abierit timor, & regnaverit charitas.

217 Ad reverentiam vobis loquor, ibid. *ideſt*. Ad verecundiam veſtram.

218 Omnes reſurgere, & non immutari, ibid. *ideſt*. Non omnes de ſtatu miſeriæ ad ſtatum gloriæ mutabuntur.

219 Abſorta eſt mors in victoria, ibid. *ideſt*. In Chriſto Domino reſurgente, & mortem ſuperante.

EX EPIST. II. AD CORINTH.

220 PIGNUS Spiritus. Ex Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 1. *ideſt*. Spiritus Sanctus datus in pignus gloriæ venturæ.

221 Odorem notitiæ tuæ manifeſtat per nos, ibid. cap. 2. *ideſt*. Bonum odorem Doctrinæ Chriſti diſſeminante Paulo.

222 Epiſtola noſtra eſtis vos ſcripta in cordibus noſtris, cap. 3. *ideſt*. Corde noſtro numquam excidit cura veſtri.

223 Miniſtratio damnationis in gloria eſt, ibid. *ideſt*. Glorioſa fuit miniſtratio veteris Legis, in qua nunc damnatio eſt.

224 Ubi Spiritus Domini, ibi libertas, ibid. *ideſt*. Remoto velamine litteræ, manat libertas intelligendi, & operandi.

225 Abdicamus occulta dedecoris, cap. 4. *ideſt*. Evertimus etiam internas peccatorum Sedes.

226 Aporiamur, ſed non deſtituimur, ibid. *ideſt*. Ad inopiam redigimur: ſed non deſerimur.

227 Mors in nobis operatur, vita autem in vobis, ibid. *ideſt*. Chriſtus in ſua morte nos roborat: & vos vita reſurrectionis.

228 Habitationem noſtram ſuper indui cupimus; ſi tamen veſtiti, & non nudi inveniamur, cap. 5. *ideſt*. Gloria circumdari concupiſcimus, ſi ſcilicèt adſint merita.

229 Peregrinamur à Domino, ibid. *ideſt*. Viatores ſumus.

230 Pro nobis peccatum fecit, ibid.

ibid. *ideſt.* Fecit de ſe hoſtiam pro peccato.

231 Eritis mihi in filios, & filias, cap. 6. *ideſt.* In populum dilectiſsimum.

232 Altiſsima paupertas abundavit in divitias ſimplicitatis, cap. 8. *ideſt.* Commendabiliſsima paupertas fecit conſcientiam puram.

233 Etiam veſtrę charitatis ingenium bonum comprobans, ibid. *ideſt.* Indolem docilem ad opera charitatis.

234 Non dicamus vos in hac ſubſtantia, cap. 9. *ideſt.* Non numeremus vos inter facientes æleemoſynas.

235 Augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ, cap. 9. *ideſt.* Fruges, ex quibus procedit iuſta operatio veſtra.

236 Non enim quaſi non pertingentes ad vos ſuperextendimus nos, c. 10. *ideſt.* Non arrogantia, ſed labore noſtræ prædicationis pervenimus ad vos.

237 Suſtinere modicum inſipientiæ meę, cap. 11. *ideſt.* Quam indiſcreti æſtimant inſipientiam.

238 Æmulor vos Dei æmulatione, ibid. *ideſt.* Charitatis cœlo vobis proſpicio.

239 Deſpondi enim vos vni viro virginem, caſtam exhibere Chriſto, ibid. *ideſt.* Vos Corinthios fide integros, & vita puros Chriſto Domino copulavi.

240 Quod loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi inſipientia in hac ſubſtantia gloriæ, ibid. *ideſt.* Verba mea modo non in humilitate, ſed quaſi in inſipientia, ſed cum ea ratione nabili gloria, quę carnis eſſe poteſt, procedent.

241 Quis ſcandalizatur, & ego non vror? ibid. *ideſt.* Quia cœlo charitatis ardeo.

242 Hominem in Chriſto ante annos quatuor decim, cap. 12. *ideſt.* Paulum ad initia ſuæ converſionis Deo adhærentem.

243 Stimulus carnis meę Angelus Sathanæ, qui me colaphizet, ibid. *ideſt.* Concupiſcentia carnis verberavit me ad ſuſtinentiam.

244 Cum eſſe aſtutus, dolo vos cœpi, ibid. *ideſt.* Me in aſtutia operantem criminantur.

245 In ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum, cap. 13. *ideſt.* Ex duobus, aut tribus iudicabo vos.

246 Nos autem vt reprobi ſimus, ibid. *ideſt.* Quaſi amittentes poteſtatem ad puniendum vos per innocentiam veſtram.

247 Poteſtas in ædificationem, & non in deſtructionem, ibid. *ideſt.* In bonum, & non in malum.

EX EPIST. AD GALATAS.

248 NON eſt ſecundum hominem, ex Epiſt. ad Galatas, cap. 1. *ideſt.* Non ſpiritu humano.

249 Non acquieſcere carni, & ſanguini, ibid. *ideſt.* Ad vitia, & legem carnis.

250 In vacuum currere, cap. 2. *ideſt.* Inutiliter prædicare.

251 Evangelium Pręputij, & circumciſionis, ibid. *ideſt.* Prædicatio fidei ad Gentiles, & ad Iudæos.

252 Per legem legi mortuus ſum, vt Deo vivam, ibid. *ideſt.* Mortua eſt in me lex vetus, vt vivam in lege gratię.

253 Vivo ego, iam non ego: vivit ergo in me Chriſtus, ibid. *ideſt.* Non ſum peccator vt prius, ſed habitat in me virtus Chriſti.

254 Qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahę, cap. 3. *ideſt.* Imitatores fidei ſuæ.

255 Chriſtus nos Redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, ibid. *ideſt.* Chriſtus ſuſtinens opprobrium crucis abſolvit nos à lege veteri, & à pœnis per eam imprecatis.

Con-

256 Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ibid. *ideſt.* Lex ſcripta peccatum oſtendit, & non mundavit.

257 Sub elementis mundi ſervire, cap. 4. *ideſt.* Servire in rebus terrenis.

258 Infirma, & egena elementa, ibid. *ideſt.* Lex ſcripta non iuſtificans.

259 Per infirmitatem carnis evangelizare, ibid. *ideſt.* Pati tribulationes propter Evangelium.

260 Donec Chriſtus formetur in vobis, ibid. *ideſt.* Per ſynceritatem fidei formatę in charitate.

261 Modicum fermentum totam maſſam corrumpit, cap. 5. *ideſt.* Vnus perverſus plures inficit.

262 Ergo evacuatum eſt ſcandalum crucis? ibid. *ideſt.* Numquid ceſſavit apud Iudęos ſcandalum crucis?

263 Communicet autem is, qui cathechizatur verbo, ei qui ſe cathechizat in omnibus bonis, cap. 6. *ideſt.* Inſtructus inſtructori prębeat neceſſaria.

264 Qui ſeminat in carne, metet corruptionem: & qui ſeminat in ſpiritu, vitam ęternam, ibid. *ideſt.* Qui ſectatur carnalia, ibit in gehenam; qui vero ſpiritualia, ibit in vitam æternam.

265 Stigmata Ieſu in Corpore portare, ibid. *ideſt.* Agones Chriſtianos ſuſtinere.

EX EPIST. AD EPHESIOS.

266 SACRAMENTUM voluntatis ſuæ in diſpenſatione plenitudinis temporis, ex Epiſt. ad Epheſios, cap. 1. *ideſt.* Myſterium Incarnationis ſuo tempore revelatum.

267 Spiritus Sanctus, arrha hæreditatis noſtrę in acquiſitionis redemptionem, ibid. *ideſt.* Spiritus Sanctus pignus promiſionum Chriſti.

268 Filij diffidentiæ, cap. 2. *ideſt.* Homines terram ſectantes.

269 Hoſpites teſtamentorum promiſionis, ibid. *ideſt.* Gentiles alienigeni Iſraeli.

270 Solvens medium parietem macerię, ibid. *ideſt.* Removens obſtaculum ad vnionem.

271 Cives Sanctorum, & domeſtici Dei, cap. 2. *ideſt.* Gentiles admiſſi ad fidem.

272 Comprehendere cum omnibus Sanctis, quę ſit latitudo, & longitudo, ſublimitas, & profundum, cap. 3. *ideſt.* Cognoſcere altitudinem humilitatis, & charitatis.

273 Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, cap. 4. *ideſt.* Chriſtus tulit ſecum Patres, qui erant in Lymbo.

274 In virum perfectum, in menſuram ętatis plenitudinis Chriſti, ibid. *ideſt.* Reſurget quivis in ætate plena triginta, & trium annorum.

275 Induite novum hominem, ibid. *ideſt.* Chriſtum per ipſius imitationem.

276 Nolite contriſtari Spiritum Sanctum, ibid. *ideſt.* Habitatem in iuſtis dolentibus pro lapſu aliorum.

277 Redimentes tempus, cap. 5. *ideſt.* Bonis operibus inſtantes pro temporis opportunitate.

278 Ad oculum ſervire, cap. 6. *ideſt.* Preſentem dumtaxat revereri.

279 Colluctari contra ſpiritualia nequitiæ in Cœleſtibus, ibid. *ideſt.* Luctari contra malignos Spiritus huius aeris caliginoſi.

280 Lorica Iuſtitię, calceati pedes, ſcutum fidei, galea ſalutis, gladium Spiritus, ibid. *ideſt.* Sancta verba, & opera Evangelici concionatoris.

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

281 ALIQUEM habere in vinculis meis, cap. 1. *ideſt.* Habere aliquem, qui compatiatur mihi.

282 Qui cum informa Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, cap. 2. *ideſt.* Cum Filius eſſet vnus in eſſentia cum Patre, alienum eſſe non duxit, æqualem oſtendere poteſtatem cum ipſo.

283 Exinanire ſemetipſum, ibid. *ideſt.* Se maximè humiliari.

284 Miniſter neceſsitatis, ibid. *ideſt.* Qui miniſtrat neceſſaria.

285 Videte canes, malos operarios, & concipionem, cap. 3. *ideſt.* Apoſtolos falſos, & mordaces trahentes ad legalia, & ad ea, quæ potuis erat conciſio, quam circumciſio.

286 Gloria in confeſsione ipſorum, ibid. *ideſt.* Quorum gloria potius eſt Confeſsio.

287 Communicare in ratione dati, & accepti, cap. 4. *ideſt.* Suppeditare alicui temporalia.

EX EPIST. AD COLOSENSES.

288 ADIMPLERE ea quę deſunt Paſsionum Chriſti in carne, cap. 1. *ideſt.* Communicare Paſsionibus Sanctorum pro Chriſti nomine perferendis.

289 Divitiæ gloriæ Sacramenti huius, ibid. *ideſt.* Pretium Incarnationis.

290 Delere Chyrographum decreti, cap. 2. *ideſt.* Memoriam traſgreſſionis delere, & obliviſci.

291 Nemo vos iudicet in cibo, & potu Neomenia, & Sabbato, ibid. *ideſt.* Iam non eſtis lege veteri colligati.

292 Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & Religione Angelorum, ibid. *ideſt.* Ne decipiamini per hypochriſim, & revelationes falſas.

293 Mori cum Chriſto ab elementis mundi, ibid. *ideſt.* Configurari morti Chriſti, & legi gratię veterem reijciendo.

294 Quę ſurſum ſunt ſapere, cap. 3. *ideſt.* Cœleſtia deſiderare.

295 Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, ibid. *ideſt.* Beatitudo noſtra ſervata eſt, quouſque Chriſtus iterum veniat, & reveletur.

296 Spoliare veterem hominem cum actibus ſuis, & induere novum, ibid. *ideſt.* Vita deteſtari, & ſectari virtutes.

297 Aperire oſtium ſermonis ad loquendum Myſterium Chriſti, cap. 4. *ideſt.* Dare libertatem, & facultatem prædicandi Evangelium Chriſti.

EX EPISTOLA I. ad Theſalonicenſes.

298 VAS ſuum poſsidere in honore, & ſanctificatione, cap. 4. *ideſt.* Animam coercere à libidine.

299 Dormientes, & dormire per Ieſum, ibid. *ideſt.* Mortui, & mori in Chriſto.

300 In tuba Dei deſcendes de Cœlo, ibid. *ideſt.* Voce Angelica mortuos ſuſcitabit.

301 Dies Domini ſicut fur in nocte, cap. 5. *ideſt.* Dies occulta, & inopinata.

302 Non poſuit nos in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis, ibid. *ideſt.* Non in damnationem æternam ſed invitam beatam.

EX EPISTOLA II. ad Theſalonicenſes.

303 SUPERCRESCIT fides veſtra, cap. 1. *ideſt.* Intenditur, & extenditur.

304 Suſtinere tribulationes in exemplum iuſti iudicij Dei, ibid. *ideſt.* Tribulationes Sanctorum remunerate oſtendent in die Iudicij Iuſtitiam Dei.

305 Niſi venerit diſceſsio, & revelabitur homo peccati, cap. 2. *ideſt.* Cum venerit Apoſtaſia, & Anti-Chriſtus.

My-

306 Mysterium iam operatur iniquitatis, ibid. *ideſt.* Figura nequitiæ præceſsit in perſecutoribus Eccleſiæ.

307 Mittere illis operationem erroris, vt credant mendatio, ibid. *ideſt.* Permittere deceptionem illorum.

EX EPISTOLA I. ad Timotheum.

308 MILITARE bonam militiam, cap. 1. *ideſt.* Viriliter reſiſtere paraſitati, & errori.

309 Quos tradidit Sathanę, vt diſcant non blaſphemare, ibid. *ideſt.* Medicinali anathemate percutere, vt reſipiſcant.

310 Cauteriatam habere conſcientiam ſuam, cap. 4. *ideſt.* Inuſtam charactere peccati.

311 Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, ibid. *ideſt.* Eſto moribus ſenex, etſi ętate iuvenis.

312 Vidua indelicijs vivens, mortua eſt, cap. 5. *ideſt.* Proxima eſt crimini per luxuriam.

313 Languere circa quæſtiones, & pugnas verborum, cap. 6. *ideſt.* Tepeſcere in ſpiritu fidei, & vergere in errores, & quæſtiones inutiles.

EX EPISTOLA II. ad Timotheum.

314 POTENS eſt ſervare depoſitum meum, cap. 1. *ideſt.* Præmium fidei, & ſpei meæ.

315 Bonum depoſitum cuſtodi, ibid. *ideſt.* Animas tibi commiſſas.

316 Cura te ipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem, cap. 2. *ideſt.* Eſto laudabilis, ita vt à nemine confundi queas.

317 Vaſa aurea, & argentea; lignea, & fictilia, ibid. *ideſt.* Varia preciositas meritorum vniuſcuiuſque.

318 Magiſtri prurientes auribus, cap. 4. *ideſt.* Qui dumtaxat prædicant placitura.

319 Deliber, & tempus reſurrectionis meæ inſtat, ibid. *ideſt.* Immolor, & morti appropinquo.

EX EPISTOLA AD TITUM.

320 OMNIA munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum, cap. 1. *ideſt.* Omnis cibus mundus eſt baptizatis in Chriſto, ſecus vero his, qui non credunt in Deum: quia non ſunt digni donis Dei.

EX EPISTOLA. ad Philemonem.

321 VISCERA Sanctorum per te requieverunt, cap. 1. *ideſt.* Sanctos verbo, & opere conſolatus fuiſti.

322 Ne ex neceſsitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium, ibid. *ideſt.* Ne velim coactam facere gratiam tuam.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

323 FACERE Angelos ſuos ſpiritus per miniſtros ſuos flammam ignis, cap. 1. *ideſt.* Qui Spiritus Dei, etiam Seraphin facit ſuos nuncios, & miniſtros.

324 Oleum exultationis, ibid. *ideſt.* Vnctio Spiritus Sancti.

325 Ne fortè pereffluamus, cap. 2. *ideſt.* Ne aberremus forte.

326 Pueri communicantes carni, & ſanguini, cap. 2. *ideſt.* Fideles communicantes Chriſto in natura poſsibili.

327 Donec hodie cognominatur, cap. 3. *ideſt.* Quandiu durat Lex Gratiæ.

328 Initium ſubſtantiæ eius, ibid. *ideſt.* Fides, & ſubſtantia ſperandarum rerum.

329 Sermo Dei vivus, & pene-

netrabilis dividens animam, & ſpiritum, compages, & medullas, cap. 4. *ideſt.* Profundus diſcretor inter carnalia, & ſpiritualia.

330 In diebus carnis ſuæ, cap. 5. *ideſt.* Tempore vitæ ſuæ.

331 Exauditus eſt pro ſua reverentia, ibid. *ideſt.* Pro modo devoto, & reverentiſsimo orandi, & ſe offerendi.

332 Elementa exordij Sermonum Dei, ibid. *ideſt.* Primordia Fidei.

333 Fundamenta pœnitentiæ ab operibus mortuis, cap. 6. *ideſt.* Chriſtus Dominus, & Fides eius.

334 Ad expletionem ſpei, ibid. *ideſt.* Ut in futuro compleatur in vobis, quod modò ſperatis.

335 Ad interiora velaminis, ibid. *ideſt.* Ad velatam beatitudinem.

336 Secundum virtutem vitæ indiſſolubilis, cap. 7. *ideſt.* Secundum Divinitatem.

337 Reprobatio fit præcedentis mandati, ibid. *ideſt.* Evacuatio veteris Legis.

338 Iuſtificationes culturæ, & Sanctum Sæculare, cap. 9. *ideſt.* Iuſtificationes carnales per carnis emundationem.

339 Uſque ad tempus correctionis, ibid. cap. 9. *ideſt.* Uſque ad tempus Legis Gratiæ.

340 Una oblatione conſumavit in ſempiternum ſanctificatos, cap. 10. *ideſt.* Una Hoſtia Chriſti habet virtutem æternam ſanctificandi.

341 Teneamus ſpei noſtræ confeſsionem indeclinabilem, ibid. *ideſt.* Ad terram non defletentem.

342 Vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam, ibid. *ideſt.* Divitias Cœli non auferibiles.

343 Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula, cap. 11. *ideſt.* Omnia credimus, eſſe producta, & diſpoſita per Verbum Dei.

344 Nubem teſtium, cap. 12. *ideſt.* Teſtes innumerabiles.

345 Non claudicans quis erret, magis autem ſanetur, ibid. *ideſt.* Quiſque ordinet affectiones ſuas ad ſanctificationem Fidei.

346 Deus noſter ignis conſumens eſt, ibid. *ideſt.* Impijs ad vindictam, iuſtis ad purgationem.

347 Chriſtus Ieſus heri, & hodie ipſe, & in ſæcula, cap. 13. *ideſt.* Chriſtus eſt in præterito, in præſenti, & in futuro, ſecundum Divinitatem, & ſecundum Humanitatem ante promiſſam, Cœlo, & Altari præſentem, & à Dei dexteram in perpetuum collocatam.

348 In Sanguine Teſtamenti æterni, ibid. *ideſt.* Promittentis æterna.

EX EPISTOLA IACOBI.

349 PATIENTIA autem opus perfectum habet, cap. 1. *ideſt.* Chriſtianus cum patientia adipiſcitur perfectionem.

350 Dives in itineribus ſuis marceſcet, ibid. *ideſt.* Potentia, & gloria divitum in morte franguntur, & ante mortem.

351 Deus intentator malorum eſt, ibid. *ideſt.* Non eſt immiſſor malorum criminum.

352 Genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius, ibid. *ideſt.* Vocavit nos per Chriſtum ad eſſe gratiæ, quod hic inchoatur, & in Cœlo perficitur.

353 Perficere Legem Regalem, cap. 2. *ideſt.* Sectari charitatem in Lege Gratiæ.

354 Superexaltat miſericordia iudicium, ibid. *ideſt.* In negotio iuſtitiæ prævaleat quantum poſsit miſericordia.

355 Ubi zelus, & contentio, ibi inconſtantia, cap. 3. *ideſt.* Animo fluctuat, qui indiſcreto zelo, & verboſa contentione movetur.

Ami-

356 Amicitia huius mundi inimica eſt Deo, cap. 4. *ideſt.* Adhæſio in ordinata ad delectabilia facit à Deo recedere.

357 Miſeri eſtote, & lugete, & plorate, cap. 4. *ideſt.* Humiliamini, vt Deus miſereatur veſtri.

358 In die occiſionis adduxiſtis, & occidiſtis iuſtum, cap. 5. *ideſt.* Furente perſecutione interemiſtis innocentem.

359 Patientèr ferre, & expectare temporaneum, & ſerotinum, ibid. *ideſt.* Pluviam de Cœlo tempeſtivam, & veſpertinam, vel ſerò advenientem.

EX EPISTOLA I. PETRI.

360 IN quem deſiderant Angeli proſpicere, cap. 1. *ideſt.* Cuius beata viſione ſemper ſatiantur, & ſine crutiatu ſemper anhelant.

361 Succincti lumbos mentis veſtræ, ibid. *ideſt.* Caſti mente, & corpore.

362 Sine dolo lac concupiſcere, cap. 2. *ideſt.* Quærere ſimplicia rudimenta Fidei de vberibus Matris Eccleſiæ.

363 Lapis offenſione, & petra ſcandali, ibid. *ideſt* Chriſtus eſt petra, ad quam alliditur obſtinatio Iudæorum.

364 Genus electum Regale Sacerdotium, Populus acquiſitionis, ibid. *ideſt.* Chriſtianorum cætus.

365 Quæ eſt enim gratia, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? ibid. *ideſt.* Quid mirum ſi propter crimina toleratis?

366 Non ſit mulierum extrinſecus cappillatura, aut circumdatio auri, ſed qui abſconditus eſt homo cordis quieti, & modeſtiæ, & cap. 3. *ideſt.* Mulieres honeſtæ ſint, non exteriori ornatu, ſed interiori homine.

367 Timorem eorum ne timueritis, ibid. *ideſt.* Timores incuſſos, & iniurias illatas ne expaveſcatis.

368 Conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, ibid. *ideſt.* Sana, & ſyncera confeſsio Fidei in Baptiſmo elicita.

369 Nolite peregrinari fervore, qui ad tentationem vobis ſit, cap. 4. *ideſt.* Fervente perſecutione nolite abire, ſed ſuſtinere.

EX EPISTOLA II. PETRI.

370 CURAM omnem ſubinferentes, cap. 1. *ideſt.* Diligentiſsimè vigilantes.

371 Velox eſt depoſitio Tabernaculi mei, ibid. *ideſt.* Mors mea appropinquat.

372 Quibus iudicium non ceſſat, & perditio non dormitat, cap 2. *ideſt.* Infernus eſt paratiſsimus pro ſceleratis.

373 Octavum Noe iuſtitiæ præconem cuſtodivit, ibid. *ideſt.* Noe octavus erat cum ſeptem ingreſsis in Arcam.

374 Angeli non portant adverſus te execrabile iudicium, ibid. *ideſt.* Angelis malis importabilis eſt pœna ſuæ damnationis.

375 Fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, ibid. *ideſt.* Inſipientes ſuperbi, & caliginoſi.

376 Canis reverſus ad vomitum, ibid. *ideſt.* Qui poſt lumen iuſtitiæ retrorſus abijt.

377 Unus dies apud Dominum ſicut mille anni, cap. 3. *ideſt.* Nihil ſunt temporalia reſpectu æternorum.

378 Chriſti longanimitatem ſalutem arbitramini, ibid. *ideſt.* Remunerationis veſtræ dilationem incrementum præmij, & meriti reputate.

EX EPISTOLA I. IOANNIS.

379 AMBULARE in luce, cap. 1. *ideſt.* Vivere in operibus meritorijs.

380 Concupiſcentia carnis, concu-

cupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, cap. 2. *ideſt*. Luxuria, avaritia, & ſuperbia.

381 Ab initio diabolus peccat, cap. 3. *ideſt*. Statim à conditione ſua.

382 In conſpectu veritatis ſuadevimus corda noſtra, ibid. *ideſt*. Corda noſtra confidentèr præſentare poterimus.

383 Solvere Ieſum, cap. 4. *ideſt*. Negare eius Divinitatem, vel animam, & carnem, & præcepta eius negligere.

384 Victoria, quæ vincit mundum eſt Fides noſtra, cap. 5. *ideſt*. Tentationes Diaboli, & perſecutiones ſuperat Fides charitate formata.

385 Hic eſt, qui venit per aquam, & ſanguinem, ibid. *ideſt*. Chriſtus baptizans nos, & moriens propter nos.

386 Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis; & hi tres vnum ſunt. *ideſt*. Anima Chriſti, & aqua, & ſanguis, quæ de ſuo Sancto latere profluxere, quæ vnum ſunt in eadem aſſentione veritatis.

387 Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem, ibid. *ideſt*. Peccans non finalitèr oratione iuvabitur ad pœnitendum.

388 Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis, ibid. *ideſt*. Peccatum cum impœnitentia finali, indelibile iam eſt, & inexorabile.

EX EPISTOLA II. IOANNIS.

389 QUI permanet in doctrina, hic, & Patrem, & Filium habet, cap. 1. *ideſt*. Qui ſecundum Evangelium ſapit, & agit, Filium ſequitur, & videbit Patrem.

EX EPISTOLT III. IOANNIS.

390 QUOS benefacies deducens digne Deo, cap. 1. *ideſt*. Peregrinos in beneficentia conducens, digna Deo geris.

EX EPISTOLA IUDÆ.

191 SUPERCERTARI traditæ Fidei, cap. 1. *ideſt*. Pro Fide fortitèr reſiſtere, & dimicare.

392 Facti ſunt exemplum ignis æterni, ibid. *ideſt*. Significantes æternam combuſtionem.

393 In via Cain abire, ibid. *ideſt*. Invidum eſſe.

394 Errore Balaam mercede effuſi ſunt, ibid. *ideſt*. Chriſto propter lucrum, & avaritiam maledicentes.

395 Maculæ convivantes, nubes ſine aqua, ibid. *ideſt*. In comeſſationibus, & compotationibus ſordeſcentes, & caligantes levitate ſuperbiæ.

396 Arbores Autumnales infructuoſæ, bis mortuæ eradicatæ, ibid. *ideſt*. Homines aridi in ſpiritu ſemel, & iterum lapſi, & radicè charitatis avulſi.

397 Fluctus feri maris, ibid. *ideſt*. Inquieti, tumidi, & ſtabilitatem Eccleſiæ impugnantes.

398 Deſpumantes ſuas confuſiones. *ideſt*. Sydera errantia, leviſsimos inflatos, confuſioniſque errores diſſeminantes.

399 Hos arguite iudicatos; illos verò ſalvate de igne rapientes, ibidem. *ideſt*. Hos pro Eccleſiæ vtilitate convincite, vt Divino Iudicio damnatos; illos veró, qui obſtinati non ſunt, per bonam doctrinam eripite de igne vitiorum, & tormentorum.

400 Alijs autem miſeremini in timore, odientes eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam, ibid. *ideſt*.

Pec-

Peccatoribus alijs non hæreticis miſeremini, eorum interdum ſordes, & crimina deteſtantes.

EX APOCALYPSI Ioannis Apoſtoli.

401 TESTIMONIUM perhibere Verbo Dei, cap. 1. *ideſt.* Teſtificari, quæ Deus loquitur.

402 Etiam Amen, ibid. *ideſt.* Veritas irretractabilis.

403 Habere claves mortis, & Inferni, ibid. *ideſt.* Poteſtatem in æternum perdendi quos malit.

404 Movebo candelabrum tuum de loco tuo, ibid. *ideſt.* Puniam te ſubſtrahendo ſubditos à tua obedientia.

405 Qui vicerit, non lędetur à morte ſecunda, ibid. c. 2. *ideſt.* Non lædetur ab Inferno.

406 Pugnabo cum illis in gladio oris mei, ibid. *ideſt.* Convincam illos fornicarios dicendo: ite in ignem æternum.

407 Ambulabunt mecum in albis, cap. 3. *ideſt.* Syncerè Chriſtum ſequentes, & Hipochryſim deteſtantes.

408 Amen, teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei, ibid. *ideſt.* Æterna veritas, & Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia.

409 Exivit vincens, vt vinceret, cap. 6. *ideſt.* Vincens in Iudęa, vt vinceret totum Orbem.

410 Lavare Stolas in ſanguine Agni, cap. 7. *ideſt.* Pati martyrium.

411 Silentium in cœlo, cap. 8. *ideſt.* Ceſſatio laudum cœleſtium in Eccleſia, prohibente Iuliano Apoſtata.

412 Puteus Abyſsi, cap. 9. *ideſt.* Hæretici demerſi in profundiora nequitiæ.

413 In diebus vocis ſeptimi Angeli, cum cœperit tuba canere, conſummabitur Myſterium Dei, cap. 10. *ideſt.* Anti-Chriſti Adventus, & remuneratio Sanctorum.

414 Datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ, cap. 11. *ideſt.* Scriptura calamo ſcripta. Et in ſceptro ſuo admonens Reges.

415 Regere in virga ferrea, cap. 12. *ideſt.* Cum iuſtitia inflexibili moderari.

416 Nomina non ſcripta in libro vitæ agni, qui occiſſus eſt ab origine mundi, cap. 13. *ideſt.* Reprobi.

417 Primitiæ Deo, & agno, cap. 14. *ideſt.* Gratioſi in conſpectu Dei tamquam primi fructus.

418 Bibere de Vino Iræ Dei, ibid. *ideſt.* In æternum damnari.

419 Stare ſuprà mare vitreum, cap. 15. *ideſt.* Ablui Sacro Baptiſmate.

420 Venire ſicut fur, cap. 16. *ideſt.* Puniam impios repente quaſi dormientes.

421 Vinum proſtitutionis, cap. 17. *ideſt.* Fornicatio publica, & manifeſta.

422 Duplicate duplicia ſecundum opera eius, cap. 18. *ideſt.* Multiplicare mala peccantibus.

423 Calcare torcular vini furoris Iræ Dei Omnipotentis, cap. 19. *ideſt.* Iuſta punitio in malefactores.

424 Reſurrectio prima, cap. 20. *ideſt.* Beatitudo animarum.

425 A conſpectu eius fugit Terra, & Cœlum, ibid. *ideſt.* Coram Deo nihil eſt Creatura.

426 Ego ſum Alpha, & Omega, cap. 21. *ideſt.* Principium vnde cuncta oriuntur, & finis, ad quem cuncta ordinantur.

427 Civitas, in quadro poſsita eſt, ibid. *ideſt.* Per robuſtam fidem ſpem longanimem, charitatem amplam, & efficacem operationem.

428 Lignum vitæ, cap. 22. *ideſt.* Merces immortalitatis.

429 Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc, ibid. *ideſt.* Per Sanctas Prophetias liberum arbitrium relinquitur ad bonam, & malam operationem.

Hactenus de Adagialibus Novi Teſtamenti: quæ quidem de Apocalypſi collecta ſunt pauca, ſi nimirum, ad enigmata, & viſiones attenditur; quas tamen ſatius credo inter Adagialia non computari: atque ſi de huiuſcemodi audienda eſſet pœnitùs explicatio, non ſufficerent pro tàm arcana Scriptura grandia volumina, & commentaria. Collegi autem ea, quæ pro inſtituto noſtro, & intentione ſint ſatis. Utinam ſatis Lectoribus conſultura. Sed ne, & hic deſideret quiſpiam fontes vnde ad hæc eruenda confugerimus; præſtò ſunt ſcilicèt Illuſtriſsimus D. D. Garſias de Galarça in ſuis Inſtitutionibus Evangelicis, quas Venerabilis noſter P. Gaſpar Sanchez exornat, & fulcit, & ex quibus ea deprompta ſunt, quæ ad quatuor Evangeliſtas concernunt. Pro cæteris verò Libris Novi Teſtamenti conſulerimus Gloſſam Magnam iure optimo, vbique terrarum pro adeundis Sacris Biblijs ſemper ſolemnem, quò adire quiſque poterit, ſi forte malit.

Poſt hæc videbatur certè hic locus eſſe oportunus ad aliquid præmonendum, vel differendum de TAUTOLOGIJS, & ANTILOGIJS Sacræ Scripturæ; quatenus ad loquendi formulas videantur attinere. Dicitur autem Græcè *Tautologia* id, quod Latinè dicitur duplex loquutio rei eiuſdem; v. gr. *morte morieris*: *præcipiendo præcipimus*: *ſcrutari ſcrutationes*, *&c.* Sed cum de his Tautologijs Typi etiam nunc temporis locupletiſsimam eruditionem exſudent ſcriptu ea de re grandibus, vt puta, ad ſex, voluminibus per Doctiſsimum, & notiſsimum Monachum Villaroelium; ſatius eſt noſſe attingere cum conchula Occeanum: & eo Lectores, Iunioreſque in hoc genere diſcendi percupidos remittere, vbi ſtatim longiſsimè vltrà vota ſua fiant pleniſsimi, & locupletes. Antilogia itidem verbum eſt Græcum, quod Latinè idem valet, ac Sermoni ſermo contrarius; v.gr. Quod dicitur ad Libros Regum non fuiſſe in Arca, niſi duas Tabulas Lapideas; & tamen in Epiſtola ad Hebræos dicitur in ea fuiſſe Urnam Manna, & Virgam Aaron, quæ fronduerat. In quo genere multa loca ſunt, quæ, ſicuti non parum negotij faceſſunt, ita verè torquent Interpretes. Qui tamen ſunt pro hoc genere non modò ſalutandi; ſed novitèr evolvendi, vtpotè, qui hanc in ſe de munere ſuo Provinciam ſuſceperunt. Verumtamen, ſi quis inter ea aveat ſcire: vbinam collectim, & ſigillatim de huiuſmodi Antilogijs aliqua apparetur ſuppellex; in primis depromo Sanctacrucium Collegam Maiorem Conchenſem, qui de Pentateucho obſervabit quas potuit: ſed præter hunc eſt vberior, & locupletior noſter P. Iacobus de Montefrio, verbo *Antilogi* in ſua Methodo Didaſcalica veriſsimi, & pleniſsimi gravida Magiſterij, ſect. 7. Ubi, & Cumiranum in contrapoſitionibus ſuis, & Iulianum in interrogationibus adfert, qui magis ex profeſſo rem attigire. Præterea de ETYMOLOGIJS Sacris ſcripſit perelegantèr opus, & Hebraica, & Græca eruditione reſperſum Fr. Ildephonſus Remon ex Inclyta Mercedaria Familia alumnus præclarus, & Generalis Chronographus. Quo iam de Tautologijs, Antilogijs, & Etymologijs Biblicis non penitus conticeſcimus.

APPA-

JHS.

APPARATUS
AD PALÆSTRAM BIBLICAM.
PARS QUINTA.
SYLLABUS DOCTORUM.

PROOEMIUM.

INTER EA, QUÆ APPARATUM AD TRACTANDAS Sacras Scripturas complere debent, proculdubio Doctorum ea in re, atque interpretum index adnumerandus est: ij enim homines legitimæ quædam claves sunt, quibus Sacræ Scripturæ sunt aperiendæ. Quare cum inter alios Ioannes Georgius in suo Indice vniversali largissimè scripserit; Fabianus Iustinianus copiosè, temperatius tamen nostri Bellarminus, & Fabritius Britius; hos potius sectati sumus: atque ad ipsorum laborem non nihil adiecimus, vt indicem pararemus. Ubi autem B. M. ponitur *Bibliotheca Magna*: vbi verò S. I. *Societas Iesu* significatur.

IN OMNEM SCRIPTURAM.

ANCTUS Athanasius.
Anselmus Laudunensis, Author Glossæ Interlinealis.
Dionysius Chartusianus.
Hugo de S. Caro.
Nicolaus Liranus.
Rabbanus Maurus.
Strabus Uvalfridus, Author Glossæ Ordinariæ.

NOSTRO TEMPORE.

Cornelius Alapide, exceptis Iob, & Psalmis, S. I.

Leonardus Marius. Biblia Maxima Ioannis de Haye.
Emmanuel Sà, S. I.
Iacobus Gordonius, S.I.
Iacobus Salianus, S.I.
Iacobus Tyrinus, S. I.
Ioannes Mariana, S. I.
Ioan. Stephanus Menochius, S. I.
Petrus Lanſelius, S. I.
Guillermus Æſtius, S. I.

IN GENESIM.

ALCIMUS Avitus, M. B.
Alphonſus Toſtatus, ſivè Abulenſis.
Beda.
S. Cyrillus Alexandrinus.
Claudius Marius Victor, M.B.
S. Eucherius, M. B.
S. Gregorius Nyſſenus.
S. Hilarius.
Hugo de S. Victore.
S. Ioannes Chryſoſtomus.
S. Iſidorus.
Iunilius Africanus, B. M.
Origenes.
Procopius.
Ruffinus.
Rupertus.
Thomas Caietanus.
S. Zeno Veronenſis, M. B.
Abulenſis.

QUÆSTIONES IN GENESIM.

ALCUINI.
S. Auguſtin.
Bedæ.
S. Hieronymi.
Theodoreti.

IN HEXAMERON.

ADO Carnoſtenſis, M.B.
S. Anaſtaſius Sinaita, M. B.
S. Ambroſius.
S. Auguſtinus de Geneſi ad litt. & lib. 3. Confeſsionum.
S. Baſilius.
S. Bonaventura.
Dracontius.
Georgius Piſida, M.B.
Ioannes Picus.
Moſes Barcepha, M.B.

NOSTRO TEMPORE.

Aloyſius Lipomanus.
Ambroſius Catharinus.
Aſcanius Martinengus.
Benedictus Fernandius, S. I.
Benedictus Pererius, S. I.
Coſmas Magallianus, S. I.
Didacus Zelada, S. I.
Gabriel Acoſta.
Hieronymus Oleaſter.
Hieronymus Vielmius.
Lucas Montoia.
Ludovicus Yſtella.
Marinus Merſenius.
Martinus del Rio, S. I.
Iacobus Bonfrerius, S. I.
Fr. Ioannes de Haye in Arbore Vitæ.
Fr. Petrus Vincentius Marcilla.
Guillelmus Hamerus.
Antonius Perez.
Ferdinandus Sanctæ Crucis.

IN EXODUM.

ALCIMUS Avitus, M. B.
Alphonſus Toſtatus Abulenſis, Ep.
S. Ambroſius.
Beda.
S. Cyrillus Alexandrinus.
S. Gaudentius Brixienſis, M.B.
S. Hieronymus.
Hugo de S. Victore.
S. Iſidorus.
Origines.
Procopius.
Rupertus.
Thomas Caietanus.
S. Zeno Veronenſis, M. B.

QUÆSTIONES IN EXODUM.

S. Auguſtini.
Theodoreti.

NOSTRO TEMPORE.

Aloyſius Lipomanus.
Balthaſar Paez.
Benedictus Pererius, S. I.
Coſmas Magallianus, S. I.
Hieronymus Oleaſter.
Lucas Montoia.
Ludovicus Yſtella.
Petrus Roverius, S. I.
Sebaſtianus Barradius, S. I.
Antonius Perez.
Ioann. de Haye.
Petrus Marcilla.
Ioannes Nodinus.
Iacobus Bonfrerius, S. I.
Ferdinandus Sanctæ Crucis.

IN LEVITICUM.

ALPHONSUS Abulenſis, Epiſcopus.
S. Ambroſius.
Beda.
S. Cyrillus Alexandrinus.
S. Hieronymus.
Hugo de Sancto Victore.
S. Iſidorus.
Origenes.
Phylo Hebræus.
Procopius.
Rodulphus Flaviocenſis, M. B.
Rupertus.
Thomas Caietanus.
Iſiclius, M. B.

QUÆSTIONES IN LEVITICUM.

S. Auguſtini.
Theodoreti.

NOSTRO TEMPORE.

Hieronymus Oleaſter.
Ioannes Lorinus, S. I.
Lucas Montoia.
Petrus Roverius, S. I.
Petrus Serarius.
Iacobus Bonfrerius, S. I.
Petrus Marcilla.
Antonius Perez.
Ferdinandus Sanctæ Crucis.

IN NUMEROS.

ALPHONSUS Toſtatus Abulenſis, Epiſcopus.
S. Ambroſius.
Beda.
S. Cyrillus Alexandrinus.
Hugo de Sancto Victore.
S. Iſidorus.
Origenes.
Procopius.
Rupertus.
Thomas Caietanus.

NOSTRO TEMPORE.

Hieronymus Oleaſter.
Ioannes Lorinus, S. I.
Lucas Montoia.
Petrus Roverius.
Iacobus Bonfrerius, S. I.
Petrus Marcilla.
Antonius Perez.
Ferdinandus Sanctæ Crucis.

IN DEUTERONOMIUM.

ALPHONSUS Abulenſis, Epiſcopus.
S. Ambroſius.
Beda.
S. Cyrillus Alexandrinus.
Hugo de Sancto Victore.
S. Iſidorus.
Rupertus.
Thomas Caietanus.

QUÆSTIONES IN DEUTER.

S. Auguſtini.
Theodoreti.

NOSTRO TEMPORE.

Coſmas Magallianus, S. I.
Hieronymus Oleaſter,

Ioannes Lorinus, S. I.
Lucas Montoia.
Petrus Roverius, S. I.
Iacobus Bonfrer. S. I.
P. Marcilla.
Antonius Perez.
Ferdinandus Sanctæ Crucis.

IN IOSUE.

ALPHONSUS Abulenſis, Epiſcopus.
Hugo de Sancto Victore.
S. Iſidorus.
Origenes.
Procopius.
Rupertus.
Thomas Caietanus.

QUÆSTIONES IN IOSUE.

S. Auguſtini.
Bedę.
Theodoreti.

NOSTRO TEMPORE.

Andreas Maſsius.
Coſmas Magallianus, S. I.
Iacobus Bonfrerius, S. I.
Nicolaus Serarius, S. I.
Manuel de Naxera, S. I.
Pedro Ariztizabal.

IN IUDICES.

ALPHONSUS Abulenſis, Epiſcopus.
Hugo de Sancto Victore.
S. Ioann. Chryſoſtomus.
S. Iſidorus.
Origenes.
Thomas Caietanus.

QUÆSTIONES IN IUDICES.

S. Auguſtini.
Bedæ.
Theodoreti.

NOSTRO TEMPORE.

Coſmas Magallianus, S. I.
Iacobus Bonfrerius, S. I.
Ioannes Freire, S. I.
Nicolaus Serarius, S. I.
Thomas Calona.
Manuel de Naxera, S. I.

IN RUTH.

ALPHONSUS Abulenſis, Epiſcopus.
Beda.
Thomas Caietanus.

NOSTRO TEMPORE.

Coſmas Magallianus, S. I.
Gabriel Acoſta.
Iacobus Bonfrerius, S. I.
Nicolaus Serarius, S. I.
Didacus Zelada, S. I.
Fr. Franciſcus Fevardentius.
Gaſpar Sanchez, S. I.

IN LIBROS REGUM.

ALPHONSUS Abulenſis, Epiſcopus.
S. Ambroſius.
Angelomus, M. B.
S. Auguſtinus.
Beda.
S. Eucherius, M. B.
S. Gregorius.
S. Hieronymus.
Hugo de Sancto Victore.
S. Ioann. Chryſoſtomus.
S. Iſidorus.
Origenes homilia vna.
Richardus Victorinus.
Rupertus Tuicienſis.
Thomas Caietanus.

NOSTRO TEMPORE.

Claudius Rangolius.
Franciſcus de Mendoza, S. I.
Franciſcus Ribera, S. I.
Gaſpar Sanctius, S. I.
Hieronymus Sopranis, S. I.
Iacobus Bonfrerius, S. I.
Ioann. Baptiſta Villalpandus, S. I.

Ioannes Pineda, S. I.
Martinus Stephanus, S. I.
Nicolaus Serarius, S. I.
Rodolpho de Cordova, S. I.
Emmanuel de Naxera, S. I.

IN LIBROS PARALYPOMENON.

ALPHONSUS Abulenſis.
S. Hieronymus.
Thomas Caietanus.
Dionyſius Cartuſianus.
NOSTRO TEMPORE.
Gaſpar Sanctius, S. I.
Nicolaus Serarius, S. I.
Cornelius Alapide, S. I.

IN ESDRAM.

BEDA.
Hugo de Sancto Victore.
Thomas Caietanus.
Ioannes Paulus Oliva, S. I.
Gaſpar Sanchez, S. I.

IN TOBIAM.

S. AMBROSIUS.
Beda.
Hugo de Sancto Victore.
NOSTRO TEMPORE.
David à Mauden.
Didacus de Zelada, S. I.
Fabianus Iuſtinianus.
Nicolaus Serarius, S. I.
Gaſpar Sanchez, S. I.

IN IUDITH.

HUGO de Sancto Victore.
NOSTRO TEMPORE.
Didacus de Zelada, S. I.
Lucas Velleſius, S. I.
Nicolaus Serarius, S. I.
Gaſpar Sanchez, S. I.
Joſeph de la Cerda.

IN ESTHER.

HUGO de Sancto Victore.
Thomas Caietanus.
NOSTRO TEMPORE.
Franciſcus Fevardentius.
Nicolaus Serarius, S. I.
Gaſpar Sanchez, S. I.
Didacus Zelada, S. I.

IN IOB.

S. AMBROSIUS.
S. Auguſtinus.
Beda.
S. Gregorius.
S. Hieronymus, ſi tamen eius ſit.
S. Odon Abbas, M. B.
Olympiodori Catena.
Origenes, ſi tamen eius ſit.
Petrus Bleſenſis, M. B.
S. Thomas Aquinas, ſi ſit eius.
S. Zeno Veronenſis, B. M.
NOSTRO TEMPORE.
Franciſcus Fevardentius.
Franciſcus Tytelmanus.
Iacobus Bolducius.
Ioannes de Pineda, S. I.
Paulus Comitolus, S. I.
Gaſpar Sanchez, S. I.
Balthaſar Corderius, S. I.
Zuñiga.

IN PSALMOS.

HAYMO.
Alcuinus.
S. Ambroſius.
S. Anaſtaſius Sinaita, M. B.
Apollinarius, M. B.
Arnobius Iunior, M. B.
S. Auguſtinus.
S. Baſilius.
Beda.
S. Bonaventura.
Bruno Herbipolenſis, M. B.

Caſiodorus.
Euthymius.
Franciſcus Titelmanus.
S. Gregorius.
S. Gregorius Nyſſenus.
Guillelmus Pariſienſis.
S. Hieronymus.
S. Hilarius.
Hugo de Sancto Victore.
Petrus Lombardus.
Iacobus de Valentia.
Gilbertus Genebardus.
Idiota, M.B.
Incognitus ſeu Michael Arquanus.
Innocentius III.
S. Ioann. Chryſoſtomus.
Origenes.
Paſchaſius Ratbertus, M. B.
S. Proſper. M. B.
Remigius, M. B.
Ricardus de Sancto Victore.
Ruffinus.
Rupertus.
Theodoretus.
S. Thomas.
Urbanus IV. M. B.
S. Zeno Veronenſis, M. B.

NOSTRO TEMPORE.

Adrianus Cromnius, S. I.
Antonius Agelius.
Auguſtinus Stuecus.
Balthaſar Corderius, S. I.
Claudius Aquaviva, S. I.
Cornelius Ianſenius.
Dionyſius Petavius, S. I.
Franciſcus Montmorenci, S. I.
Franciſcus Toletus, S. I.
Gaſpar Sanctius, S. I.
Georgius Uviltuveiber, S. I.
Catena Lypomani.
Io: Antonius Velazquez, S. I.
Ioannes Lorinus, S. I.
Ioannes Maldonatus, S. I.
Ioannes Renaudianus, S. I.
Iulius Mazarinus, S. I.
Ludovicus Alcazar, S. I.
Ludovicus Crucius, S. I.
Ludovicus Maignetus, S. I.
Martinus de la Carce.
Martinus de Roa, S. I.
Ioannes Azor, S. I.
Petrus de Vega.
Robertus Bellarminus, S. I.
Simeon de Muris.
Vincentius Gilibertus.
Daniel Barbarus.
Alphonſus Avendaño.
Antonius Agellius.
Petrus Figueiras.
Franciſcus Pitteus.

IN PROVERBIA.

S. AMBROSIUS.
S. Beda.
Guillelmus Pariſienſis.
S. Hieronymus, ſi ſit eius.
Honorius Auguſtod. M. B.
Salonius Vienenſis, M. B.
Thomas Caietanus.

NOSTRO TEMPORE.

Cornelius Ianſenius.
Ferdinandus Quirinus Salazar, S. I.
Theodorus Peltanus, S. I.
Rodolpho Bayno.
Antonius à Matre Dei Apis Liban.

IN ECCLESIASTEM.

ALCUINUS.
S. Bonaventura.
S. Gregorius Nyſſenus.
S. Gregorius Taumaturgus.
Guillelmus Pariſienſis.
S. Hieronymus.
Honorius Auguſtad. M. B.
Olympiodorus, M. B.
Salonius Viennenſis, M. B.
Thomas Caietanus.
Dioniſius Carthuſianus.

NOSTRO TEMPORE.

Franciſcus Titelmanus.
Hieronymus Oſſorius.
Ioannes Lorinus, S. I.
Ioannes de Pineda, S. I.
Ioannes Tollenarius, S. I.

Ioan-

Ioannes Fernandus Dominicanus.

IN CANTICA.

AMBROSIUS Ansbertus.
Angelomus. M. B.
Ægidius Romanus.
Aponius. M. B.
Beda.
S. Bernardus.
S. Gregorius Niſſenus.
S. Gregorius Papa.
Dionyſius Carthuſianus.
Innominatus.
Iuſtus Orgellitanus, M. B.
Ludovicus Sotomaior.
Matheus Catacucenus.
Michael Pſellus, M. B.
Origenes.
Paylo Carpathius, M. B.
Richardus de Sancto Victore.
Robertus Olkot.
Rupertus Tuitienſis.
Theodoretus.
S. Thomas.

NOSTRO TEMPORE.

Andræas Pintus, S. I.
Arnoldius Cothius, S. I.
Diego Perez de Valdivia.
Fernandus Quirinus de Salazar, S. I.
Franciſcus Titelmanus.
Gaſpar Sanctius, S. I.
Ioannes Azor, S. I.
Ioannes à Ieſu Maria.
Ioannes de los Angeles.
Ioannes de Pineda, S. I.
Ludovicus Alcazar, S. I.
Ludovicus Legionenſis.
Ludovicus de Ponte, S. I.
Martinus del Rio, S. I.
Michael Ghislerius.
Michael Murazana.
Paulus Areſius.
Paulus Sherlogus, S. I.
Tuccius Tuccius.
Vincentius Ricardus.
Zyprianus.

IN SAPIENTIAM.

S. BONAVENTURA.
Dionyſius Carthuſianus.
Robertus Olkot.

NOSTRO TEMPORE.

Chriſtophorus Caſtrius, S. I.
Cornelius Ianſenius.
Gaſpar Sanctius, S. I.
Gundiſalvus Zervantes.
Ioannes Lorinus, S. I.
Laurentius Aponte.

IN ECCLESIASTICUM.

S. AMBROSIUS.
Dionyſius Carthuſianus.
S. Hieronymus.
Nicolaus de Gorran.
Robertus Olkot.

NOSTRO TEMPORE.

Cornelius Ianſenius.
Franciſcus de Zepeda, S. I.
Gaſpar Sanctius, S. I.
Ioannes de Pigna, S. I.
Octavianus de Tufo, S. I.
Oliverius Bonartius, S. I.
Salvator de Leon, S. I.

IN ISAIAM.

AELREDUS Abbas, M. B.
S. Ambroſius.
S. Baſilius.
S. Cyrillus Alexandrinus.
S. Hieronymus.
Ioachimus Abbas.
S. Ioannes Chryſoſtomus.
Origenes.
Procopius.
Rupertus Tuicienſis.
S. Thomas.
S. Zeno Veronenſis, M. B.

NOSTRO TEMPORE.

Adamus Sasbout.
Andræas Lucæ, S. I.
Auguſtinus de Quirós, S. I.

Balthaſar Paez.
Franciſcus Forerius.
Gabriel Alvarez, S. I.
Gaſpar Sanctius, S. I.
Guillelmus Ionſtonus, S. I.
Hector Pintus.
Hieronymus Oleaſter.
Ioannes Maldonatus, S. I.
Leo à Caſtro.
Merellus Caraciolus, S. I.
Petrus Maucors, S. I.
Gabriel Alvarez.

IN IEREMIAM.

HAYMO.
S. Ambroſius.
S. Bonaventura.
S. Hieronymus.
Hugo de S. Victore.
Ioachinus Abbas.
Origenes.
Rupertus Tuicienſis.
Theodoretus.
S. Thomas.

NOSTRO TEMPORE.

Andræas Cappella, Cartuſianus.
Benedictus Mandina.
Chriſtophorus Caſtrius, S. I.
Gaſpar Sanchez, S. I.
Ioannes à Ieſu Maria.
Ioannes Coſtanus, S. I.
Ioannes Maldonatus, S. I.
Lælius Biſciola, S. I.
Michael Ghislerius.

IN THRENOS.

S. Bonaventura.
S. Hugo de S. Victore.
Paſchaſius Ratbertus, M. B.

NOSTRO TEMPORE.

Antonius Agellius.
Chriſtophorus Caſtrius, S. I.
Gabriel Acoſta.
Martinus del Rio, S. I.
S. Franciſcus Borgia, S. I.

IN EZECHIELEM.

S. Auguſtinus.
S. Gregorius Papa.
S. Hieronymus.
Origenes.
Richardus de S. Victore.
Rupertus Tuicienſis.
Theodoretus.
Dionyſius Cartuſianus.

NOSTRO TEMPORE.

Hector Pintus.
Andræas Lucas.
Balthaſar Paez.
Gaſpar Sanchez, S. I.
Hieronymus Pratus, & Ioannes Baptiſta Villalpandus, S. I.
Ioannes Maldonatus, S. I.

IN DANIELEM.

S. Ambroſius.
S. Hieronymus.
Ioachinus Abbas.
Origenes.
Rupertus Tuicienſis.
Theodoretus.
S. Zeno Veronenſis, M. B.

NOSTRO TEMPORE.

Benedictus Pererius, S. I.
Gaſpar Sanchez, S. I.
Ioannes Maldonatus, S. I.
Ludovicus Alcazar, S. I.

IN PROPHETAS MINORES.

S. Ambroſius.
Albertus Magnus.
S. Ciryllus Alexandr.
Didacus Daza, S. I. V. in Epiſt. Canon.
S. Hieronymus.
Hugo de S. Victore.
Iulianus Toletanus, M. B.
Remigius Antiſiod.
Ruffinus.
Rupertus.
Theodoretus.
Theophylactus.
S. Zeno Veronenſis, M. B.
Dionyſius Carthuſianus.

NOSTRO TEMPORE.

Antonius Agellius in Canticum.
Habacuc.
Antonius Guevara, in Habacuc.
Auguſtinus de Quirós, in Nahum, & Malachiam, S.I.
Benedictus Arias Montanus, ſed cautè ligendus.
Chryſtophorus Caſtrius, S.I.
Chryſtophorus Contreras, S.I. in Sophoniam.
Didacus Martinez, S.I. in Abdiam.
Franciſcus de Franchis, in Oſſeam.
Franciſcus Ribera, S.I. in Omnes.
Gabriel Acoſta, in Ionam, & Malachiam.
Gabriel Alvarez, S.I. in Oſſeam.
Gaſpar Sanctius, in Zachariam, S.I.
Iacobus Pontanus, reddens, è græco latinum.
S. Cyrillus in 12. Prophetas.
Minores, S.I.
Ioann. Baptiſta Vuvers, in Ionam, S.I.
Ioannes EKius, in Aggæum.
Ioannes Maldonatus, S.I.
Ioannes Philippœus, S.I.
Ioannes de Reyroles, in Zachariam
Martinus de Roa, in Habacuc, S.I.
Franciſcus Salinus, in Ionam, S.I.
Gaſpar del Grajar, in Michæam.
Zuñiga, in Zachariam
Guadalupe, in Oſſeam.
Petrus Figueiro.
Michael Palacios.

IN LIBROS MACHABÆORUM.

HUGO de S. Victore.
S. Thomas.

NOSTRO TEMPORE.

Gaſpar Sanctius, S.I.
Ioſephus Sthephanus, Epiſcopus Oriolanus.
Nicolaus Serarius, S.I.
Cornelius Alapide, S.I.

IN QUATUOR EVANGELIA.

P. Ioannes Maldonatus S.I.
P. Cornelius Alapide, S.I.
Cornelius Ianſenius.
Ioannes Gaſneius.
Thomas Beauxamii.
Franciſcus de Roxas.
Catena, D. Thomæ.
Vincentius Regius.
Hylarion.
Michael de Palacios.
Franciſcus Lucas Burgenſis.
Simon de Caſsia.
Nicolaus Gouranus.
Adamus Contzen.
Alphonſus Salmeron, S.I.
Sebaſtianus Barradas, S.I.
Didacus Baeza, S.I.
Albertus Magnus.
Franciſcus Garcia.
Antonius Eſcovar.
Dionyſius Carthuſianus.
Ioannes de Sylveira.
Franciſcus Cydron.
Illuſtriſsimus Siuri.
Genarus Caracciolus.
Hieronymus Natales, S.I.
Ioannes à Louſanio.
Ioannes de Haye Servius, S.I.
Ioannes Ferus.
Lælius Biſciola, S.I.
Paulus Palatius.
Petrus Morales, in cap. 1. S.I.
Aphonſus Avendaño.
Gaſpar Mello.

IN MATHÆUM.

ALPHONSUS Abulenſis, Epiſc.
S. Anſelmus.
S. Auguſtinus, de Sermone Domini in Monte, & quæſtiones eiuſdem.
Beda.
S. Bonaventura in cap. 6.
Claudius Scotus.
Chriſtianus Druthmarus, M.B.

S. Cromatius in Cap. 5. M. B.
Euthymius.
S. Gregorius Nyſſenus in Cap. 5. & 6.
Guilhelmus Pariſienſis.
S. Hieronymus.
S. Hilarius.
Incerti opus imperfectum.
S. Joann. Chryſoſtomus.
Origenes.
Paſchaſius Ratbertus, M. B.
Ricardus de Media Villa.
Rupertus.
S. Theophilus Antiochenus.
Theophilactus.
S. Thomas.
Thomas Caietanus.
Zacharias Chryſopolitanus, M.B.

NOSTRO TEMPORE.

Alexander Peregrinus, S.I.
Aloyſius Novarinus.
Alphonſus Salmeron, S.I.
Cornelius Janſenius.
Didacus de Baeza, S.I.
Ferdinandus Jaen, S.I.
Franciſcus Gutierrez, S. I.
Franciſcus Lucas Burgenſis.
Hieronymus de Guevara, S.I.

IN MARCUM.

BEDA.
Euthymius.
S. Hieronymus.
S. Joan. Chryſoſtomus.
S. Theophilo Antiochenus, M. B.
Theophylactus.
S. Thomas Aquinas.
Thomas Caietanus.
Victor Antiochenus, M.B.
Zacarias Chryſopolitanus, M. B.

NOSTRO TEMPORE.

Ioannes Suarez.
Ioannes à Fonte.

IN LUCAM.

S. AMBROSIUS.
Beda.
S. Bernardus Super *miſſus eſt.*
S. Bonaventura.
Euthymius.
S. Joan. Chryſoſtomus.
Theophylactus.
S. Theophylus Antiochenus.
Titus Boſtrenus, M.B.
Thomas Caietanus.
Zacharias Chryſopolitanus, M. B.

NOSTRO TEMPORE.

Didacus Stella.
Ferdinandus Jaen, S.I.
Franciſcus Toletus, S.I.
Joannes de la Haye Servius, S.I.

IN IOANNEM.

ALCUIMUS.
S. Auguſtinus.
Beda.
S. Bonaventura.
S. Cyrillus Alexandrinus.
Euthymius.
Hugo de S. Victore.
S. Joannes Chryſoſtomus.
Nonus Panopolita, M.B.
Origenes.
Richardus de Media-Villa.
Rupertus.
Theophylactus.
S. Theophylo Antiochenus, B. M.
S. Thomas.
Thomas Caietanus.
Zacarias Chryſopolitanus, M.B.
S. Zeno Veronenſis, M.B.

NOSTRO TEMPORE.

Benedictus Pererius, S.I.
Franciſcus Toletus, S.I.
Franciſcus Ribera, S.I.

Joannes de Cuellar, S.I.
Joannes Ferus.
Joannes de la Haye Servius, S.I.
Aloisius Novarinus in vniversum Testamentum, novum, & in diversa Sacræ Scripturæ.
Benedictus Mandina in Evangelia quadragesimæ.

IN ACTA APOSTOLORUM.

BEDA.
S. Joan. Chrysostomus.
OEcumenius.
Thomas Caietanus.
Dionysius Carthus.

NOSTRO TEMPORE.

Alphonsus Salmeron, S.I.
Gaspar Sanctius, S.I.
Iacobus Bonfrerius, S.I.
Joannes Gagneus.
Joannes Lorinus, S.I.
Cornelius Alapide.
Bartholomæus Lintrensis.
Joannes Sylveira.

IN OMNES EPISTOLAS PAULI.

HAYMO.
S. Ambrosij nomine Commentarius.
S. Anselmus, seu potius Hervæus.
Beda.
Bruno.
Cælus Sedulius, M.B.
Gregorius de Arimino.
Hugo de S. Victore.
Iacobus Faber.
S. Ioan. Chrysostomus.
OEcumenius.
Petrus Lombardus.
Primasius, M.B.
Radulphus Flaviacensis.
S. Remigius Rhemensis, M. B.
Theophylactus.
Theodoretus.
S. Thomas Aquinas.
Thomas Caietanus.
Dionysius Carthus.

NOSTRO TEMPORE.

Alphonsus Salmeron, S.I.
Ambrosius Caharinus.
Benedictus Iustinianus, S.I.
Ioannes Gagneus.
Ioan. Velazquez, S.I.
Gabriel Vazquez, S.I.
Cornelius Alapide.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

ÆGIDIUS Romanus.
S. Augustinus.
Origenes.
Theodorus Cælesiriæ, M. B.

NOSTRO TEMPORE.

Adamus Cotzen, S. I.
Adamus Sasbout.
Benedictus Pererius, S.I.
Dominicus à Soto.
Franciscus Tytelmanus.
Franciscus Toletus, S. I.
Iacobus Saldoletus.
Læbius Bisciola, S.I.

IN EPISTOLAS ad Corinthios.

S. Zeno Veronensis, M.B.

NOSTRO TEMPORE.

Adamus Contzen, S.I.
Ioannes Covillonius, S.I.

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

S. Augustinus.
Claudius Altisiodorensis, M.B.
S. Hieronymus.

NOS

NOSTRO TEMPORE.

Adamus Contzen, S.I.
Adamus Sasbot.
Gabriel Vazquez, S.I.
Lælius Biſciola, S.I.

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

S. Hieronymus.

NOSTRO TEMPORE.

Adamus Sasbout.
Auguſtinus de Quirós, S. I.
Carolus Sagerius, S.I.

IN EPIST. AD COLOS. & Philippenſ.

ADAMUS Sasbout.
Auguſtinus de Quirós, S. I.
Gabriel Vazquez, S.I.
Ioan. Antonius Velazquez, in Epiſt. ad Philippenſes, S.I.

IN EPISTOLAM AD THESAL.

GABRIEL Vazquez, S. I. & alij.

IN EPISTOLAM AD TITUM, & Timot.

S. Hieronymus in Epiſtola ad Titum.
Adamus Sasbout, in priorem ad Timotheum.
Claudius Eſpecæus, in eamdem, ſed cautè legendus.
Ioannes à Lovanio, in eandem.
Adamus Sasbout, in poſterior. ad Timoth.
Coſmas Magallianus, in Epiſt. ad Tit. & Tim. S.I.
Hieronymus Torres, in priorem ad Timoth. S.I.
Ludovicus Soto Maior, in Epiſt. ad Tim. & Titum.

IN EPIST. AD PHILEMONEM.

S. Hieronymus.

NOSTRO TEMPORE.

Franciſcus Fevardentius.

IN EPISTOLA AD HEBRÆOS.

ADAMUS Sasbout,
Franciſcus Ribera, S.I.
Gabriel Vazquez, S.I.
Lælius Biſciola, S.I.
Ludovicus Tena.

IN EPISTOLAS CANONICAS.

BEDA.
Clemens Alexandrinus.
Didimus Alexandrinus, M.B.
OEcumenius.
S. Thomas.
Thomas Caietanus.

NOSTRO TEMPORE.

Alphonſus Salmeron, S.I.
Benedictus Iuſtinianus, S.I.
Ioannes Gagneus.
Ioannes Lorinus, S.I.
Nicolaus Serarus, S.I.
Arias Montanus.
Ambroſ. Cathar.

IN EPISTOLAM S. IACOBI.

GREGORIUS de Arimino.

NOSTRO TEMPORE.

Auguſtinus de Quirós, S.I.
Balthaſar Paez.

Di-

Didacus Daza, S. I. V. in Epiſt. Canon.

IN PRIOREM S. PETRI.

FRANCISCUS Fevardentius.
Ioannes à Lovanio, V. in Epiſt. Canon.

IN POSTER. S. PETRI.

ADAMUS Sasbout.
Franciſcus Fevardentius, Vid. in Epiſt. Canon.

IN PRIMAM S. IOAN. ET Reliquas.

S. Auguſtinus.
Ioannes à Lovanio, V. in Epiſt. Canon.

IN EPIST. S. IUDÆ.

ADAMUS Sasbout.
Auguſtinus de Quirós, S. I.
Iacobus Balducius.
Ioannes de Moncada, S. I.
Petrus Martinez.

IN APOCALYPSIM.

S. Ambroſij nomine Commentarius.
Ambroſius Ansbertus, M. B.
Andræas Cæſarienſis, M. B.
Antiochius Brondus.
S. Anſelmus.
Aretas Cæſarienſis, M. B.
Beda.
Dionyſius Carthuſ.
Haymo.
Ioachimus Abbas.
OEcumenius.
Promaſius, M. B.
Richardus Victorinus.
Rupertus.
S. Victorinus Martyr, M.B.

NOSTRO TEMPORE.

Alphonſus Salmeron, S. I.
Benedictus Arias Montanus.
Benedictus Pererius, S. I.
Blaſius Viegas, S. I.
Cælius Panonius.
Franciſcus Ribera, S. I.
Franciſcus à Ieſu Maria.
Ioannes Gagneus.
Ioannes Sylveira.
Ludovicus Alcazar, S. I.
Fr. Ioannes de Haye.

NOTA I. Licèt fortaſis relinquantur nonnulli, & aliorum operâ quædam nondum edita, ſcripta tamen citentur; nihilominus hic Authorum ſyllabus ſufficiens eſſe videtur: præter quos adiri poterunt Fabian. Iuſtinianus de *Vſu S. Scripturæ*, & quidam index vniverſalis nuperus, & copioſus de hac re editus in folio pleniſsimo, cuius Author eſt Ioannes Georgius, vt in prooemio tetigimus.

NOTA II. Quod præter hos omnes recenſitos Authores non prætereundus eſt *DOCT. D. LUDOVICUS DE AYLLON ET QUADROS*, Granatenſis in Philoſophia, & Theologia, necnon in expoſitione Sacræ Scripturæ Primarius Profeſſor Hiſpalenſis, inibique in percelebri Maiori Collegio nobili Toga condecoratus. Qui quidem in Univerſam Scripturam elaboravit volumen ingens, cui titulus eſt *ELUCUBRATIONES BIBLICÆ*. Ubi doctà, & conciſsà manu nedum de littera, ſed de vberrima Allegoria, & Tropologia pro Eccleſiaſtico Oratore ſelectam, & locupletem Bibliothecam apparavit.

NOTA III. Quod etiam vix ſine iniuria poterunt præteriri duo Authores nuperi, atque prænobiles, qui de re Biblica eruditiſsimè diſſeruere, ſcilicèt

ſcilicèt Fr. Cherubinus à S. Ioſepho, Carmelita Excalceatus in ſua Biblia Critico, vbi per volumina in folio digeſsit, & concinnavit tractatus in hoc genere completos, & eruditos: qui tamen, vt docti, atque locupletes illi ſunt, ita amant Lectores deditiſsimos huic ſtudio, & argumento. Alter eſt D. Auguſtinus Calmet Benedictinus in ſuo Doctrinario Hiſtorico, Critico, Chronologico, & Geographico Bibliorum recentiſsimè edito. In cuius aditu Apparatum itidem conficit nobilium ſcriptorum in Scripturam, qui il hic frequentiores ſunt, & quibus hanc partem ditare poſſem, niſi mallem candidatos, tùm intra propriam ditionem ſuam erudire, tùm eos non tàm obruere, quàm docere. Is ergo Autor, & in ſuis Commentarijs, & in ſuo Dictionario, veluti Emporium Biblicum eſt. His adde Paulum Mezger Benedictinum Salisburgenſem de Hiſtoria Sacra vſque ad Babilonicam captivitatem.

NOTA IV. Quod licèt in animo fuerit ſextam quoque Apparatus partem adnectere, in quà de ratione ſcribendi quæſtiones Scholaſtico Biblicas nonnihil dicerem; & de qua propterea etiam cum reliquis in ipſo Proœmio Decadum mentio fit; nihilominus, tum, ne Apparatus hic nimis excreſceret; tum quia ſi fortè res huiuſmodi deſideretur, locum adhuc eſt habituræ; ideò ab ea modò ſuperſedeo, atque ad Decades greſſum facio.

DE-

DECADES BIBLICÆ
QUODLIBETICÆ.

PROOEMIUM.

PERVENIMUS IAM AD TOTIUS PALÆSTRÆ NOSTRÆ partem præcipuam, nempè, manipulos illarum quæstionum, quæ in re Biblica apud Primos Theologos Scholasticos, & Expositivos discutiuntur. Quas vt ad amussim possit candidatus Theologiæ librare, & appendere, sex partes Apparatus præmisimus, quibus ille sine gravamine atque horrore disponi queat.

DECAS PRIMA, QUÆSTIO PRIMA.

TEXTUS
AD ILLA VERBA:
IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS Cœlum, & Terram, Genes. 1. vers. 1.

ARTICULUS.

AN COELUM HIC MEMORATUM SIT SOLUM Cœlum Empyreum?

NOTABILIA.

RATIO dubitandi consurgit ex eo, quod in mundi exordio bis Cœlum factum esse dicitur, tum die primò, quando, videlicèt, Deus creavit Cœlum, & Terram; tum die secundò, quando fecit firmamentum, quod etiam vocatum est Cœlum. Vnde inquirendum venit; an Cœlum primo productum fuerit Cœlum Empyreum distinctum à reliquis orbibus Cœlestibus, qui nomine firmamenti solent intelligi; an verò tale Cœlum Empyreum non detur, vel ipsum cum reliquis orbibus Cœlestibus creatum fuerit? Cuius dubij decisio

ſio adæquata ex duplici reſolutione pendebit, ſcilicèt, in qua reſolvatur, Cœlum Empyreum prima die fuiſſe productum; & ex alia, in qua reſolvatur quid nomine firmamenti ſecunda die producti veniat intelligendum: quarum quæſtionum diſcutiemus modo priorem; poſteriorem poſt modum tractaturi.

Igitur antequam ad ſententias de exiſtentia, & mentione creationis Cœli Empyrei deveniamus; ſupponendum eſt inviſam fuiſſe Theologis in hac re cogitationem Auguſtini Eugubini aientis, in ſua Coſmopæia, Cœlum Empyreum nihil aliud eſſe quàm lucem, & claritatem quamdam à Dei eſſentia manantem. Contra quam ſatis invehuntur Sixtus Senenſis, Ambroſius Catharinus apud, & cum Ludovico Molina de Opere ſex dierum diſputat. 3. Suarez, lib. 1. de Opere ſex dierum, capit. 4. à num. 6. qui, licèt referat Danielem Malonium benigne Eugubinum interpretantem; nihilominus eum adhuc ſic intellectum accuſat; ſed ſuper omnes Pererius noſter. Ego verò partim cum Suario, & reliquis non inficior, Eugubinum de Cœlo Empyreo non bene fuiſſe philoſophatum, & ſivè lux illa creata fuerit; ſivè æterna, ſemper promanare quidpiam cum recepta Theologia non bene coheret; cum autem alia ex parte videam, hunc Auctorem tam docilem, vt pronuntiet ſe paratum recantare, ſi male ſentit; non poſſum in hac re non laudare Malonium, qui Eugubini piam excuſationem ſuſcepit: neſcio enim cur ſæviamus in ſupplices, & intumeſcant cenſuræ, dum paratus corrigi, atque demiſſus eſt error; præſertim cum omnium ſcriptorum grandium ſit alicubi votis communibus non placere. Incrudeſcere in mortuos timidi eſt animi; at comminuere reſiſtentes fulminis eſt.

Hinc procedo ad ſententias, quarum prima ſuſtinet, non dari Cœlum Empyreum diſtinctum à primo mobili, quod eſt ſupra Cœlum ſtellatum. Hanc defendit Caietan. 2. ad Corinth. cap. 12. cui favere videtur Damaſcenus, lib. 2. cap. 6. Item, Eugubinus, qui in re ſentit, nullum dari Cœlum Empyreum corporeum. Pro ea citari poſſunt, vt ait Suarez infra Baſilius, homil. 3. Hexamer, & Theodoretus, quæſt. 11. quatenus præter aereum duos tantum agnoſcunt, ſcilicet ſydereum, & primum mobile. Secunda ſententia in Eccleſiâ recepta, & omninò tenenda eſt vltra Cœlos mobiles, dari aliud immobile longè nobilius, ac pro beatorum ſedibus deſtinatum, quod appellatur Empyreum. Hanc ſententiam tenet Beda in Hexamerom, Strabo in gloſſa, Alcuinus, Raban, Lira, Abulenſis, Geneſ. 1. in die 5. & in cap. 23. Exodi, quæſ. 52. & 53. Hugo de Sancto Victore in ſumm. Sententiarum Tractatu 2. cap. 1. Magiſter in 2. diſtinct. 2. cum Scholaſticis, Div. Thom. 1. part. quæſt. 66. artic. 3. & quæſt. 68. artic. 1. ad 1. Suarez de Oper. ſex dier. lib. 1. cap. 4. & Molina, diſp. 3. Rurſus inter affirmantes, dari tale Cœlum diviſio eſt num à Moyſe fuerit memoratum, necne? Alij enim ſupreſſo nomine citati à Suarez, ſentiunt, Moyſen de Cœlo Empyreo non fuiſſe loquutum: cum quibus ire videntur Hieronym. Epiſt. 139. ad Cyprianum, & Chryſoſt. in Pſalm. 8. alij verò ſuſtinent, Moyſem in illis verbis: *In principio creavit Deus Cœlum* commemoraſſe Cœlum Empyreum. Ita cum alijs Suarez, & Molina locis citatis; ſed cum hac differentia quod Molina putat, ibi fuiſſe commemoratum ſolum Cœlum Empyreum; Suarez verò Empyreum, & reliquos. Cui modo dicendi conſentit Fr. Hieronymus de Monterde in Geneſ. in ſua Theologia Syllogiſtica expoſitiva.

Sit

Sit igitur noſtra concluſio, *dari Cœlum Empyreum diſtinctum à reliquis orbibus Cœleſtibus, & immobile: necnon tale Cœlum in prima die Geneſis fuiſſe commemoratum per Moyſem.* Probo primam partem concluſionis poſteà probaturus ſecundam. Exiſtentia talis Cœli conſonat Scripturis: conſtat ex Patrum traditione, & congruentijs: ergo eſt admittenda. Probo antecedens quoad primam partem. Primò ex illo Pauli 2. ad Corinthios 12. *Raptus ſum vſque ad tertium Cœlum*, cuius expoſitio eſt admiſſa de triplici Cœlo. Aereo ſcilicèt, Sydereo, & Empyreo. Secundò ex illis verbis, Pſalm. 113. *Cœlum Cœli Domino; terram autem dedit filijs hominum.* Quaſi diceret Cœlum, quod eſt ſuprà omnes Cœlos, & ipſos dignitate antecellit, elegit ſibi Dominus in ſedem: quia more Hebræo geminatio ſignificat excellentiam; v.gr. *Canticum Canticorum, Deus Deorum, Dominus*, & alia hajuſmodi. Probo ſecundam partem antecedentis *primò*, ex Sancto Clemente Romano, lib. 1. recognition. propè medium aiente: *Idque firmamentum Cœlum conditor appellavit antiquioris illius* (ideſt Empyrei) *vocabulo nuncupatum.* & lib. 3. recognit. aiente: *Petrum verò reſpondiſſe, Cœlum viſibile factum eſſe propter præſentē hominum vitam, vt eſſet interiectio quædam, & diviſio; nequis forte indignus habitationem Cœleſtium, & Dei ipſius ſedem videret II.* Ex Baſil. homil. 3. in Hexamer. dicente: *Duos alios eſſe Cœlos Corporeos, alterum quod in principio cum terra fuit conditum, & alterum firmamentum. III.* Ex Hilario in Pſalm. 122. *Et quia ſecundum corporalem intelligentiam ille nobis ſenſus ſubeſt, vt Cœlum, quod vltra firmamenti huius naturam eſt, Deus inhabitare existimetur; non excludamus publicam illam de ſede Dei opinionem, vt ei Cœlum Cœli Thronus ſit. IV.* Ex Theodoreto, quæſt. 11. in Geneſ. *Imperitiæ plena videtur eſſe eiuſmodi quæſtio ſit ne vnum Cœlum, an duo: oportebat enim ex temporis ratione, & ipſo creationis modo Cœlorum diverſitatem noſſe, & vnum luce prius; alterum verò poſt lucem, & illud quidem non ex aliqua alia materia; hoc autem ex aquis creatum eſſe. V.* Ex Strabone, & Beda in gloſſa ordinaria: *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram, &c. Cœlum autem non viſibile firmamentum, ſed Empyreum, ideſt igneum, vel intellectuale dixit, quod non ab ardore, ſed ab ſplendore dicitur, quod ſtatim repletum eſt Angelis.*

Ex quibus omnibus ſic argumentor: Cœlum viſibile factum eſt, ne videatur, id quod eſt excelſum, & inviſibile, & huius antiquioris vocabulo nuncupatum. Item in principio creatum eſt Cœlum diſtinctum à firmamento, corporeum, Empyreum, repletum Angelis, ſedes Dei, &, vt inquit Diodorus apud Molina, non illud, quod ſpectabile eſt; ſed quod ſupra omnes Cœlos eſt, quod David Cœlum Cœli nuncupari ſolet; ſed hęc omnia ſunt quæ tribuimus Cœlo, quod vocatur Empyreum: ergo datur tale Cœlum iuxta prædictos Patres. Præter quos citare poſſunt Chryſoſtomus, Theophilactus, & Atanaſius ad Hæbreos 8. quatenus dicunt, Cœlum Empyreum eſſe quadratum, & Civitatem illam, quæ in quadro poſita eſt. Apoc. 22. Iuſtinus Martyr apud Molinam, & Div. Thom. 1. part. quæſt. 66. artic. 3.

Probo tertiam, partem antecedentis, ſimul & quartam. De tertia autem: quia modo omnis Eccleſia Catholica tale Cœlum, atque Beatorum ſpecialiſsimam ſedem glorioſam confitetur, & ad eam ſuſpirat: necnon quia, cum traditio ſit oppinio publica, ſuprà iam conſtitit, quod tempore Divi Hilarij Cœlum Empyreum opinione publica credebatur. Quarta autem pars probatur ſic primò: quia, cum Chriſtus in Aſcenſio-

ne ſua ad ſupremum vſque Cœlum aſcenderit, & inibi Sacrum Corpus eius, necnon Corpus SS. Virginis, aliorumque fortè Sanctorum Corpora verſentur, debet eſſe Cœlum immobile,& fixum,ne vel talia corpora nullam Cœli fixam partem tenerent, vel cum Cœlo perpetuò moverentur in gyrum, quod profectò cum ſtatu beatiſsimo non cohæret. Secundò: quia ſicut Cœli mobiles facti ſunt propter viatores homines, ita etiam oportebat dari Cœlum fixum pro ſtatu perpetuo, & pro patria. Tertiò: quia quemadmodum pro damnandis Deus ab initio quemdam ſecretum carcerem deſtinavit; ita pro Beatis paravit ſtabiles Thronos, de quibus dixit: *Percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Cui etiam conſonat illud Pſalm. 102. *Dominus in Cœlo paravit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur.* Ergo de primo ad vltimum conſtat ex ſcriptura, & Patrum traditione, & ratione exiſtere Cœlum Empyreum nobis nunc inviſibile, immobile, atque Beatorum omnium ſedem, Deique cum hominibus Tabernaculum ſempiternum.

Probo ſecundam partem noſtræ Concluſionis, ſcilicèt Moyſem tale Cœlum commemoraſſe in illis verbis: *In principio creavit Deus Cœlum, &c.* Probatur primò ex Patribus iam relatis, ſcilicèt Clemente Romano, Beda, & Theodoreto relegendis in locis ſuprà citatis, ſimul cum AA. Strabone, & Diodoro: quorum primus eſt Strabo non Geographus; ſed Fuldenſis Monachus Autor gloſſæ ordinariæ; & ſecundus,vt puto non Diodorus Siculus ille Hiſtoricus;ſed Diodorus Tarſenſis, qui Præceptor fuit S. Atanaſij,S.Baſilij,& S.Chriſoſtomi.Secundò probatur ratione: quia quoties propriè ſalvari poteſt, Moyſem omnia creata tetigiſſe in ſua narratione, ita aſſerendum eſt; ſed in illis verbis ſalvari poteſt, Moyſem loquutum fuiſſe de tali Cœlo, quod nobis exiſtere iam conſtat; immò, & loquutum fuiſſe de Angelis, quibus repletum eſt; etſi ea, quæ inviſibilia ſunt vno duntaxat verbo tetigerit, vt ad viſibilia mundi primordia properaret: ergo ita tenendum eſt. Mayor conſtat: nam qui ſe applicat ad referendum opera creationis non debebat aliquid relinquere intactum, etſi inviſibilia vno ſolum verbulo clauderentur. Minor etiam patet: quia Cœlum Empyreum verè Cœlum eſt, & talibus proprietatibus gaudet, quibus hoc nomen admittat. Inſuperque qui creatum dicit Cœlum,creata etiam per Synecdochen dicit quæcumque intra tale Cœlum creata ſunt, ſcilicèt Angelos *CONFIRMATUR*: nam, vt videbimus in quæſtione ſequenti, ſecunda die facti ſunt reliqui Cœli mobiles, dum Deus dixit: *fiat firmamentum*: ergo in illis verbis primis *creavit Cœlum* debet intelligi Cœlum Empyreum. *CONFIRMATUR* ſecundò ex verbis Abulenſis Geneſ. 1. in quibus omninò tradit ſententiam noſtram in hac quæſtione, ſimul cum alia, quam affert in quæſtione ſequenti per hac „ verba: Cœlum intelligitur ſolum „ Cœlum Empyreum ſecundum iſtam „ poſitionem ſecundam, & veram: „ quia Empyreum non ponitur de ma- „ teria illa communi creatum; alij au- „ tem Cœli in ſecundo die creati ſunt „ de materia communi corporea. Eſt „ autem Cœlum Epyreum locus capa- „ ciſsimus, ſplendidus, immobilis, „ quietus, contemplationi conve- „ niens, & gloriæ Beatorum: nec de „ alio Cœlo hic intelligitur: quia tunc „ fruſtra de firmamento, quod conti- „ net octo orbes poſteà ſubderetur, &c.

Obijcitur primò ex Caietano Cœlum Empyreum communitèr traditum nullibi reperitur in ſcripturis: ergo non eſt admittendum. Antece-

dens

dens ſic poteſt probari: ſi talis Cœli fieret mentio in Geneſi, maximè in illis verbis *creavit Cœlum*; ſed Cœlum ibi non ſumitur pro Cœlo Empyreo: ergo, &c. Probo minorem: Cœlum ibi comemoratum eſt Cœlum aqueum, vel ex aqua factum: ita enim ſignificat vox illa Hebręa *Sama'jm*; ideſt *ibi aquæ*; ſed Cœlum Empyreum, iuxta nos, non eſt aqueum, nec factum ex aqua: ergo ibi non memoratur. *RESPONDEO* negando antecedens, & ad eius probationem nego minorem; ad probationem autem eius diſtinguo maiorem: illa vox Hebręa ſignificat aquas *intrinſecè conſtitutivas ipſius*, nego maiorem; *aquas contiguas*, ſivè proximè adſtantes, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: ad ſalvandam enim rigoroſam Ethymologiam vocis Hebrææ ſignificantis *ibi aquæ* melior interpretatio eſt quod ibi prope Cœlum Empyreum dentur verę aquæ, vt nos credimus, & poſt modum diſputabimus, quam quod tale Cęlum ſit factum ex aqua. *RESPONDEO SECUNDO* negando antecedens cum minoris probatione, & ad huius probationem nego maiorem, & diſtinguo probationem inſertam: Vox Hebræa *per Moyſem vſurpata, & translata*, concedo; *ad tale Cœlum primo ſignificandum diſtinata*, nego. Itaque, vt inquit Molina, *hæc vox, quæ Cœlos ex aqua factos, & ſubtilitèr diductos ſignificat vſurpata eſt à Moyſe, vt aptior, & quaſi ſubtilior ad ſignificanda ea, quæ nobis ſunt inviſibilia, ſcilicèt Cęlum Empyreum, & Angelos ibi creatos.*

Obijcitur ſecundò: Nec ſenſu, nec ratione; immò præter rationem ponitur tale Cęlum Empyreum: ergo non eſt admittendum. Probo antecedens: Creator, & creaturæ, ſcilicèt Angeli tale Cęlum incolentes ſunt incorporei, & loco corporeo non indigentes; ſed præter rationem videtur admittere per millia annorum habitationem ampliſsimam inutilem; imò, & incolis improportionatam: ergo tale Cęlum admittere videtur eſſe præter rationem. *RESPONDEO* negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo minorem: inutilem *reſpectu duntaxat temporali*, & limitato, nego minorem; invtilem *omninò*, & *abſolutè*, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque verum eſt tale Cęlum reſpectu hominum per millia annorum vacuum fuiſſe; ſed non propterea inutile cenſendum eſt propter multa. Primò: quia ſicut Deus ab initio creavit multa, quæ longia poſt ſæculia erant ſervitura; v. gr. herbas medicinales, & alia huiuſmodi, ſic multa antè ſæculia creavit Deus habitationem corpoream, tandem Beatorum corporibus ſervituram. Quorum ratio eſt: quia decebat, tantum Creatorem omnia permanentia vno tractu creare, nec alia poſtea creanda relinquere; niſi ea, quæ iuxta exigentiam naturæ ſtatis temporibus creari deberent, anteaque creari non poſſent, cuiuſmodi ſunt animæ rationales hominum quorumcumque. Secundò: quia tale Cęlum Empyreum, vel ~~vita~~ beata ab initio creari debuit, vt foveret ſpem humanam: quemadmodum infernus carcer ab initio creatus eſt, vt humanum foveret timorem. Tertiò: quia, ſicut Deus non indiget habitare in templis manufactis, & illa popoſcit, tum tempore Tabernaculi Moyſes, Templi Salomonis; ibique habitavit ad ſenſibilizandam maieſtatem Domini hominibus ſenſibilibus, ſic decuit ab initio ſibi curiam ſupremam creaſſe altiſsimam, qua & eius maieſtas quaſi modo humanomagis intimaretur hominibus, & quam cum Angelis, & hominibus partiretur; præſertim cum in ſui æternitate decreti decreviſſet, hominem olim eſſe futurum. Quartò: quia, cum Angeli, & ſi incorporei ſint futuri alicubi

cubi oportebat potius quàm imaginario eos alicui loco reali pulcherrimo deſtinaſſe. Et vrgetur: quia ſi tota militia hominis ſuper terram futura erat, vt tenet bona pars Theologorum, propter occupandas ſedes ab Angelis derelictas, oportuit has ſedes ab initio factas eſſe, quas Angeli ad initio perdiderint, & pro quibus homines militarent. Quintò: quia Princeps volens ædificare aulam celeberrimam non diceretur fruſtra ædificare in ea cameras nobiles pro hoſpite alio Principe excipiendo; etſi ſciret talem hoſpitem per multa ſecula non eſſe venturum. Sextò: vt occuparetur ſtatim ab humano genere; niſi peccaviſſet.

Obijcitur tertiò: Tale Cælum Empyreum foret vtique lucidiſsimum ſuprà omnia ſydera; ſed ita non eſt: ergo, &c. Maior conſtat: quia ſedes Beatorum lucem debet habere pluſquam ſeptemplicis ſolis. Minor probatur primò: quia tanta lux Cæli Empyrei ſtatim illuminaſſet ſuperficiem aquarum: ergo tenebræ non fuiſſent ſuper faciem abyſsi contra Geneſ. 1. Probatur ſecundò: quia, ſi fuiſſet ita lucidum videretur à nobis quemadmodum ſydera minoris lucis modo videntur. *RESPONDEO* primo, diſtinguendo antecedens; ampliori luce, quam ſydera; ſed rariori, concedo antecedens; ampliori, & condenſata ad illuminandum in diſtans, nego antecedens: condenſatio enim lucis facit emiſsionem radiorum, vt lux protendatur vlterius; cumque hoc requireretur in aſtris ad illuminandam terram; ſecus verò in luce Empyrei; ideò ea, licèt eſſet lux maior, eſt magis rara, & propterea ad mittendum radios debilior; licèt in ſe ſit nobilior, ac delicatior. Doctrina eſt Div. Thomæ 1. part. quæſt. 66. art. 3. ad 4. *RESPONDEO* ſecundo, negando minorem cum alijs, quos ſupreſſo nomine refert Molina, & ad eius probationem nego antecedens, & ſolutio vtriuſque probationis ſtat in eo, quòd quemadmodum in Tabernaculo, quod erat figura huius mundi velum fuit interpoſitum ante tertiam partem, quæ vocabatur *Sancta Sanctorum*, ne videretur; ſic in creatione mundi, quæ triplici parte conſiſtit, ſcilicèt Empyreo, abyſo aquarum, & terra poſuit Deus velamen opacum in Cælo Empyreo, ita vt deorſum non luceret; etſi ſurſum ſplendeſceret nimis; atque ſicut velum illud ſciſum eſt fugiente vmbra legis; ſic in fine ſæculorum velum Empyrei diſcindetur, vt quaqua versùm fulgeat, & terra vndique colluſtretur. Hæc reſponſio plana eſt, & Patribus ſuprà relatis ſatis accommoda. *TERTIO*, cum Div. Thom. dici poſſet quod lux Empyrei eſt claritas Gloriæ, quæ non eſt conformis claritati naturali: quare nec videri poſſet à nobis.

Obijcitur quartò: contra bonam Philoſophiam eſt admittere ſubſtantiam corpoream omnis omninò operationis expertem; ſed talis eſt Cælum Empyreum: ergo, &c. Maior conſtat: quia in rerum natura otioſitas eſt ſuperfluitas: *& eſſe eſt propter operari*. Minor etiam conſtat: quia nullam damus tali Cælo operationem, vel motum, medio quo duntaxat poſſet influere. *RESPONDEO PRIMO* diſtinguendo maiorem: ad bonam Philoſophiam *purè Philoſophiam*, concedo maiorem; cum Theologia, concordem, nego maiorem, &c. ad Philoſophum enim, qui Theologus eſt pertinet elementa purè Philoſophica, & dogmata ex ſcripturarum, & Patrum pondere reformare: neque quicquam reſpuere, quod ſtatim non dignoſcitur, cui fini ſit ſerviturum: noſtræ enim cogitationes vanæ ſunt, & altiſsimus cuncta circunſpicit, ac ſecretiſsimè coordinavit. Quamvis, vt otioſum non eſſet tale Cælum, ſufficeret eſſe lucidiſsimum, & pulcherrimum Deo cum ho-

hominibus, & Angelis tabernaculum sempiternum. *RESPONDEO SECUNDO* iuxta opinionem div. Thom. in 2. Distinct. 2. quæst. 2. artic. 3. cum Abulensi distinguendo maiorem: *In substantijs capacibus motus*, vt sunt orbes Cœlestes, & terra, concedo maiorem, *in omni omninò substantia corporea*, nego maiorem, & concedo minorem: tum quia eius influxus solum esse potest medio lumine, & motu, & neutrum datur respectu inferiorum: tum quia tale Cœlum non est factum ad vllus influxus in inferiora, sed ad quietissimam sedem ordinis supernaturalis, & Beatorum in eo regnantium. *RESPONDEO TERTIO* cum Div. Thom. qui 1. part. quæst. 66. artic. 3. ad 2. & quodlibet. 11. superiorem sententiam retractat, & dat Empyreo influentiam cum Durando, Egidio, Ricardo, & Suarez, qui hæc habet verba lib. 1. de Oper. sex dier. capit. 5. num. 17. *Dico ergo non constare nobis quam specialem proprietatem, vel effectum influat Cœlum Empyreum per se spectatum, & sua sola virtute efficiendo in aliud corpus. Neque propter hunc defectum nostræ cognitionis debemus negare omnem illius Cœli influentiam: quia evidens nobis est in rebus viuentibus nobis esse plures virtutes agendi, quas ignoramus: quia earum effectus experti non sumus, nec satis experiri aut ab alijs causis satis distinguere possumus.* Hucusque Suarez, cuius verba viro scholastico, & interpreti sunt non semel servitura: & iuxta ea neganda est maior cum probatione.

Obijcitur quintò: D. Hieronymus Epist. 139. ad Cyprian. & Crysostom. in Psalm. 8. dicunt expresse, Moysem in sua Genesi nos docuisse duntaxat originem creaturarum visibilium; sed Empyreum nobis non est visibile; neque origo est cæterarum rerum: quippè cum quibus nullam habet influentiam: ergo de eo non locutus est Moyses. Respondeo primò negando minorem: quia est visibile in se; licèt non videatur, & influit; licèt non cognoscatur à nobis qualis sit eius influxus. Respondeo secundò distinguendo maiorem; narratione particulari, & perceptibili, concedo maiorem; narratione etiam generali, & compendiosa, nego maiorem, & permissa minori, nego consequentiam: Moyses enim in suis creaturarum primordijs, tàm visibilium, quàm invisibilium fecit mentionem; sed aliter, & aliter prout oportebat, scilicèt Empyrei, quod à nobis non videtur, & pro regno æterno invisibilium factum est, tantum per insinuationem, & transeunter: ea enim novissimis temporibus totos sibi libros, & sermones erant vendicatura; Cœlorum, autem mobilium, & terræ per descriptionem particularem. Et ideò symbolum, quod sui creatoris opera designata per illa verba: *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*, voluit explicare, ait *visibilium omnium, & invisibilium. REPLICABIS*: non fecit mentionem saltem de Angelis, qui invisibiles sunt: ergo, &c. Respondeo distinguendo antecedens: *Confusam, & implicitam* prout in mentione ipsius Empyrei claudebatur, nego antecedens; *claram*, permitto antecedens, & nego consequentiam. Et est solutio Suarij, qui creationem Angelorum ibi commemoratam sustinet cum Dionisio Areopagita, Basilio, Nissen. Ambros. Hug. Victor. Glossa Div. Thom. & Scholasticis. Quomodo autem Cœlum Empyreum in inferiora influat, vel non, iam suprà, tetigimus. Cuius autem naturæ sit tale Cœlum, implexas satis nectit cogitationes, atque sententias; nos autem hic, eius duntaxat existentiam propugnantes, libenter omittimus aientes, vel esse quamdam *sextam essentiam* factam non ex materia præiacente, vt vult Abulensis, & Suarez

rez interpretatur; vel quomodolibet ex materia, & forma altiſsimis, & nobiliſsimis ſingulariſsimè fabrefactum: in his enim quæſtionibus Biblicis, præſertim ad Hexameron ſpectantibus, dum Scholaſticè exagitantur, aliæ ex alijs mira fęcunditate naſcuntur; niſi opportuna forma Scolaſtica præcidantur, vt aliquis earum articulus poſsit ſeorſim, ac liquido diſputari.

Obijcitur ſexto: Moyſes memoravit vnicum Cęlum: ergo non duplex. Probatur antecedens: iuxta plures in illis verbis: *in principio creavit Deus Cœlum, & Terram* exponitur creatio in generali; & poſteà particularitèr explicatur: ergo idem Cœlum eſt quod dicitur vtrobique. Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem, permiſſo antecedenti, nego conſequentiam: quia, licèt aliqui ita exiſtiment; nos cum D. Baſilio, hom. 3. in Hexamer. & Pererio aliter ſentimus: tum quia putamus, Empyreum ibi commemoratum fuiſſe: tum propter verba ſequentia: *Terra autem, &c.* quæ videntur ſupponere creationem terræ in particulari explicatam. Itaque ponimus duplex Cęlum fuiſſe creatum, alium Empyreum prima die; aliud verò ſecunda die, quod intelligimus eſſe Cęlum Sydereum firmamenti nomine nuncupatum; & huic duplici videtur maximè convenire rigor vocis Hebraicæ, quę ſignificat non plures Cęlos, ſed duos: datur enim in illo idiomate dualis numerus; cum ergo videret Moyſes, ſub eodem nomine vtrumque Cœlum ſignificari, idem nomen accomodavit vtrique; præſertim cum ſignificatum rigoroſum in vtroque inveniatur, ſcilicèt, eſſe quid remotiſsimum à terra, vt Valentinus Schilderus exponit in radice *Samaa*: vbi dicit, particulam *Sam* ſignificare locum remotum. Item ait hæc vox *Samaijm*: „ Tria potiſsimum ſignificat. Primò Divinę Maieſtatis, & Angelorum, ac Beatorum hominum ſedem. Secundò ætheream regionem corpora Cœleſtia, ſeu orbes planctarum, ſeu Stellarum fixarum. „ Tertiò aerem, in quo ſunt nubes, & „ aves. Quæ verba retuli ex Autore Idiomatis Hebraici multum perito, vt cognoſcatur, prædictam vocem tria prædicta ſignificata claudere. Hic à Moyſe bene perito ſignificationis ipſius fuit vſurpata videns ergo ex nuper dictis, talem vocem ex rigore ſignificandi nedum convenire firmamento; ſed etiam Empyreo, & aliunde videns, eam ſignificare dualitatem eam vtrobique vſurpavit, & eamdem vocem, qua firmamentum appellatum eſt poſſuit ad explicandum Empyreum, & quidem quando hæc vox fuit per Moyſem poſita iam ſignificabat dualitatem Cęlorum, ſcilicèt Empyrei, & firmamenti. Dices: ergo in illis verbis primis Moyſes fuit loquutus de firmamento. Reſpondeo diſtinguendo conſequens: *quoad vocem*, concedo; *quoad rem*, nego: qui enim vtitur voce ſignificante rem duplicem, & ſtatim ea iterum vtitur in ſignificatione vna denotat, ſe vſum fuiſſe anteà ſignificatione altera; præſertim vbi nequit eſſe ſermo ſuperfluus.

Ex dictis colliges maiorem intelligentiam illius vocis Hebraicæ ſignificantis Cœlum; & quomodo nihil creatum ſit à Moyſe pęnitus prætermiſſum vlteriuſque, quatenus Empyreum in ſe, & in ordine creationis diſtinguatur à firmamento. De quo tamen eſt iam quæſtio ſubſequtura.

QUÆ-

† JHS.

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ET TENEBRÆ ERANT SUPER FACIEM abyssi. Genes. 1. v. 2.

ARTICULUS.

POST QUOT TENEBRARUM HORAS, ET IN QUO puncto producta fuerit lux primi diei?

NOTABILIA.

SUPPONO primo, Auctores convenire, mundum in æquinoctio productum fuisse, id est, cum totidem, sunt horæ lucis, ac tenebrarum in vno quoque die; licèt posteà dividantur hi Auctores inter se; an in æquinoctio verno; an in autumnali mundus productus fuerit.

Suppono secundo, modum, quo in primo triduo vniversi lux fecit suam illuminationem, non fuisse per emissionem, & contractionem radiorum: quanquam enim Basilius, & Damascenus id sensisse videantur; refutantur tamen per Augustinum, Bedam, & Divum Thomam, vt tradit Pererius, iuxta quem modus illuminationis in illo triduo sic accidit, quatenus illa lux, quæ erat eiusdem naturæ cum Sole quarto die formando raptu primi Cœli, volvebatur de Oriente ad Occasum, & viginti quatuor horarum spatio, vt modo fit, totum orbem lustrabat, diesque, & noctes omninò partiebatur æquales. Sed cùm prima die non esset motus Cœli, lux movebatur iuxta illum motum informem de quo D. Thomas.

Suppono tertio, absolutè loquendo non dari locum quæstioni inquirenti: an in Oriente, vel in Meridie lux primó producta fuerit? si quidem lux statim in sua perfectione formata, & circumquaque diffusa erat meridies respectu illius regionis, quam perpendicularitèr, directèque illuminabat; & erat oriens respectu illarum, versùs quas movebatur antrorsùs; occidensque respectu illarum, à quibus, se movendo, fugiebat. Vndè semper manet absolutè verum, Deum lucem produxisse in irradiatione perfectissima meridiei. Si verò respectivè ad aliquam regionem primævum hoc punctum lucis à nobis est observandum, oportet id fieri respectivè ad Palæstinam, plagam terrarum, quam ab exordio mundi videtur Deus specialissimè præ-

elegiſſe, atque reſpexiſſe : fuit enim Cuna humani generis, tot Patriarcharum, & Prophetarum ſedes, Sinagogæ domicilium, ac Verbi Divini Incarnationis, omniumque Myſteriorum inde manantium ſacratiſsimum Theatrum. Ad hanc ergo noſtrum articulum reſtringentes expediemus quæſtionem.

Suppono quarto, ante primum diem adæquatè conſideratum, non fuiſſe creatum Cœlum, & elementa, vt videntur ſenſiſſe Bonav. & Gabri. & Bed. necnon Hugo, & Pererius, & ſi per brevem morulam. Ratio huius noſtræ ſuppoſitionis, quam cùm Patre Molina ſuſtinemus, eſt duplex textus: alter Geneſis ſecundo dicens: *Iſtæ ſunt generationes Cœli, & terræ in die, quo fecit Dominus Cœlum, & terram.* Alter Exodi 20. dicens: *Sex diebus fecit Dominus Cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.* Ex quibus textibus, ſub omni proprietate conſideratis, plane conſequitur Cœlum, & Terram *in die*, vel *in diebus* fuiſſe creata: ergo non ante omnem diem. His ergo poſitis, quæ ad expeditionem articuli ſatis implexi, non ſunt importuna, pergendum nobis eſt ad referendas ſententias priuſquam noſtram concluſionem ſtabiliamus.

Accedendo ad ſententias eas claritatis gratia ſeiunctas dabimus circa duplex punctum; licèt vtrumque nos vnica reſolutione amplectamur. Circa punctum primum de præcedentia tenebrarum ad lucem prima ſententia eſt: tenebras ordine tantum naturæ; non verò durationis realis, lucis productionem anteceſiſſe. Hanc ſuſtinet problematicè D. Bonav. in 2. ſentent. diſtinct. 13. artic. 1. quæſt. 2. ad vltim. & hanc opinionem attribuit, Hugo de Sancto Victore. Secunda ſententia ſuſtinet, tenebras realitèr præceſiſſe lucem ſaltem in hoc hæmiſpherio. Hanc ſententiam tenet Divus Thomas 1. p. quæſt. 66. art. 1. in 2. diſtinct. 13. quæſt. 1. artic. 10. eamque dicit magis conformem Scripturæ, tuerique videtur Baſilius, Chryſoſt. cum omnibus Græciſ. Item Ambroſius lib. 1. Hexam. cap. 8. Hieronymus, epiſt. 83. ad Occean. Pereira, lib. 1. in Geneſ. cap. 1. Mag in 2. diſtinct. 13. Hugo de Sancto Victore, lib. 1. de Sacram. part. 1. cap. 6. & 9. licèt enim D. Bonav. eum citet pro prima ſententia, locum ipſius non ſignat. Tertia ſententia defendit, tenebras per ſex horas præceſiſſe lucem. Hanc ſuſtinet etiam problematicè Divus Bonav. vbi ſuprà, & eam tribuit venerabili Bedæ, quam etiam defendit Cornelius in Gen. cap. 1. verſ. 5. & Ægidius Romanus 1. part. Hexam. cap. 6. Quarta inquit per duodecim horas tenebras ad lucem præceſiſſe. Hanc tuetur Abulenſis in Geneſ. cap. 1. Molina de opere ſex dierum diſputat. 7. & 8. eamque Arriaga amplectitur, vt problematicam diſputat. 31. in 1. part. ſect. 3. Item favet Salianus in epitome Annalium, & Monterde in ſua Theologia Syllogiſtica expoſitiva in Gen. 1. num. 18.

Circa ſecundum punctum de ſtatu lucis, vel in quo lux fuerit creata reſpectu Palæſtinæ, prima opinio aſſerit, lucem fuiſſe creatam in meridie reſpectu Palæſtinæ. Hanc ſuſtinet Cornelius, & Ægidius locis citatis. Eugub. cap. 1. Coſmopæiæ; & probabilem putat Bonav. tribuens illam Bedæ, Auguſt. & Chryſoſt. huic hom. 2. & 3. in Geneſ. illi verò cap. 4. de Geneſi ad litteram; de quibus tamen dubitat Suarez de Opere ſex dierum, lib. 2. cap. 3. Secunda ſententia ſuſtinet, lucem fuiſſe primò productam in puncto Orientis reſpectu Palæſtinæ. Hunc ſententiam inſinuat Auguſtinus 1. de Geneſ. ad litteram, cap. 4. & 6. Beda in Hexam. & Baſilius ibi homil. 2. Hugo de Sancto Victore, lib. 1. de

Sa-

Sacrament. part. 1. cap. 6. 9 & 29. Eam defendunt Abulenſis, Molina, Pereira, Arriaga locis citatis, Torniellus in Annalibus Sacris tom. 1. die 1. num. 5. & 6. Suarez de Opere ſex dierum, lib. 2. cap. 3. Et hæc de notabilibus, & ſententijs.

Noſtra concluſio in primo puncto quartam; in ſecundo verò ſecundam ſententiam amplectitur, & ſic explicatur priuſquam probetur. „ Pri„ mus dies in exordio mundi ſic eſt „ computandus, quatenus videlicèt „ præceſſerunt horæ duodecim tene„ brarum ante creationem lucis, & hæc „ in eo ſitu creata fuit, vel producta „ in quo, reſpectu Palæſtinæ forma„ret Auroram. Hæc concluſio ſic expoſita probatur. Primus dies in exordio mundi eo modo conſiderari debet, quo litteralius, propriùs, & conformius ad ſacras litteras poſsit exponi; ſed litteralius, proprius, atque conformius ad ſacras litteras illum interpretabimur, & conſtituemus, ſi poſt duodecim horas tenebrarum producta lux fuerit in Oriente reſpectu Palæſtinæ: ergo ſic debet exponi. Probo minorem per partes, & in primis primam. *LITTERALIUS* videtur eſſe in expoſitione primi diei conſiderare veſperum ante mane, & conſiderare veſperum dimidium diei integri: nam id dicunt illa verba, cap. 1. *Factum eſt veſpere, & mane dies vnus*; ſed præcedentibus duodecim horis tenebrarum lucem produci in Aurora reſpectu Palæſtinæ, componit vtrumque, nimirum, & ire veſperum ante mane; & veſperum claudere dimidium integri diei naturalis: ergo, &c. Maior patet explicatione deſumpta ex modis computandi diem apud Plin. lib. 2. cap. 77. aientem: *Babylonios, & Chaldæos obſervaſſe diem inter duos Solis ortus; Athenienſes inter duos occaſus; Vmbros à meridie in meridiem; Vulgus omne à luce ad tenebras. Sacerdotes Romanos, & qui diem definiere civilem: item Egyptios, & Hyparchum, atque adeò cunctos Aſtronomos à media nocte ad mediam noctem.* Ex quibus verbis patet, quod neque dies de ortu in ortum Solis, neque de meridie in mediam noctem computatus componit hæc duo, ſcilicèt, & veſperam eſſe partem mediam diei integri, & ei primam: ſi enim veſpera, & mane contraponuntur in conſtitutione diei; veſpera non ita exponenda eſt, vt miſceat aliquid claritatis: licèt enim *veſper* nuncupetur *Sol occumbens* ita dicetur propter proximitatem. Igitur ita computandus eſt, vt faciat veſperam primam mediam partem diei integri, vt computetur ab occaſu in occaſum, ſeu vt finis claritatis primæ finiat diem primum integrum, & indè exordium ſumat ſecundus. *PROBO SECUNDAM PARTEM*, ſcilicèt quod explicatio ſit proprior. *Proprior* eſt illa explicatio, quæ magis inhæret propriæ ſignificationi verborum; ſed ſic ſe habet noſtra reſpectu illorum verborum *Veſpere, & mane*: ergo proprior eſt. Probo minorem: noſtra explicatio ſumit veſperam pro nocte, & mane pro claritate, ita vt ille textus: *Factum eſt veſpere, & mane dies vnus*, ſic exponatur: *Tantundem lucis, ac tenebrarum diem componunt*; ſed ibi *veſpere, & mane* ita propriè ſignificant: ergo noſtra explicatio inhæret propriæ ſignificationi verborum. Probo minorem: proprietas verborum deſumenda eſt ex rigore linguarum, & ſignificatis lexicorum; ſed iuxta hæc *veſpera* pro nocte ſumitur, & *mane* pro claritate: ergo, &c. Probo minorem: iuxta Ambroſium Calepinum *mane clarum veteres dixerunt ſecundum Nonium.* Itemque ex Varrone, & Toſtato *mane* dicitur *à manendo*, quandiù ſcilicèt Sol manet ſuprà noſtrum Orizontem. Deinde ex Valentino Schildero in Lexico Pentaglotto illud verbum *Hereb.* ſignificat veſperam, diei finem, noctis initium, cum Sol oc-

cidit, & ſtellæ oriuntur, & omnia ita miſcentur, vt vnum ab altero dignoſci, & diſcerni nequeat. Et infrà refert noſtrum textum *veſpere, & manè dies vnus*, & ſubdit: *veſperam præponit, quia tenebræ fuerunt priores. Inde diei naturalis initium nox, & per Synedochen veſpera noctem; manè diem artificialem denotat.* Ex Toſtato: *Et quia in tempore iſto nulla lux fuit, vocatur veſpere*: ergo *manè* propriè ſignificat claritatem, & veſpera tenebras ab initio tenebreſcendi. Conſequentia patet: dùm enim ex lexicis ſignificata ſumuntur ſemper rigor ſignificationis attenditur. Confirmatur primo ex Ambroſio Calepino, dicente verbo *nox*. *Noctis partes ſunt Veſpera, Crepuſculum, Prima fax, concubium, Nox intempeſta, Ad mediam noctem, Media nox, De media nocte Gallicinium, Conticinium, & Diluculum.* Et in verbo *veſper*. Confirmatur ſecundò ex voce Gallica *le ſoir*, quæ promiſcuè ſignificat, & vſurpatur pro nocte, & veſpere, immò frequentiùs pro prima nocte: quia tempus pomeridianum dici ſolet *apres mydi*. Confirmatur tertio: quia ly *veſpere* in rigore Hebraico ſignificat confuſionem, & ly *manet* ſignificat dicernentiam; patet autem claritatem diſcernere, & tenebras confundere: ergo *veſpera* pro tenebris, & *manè* pro claritate ſumenda ſunt. Confirmatur quarto: quia Deus lucem appellavit diem, & tenebras noctem vocibus, quarum prima in rigore Hebraico ſignificat lætitiam, & ſecunda lugubres eiulatus: quia in die lætatur cor, & noctu venit triſtitia, & calamitas; ſed veſpere incipiunt tenebræ iuxta illud: *Longæque cadunt altis de montibus umbræ*: ergo veſpere eſt nox, &c.

PROBO TERTIAM PARTEM, quod ſcilicèt ſit conformior ſcripturis noſtra explicatio. Primò: quia iuxta illam componitur, Deum nihil creaſſe ante primum diem iuxta textus Geneſis 2. *Iſtæ ſunt generationes Cœli, & Terræ in die, quo Deus fecit Cœlum, & Terram.* Et Exodi 20. *ſex diebus fecit Deus Cœlum, & Terram.* Secundò: quia planum remanet illud Levitici 23. *A veſpera vſque ad veſperam celebratis Sabbata veſtra*, ſimul cum illo textu: *Et requievit Deus die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat.* Ex quibus omnibus ſic formatur argumentum. Iuxta illum textum Levitici, & traditionem Hebræorum legitima Sabbata ipſorum celebrabantur à veſpera vſque ad veſperam, vel ab occaſu vſque ad occaſum iuxta ritum, & tenorem diei ſeptimi, in quo Deus requievit ab opere creationis: ergo dies ſeptimus incepit à Sole occidente, ſeu veſpera, vſque ad veſperam ſubſequentem. Nunc ſic: ſed iuxta tenorem narrationis Moſaïcæ dies ſeptimus eodem modo computatus fuit, ac reliqui dies: ergo prima dies incæpit à tenebris, vſque ad tenebras incipientes diei ſecundi. Tertiò: noſtra explicatio primi diei per duodecim horas priores tenebrarum, & per duodecim horas poſteriores lucis creatæ in Oriente reſpectu Palæſtinæ, optimè componit, quomodo Deus diviſit lucem à tenebris, & lucem appellavit diem, & tenebras noctem: videtur enim hic modus dicendi ſonare, quod Deus reliquerit tantundem lucis & tenebrarum: partitio enim partem ſonat; diviſio autem duas medietates ſignificat: ergo, & duodecim horas vniuſcuiuſque: atque adeò ad formandas duodecim horas diurnas diei in Paleſtina opus erat lucem fuiſſe productam in Oriente poſt horas duodecim tenebrarum. Igitur de primo ad vltimum noſtra explicatio primi diei eſt litteralior, proprior, accomodatior ad Scripturas, & expeditior, ac per conſequens ſuſtinenda.

Obijcitur primo: Noſtra explicatio probat, Cœlum, & Terram non fuiſ-

fuisse creata in tempore : itemque partem diei non esse partem temporis; sed hæc videntur absurda : ergo, & explicatio nostra primi diei. Probo maiorem : initium temporis fuit initium lucis, & motus ipsius; sed ante initium lucis creata sunt Cœlum, & Terra, & præcisè media pars diei, scilicèt per duodecim horas tenebrarum : ergo, &c. Maior constat, quia tempus est *numerus motùs secundùm prius, & posteriùs*; quem à luce Solis primitùs mensuramus. Minor autem patet ex dictis in nostra probatione. Respondeo distinguendo maiorem : *In tempore neque intrinseco, neque extrinseco*, & diem non esse partem temporis *intrinseci*, neque *extrinseci*, nego maiorem loquendo solum de tempore *extrinseco*, concedo maiorem, & nego minorem in sensu anteà concesso, & consequentiam : Tempus enim duplicitèr considerari potest : vel pro mensura extrinseca, qua res durabiles mensuramus : & hoc nequit esse nisi sit numerus motus secundùm prius, & posteriùs; vel pro ipsis rebus capacibus durare plus, minusvè, quod appellari solet *quando intrinsecum rei*, & in hac consideratione Cœlum, & Terra creata fuerunt in tempore intrinseco sui correspondente imaginariè ad eas partes motùs, quæ ab exordio sui possent numeri. Et hoc videntur insinuasse Hugo lib. 1. de Sacram. part. 1. cap. 9. Divus Bonaventura in 2. distinct. 12. artic. 2. quæst. 2. & Gabriel dùm dixerunt tunc *tempus fuisse secundùm mobilitatem materiæ*. Et in hoc quoque sensu intelligendum est illud Concilij Lateranensis : *Deus simul in principio temporis utramque de nihilo condidit creaturam*. Et licèt in illis tenebris, & confusione daretur aliquis motus non potest dici esse tempus : quia non erat fixus, & regularis ad mensurandum. Quòd si velis secundam solutionem; dic illa fuisse creata in tempore informi; non formato cui favet D. Thom. De die autem primo vltró fatemur mixtum fuisse ex tempore imaginario, qua parte ex prioribus tenebris resultabat. Sed, cùm dies in rigore loquendi potiùs stare videatur pro artificiali, semper concluditur, etiam primum diem fuisse tempus extrinsecum, & quod tenebræ componentes diem naturalem in illis primordijs nullam aliam mensuram habuerint, quam ipsam conditionem naturæ tunc exordientis. Si autem propterea velis, primum diem naturalem duntaxat analogicè cùm cæteris convenire, non repugnabo : quomodocumque enim prima dies naturalis consideretur multum diversa apparebit à reliquis, vel sacro textui discordabit.

Obijcitur secundo : Absonum videtur, Deum incipisse opus suum à tenebris : ergo tenebræ vel solùm ordine naturæ præcesserunt ad lucem; vel solùm aliquo instanti sufficienti ad divisionem lucis, & tenebrarum. Resp. 1. negando suppositum Deus enim incæpit à lucidissimo Empyreo. Respondeo 2. negando antecedens, & suppositum ipsius : quanquam enim irrisores illi, ac petulantissimi Manichæi illuderent veteri testamento; subsanantes, quod Deus per tenebras incæpisset, illi ipsi sunt potiùs qui cæcutiunt, & tenebrescunt : putarunt enim, tenebras fuisse quidpiam, & quasi à Deo factas dùm sic accusant, in quo multum hallucinantur. Dicimus ergo, non esse absonum, sed sanctissimum nos credere Scripturæ dicenti priusquam lux crearetur, *& tenebræ erant super faciem abyssi*. Si verò bene vidissent arrogantes Manichæi, & *vellent intelligere, vt benè agerent* plura considerassent : primò tenebras nihil aliud esse nisi carentiam lucis, quæ per totam æternitatem erat negatio, siquidem non erant obiecta illuminanda; postquam verò creata sunt, fuit privatio, quæ proviⁿden-

denter anteceſsit ad lucem: tùm, vt melius perciperetur productio lucis in tempore, cum obiecta præceſsiſſent in tenebris: tùm quia, cum lux facta fuiſſet propter illuminationem vniverſi, prius erat hunc præcedere ſaltem informem, & obſcurum. Deinde præceſsit per duodecim horas imaginarias, vt poſteà advenirent totidem lucis, & ſic diviſio fieret inter lucem, & tenebras, quæ partitio ſeu potius inter ipſas erat perfectior, vt videtur in æquinoctijs. Secundò, illas tenebras non eſſe vt modò illas conſideramus defectuoſas, & imperfectas, quæ ſcilicèt, proveniunt à fuga lucis, & quæ relinquunt homines, & viventia in quadam naturali confuſione, & mæſtitia; ſiquidem illæ tenebræ in primis non erant reſpectu Dei, qui lucem inhabitat inacceſsibilem: deinde neque reſpectu hominum, & viventium, quippè nondum erant; ſed ſolum reſpectu rerum creatarum, quæ videlicèt non erant in ſe luminoſæ, quas ita oportebat, & eſſe, & præexiſtere, ſi poſtmodum creanda erat lux cunctarum illuminatrix. Patet ergo peiores tenebras adhæſiſſe oculis Manichæorum.

Obijcitur tertio: in noſtra explicatione *veſpera* ſumitur pro nocte, & tenebris; ſed veſper apud omnes nationes tempus pomeridianum ſignificat; non verò nocturnum: ergo noſtra explicatio inepta eſt. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: *ab initio ſui conſideratis*, concedo maiorem; *ſolum ſecundum maiorem intenſionem noctis, & tenebrarum*, nego maiorem, & diſtinguo minorem: veſper ſignificat tempus pomeridianum *vergens ad occaſum* non verò nocturnum, concedo minorem; tempus pomeridianum *clarum*, non verò nocturnum adhuc *initiativè*, nego minorem, & conſequentiam. Itaque veſper in ſuo rigoroſo ſignificato ſignificat ſtellam, quæ occidente ſole, incipet apparere, & vice Lunæ trahit illuminationem: vnde ait Ambroſius Calepinus verbo veſper: *Contra ab occaſu reſplulgens dominatur veſper, & prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens. Sæpiſsime tamen veſper, & veſperus accipiuntur pro extrema diei parte, qua ſtella hæc incipit apparere.* Ex quibus verbis conſtant duo: primum, quod quando ſumitur pro extrema parte diei; imò pro toto tempore pomeridiano, non fit in rigoroſa; ſed in lata, & communi vſurpatione: vnde communis, conſuetudo vocandi veſperam tempus pomeridianum, vel orta eſt ex proximitate Solis venientis de meridie iam ad Orizontem, per quam veſper apparet (in familiaribus enim explicationibus ſæpè vſuvenit proximiora proximioribus compellari) vel orta eſt ex opinione aliorum Doctorum, qui veſperam ſumunt à meridie ad occaſum. Nos autem, qui primordia rerum potius inter ſe, & cum ſcripturis cohærentia malumus; non multum ad vocis cuiuſdam vſurpationem alligamur: quippè, ſi volet vſus, teſte Horatio, cadunt, ſurguntque voces, & norma loquendi. Vnde liquidò dicimus, *veſperem* ſignificare noctem in tota ſua latitudine, ſcilicèt ab apparentia veſperis, ſeu ſtellæ Veneris, & à tunc cadentibus vmbris vſque ad Auroram. Quod ſi in primis horis duodecim tenebrarum non anteceſsit vllum quaſi crepuſculum vel tenebreſcens inchoatio noctis, ideò eſt quia nulla lux præceſſerat, cuius carentia ſenſim daret tenebris locum, & ſic crepuſculum texeretur, quaſi ex mixtura opacitatis, & lucis morientis; non autem dicimus, veſperam ſumi pro nocte merſa iam in caligine tenebrarum.

Obijcitur quarto: Deus creavit lucem in meridie reſpectu Palæſtinæ: ergo non in Oriente. Probo antecedens. Deus creavit lucem in perfectiore ſtatu ſui reſpectu illius regionis, quam prædilexit; ſed hæc fuit Palæſtina ex

ſu-

ſupra dictis: ergo, &c. Maior patet: cur enim alij regioni minus nobili, atque à Deo minus dilectæ deſtinaſſet Deus primum Zenith, vel torrentem lucis; & Paleſtinæ oroſcopum duntaxat exorientis Auroræ? Reſpondeo negando antecedens, & ad eius probationem diſtinguo maiorem: in perfectiore ſtatu ſui *reſpectivè ad intenſiorem illuminationem*, nego maiorem; *reſpectivè ad totam idæam illuminandi univerſum*, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Dico ergo conſequentèr ad ſuperiora, Deum creaſſe lucem cum tota ſua intenſione, & in Zenith reſpectu alicuius regionis; verum in eo ſitu vt formaret Orientem reſpectu Palæſtinæ: quia finis Dei non erat ſolum Palæſtinam illuminare; ſed in ea primitus vices lucis, ac tenebrarum directa providentia componere & ſtabilire: ad quod longe melius erat lucem in primo puncto exoriri in Palæſtina, quàm inibi ſuum Zenith efformare.

Obijcitur quinto: motus primi mobilis, ſcilicèt lucis, fuit poſt primum inſtans creationis: ergo non poſt duodecim horas tenebrarum. Probatur antecedens ex Divo Thoma 1.part.quæſt. 46. artic. 3. & 66. artic. 4. ad 3. aiente, tempus eſſe concreatum cum Cœlo, & Terra; ſed tempus propriè loquendo ſumitur pro motu lucis, & vt ſalvetur fuiſſe concreatum cum Cœlo, & Terra, requiri videtur, eius productionem contigiſſe ſaltem poſt primum inſtans creationis: ergo, &c. Confirmatur ex communi axiomate Theologorum, quod ſcilicèt tempus fuerit concreatum cum Angelis, Cœlo, & Terra. Reſpondeo negando antecedens, & ad eius probationem diſtinguo maiorem: *Tempus informe*, vt dicit ipſemet Sanctus Doctor, concedo, maiorem; *formatum*, ſivè ſumptum pro conſtanti, ac perpetuo motu mobilis, ſub diſtinguo: *concreatum omnino ſimultaneè*, nego maiorem; concreatum ſimul *ſimultate collectionis rerum creatarum*, concedo maiorem, & nego minorem quoad ſecundam partem: ſufficit enim, vt aliqua concreata eſſe dicantur, quod vno tractu creationis creata fuerint; licèt cum aliqua inter capedine crearentur: quemadmodum concreatæ dici poſſunt animæ rationales, quæ in vno die creentur. Si velis autem aliquod tempus informe (vt loquitur Divus Thomas) id eſt aliquem motum Cœli, vel rei alterius fuiſſe in eodem inſtanti cum Cœlo, & Terra concreatum, non repugnabo: nihil enim noſtræ aſſertioni adverſatur.

Obijcitur ſexto: mane debet ſumit pro tempore antè meridiano: ergo, & *veſpere* pro tempore pomeridiano. Probatur antecedens ex illo textu Geneſ. 44. *Orto mane dimiſſi ſunt*. Et ex illo Exodi: *Mane quoque ros iacuit*, & ex illo 3. Reg. cap. 18. *De mane vſque ad meridiem*: ergo, &c. Confirmatur: quia mane, & veſpera ſunt partes diei; ſed dies ſolum dicit claritatem, vt conſtat ex illo Geneſis: *Et lucem appellavit diem, & tenebras Noctem*: ergo veſpera pro tenebris ſummi non poteſt. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: ita vt ſummi non poſsit pro integra claritate diei, nego antecedens; in frequenti vſurpatione, concedo antecedens. Itaque verùm eſt quod mane plerumque ſumitur pro Aurora, & luce aſcendente contrapoſite ad veſperam, & lucem cadentem; ſed hoc non obſtat quominus etiam ſummi poſsit quaſi per Synedochen pro tota luce diei, vt intendimus in noſtro textu, intelligentes per *mane* lucem diei, & per *veſpere* tenebras noctis. Vndè dicitur Iſaì 21. verſ. 14. *mane, & nox venit*: ex quibus verbis conſtat, *mane* ſumi pro tota luce diei; ſiquidem ibi dicitur poſt *mane* venire Noctem. Neque illa forma loquendi, *veſpere*, & *mane* debet facere argumentum: dicit enim P. Gaſpar Sanchez in Iſaiam 17. eſſe formam

mam proverbialem: *Quæ pro breviſsimo tempore vſurpatur quando aliqua notatur rerum viciſsitudo.* Ad confirmationem nego minorem, & conſequentiam: licèt enim dies potiùs ſignificet claritatem, quæ dici ſolet *dies artificialis*; nihilominus ſumitur, vbi oportet, pro die integro naturali claudente lucem, & tenebras, & ſic ſumuntur dies creationis, & ſæpè in Scriptura, v. gr. cum complerentur dies *purgationis Mariæ*, & Daniel 1. *Reſtitit mihi viginti, & vno diebus.* Licèt autem diem integrum componat nox; nihilominus dies, vti nobilior pars, percurri dicitur, quando dies nocte ſua pertranſivit. Quod autem veſpera ſupponat pro nocte patet ex Math. 28. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit, &c. Luceſcere* enim proprium eſt tenebrarum, ſivè rei priùs tenebroſæ.

Obijcitur ſeptimo: Si noſtra concluſio eſt vera, ſequentur duo abſurda: ergo ſuſtineri non valet. Probatur antecedens: ſequeretur primò, quod dies primus in regione oppoſita Palæſtinæ reſultaret ex viginti, & quatuor horis tenebrarum: ſequeretur ſecundò, quod ſimul eſſet in vno hemiſphærio dies Lunæ, & in alio dies Martis; ſed vtrumque eſt abſurdum: primum: quia non datur dies ſine vlla luce: & ſecundum: quia, quæ ſunt ſucceſsiva, vt *dies Lunæ, & dies Martis* ſimul eſſe non poſſunt: ergo, &c. Vrgetur primum abſurdum: quia dies prima fuit dies Domini, ſeu Dominica, in qua initiabantur tot, ac tanta lucis myſteria: quomodo ergo illa dies inter omnes omninò tenebroſa credenda eſt? Reſpondeo negando antecedens, & minorem probationis: neutrum enim ex ponderatis eſt abſurdum, vt late, & ingenioſe ponderat, ſeu potiùs demonſtrat Pater Molina diſputat. 8. de Oper. ſex dierum. Ad primum ergo dico, quod quemadmodum non eſt abſurdum, quod media pars diei naturalis ſit tenebroſa: & quem admodum non eſt inconveniens, ſed potius conducens ad bonum vniverſi, quod etiam nunc temporis in aliquibus regionibus ſeptentrionalibus dentur tres menſes continui lucis, & tres menſes continui tenebrarum; ſic non eſt abſurdum quod in principio temporis ad rectè diſtribuendos gyros lucis, & motus daretur vnica dies integra tenebrarum: præſertim, cum priores duodecim horæ fuerint vniverſales toti orbi, nec dum ſcilicèt luce producta. Ad vrgentiam huius abſurdi reſpondeo, quod quia prima dies erat Dominica, & ſimilitèr Palæſtina erat terra Dominica, Deus in conſtitutione primi diei potius attendit Palæſtinæ, quam reliquis plagis, & ideò in ea formavit diem cum omni perfectione poſsibili; dividendo nimirum perfecta æqualitatè horas totidem lucis, & tenebrarum; & dando luci ſtationes ſuas, nimirum Auroram, meridiem, & occaſum, cum quibus dies tam perfecta conſtitueretur, quæ nulli alij totius orbis regioni ſic primitus appareret; in alijs verò regionibus illa prima dies computanda eſt quoad horas tenebrarum, & plures vel pauciores reſpectivè ad motum lucis, & ſitum regionum earum. Hinc reſponſio patet ad ſecundum abſurdum: licèt enim verè eſſet abſurdum quod in eadem regione ſimul eſſet dies Lunæ, & dies Martis, qui ſibi ſunt ſucceſsivi; nihilominus in alia regione, & hemiſphærio non eſt abſurdum: quia ex ipſo motu Solis, & ex ipſa diſtantia regionum oritur quod ipſa computatio dierum à fortiori ſit vtrobique diverſa: & qui navigat, v.gr. de Occidente ad Orientem, vel, è contra inveniet, ſi ſupputantur dies in navigatione conſumpti, quod in vna vel altera die plus, minuſvè variat, & variare debet ſupputatio reſpectu vtriuſque hemiſphærij.

Quæ omnia luculenter exponit P. Ludovicus Molina vbi ſupra, inquiens pag. 1983. col. 1. circa medium. „ Atque

„ adeò

„ adeò concluditur id, ad quod ex-
„ plicandum inſtituta eſt hæc octava
„ diſputatio, nempè fieri non poſſe, vt
„ integer circulus terræ ab Oriente in
„ Occidentem habitetur, quin dentur
„ duo populi coniuncti, in quorum al-
„ tero ſit dies feriæ ſecundæ, ſeu dies
„ Lunæ, quando in altero fuerit dies
„ Dominica, & ita conſequentèr de cæ-
„ teris diebus ſeptimanæ: atque adeò
„ in quorum altero illicitè veſcantur
„ homines carnibus, eo quod ſit in eo
„ feria ſexta, ſeu dies Veneris; & in al-
„ tero licitè eiſdem veſcantur, eo quod
„ ſit feria quinta, ſeu dies Iovis: ſimili-
„ tèr in quorum altero illicitè homines
„ laborent, eo quod ſit dies Dominica,
„ & in altero laborent licitè, eò quòd ſit
„ dies Sabbati. Id quod hodie neceſſa-
„ riò debet contingere populis vltimis,
„ quibus ſe contingent Luſitani, qui
„ verſus Orientem in Indiam navigant,
„ & Caſtellani, qui versùs Occidentem
„ navigationes conficiunt: experientur-
„ que Luſitani, qui à portu Sinarum
„ navigaverint ad Inſulam Luzonum,
„ quam vocant, & Caſtellani, qui ab
„ eadem inſula tranſiverint ad portum
„ Sinarum, quem incolunt Luſitani:
„ neceſſariò namque comperient vnum
„ & eundem diem tanquam diſtinctos
„ computari in vtroque loco, vt ſtatim
„ copioſius oſtendemus. Ac pergit id
clariſsimè, ac pleniſsimè demonſtrare.
Sed tamen obſervandum eſt, id aſſertum
pendere in Molina ex pluribus, ſcilicèt:
primò ex eo quod ipſe nullum verum
diem agnoſcit alicubi terrarum, ſine
diurna ſolis illuminatione ad duodecim
horas ſcilicèt in illo mundi exordio
quod in æquinoctio ponimus eveniſſe:
ſecundò ex eo quod inde provenit, ſci-
licèt, primùm diem naturalem luce, &
tenebris conſtitutum non fuiſſe æqua-
lem in omnibus Regionibus; ſed lon-
giorem quoad horas plus minuſvè pro
diſtantia, & ſitu poſtergato verſus Oc-
cidentem trans Palæſtinam, vbi fuit pri-
mum Oriens, ita vt in Antipodis Palæſti-
næ perveniret primus dies naturalis
mundi ad 36. horas 24. tenebrarum, &
12. diurnæ lucis. Tertiò ex eo quod
ſupponatur, quod eadem ratio menſu-
randi dies integros naturales per totum
Orbem obſervaretur, v.g. vel ab occa-
ſu ad occaſum, vel à meridie in meri-
diem, &c. Quibus poſitis rem demon-
ſtrativè concludit. Tam longè eſt vt ea
probetur abſurda. Nos verò ad hæc
omnie minimè conſtringimur: quippè
non recuſamus fateri diem integrum na-
turalem in exordio mundi alicubi v. gr.
apud tales Antipodas omni prorſus luce
caruiſſe, ſicuti modo apud Noruegios
ſeptemptrionales tranſcurrunt men-
ſes, & dies naturales prorſus obſcu-
ri, qui tamen per regularem mo-
tum ſolis, (licèt alias terras illumi-
nantis) ſupputentur; cum motus Cœ-
li vbique pateat. Hoc ergo poſito pri-
mas die mundi æqualis fuit vbique, non
quoad lucem, ſed quoad horas ſci-
licèt duodecim ſuppuratas per motum
imaginarium, ſeu mobilitatem materiæ,
vt dicebamus, & duodecim per motum
lucis iam productæ, & gyrantis, & ita
etiam generalitèr, & abſolutè loquendo
æquales fuere omnes dies, qui ab exor-
dio mundi hactenus lapſi ſunt. Quod ſi
nihilominus alicubi fortè reſultet, vt Mo
lina demonſtrat, duos populos finitimos
eaſdem viginti quatuor horas diverſimo
dè nominare ſcilicèt diem Lunæ, & diem
Martis; id provenire ſolum poterit ex
eo quod ratio reſpectiva ſupputandi
dies ſervetur eadem, v. g. à meridie in
meridiem, vel ab ortu ad ortum, &c. &
cum hi diſcrepent propter diſtantias
plagarum, & motum lucis ſucceſsivè
advenientis, à fortiori dierum calcu-
lus diſcrepabit: non tamen ea varietas
ex præcedentia tenebrarum eſt pro ven-
tura vt ipſe Molina oſten-
dit, pagin. 1985.

***

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS AD ILLA VERBA.

GENES. CAP. 1. V. 6. FIAT FIRMAMENTUM, &c.

ARTICULUS

QUID VENIAT INTELLIGENDUM NOMINE firmamenti?

NOTABILIA.

IN hac quæstione difficili, in qua admodum laborant interpretes, non erit incongruum aliquid de Sphæris Cœlestibus præmittere, vt ea, quæ discutienda sunt clariorem suscipiant explicationem: Itaque si Aristotelem consulamus, existimavit ille dari duntaxat octo orbes Cœlestes, septem videlicèt planetarum, & stellatum, quam primum mobile esse putabit; sed cum post Ptholomæus deprehenderit octavam sphæram moveri ab Occidente in Orientem vno gradu, saltem singulis centenarijs, coactus est vltra octavam sphæram alium orbem constituere, qui esset primum mobile, & cæteros inferiores orbes ab Oriente moveret in Occidentem. Ad quod alij Auctores insuper adijciunt alium orbem, inter primum mobile, & Cælum stellatum sit interiectas, & causa illius motus trepidationis, quam in Cœlo stellato experientia deprehendit: vnde iuxta receptam opinionem Astrologorum admittendi sunt septem Cęli Planetarum; deinde octava sphæra, vel Cęlum stellatum, suprà hoc ille orbis mobilis, qui suo motu sit causa tripidationis, quæ in Cœlo stellato contingit: ac demum Cœlum illud, quod suprà hos omnes adstruitur, & primum mobile nuncupatur. Quibus omnibus, cum decem sint, si superaddas Cœlum Empyreum immobile, & etiam Aeris regionem, quæ Cœli nomine donatur ab interpretibus, conficies demum ex probata opinione duodecim esse Cœlos, vel vndecim sine Empyreo, quod diversæ naturæ, & rationis est computandum.

Præter hunc opinandi tenorem, qui probatissimus est, & certè communissimus præsertim de septem orbibus Planetarum cum Cœlis stellato, & Empyreo, non defuerunt inter priscos Auctores aliqui singulariter opinantes, & per excessum, vel per defectum à præiactis longissimè recedentes: nam,

vt refert Div. Auguſt. ad *Quod vult Deus* Hereſ. 4. Baſilides opinatus eſt, dari trecentos, ac ſexaginta Cœlos. Econtrà verò Chryſoſtom. hom. 4. in Geneſ. & Pſalm. 148. reſolutè pronuntiat præter vnicum Cœlum non dari aliud; niſi in cerebro interpretantium; quamquam ipſum Div. Thom. 1. part. quæſt. 68. artic. 4. benigne faciat à communi non diſſentientem. Præter hos Theodoretus, quæſt. 11. in Geneſ. Baſil. homil. 3. in Hexamer. Damaſcen. lib. 2. Fidei Ortodoxæ, cap. 6. cenſent, dari duos Cœlos duntaxat; ſed, cum Baſilius, & Damaſcenus etiam fateantur, firmamentum claudere ſeptem circulos Planetarum, ſatius eſt eos intelligere cum Div. Ambroſio; lib. 2. Hexamer. cap. 2. affirmante, tres dari Cœlos, quos, ſi ita intelligamus, vt primum ſit aereum, ſecundum æthereum claudens ſeptem ſphæras Planetarum, & octavam ſtellarum, quod ideò *Sydereum* vocatur; ac denique tertium Empyreum, quo raptus fuit D. Paulus; res tota pęnes diverſos modos ſe explicandi, non ſine multa pace componitur.

Quibus prælibatis oportet iam venire ad ſententias, quas ad duas tantum celebriores reducam, & quarum prima aſſerit, nomine firmamenti eſſe intelligendam aliquam partem regionis aeris, illius videlicèt, quæ mediare ſolet inter terram, & nubes. Hanc ſententiam expreſsè videtur ſenſiſſe Rupertus lib. 1. in Geneſ. cap. 22. & quaſi faventes citari ſolent ex Patribus Auguſtin. lib. 2. Geneſ. ad litteram cap. 12. & cap. 4. Div. Hieronym. Epiſt. 83. ad Occean. Hanc ſententiam magis probat, Div. Thom. 1. part. quæſt. 68. art. 1. & 76. art. 1. Durand. in 2. diſtinct. 14. quæſt. 1. num. 14. Caietan. & Pereira in Geneſ. Torniellus in Annalib. Eugubinus in Coſmopæia, Lorinus in Pſalm. 18. vbi conſentiunt Arias Montanus, & Chaldæus quidam relatus cum alijs à Genebrardo, quorum ſententiam ipſe non reprobat, ſicut neque Eucherius. Secunda ſententia aſſerit, nomine firmamenti debere intelligi Cœleſtes ſphęras, quæ inter Empyreum, & terram ſunt interpoſitę. Hanc videntur tenere ex Patribus Chryſoſtom. hom. 4. in Geneſ. Damaſcen. lib. 2. de Fide, cap. 6. Beda in Hexamer. tribuiturque Div. Thom. in expoſitione ad Geneſim. Itemque citari poſſunt Auguſtin. lib. 2. de Geneſ. ad litteram cap. 12. & Hieronym. Epiſt. 83. ad Occeanum, ſi attente inſpiciantur. Eam defendit Abulenſis, Catharinus, Clichtoveus, Magiſter ſententiarum in 2. diſtinct. 14. Pater Molin. de Oper. ſex dier. diſputat. 10. Monterde in Theol. Syllogiſtica expoſit. Geneſ. 1. num. 19. & tandem Suarez lib. 2. de Oper. ſex dier. cap. 5. num. 10. qui vtramque ſententiam probabilem reputat.

Expoſitis iam capitalioribus ſententijs, ſit noſtra concluſio cum ſecunda ſententia, cum qua ſuſtinemus, firmamentum ſecunda die productum claudere præter regionem aeris octo Cœleſtes ſphęras ſuprà memoratas, & ſi quę ſunt aliæ ſuperiores iuxta Aſtrologorum diverſitatem; & ſic eam probo: in hac interpretatione exponimus firmamentum preſsiùs ad litteram, conformiùs ad ſcripturas, & expeditiùs: ergo hæc interpretatio debet cœteris anteponi. Probo antecedens per partes, & in primis primam: nam conformatur rigori Græco; & rigori Hebraico: ergo preſsiùs ad litteram fit. Probo antecedens: vox Græca, *Stercoma* qua vſi ſunt ſeptuaginta ſignificat quid firmum, & ſolidum; deinde vox Hebræa *RaKiah* proprie ſignificat *extendere, atque dilatare in laminas*; ſed hæc omnia optimè quadrant Cęleſtibus orbibus, qui quaſi *ærefuſi ſunt*, vt ait Eliu in lib. Iob cap. 37. ergo hæc interpretatio ſit iuxta rigorem Grę-cum, & Hebraicum. Confirmatur ex

Lexico Pentagloto Valentini Schilderi, dicente quod illa vox Hebræa apud Rabbin. idem eſt ac *orbis Cœleſtis.*

Probo iam ſecundam partem ex triplici textu. Primò ex illo Geneſ. 1. *Appellavit firmamentum Cœlum*, & nomine Cœli, aut Cęlorum dantur intelligi Cęleſtes orbes à terra ſurſum diſtenſi, ergo hi omnes nomine firmamenti clauduntur. Secundò ex illo textu etiam Gen. c. 1. vbi dicitur, quod Deus *fecit duo luminaria magna, & ſtellas, & poſuit eas in firmamento Cœli*; ſed Sol, Luna, & Stellæ collocata ſunt in prædictis orbibus, ſcilicèt in ſeptem orbibus Planetarum, & Cœlo ſtellato, & inſuper nomine Cœli venit regio aeris iuxta illud *volatilia Cœli* ſicut, & quivis orbis, qui ſuprà octavam ſphæram à Mathematicis collocetur: ergo hi omnes Cœli veniunt intelligendi nomine firmamenti. Tertiò ex Pſalm. 18. incipiente: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum*; ſed hæc verba ex optimis interpretibus ſonant, quod omnis ornatus Cœlorum loquitur gloriam Dei, & iuxta Ianſenium ly *firmamentum* ita exponitur *tàm amplus Cœli ambitus infinitis ſyderibus ornatus teſtatur, quàm magna, & admirabilia ſunt opera potentiæ ipſius*: ergo firmamentum pro Cœleſtibus orbibus ſumi debet. Confirmatur: ſi dantur aquæ ſuperiores Cœlorum præter aquas nubium; de nullo alio poteſt verificari, quod diviſit aquas ab aquis, niſi de toto numero orbium Cœleſtium interiacentium; ſed dantur tales aquæ ſuperiores Cœlorum, vt dicemus diſputatione ſequenti: ergo, vt melius ſalventur verba Scripturarum debet intelligi per firmamentum tota, & adæquata orbium Cœleſtium expanſio.

Probo tertiam partem, ſcilicèt quod hæc interpretatio ſit expeditior: quia opinio ſuſtinens, quod infima pars aeris inter terram, & nubes ſit firmamentum cogitur ad plura ſane difficilia. Primò, quod appelletur firmamentum id, quod eſt fluxum, & ſemper inconſtans. Secundò, quod appelletur Cœlum in prima nominis impoſitione id, quod ſolum figuratè, & licentiosè Cœlum dici poteſt. Tertiò, quia ſi firmamentum eſſet aer, in quo non ſunt aſtra; quæ tamen dicit Scriptura fuiſſe collocata in firmamento; ſequeretur, quod aſtra non niſi per anfractus loquendi, & intelligentias violentas collocata in firmamento, quod eſt contra locutionem planiſsimam ſcripturæ. Quartò, quod in ſecundo die iam elevati fuerint ſufficientes vapores, & nubes ad diviſionem aquarum ſuperiorum, & inferiorum; cum tamen longè poſt dicat textus, cap. 2. Geneſ. *Deus nondum pluerat ſuper terram.* Quod poſtremum licèt nobis abſurdum minimè reputetur; crederemus tamen facilè, magis congruere oppoſitum. Sed ab his omnibus difficultatibus ſententia noſtra, & interpretatio ſit libera; nec eiuſmodi alias incurrit: ergo expeditior eſt. Si ergo, & expeditior, & ſcripturis conformior, & tenatior eſt litterę non eſt cur non ſit præferenda.

Confirmatur tota noſtra ſententia ex Patribus, *CHRYSOSTOM.* aiente loco citato: *Et vocavit Deus firmamentum Cœlum hoc, quod videtur.* Noſter autem viſus non ſiſtit in infima regione aeris; ſed ad ſtellatos vſque Cęlos protendit obtutus. Ex *DAMASCEN.* aiente: *Quare nomine firmamenti videtur Cœlum ſydereum intelligendum*, & ex *BED.* in Geneſ. aiente: *Hac die ſecunda pars mundi huius ſublimior*, ideſt *Cœlum formatur.* Patet autem ſecunda die formatum fuiſſe firmamentum ex *AUGUST.* dicente loco citato: *Cum dicitur firmamentum Cœli intelligendum eſt omnem iſtam ætheream machinam.* Infima verò pars aeris neque eſt ætherea, neque omnis machina, quæ voces potius ſupponunt pro harmonia Cęleſti. Vbi

nota, quod Ariſtoteles, lib. de Mundo ait hoc nomine ætheris ſignificari totam Syderum Cœli, & ſtellarum compaginem: vnde dignoſcitur pro nobis potius ſtare Auguſtinum; licèt citetur ab Adverſarijs. Ex *Hieronym.* in Pſalm. 18. aiente: *Et vt ſciamus quia hoc eſt firmamentum, quod eſt Cœlum dicit in Geneſ. & appellavit Deus firmamentum Cœlum*: Quando autem Epiſt. 83. ad Occeanum ait, quod inter Cœlum, & Terram medium adſtruitur firmamentum, debet intelligi de Cœlo Empyreo; id eſt quod inter Empyreum, & Terram medium ſtat firmamentum; ſed redeamus pro coronide ad *Bedam*, qui citatur iuxta Pereiram, ſic loquitur: „ In medio „ aquarum firmamentum eſſe conſtat „ Sydereum Cœlum: neque aliquid pro„hibet, vt de aquis factum eſſe credatur: „ qui enim Chryſtalini lapidis quanta fir„mitas, quæ ſit perſpicuitas, ac puritas „ novimus, quem de aquarum concretio„ne certum eſt procreatum: quid obſtat „ credi quod idem diſpoſitior natura„ rum in firmamentum Cœli ſubſtan„ tiam ſolidarit aquarum? Et poſteà ex *B. PETRO* apud *CLEMENTEM ROMANUM*, libr. 2. Recognit. ſic ait: „ Totum interius mundi ſpatium intra „ ſupremi Cœli ambitum incluſſum „ fuiſſe ab initio, plenum aquis; aqua „ verò, quæ erat in medio illo ſpatio „ quaſi gelu conglaciata, & concreta, „ & modo Chryſtali ſolidata fecit fir„ mamentum, quod Deus Cœlum appellavit. Ex quibus omnibus pronuntiatis Sanctorum Patrum, & iam citatis Auctoribus ſimul cum Genadio, Sabeliano, & Petro Comeſtore citatis à Pereira multum auctoritatis hæc ſibi ſententia conciliat.

Contra hanc ſententiam vix colligere quicquam poſſumus, quod vim habere videatur; ſed nihilominus objicitur primo: Cœlum æthereum factum eſt prima die: ergo non eſt firmamentum, quod fuit productum die ſecunda. Probatur antecedens: Cœlum æthereum debuit produci, per creationem rigoroſe talem; ſed quicquid rigoroſe creatum eſt per creationem rigoroſe talem, prima die creatum eſt: ergo prima die creatum eſt Cœlum æthereum. Probatur maior: tale Cœlum æthereum eſt incorruptibile ab intrinſeco; ſed quæ ita ſunt potius poſtulant creari, quam generari: ergo, &c. Maior conſtat ex communi opinione Philoſophorum; ex motu ipſius Cœli prorſus perpetuo, & cuiuslibet alterationis experte; ex eorum influxu, penes quem ſit viciſſitudo totius generationis, & corruptionis in vniverſo; id autem, quod regit omnem generationem, & corruptionem incorruptibile eſt. Reſpondeo primo, negando antecedens, & maiorem probationis, & ad eius probationem, permiſſa maiori, nego minorem: poteſt enim, præſertim per manus Dei, fieri ex materia corruptibili aliqua eductio formæ ita excelſioris, inter alias, & puriſsimæ, vt quorumcumque agentium naturalium vis eam non poſsit labefactare, neque à ſua materia diſcindendo corrumpere; quod expreſsè dicit Pater Peynado agens de Cœlorum incorruptibilitate, in quo caſu, & dabitur incorruptibilitas ab intrinſeco huius compoſiti, & tale compoſitum generabitur; cumque in hoc nulla ſit repugnantia, non eſt cur Cœlo æthereo id tribuit non poſsit? Reſpondeo ſecundò, negando antecedens, & maiorem probationis, & ad huius probationem rurſus nego maiorem, ſcilicèt quod Cœlum ſit ab intrinſeco incorruptibile: licèt enim inter Philoſophos prævaluerit hæc opinio propter Ariſtotelem; tamen ante ipſum fuit opinio penè omnium Philoſophorum Cœlos quoque ex materia elementari, & corruptibili fuiſſe compactos, quod quidem aſſumptum nos libenter amplectimur, vt conformius Sacræ Scripturæ, Patribuſque, & interpretibus

bus, vt fusius quæstione 4. postmodum demonstrabimus; interea tamen ad rem facit illa extrema Cœlorum corruptio, quæ in fine sæculorum est eventura per quamdam pulcherrimam transmutationem, productionemque novæ formæ pristinà materià retenta, ita sentit Molina disputation. 3. ex Clement. Roman. lib. 1. Recognit. ex Hilar. can. 4. in Mate. Hieronym. & Isai. 51. & 65. Genadio de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 70. Oecumenio in Collectaneis aiente: *Quod huius vniversi fiat corruptio non solum Christianis, verum etiam Græcorum sapientibus videtur quemadmodum Heraclito, & Empedocli.* Et licèt Molina supernaturalitèr eventuram corruptionem hanc opinetur, ideó est quia ipse Scholasticorum more stat in hac re pro Aristotele, cum tamen expeditissime dici possit, Cœlos vel esse incorruptibiles ab extrinseco per decretum Dei de determinata eorum duratione; vel etiam ab intrinseco incorruptibiles respectivè ad frequentes ortus, & interitus rerum cæterarum sublunarium: ipsa enim natura postulabat, vt revolutio generationum per magis duraturos cardines ageretur; sed nihilominùs ipsis generationibus omninò cessantibus lumine naturali videntur etiam ipsi Cœlorum cardines cessaturi. Ex quibus ad insertas probationes pater responsio.

Obijcitur secundò: Firmamentum debet esse tale, quod dividat aquas superiores ab inferioribus; sed Cœlum æthereum id nequit facere: ergo non est firmamentum. Probatur minor: aquæ superiores sunt aquæ nubium, atque pluviales; quippè nullæ aliæ sunt supra Cœlos; sed Cœlum æthereum non interiacet inter nubes, & maria: ergo nequit dividere aquas superiores ab inferioribus. Hoc est fecundum fundamentum, quo Pereira, Suarez, & alij promovent sententiam contrariam, & quod sibi postulat integram quæstionem non tàm efficacia, & pondere argumentorum, quàm, ne confundamus articulos disputatos; sed cuncta maiori qua possint claritate procedant: ideòque ad sequentem quæstionem hoc examen remittimus, & interea respondeo negando minorem, ad cuius probationem nego maiorem, propter rationes, quibus probare conabor veras aquas existere super Cœlos. Vide q. seq.

Obijcitur tertiò: Firmamentum per nos claudit etiam regionem aeris: ergo probatio conclusionis nequit subsistere. Probo consequentiam: in ipso aere nequit habere locum soliditas, & collocatio astrorum; sed hæc sunt fundamenta nostræ interpretationis: ergo se ipsam destruit. Maior supra ponderata est à nobis, vbi, & constitit minor. Respondeo distinguendo maiorem: claudit vnice, & adæquatè, nego antecedens; in adæquatè, vt partem minimam, concedo antecedens, & nego consequentiam; ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: ad negandum aerem esse vnice firmamentum, concedo minorem; ad negandum neque partialitèr constituere firmamentum, nego minorem, & consequentiam. Aliud est, aerem esse partem totius firmamenti, quod, & firmamentum, & Cœlum vocari possit; aliud est nihil nisi regionem aeris esse firmamentum. Primum est verum: tum quia aeri convenit hoc, quod est esse expansionem quamdam, quod est primum significatum vocis Hebrææ: tum quia, licèt fluidum corpus ita appellari possit ex Augustin. capit. 10. de Genes. ad liter. lib. 2. *Firmamentum* (inquit) *non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum, & inferiorum aquarum, intelligere licet.* Tum quia non est novum in Philosophia vnam partem prævalere in denominando, sicut dicitur esse homo corporeus; quamquam

præcipua eius pars ſit ſpiritualis; ita ergo ſimiliter dicitur firmamentum totum ſolidum, licèt partem aliquam fluidam contineat. Tum quia non eſt novum per Catacreſim vti vocabulo rem vicinam ſignificante: & ita iuxta omnes hos ſenſus recipi poſſunt omnes loquutiones ſignificantes aves volare *ſub firmamento Cœli*, vel *iuxta firmamentum Cœli*, vt aiunt ſeptuaginta, vel *in firmamento Cœli*, licèt in aere ſolum poſint volitare; præſertim cum aer proprie Cœlum vocari poſsit, ſivè attendamus ad vocem Hebræam *Samaijm*, ideſt *ibi aquæ*; ſiquidem per nos aer ex aqua factus eſt; ſivè attendamus ad vocem Græcam *Uranos*, ideſt *viſibile*: quia viſibile nuncupatur omne illud, per quod viſus traduci poteſt, & cum Diaphano æquiparatur. Secundum autem eſt falſum propter rationes noſtras, Scripturam, & Patres, iuxta quos ſalvari debet ſoliditas firmamenti, & quod in eo aſtra fuerint collocata: quæ omnia perperam verificari poſſunt, ſi firmamentum aeris regionem duntaxat includeret. Conſtat ergo quomodo aeri nomen Cęli, vel firmamenti conveniat; & nihilominus firmamentum omnes Cœleſtes orbes includat.

Obijcitur quarto: iuxta hanc ſententiam ſolum fuerunt prima die rigoroſe creata Cęlum Empyreum, terra, & aqua, ex quibus vltimis facta ſunt poſteà lux, ignis, & aer; ſed hæc non videntur ſtare cum communi Philoſophia: ergo, &c. Probo minorem: conſenſus Philoſophorum ponit quatuor prima elementa, ſcilicèt aquam, terram, ignem, & aerem; ſed ſi hæc duo poſteriora fierent ex prioribus iam non eſſent elementa prima, & irreſolubilia: ergo noſtra poſitio non bene Philoſophatur. Reſpondeo negando minorem, & ad eius probationem diſtinguo maiorem: quatuor elementa ſtrictè talia, nego maiorem; vulgò talia, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Itaque illa quatuor ideò communiter vocantur prima elementa, quatenus corpora mixta in ea quatuor communiter reſolvi videntur; ſed non quia aliud ex alio rurſus fieri tanquam ex primo non poſsit. Propterea teſte Patre Benedictis tom. 3. Philoſophiæ queſt. 2. Ariſtoteles non vocat ea ſimpliciter elementa; ſed *vocata elementa*; & eius commentator Averroes ait, eſſe elementa *ſecundum opinionem vulgi*: quare ex ipſo notat Suarez in Metaphyſicis prima elementa ſtrictè conſiderata non eſſe niſi duo, ſcilicèt *materiam*, & *formam*: traditque Pater Peynado cum Oviedo, & Maſtrio, talem quaternarium elementorum facilè probari non poſſe; ſed qui abunde velit noſcere diſsidia Philoſophorum de primis elementis mundi, vel legat Pereiram in Phyſicis, ſeu de Principijs, vel Hermiam in irriſione Philoſophorum, quæ habetur in Biblioteca Patrum, tom. 4. & in noſtra palæſtra Scholaſtica, lib. 4. in antidoto Philoſophandi. Cui vltra poteſt adnecti opus, quod ſcripſit Ioannes Baptiſta Criſpus de Philoſophis caute legendis. Ego verò ſacræ paginæ omnem Philoſophiam ſubſterno: ſunt enim ipſius altiora momenta, vt ingenue fuit Molina confeſſus in ſua diſput. 5. reſpondens: *Nos eo in loco cum nondum Scripturam Sacram ſuis momentis æſtimaſſemus defendiſſe materiam Cœli diſtinctam eſſe ſpecie à materia horum inferiorum.* Et Baſil. hom. 3. in Hexameron ait: *Fidei noſtræ ſermones præcellunt ad externorum dogmata collati: Iſti namque vi extortam ſuis ſententijs conciliant probabilitatem: hic ipſa ſola veritas nuda, & omni vacua artificio, aut impoſturâ ob oculos proponitur.*

Obijcitur quinto: Cœli debent eſſe fluidi: ergo noſtra ſententia de firmamento non ſubſiſtit. Probo antecedens primò: quia motus errantes Planetarum non bene componentur, vt iam propiùs, iam remotiùs à ſole ap-

pa-

pareant. Secundò: quia alioquin non viderentur cometæ in Cœlo ſuprà Lunam, vt tradunt Aſtrologi. Tertiò: quia in Luna dari dicuntur varias cavitates, quas Cœlo fluido repleri oportebit. Et tandem: quia id ſentiunt plures Patres. Reſpondeo negando antecedens, & ad multiplicem probationem reſpondeo in primis ad primam: motus Planetarum errantium componi iuxta Aſtrologos per Epyciclos, ſivè Sphærulas, in quibus motu proprio, & particulari movetur vnuſquiſque Planeta. Ad ſecundam, & tertiam nego cum Mathematicis, & Philoſophis tum Cometam ſuprà Lunam, tum ipſius Lunæ imaginarias concavitates. Ad quartam dico cum Arriaga firmiora, & clariora teſtimonia Patrum militare pro noſtra ſententia de ſoliditate Cęli Syderei, in quam præter antiquos Philoſophos Theologi, & interpretes conſpirarunt. Pro qua doctrina firmanda ſatis ſit ſcire, hanc ſententiam hic eſſe claſicam, & ſolemnem, atque publicè doceri ex lege in hac Univerſitate Complutenſi ex curſu Ieſuitico P. Peynado: atque in hac ſententia omnis noſtra Provincia Toletana inſtituitur, educatur, & enutritur, vt conſtat in curſu P. Peynado, tom. de Generat. lib. de Elementis, & Cœlo, diſp. 2. ſect. 3. pag. 336. num. 30. In quo licèt videar mihi ſatisfeciſſe; forte dari poſſent longè plura, ſi plura deſiderentur. Neque tamen volo omittere verba, quibus P. Peynado claudit num. 41. ſic inquiens: *Vnde valdè miror PP. Oviedo, Arriaga, & Alphonſo in fluiditatem Cœli inclinare; quia per eam melius cenſent componi Cœlorum motus; cum ipſi nulla alia argumenta proferant quam prædicta, quæ & ipſi expeditè ſatis ſolvunt.* Inſuper clarus eſt de cometis non ſuperlunaribus idem Auctor P. Peynado ibidem, num. 38. *Iam ſuprà conſtitit ex obſervatione plurium, illos Cometas, de quibus Tycho, & alij, non ſuprà, ſed infra Cœlum apparuiſſe.* Inſuper recentiſsimus, & modo in Hiſpania celebris Auctor Iluſtriſsimus Palancus in ſuo Curſu Philoſophico Thomiſtico tract. de Cęlo, quæſt. 4. rem ex profeſſo diſputat, & poſtquam à ſuo Marino Merſenio rem per otium appenſam dicit; ipſe tandem adhæret ſoliditati Cęlorum, quam ſuo ſolito nervo, & ingenioſo ratiocinio roborat, & confirmat. Sed præter hæc legendus eſt etiam Doctor Angelicus qui prima parte, quæſt. 68. art. 2. in corpore expreſsis vocibus tradit Cęli ſoliditatem. Quam, & videtur amplecti F. Hieronymus de Monterde Ordinis Militaris à Mercede in ſua Theologia Syllogiſtica expoſitiva Geneſ. 1. num. 20.

Obijcitur ſexto: iuxta ſupra dicta non videtur dari locus regioni ignis; ſed hanc admittunt omnes ſuprà aerem: ergo noſtra ſententia non bene componitur. Reſpondeo primo, permiſſa maiori cum Philoſophis, & nominatim cum Patre Benedictis non admittente aliam regionem ignis præter ſubterraneam. Reſpondeo ſecundo, quod regio ignis poterit collocari in ſuprema parte aeris, ita vt ſit puriſsima illa pars propè Cœlos ignita magis, & ſplendeſcens, ſi ſolum aer eſt; vel ſi eſt ignis ſubter orbem Lunæ, & hanc etiam cum cæteris orbibus poterimus comprehendere nomine firmamenti cum Caietano, Eugubino, & Ruperto.

Obijciunt ſeptimo: Div. Baſilium hom. 3. dicentem, eſſe puerilis mentis dicere corpora Cœleſtia ſimilia eſſe lapidi ſolido, & tranſparenti ex aquis condenſato: item Damaſcenum, lib. 2. de Fide cap. 6. negantem Cœlis rationem aquarum: ergo ex aquis Cœli non ſunt producti, & concreti. Reſpondeo primo, Div. Baſilium attentè lectum non fore nobis contrarium; dicere tamen, quod ponere ſimilitudinem de ſubtiliſsima, & delicatiſsima formatione

tione Cœlorum facta quasi primordium de manibus omnipotentis cum lapillulis passim ex aquis concretis, est puerilis cogitatio quæ nimirùm tantam distantiam velit similitudine consociare. Iam secundò ad Damascenum respondeo, quod ipse manifestè negat Cœlis substantiam aquarum, non proprietates, & hoc verum est: quia ex materia aquæ, quæ erat substantia indifferens ad aliam formam educta est forma Cœlestis symbolizantibus aquis, & Cœlis in similibus proprietatibus. Sed etsi hæc fortè cuipiam non satisfaciat relegantur in nostrà Probatione PP. adducti vt sunt Beda Venerab. S. Clemens Romanus, qui sunt clarissimi in hac re pro nobis.

Obijcitur octavò: si aer factus fuit ex aqua non significatum fuit per illa verba: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*, vt volunt interpretes: ergo talis interpretatio non rectè procedit. Antecedens constat: quia aer fuit factus secunda die cum firmamento, & illa verba sunt primi diei. Respondeo distinguendo antecedens: vt volunt plures, idest *multi*, vel *aliqui* interpretes, concedo antecedens; *plures* respectu pauciorum, nego antecedens: plures enim Patres, & interpretes illa verba intelligunt de Spiritu Sancto, ita vt dicat Pereira esse ferè omnium Patrum, tàm Græcorum, quàm Latinorum. Quò totum concidit argumentum.

JHS.

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

GENES. 1. VERS. 7. ET DIVISIT AQUAS, QUÆ SUB firmamento ſunt ab aquis, quæ ſunt ſuprà firmamentum.

ARTICULUS

VTRUM SUPRA COELOS DENTUR VERÆ aquæ?

NOTABILIA.

1 UT expeditius quæſtionem hanc diſſolvamus, præmittendum eſt, per has aquas die ſecundo creationis diviſas non eſſe intelligendum in ſenſu litterali (quidquid ſit de myſtico, & allegorico) quod per aquas ſuperiores Angelos bonos intelligamus, & per inferiores Angelos malos, vt ſenſiſſe videtur Origenes. Quæ validiſsimè confutarunt Epiphanius in Epiſt. ad Ioann. Hieroſ. Hieronym. in Epiſt. ad Pamachium Baſil. hom. 3. Hexam. Quod idem, etſi Auguſtinus dixerit aliquando, lib. 13. Confeſsion. cap. 15. tamen, lib. 2. Retractat. cap. 6. vt inconſideratè dictum id retractavit.

2 Igitur loquendo de aquis, quæ verè, & propriè tales ſint, triplicem in hac re invenio ſententiam. Prima ſubſtinet, dari ſuprà Cœlum veras aquas; ſed non eiuſdem rationis cum elementaribus; ſed eſſe quoddam Cœlum aqueum, ſeu chriſtalinum nominatum, quod ſit primum mobile. Hanc ſententiam defendunt Div. Thomas 1. part. quæſt. 68. artic. 2. Divus Bonavent. Durandus in 2. ſentent. diſtinct. 14. Ægidius in 2. part. Hexam. cum alijs Scholaſticis. Lyra, Toſtat. Caietan. & Cathar. & P. Ioannes de Ulloa in ſua Philoſophia, diſp. 4. de Firmamento, cap. 5. cum Monterde, Geneſ. 1. verſ. 6. num. 19. Secunda ſententia tuetur veras, & elementares aquas eſſe ſuprà Cœlum Sydereum, & primum mobile quodcumque illud ſit. Hæc eſt ſententia Patrum Baſilij hom. 3. Hexam. Ambroſ. lib. 2. Hexamet. c. 3. Theodor. quæſt. 11. in Geneſ. Chryſoſt. hom. 4. in Geneſ. Hilarij in Pſal. 135. Bedæ in lib. de Natur. Rer. nec-

non

non idem tenent Philo, & Ioſephus Iudæi, Gennand. & Severianus per Ludovicum Lippomanum adducti. Iuſtinus Martyr. in Reſponſ. ad queſt. 93. Orthodoxor. Richard. & Hugo de Sanct. Vict. cum Bellarmin. part. 148. Tandem noſter Molina de Opere ſex dierum, diſp. 10. & nuper primarius S. Scripturę huius Univerſitatis D. D. Sebaſtianus de Melgar in ſuis manuſcriptis : non tamen cenſet eſſe, eas aquas ſuperiores eiuſdem ſpeciei cum inferioribus. Tertia ſententia ſubſtinet, ſuprà Cœlum Sydereum nullas eſſe veras aquas ; ſed pro aquis ſuperioribus eas duntaxat intelligi debere, quæ de nubibus defluunt ad irrigationem terrarum. Hanc defendunt Gloſſa interlinealis, Eugub. in Coſmopœia. Torniellus in Annalib. tom. 1. die 2. Hamerus, Vielmius, & Rabbini Hebræorum, quos refert Aſcanius, Pererius, lib. 1. in Geneſ. in Opere 2. diei, qui pro ſe interpretatur Epiphanum dicentem ex prædictis aquis proveniſſe diluvium, Suarez de Oper. ſex dier. qui pro ſe citat Venerabilem Bedam in 2. lib. de Element. Philoſophiæ, vbi clarus eſt, veluti nec eſt obſcurus pro ſecunda ſententia in Hexam. Quare cum hic Sanctus plura de Patribus catenata nobis exhibeat, relinquendus eſt anceps, vtri parti adhæſerit ex propria ſententia.

3 Noſtra concluſio ſit cum ſecunda ſententia, iuxta quam dicimus, tum veras aquas exiſtere ſuprà Cęlos, tum eas eſſe eiuſdem ſpeciei cum noſtris. Duas partes habet concluſio, quarum ſecunda brebi probabitur, ſi primam fundaverimus. Hanc ergo probo primò ex Scripturis. Primò ex præſenti textu aiente, Deum reliquiſſe aquas ſuprà firmamentum, in quo Cœlorum numerum ſuperiori quæſtione intelleximus. Secundò ex verbis Pſalmi 103. *Extendis Cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius.* & Pſalm. 148. *Aquæ omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt laudent nomen Domini.* Tertiò ex textu Danielis 3. *Benedicite aquę omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt Domino.* Ex quibus teſtibus ſic argumentor : quod per ſcripturas tam clare proponitur non eſt interpretationibus eludendum : ergo veræ aquæ ſuprà Cęlos exiſtunt. Antecedens patet tùm ex Auguſtino, lib. 2. de Geneſ. ad litter. cap. 5. aiente : *Quoquomodo autem, & qualeslibet aquæ ibi ſint, eſſe eas ibi minime dubitemus : maior eſt quippè Scripturæ huius auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.* Tum ex P. Mol. aiente : *Id quod Scriptura Sacra aperte ſonat cenſeo conſtituendum tamquam regulam, iuxta quam metiendæ ſunt hominum cogitationes veræ ne ſint, an falſæ : nec propter fallaces hominum exiſtimationes violentiam vllam arbitror eſſe Scripturæ Sacrę inferendam.*

4 Probo ſecundo primam partem concluſionis ex Patribus. Primò ex Iuſtino Martyre, vbi ſuprà aiente : *Terga Cœli eſſe aquis tecta ſecundum illud : qui tegis aquis ſuperiora eius ; earum verò aquarum duplicem eſſe vſum, alterum ad immenſum tot, tantorumque Sydereum ardorem, ne pœnitus omnia conſumantur, ſua refrigeratione temperandum, ac mitigandum ; alterum, vt earum pondere dorſum Cœli prematur deorſum, nec crebrò, nec violento ventorum impulſu concuſſum huc illuc agitetur.* Secundò ex Ambroſio, lib. 2. in Hexameron, ibi : *Et vt ſcias, quia de iſtis aquis, quas tu negas poſſe in Superioribus Cœli eſſe, hoc dixit ; audi ſuperiora : Laudate eum Cœli Cœlorum, & aquæ omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt laudent nomen Domini.* Tertiò ex Baſilio, hom. 3. in Hexameron, ibi : *Neque enim ſuper Cœlos conſiſtens aqua ab hoc, quod inferiores antegreditur honoris præcipui dignitate, ipſa ſolum ob eximiam, & inſignem ſuæ virtutis prærrogativam Divinam adimplet laudem.* Præter quos Patres expendi etiam poſſet Anſelmus vltra ſuprà citatos. Hieronymus Epiſ. 83.

ad Occeanum, Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſibus Epiphan. Epiſt. ad Ioann. Hieroſ. Rupertus l. 1. in Gen. Ex quibus omnibus ſic argumentor: Sententia, quæ fere à cunctis Patribus traditur de limpidiſsimus fontibus Scripturarum, & quæ non obiter tangitur; ſed quæ ab ipſis poſt denſam diſputationem concluditur, & ita tenaci reſolutione firmatur, vt acriter invehi videantur in contra ſentientes, non eſt viro Theologo deſerenda; ſed fere omnes Patres noſtram ſententiam amplectuntur, & quidem cum denſa diſputatione, reſolutiſsima firmitate, & quaſi contemptu aliter opinantium, vt videre eſt in D. Ambroſ. D. Baſil. locis citatis, & Div. Auguſt. lib. 11. de Civitat. Dei, cap. vlt. ergo à nobis eſt amplectenda, ſi velimus (prout oportet) excipere Sanctas Scripturas, & Patres.

5 Tertiò probatur à ratione: ipſa ratio perſuadet non negare, vel eludere in Scripturis id, quod ratio noſtra imbecillis ſatis non valet attingere: quia revelatio Scripturarum vim mentis noſtræ altiſsimè prætergreditur; ſed capitale fundamentum adverſariorum humanitus philoſophantium, eſt, ſe non capere vſus, & fines talium aquarum, qui à Patribus circumferuntur: ergo ſecundum rectam rationem noſtra ſententia debet amplecti. Maior explicatur verbis Molinæ multum appoſitis. Ait ergo: „ Neque ex eo quod dum „ ſub Orbe Lunæ in tanta caligine, re„ rumque ignorantia ſumus poſiti, fi„ nem ignoremus, ad quem Deus eas „ ſupra Cœlos reliquerit; æquum eſt „ eas negare; præſertim cum tam multa „ in his inferioribus experiamur, quo„ rum non valemus ſufficientem redde„ re rationem; immò quæ vix, aut ne „ vix quidem crederemus, niſi illa ex„ periremur. Quod ſi Deus noſtrum „ intellectum eveheret, vt tantiſper „ cerneremus finem, ad quem eo in lo„ co poſitæ ſunt; ſanè inſipientiam no„ ſtram irrideremus; quin, ſi eas ocu„ lis inſpiceremus, finemque, ad quem „ ibi collocatæ ſunt, penetraremus (in„ terim neque viſis aquis inferioribus, „ neque penetrato fine, ad quem con„ ditæ ſunt, ordineque mundi huius „ inferioris) ſanè non minus miraremur, „ ſi quis nobis narraret eſſe aquas ele„ mentares, quam mirantur multi, dum „ audiunt modo ſupra Cœlos eſſe „ aquas ſuperiores. Hucuſque Molina, qui in hac re mentem qualemcumque meam exhauſit.

6 Objicitur primò capitale fundamentum adverſariorum, quod licèt in vtrumque latus verſet Pereria, nihil tamen inde efficacitatis elicitur. Arguitur ſic: ratio, & experientia docent, non eſſe aquas veras ſuprà Cœlum Sydereum: ergo non ſunt admittendæ. Probatur antecedens primò: grave pondus aquarum ſuprà Cœlos Sphæricos detinere non poſſet, quin laberetur deorsùm ſua innata gravitate: ergo ratio naturalis dictat, ibi tales aquas non poſſe conſiſtere. Confirmatur: in aquis ſuperioribus, quaſi Cœleſtibus, quas in nubibus experimur: hæ enim quotidie fluunt ſua gravitate deorſum. Probatur ſecundo antecedens: nec mens humana, nec experientia deprehendunt vſus, & fines, ad quos ab exordio mundi tanta ibi copia detineatur aquarum; ſed Deus in conditione naturæ rerum nihil fecit otioſum: ergo tales aquæ non ſunt admittendæ ſuprà Cœlum Sydereum. Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem nego aſſumptum proptèr nonnulla, quæ miror quomodo ab aliquibus Auctoribus non obſerventur; præſertim primum, & ſecundum, quæ Suarez iam tetegit lib. 2. cap. 4. num. 10. Igitur nego aſſumptum primò: quia, ſi aquæ ſunt ſuprà Cælos, cum vbique Cœli nos tegant, aquæ etiam erunt

ſup-

ſuperpoſitæ vbique in modum globi aquei replentis totum illud ſpatium ſupernè, & infernè, dextroſum, ac ſiniſtrorſum: ex quo ſequitur non dari ſpatium, per quod aquæ eſſent caſuræ, vel à noſtro Hemiſpherio in inferius, vel ab inferiori ad noſtrum: atque ſi in hoc ſenſu Cœlum Chriſtalinum quaſi conglaciatum opinabantur Auctores, non erit cur repugnemus. Secundò: quia licèt inter ipſas aquas daremus ſpatium ſufficiens vt fluitare, refluitareque poſſent; nihilominus nunquam eſſet in noſtris Sphæris caſus aquarum poſsibilis; ſed ſolum circum moverentur, quaſi labiliter in ſua Sphæra labendo, & circum labendo ſupra, & infra ſolidas Sphæras Cœlorum; non ſecus ac ſi quis funderet aquam ſupra globum centricum clauſum, in vacuo inter aliam ſphæram æneam remanente, fluitaret quidem illa aqua media inter illos globos; ſed ad circulos centricos, vel globum illum centricum vnquam penetrari non poſſet. Et hæc ſunt, quæ obſervata non video, cum ſint, ni fortè fallor, veriſimilia. Tertio: quia iuxta Div. Baſilium loc. cit. non eſt cur dici non poſsit, Cœlum vltimum eſſe à parte inferiori concavum, & à ſuperiori quadratum. Ita Baſil. qui forte ita loquutus eſt, non omninò contemplatus, vel tunc temporis adeptus figuram vniverſi perfectè orbicularem: nam cum ita ea ſit; neſcio quomodo ex qualibet parte Sphæræ noſtræ dici poſsit partem Cœli ſibi correſpondentem infernè eſſe concavam, ſupernè vero quadratam. Quarto denique, quia, vt inquit Beda in Hexam. „Non eſt minus facilè Omnipotenti „Deo tenere aquas ſuper Cœlum Sy„dereum ſivè liquidas, ſive modo „Chriſtali conglaciatas, atque con„cretas, quam (quod facit quotidie) „tenere aquas in ſublimi aere ſuſpen„ſas: vnde tantum fit imbrium defluxus „quod loco miraculi prædicat Iob de „Deo cap. 26. *qui ligat aquas* in nubi„bus ſuis, vt non erumpant pariter „deorſum; ipſe enim eſt qui vndas ru„bri maris, atque Iordanis in ſublime „erectas, & murorum ſimilitudine „firmatas *facit conſiſtere*. Itemque Div. Ambroſ. lib. 2. Hexam. cap. 3. ſic ait: „Deinde quid obſtat ſi conſiteantur „quia aqua ſupra Cœlos ſuſpenſa ſit? „Nam quo verbo dicunt, terram in „medio eſſe ſuſpenſam, & immobilem „manere, cum vtique gravior ſit, quam „aqua, ea ratione poſſunt dicere non „præcipitari aquam Orbis illius Cœle„ſtis converſione, quæ ſupra Cœlos eſt. Quinto: quia ſi aquis inferioribus ſemiterreſtribus, & craſsioribus inferius centrum datum eſt quo propendeant, dari potuit aquis ſuperioribus ſemi cœleſtibus, & ſubtilioribus vt inſtar ignis ad ſphæram ſemper inclinent: vnde patet ad confirmationem: quia illæ aquæ pluviales non ſunt ſemicœleſtes, niſi quatenus videntur nobis de Cœlo decidere; ſunt autem verè ſemiterreſtres: quippè de terra formaliter, vel virtualiter in vaporibus ſurgunt, atque in nubes denſiſsimas compinguntur.

7 Ad ſecundam probationem diſtinguo mai. & non ſunt tales vſus, & fines, nego maiorem; & ſunt, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: qua propter huc revocanda ſunt verba Molina, qui ſimul cum Auguſtino poſt longam diſputationem fatentur humanam mentem eſſe debilem, vt capiat res nobis remotiſsimas, & ſecretas: quare, ſi Scriptura teſtetur; à nobis non ſunt pernegandæ, eo quod earum vſus, & fines non valeamus deprehendere: plura enim poteſt Deus facere, quam nos intelligere. Prætereà vſus, & fines, in quos inciderunt SS. PP. rationes, & conjecturæ ſemper ſunt magni habendæ, licèt debiles interdum videantur: quippè antiquitas, tractatio Scripturarum, meditatio profunda, mentis tranquillitas,

&

& lumen Cœleſte, quod SS. PP. ſolet impendi, ſuadent ſemper eſſe momenti, quæ dicunt. Iam ergo vidimus Iuſtinum Martyrem ſupra duos vſus, vel fines talium aquarum diſcurrentem, prẽter quem ait Baſilius: „ Nam cum „ Deus infinitam propè vim ignei ar„ doris propter multiplices, & ad plu„ ra neceſſarios eius vſus in Cœlo, & „ infra Cœlum multifariam ſparſiſſet, „ eſſetque ſuapte natura ignis voraciſsi„ mus, ſuique fœcundiſsimus, ac mi„ nimis mire creſcens initijs; ne ob eam „ cauſam vniverſi ſalus, atque incolu„ mitas periclitaretur; ex adverſo ma„ ximam ei infra, ſupraque Cœlum vim „ aquarum oppoſſuit, vt earum refri„ geratione tantus ignium ardor tem„ peratus non ſolum non obeſſet mun„ do, ſed etiam prodeſſet plurimum. Hucuſque Baſilius, itemque Ambroſius, Theodoretus, & alij ſuper hoc etiam ratiocinantur: vnde conficitur, tum quod mens humana, lumine Sanctorum præeunte fines Dei ſubodorari iam poteſt: tum quod ſi non valeat attingere; idcircó inficiari non debeat.

8 Obijcitur ſecundò cum replica: Vel tale pondas aquarum eſt ad temperanda Sydera ignea, & ardentia; vel ad retundendum ardorem ignis eleementaris collocati ſub orbem Lunæ; ſed neutrum dici poteſt: ergo tales aquæ ibi non dantur. Probatur minor in primis quoad primum, tum ex Ariſtotele lib. 2. de Cœlo, & lib. 1. Meteor. quia Sydera non ſunt ignea: tum quia talis temperatio deberet fieri media alteratione Syderum in ſe, vel in luce, & media mixtione contrarij: itemque media actione, & reactione contrariorum continua, aquæ tandem à Syderibus corrumperentur; ſed huiuſmodi effectum nihil vnquam deprehenſum eſt: ergo tale pondus aquarum non eſt ad temperanda Sydera ignea, &c. Probatur ſecundum: tum quia ignis in ſua regione valdè rarus eſt, & regione aëris frigida, vaporumque terreſtrium copia repreſſus non poſſet exurere: tum quia imperceptibile videtur, influxus aquarum in regionem ignis traduci per totidem orbes Cœleſtes interiectos: ergo neutrum dici poteſt. Reſpondeo primò omittendo maiorem, & minorem, & negando conſequentiam: oportet enim diſtinguere interrogata, & quæſita, vt optimè reſpondeamus: aliud enim eſt inquirere *an ſit res?* aliud verò inquirere *propter quid ſit?* Cuiuſmodi ſecunda quæſtio cadere non poteſt, niſi ſupra primam iam definitam. Cum ergo modo non inquiramus ad quid, & propter quid ſint eiuſmodi aquæ ſupra Cœlos? Sed an ſint? ideò iubet Dialectica bene præciſa maiorem illam propoſitionem omittere. Quod ſi philoſophandi gratia me nolis tam ſeverum dialecticum tantiſper mai. admitt. & ea admiſſa.

9 Reſpondeo ſecundò ad argumentum, & ad eius probationem bicipitem, in primis ad primam, nos non iuraſſe cum Ariſtotele aſtra non eſſe ignea; quin potius iuxta ea, quæ alibi aſſerimus in diſputationibus noſtris, magis in id inclinamus cum priſcis Philoſophis, & Patribus, & Interpretibus. Quo poſito, reſpondeo ad abſurda ſubilata tum quod poteſt dari actio, & reactio, quę tàm longè abſit, vt deſtruat; quin potius conſervet: vt videre eſt in alimento, nos nutriente, & conſervante: tum non requiri quod corpus aqueum agat, aut reagat in Sydereum, vel ècontra: quippè ſitus vtriuſque ea (Deo providente) ita diſpoſuit diſtantiaque ſeiunxit, vt vnum non valeat agere in aliud; ſed influxus ſuos vbi coinciderint temperare: qua propter cum hæ duæ qualitates *frigidum*, & *calidum* ſint potentiſsimæ; deſuper in debita diſtantia corpus frigidum, & calidum collocata fuere, vt ad conſervanda mixta ritè mixti quoque veniant influ-

fluxus. Vnde ſolvitur ratio, qua inſurgit Pereira dicens: *Cur aſtra, vel ignis non producta fuere magis remiſſa, ne indigerent temperatione?* Quia videlicèt conſervationi mixtorum, influentium quoque correſpondebat admixtio: ac ſub interrogo: *Cur Deus non fecit cuncta ſimplicia?* Si vero inſiſtat nullam temperationem talem caloris,& lucis vnquam eſſe deprehenſam, dico verum dicere, ſi retineat vocabulum temperatio: experimur enim calorem, & lucem iam temperatos; non verò *temperationem*, quæ vbinam, & quomodo fiat, ſenſus noſtros altiſsimè prætergreditur. Ad ſecundam partem reſpondeo, tum pro ratione prima obijciente, quod ignis quanto rarior eſt, activior eſt: eſt enim rariras proprietas ex parte ſui requiſita ad agendum, vt cernere eſt, quando ignis compreſſus nihil agit, ſed tamen pluſculum rarefactus flammeſcit, vorat, crepitat, & ſuperbit, & cum ignis non ſolum ſit activus deorſum, ſed ſurſum, & quaquàverſum circumquaque indigebit attemperatione; immò, & vis eius maior credi poteſt, quam quæ aere ſolo, & terræ vaporibus temperetur. Hinc autem non cogimur improbare id, quod de luce Empyrei aiebat D. Thomas, nempè non illuminare deorſum propter raritatem. Quia activitas non ita eſt proprietas lucis ſicut eſt ignis. Salva ergo maneat ea via philoſophandi. Pro ſecunda ratione obijciente,vel obiecta dico: mihi mirum non eſſe tantarum pondus aquarum ſuos demittere influxus per orbes totidem interpoſitos: tum quia ipſa corpora Cœleſtia facta ad influendum aptiſsima, ſanè ſunt vehicula ad influxus quoslibet traducendos; præſertim cum in opacis corporibus ſentiamus mirabiles impreſsiones, longaque ex origine derivatas,quas(ſi conſulimus Auctores de occulta Philoſophia, rerumque antipathia, & ſympathia differentes, v. gr. de atramento ſympathico, & ſimilibus) frequentiſsimas inveniemus. Ex quibus tota ruit machina adverſariorum ſuo modo philoſophantium. Quod ſi nedum philoſophari, verum aſtrologizare etiam lubeat, dabimus Aſtris, (præſertim viciniori Saturno) virtutem frigefaciendi, quam pro motu corporis vniuſcuiuſque habebunt, & influxu propè adſtantium aquarum. Inquit vltra Auguſtinus lib. 11. de Civit. Dei,cap. vltim. quod ſicut in homine cor eſt calidum, & cerebrum frigidum, ita in mundo magno ſe habebit inſtar cerebri frigidi præeminentis illa colluvies aquarum. *REPLICABIS*: Cœlum Sydereum eſt propius aquis ſuperioribus, quam Saturnus; & nihilominus in eo dantur aſtra ardentia, vt canicula, quæ ferventiſsima eſt. *RESPONDERI* autem poteſt, hanc caniculam, & Syderum ardorem non eſſe ſemper in quavis regione, ſed ſtaturis temporibus; & neſcimus quatenus tales ſuperiores aquæ ſuos agent circulos influxuros; vnde magis illa aſtra aliquando inardeſcant, à quibus plus recedit pondus, & influxus aquarum. Vides profectò quantum eruditus Pereira noſter ſcintillet, & quam citò itur obviam ipſius cogitationibus: quare, & ipſius, & meas cogitationes ſuper officijs talium aquarum arbitror duntaxat excipiendas eſſe philoſophandi gratia; non verò vt penes eas tota talium exiſtentia dirimatur aquarum, quæ altiores habent probationes in Scripturis Sanctis.

10 Obijcitur tertio: iuxta D. Epiphanium, & alios adductos à Suarez cap. 4. ex talibus aquis ſuperioribus evenit diluvium, & ad illud ſunt reſervatæ; ſed aliunde videtur certum quod ex eis tale diluvium non potuit accidere: ergo non dantur. Probatur minor: tum quia, ſi omnes aquę cecidere remanſit vacuum; ſi aliquæ, alia pars aquarum manſit fruſtranea, cum non ſit futurum aliud diluvium, tum

quia

quia non iam dici posset : *Benedicite aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt Domino*: quia effusæ iam fuerant per diluvium, tum quia tales aquæ per tot Cœlos interiectos permeare non possent, vt dicit Daniel 3. Respondeo permissa maiori, & concessa minori (quæ vix faciunt argumentationem, vtpotè sibi contrariæ) negando consequentiam. Itaque Div. Epiphan. in Epist. ad Ioann. Hierosolym. obiter contra Origenem loquitur de aquis superioribus, & inferioribus; & vt eum vno verbo retundat cum aquis veris tàm de Cœlo, quàm de Terra adlegat diluvium, quod verum fuisse negari non potest; sed quomodocumque hic ille oppinetur cum alijs, nos cum Suario id incredibile reputamus. Sentimusque cum SS. PP. suprà relatis, qui rem tam ex professo tetigere, vt Basil. hom. 3. in Hexam. & Ambros. lib. 2. cap. 3. qui hæc etiam habet verba, quibus concludo : *Qui iussit discernere aquam interiecto firmamento, providit, quem admodum divisa, atque discreta manere possit : Sermo Dei virtus naturæ est, & diurnitatis substantia, &c.* Quæ verba faciunt, vt ibi aquæ stare possint sine violentia.

52 Objcitur quartò : Beda lib. 2. de Element. Philosoph. loquens de nostra sententia, dicensque : *Nihil miserius esse, quàm dicere : istud est quia Deus id facere potuit, neque ostendere rationem quare hoc sit, neque vtilitatem, ad quam sit* : ergo tales aquæ sine ratione, vel vtilitate cognita suprà Cœlos non sunt admittendæ. Respondeo distinguendo antecedens : dicens ex aliena sententia, vel problematicè, concedo antecedens, ex propria, vel resolutivè, nego antecedens, & consequentiam : quia, vt suprà tetigimus V. Beda in hac re varius est tum loc. cit. tum lib. de Nat. Rer. tum in Genes. vbi cum Gloss. statuit tales aquas, atque subiungit : *Quales autem esse, & ad quid vtiles novit qui condidit.* Præterquam quod de earum vtilitate non desinimus philosophari, tum vbi supra, tum cum Prospero Haimone, & Casiodoro apud Suarez.

***

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS AD ILLA VERBA:

IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS COELUM, & Terram, Geneſ. 1. verſ. 1.

ARTICULUS

AN MUNDUS IN INSTANTI, AN SUCCESSIVE creatus fuerit?

NOTABILIA.

1. ARTICULUS primæ huius controverſiæ ita expeditus eſt, & planus, vt nullis egeat notabilibus explicari; quare ſtatim procedimus ad ſententias. Quarum prima aſſerit, totum mundi opificium in inſtanti fuiſſe elaboratum, neque ſex dierum intervallo diſtinctum, quod Moyſem in Pentateucho præſtitiſſe, aiunt, iuſtis de cauſis, & allegorijs. Hanc ſententiam tuetur in primis Philo Iudæus in libro de Allegorijs legis Moſaycæ. Procopius Gazæus, & Caietanus ſuper hunc textum. Celeberrimus verò Patronus huius ſententiæ eſt D. Auguſtinus, qui tum alibi, tùm, lib. 4. de Geneſ. ad litteram, diſſertiſsimè, & explicatiſsimè eam propugnat, recurritque ad cognitiones Angelicas, quas, inquit, nomine, *dierum* eſſe intelligendas, vt tota ſucceſsio narrationis Moſaycæ expediri poſsit in ſua ſententia. Secunda per oppoſitum aſſerit, mundum ſucceſſivè conditum fuiſſe, ea; nimirum, ſucceſsione, quæ in Geneſi reperitur, quæ ſententia ferè omnium Patrum, & Doctorum fuit ante Auguſtinum: itaque eam defendunt S. Clemens Alexandrinus, Ambroſ. Chryſoſtomus, Baſilius, Nazianzenus, & alij, imò, & Doctores aſſeclæ D. Auguſtini eum in hac re deſerunt; vt ſunt Beda in Hexamer. Hugo de S. Victore in lib. 1. de Sacramentis. Rupertus l. 1. de Operibus Trinitatis, c. 37. Magiſter ſententiarum, lib. 2. diſt. 12. & Bonaventura, & alij, cum quibus Strabo, Salmeron, Toſtatus, Torniellus, Molina, & Becanus, apud quem, & Pererium hic multi ex relatis congeruntur.

2 Sit mea concluſio cum ſecunda, atque communi ſententia, & ſic eam probo, ratione fundamentali, quæ bimembris eſt, & negativo, atque affir-

mativo permixta, in hunc modum. Nullum eſt vrgens fundamentum ad opinandum, vniverſum in vnico inſtanti fuiſſe formatum; ſed fundamentum valdè efficax eſt ad opinandum, fuiſſe conditum ſucceſsivè, vt narratur in Geneſ. ergo ſic conditus fuit. Vis totius illationis efficax eſt in argumentationibus Biblicis, in quibus diſcurſus non fabricat fundamenta, ſed ſuper ipſa fundamenta ratiocinatur. Maior conſtabit ex ſolutione argumentorum: Minor autem probo primò, ex regula generali, quæ fecit argumentum in Scriptura, & deinde ex textu ſpeciali. In generali quidem ex regula celebri S. Aug. qui patronus eſt oppoſitæ ſententiæ, ait autem, verba Sacræ Scripturæ in proprio ſenſu ſemper eſſe ſumenda, niſi detur efficax fundamentum ad oppoſitum: Ex qua ſic argumentor. Narratio Moyſis riguroſam facit, & minutiſsimam ſucceſſionem in producendo vniverſum: ergo hęc ſucceſsio allegorizanda non eſt. Conſequentia præter dicta patet ex duplici ponderatione; primò quia incredibile eſt, Moyſem figuratè, & allegoricè loquutum in tàm minutiſsima obſervatione dierum, & ſingulorum operum, quæ pro diebus ſingulis referuntur: neque enim potuiſſet exactiori ordine procedere, etiamſi voluiſſet ſcrupuloſum agere hiſtoricum; ſi verò mundum in vnico inſtanti productum enarraſſet, vix potuiſſet magis alienis verbis ſeſe explicare. Et quidem licèt allegoria lateat in verbis; nihilominus raro per phraſes ex diametro oppoſitas tradi ſolet. Secunda ponderatio, quia incredibile eſt, eundem Moyſem expoſſuiſſe Iudæis tam lubricam occaſionem errandi, inducendo eos videlicèt in conceptum de eo, quod mundus tranſierit de informi ad formatum; cum tamen fuerit eius inſtantanea productio.

3 Probo iam ſecundò in ſpeciali, ex textibus in cap. 20. & cap. 31. Exodi, vbi præcipitur à Deo Sabbati obſervatio, vt nimirum quieſcant ab opere ſervili die ſeptimo; quemadmodum ipſe Deus ſeptima die quieverat ab omni opere, quod patrarat, & ſimiliter credi poteſt de præcepto Exodi 23. & Levit. 25. quo Hebræis iniungitur, vt ſex annis terram colerent; in ſeptimo autem eam ſine ſemine incultam relinquerent: Item de præcepto Exodi 21. & Deuteronomij 15. vt ſervi ſex annis duntaxat ſuis dominis deſervirent, in ſeptimo autem liberi dimitterentur. Ex quibus omnibus ſic probatio noſtra inſtituitur. Si opificium mundi re ipſa eſſet inſtantaneum, & ſolum ore Moſayco ſucceſsivum; illa ratio dictorum præceptorum propter ſimilitudinem; ſcilicèt, cum operibus ſucceſsivis Dei nulla eſſet, & nugatoria. Sed quævis ratio huiuſmodi credenda eſt abeſſe, & abeſt à divinis eloquijs: ergo narratio Moyſis non eſt tantum hiſtorica, & ſucceſsiva in vocibus, ſed in re. Maior videtur manifeſta. Quis enim dicat, præceptum Dei ſeriò Hebræis impoſitum, & cum conſtanti virtute obligandi, vſum fuiſſe narratione falſa, comparationeque nullatenus ſubſiſtenti? Quomodo enim Hebræi ſe gererent in obſervatione illorum præceptorum ad inſtar Dei producentis mundum, ſi Deus in inſtanti cuncta produxit, ipſi autem per dies, & annos operaturi ſunt, vt poſtmodum quieſcant? Profecto huiuſmodi comparatio, vel nulla eſt, vel eſt contrariorum, quæ ad ſuavificandam impoſitionem præceptorum tunc non deſerviebat.

4 Probatur ſecundò, noſtra concluſio everſione totius fundamenti contrarij ſub hac forma. Præcipuum fundamentum oppoſitæ ſententiæ conſtat, tùm ex authoritate notiſsima. D. Auguſtini, tùm ex commendatione divinæ Omnipotentiæ, quæ nulla mora, ſucceſsioneque tardari poteſt, quominus

nus vniversa producat : Sed, neutrum infert mundum, productum fuisse in instanti : ergo nullum datur. Probatur minor. In primis non vrget commendatio Divinæ Omnipotentiæ inde desumpta : sed insuper non vrget authoritas. D. Augustini super hac re: ergo neutrum fundamentum est efficax. Probo maiorem, probaturus posteà minorem. Et quidem probo illam *primò* sic. Quod mundus à Divina Omnipotentia producatur prout Moyses enarravit nullum fundamentum est, vt Divina Omnipotentia illum produxerit in instanti: ergo non vrget commendatio Divinæ Omnipotentiæ inde desumpta. Probo ant. Eatenus mundus fuisset productus in instanti, vtpotè factus ab Omnipotentia : quia Omnipotentia est virtus amplissima, & promptissima in operando. Atqui opera facta ab aliqua potentia non sunt qualificanda quoad substantiam, & modum iuxta solam, & totam amplitudinem virtutis facientis : ergo opera Dei narrata à Moyse, prout facta à Deo Omnipotente quoad substantiam, & modum operandi, non probant, quod Deus mundum produxerit in instanti. Minor videtur patere in omni historia tùm Sacra, tùm profana. Si enim facta Salomonis non nisi ad plenitudinem suæ potentiæ sunt accipienda, non templum vnum duntaxat, neque eiusmodi latitudinis, & longitudinis, & divitiarum, sed plura, & plus magnifica fabricasse credendus esset : cum immensis opibus abundaret: similiterque de alijs Heroibus, ac Principibus veniret intelligendum, quod quis dicat? Cuius ratio in maioris secunda probatione statim subiungitur.

5 Probo secundò maiorem. Deus in prima mundi conditione se gesit vt auctor naturæ, cui se voluit communicare, & accommodare, vt eam perpetuò suo tenore conservet : ergo non est cur ibi commendetur Omnipotentia de productione instantanea, potius quàm successiva. Probo consequentiam. Deus non minus Omnipotens modo est, quàm fuit ab initio : sed modo Dei Omnipotentia rerum naturis attemperata successivè attingit productiones effectuum, iuxta ordinem, & seriem causarum: ergo ab exordio creaturarum valdè congruenter se gesit, potius in productione successiva, quàm in instantaneà, primordia rerum, causarumque series, & harmonias suis quasi gradibus disponendo. Quorum ratio à priori est. Quia talis productio successiva, non instantaneà, non ita erat ex defectu virtutis, sed ex dispositione altissimæ voluntatis : neque successio tam se tenebat ex parte operantis, qui posset operari instantaneè, sed ex parte rerum producendarum, quæ quidem in harmonica successione decretæ fuerant divina voluntate, & exigebant produci operatione successiva, qua coordinarentur series causarum. Hac ferè ratione dicunt Philosophi, adhuc à Divina Omnipotentia simul produci non posse quatuor, aut sex durationes, quæ sint sibi essentialitèr successivę servantes inter se ordinem prioris, & posterioris: ergo de primo ad vltimum Deus ab exordio rerum producens hebdomadas, & dies, & tempora, nedum congruenter se gesit, sed divinissimè, dum successivè cuncta pulcherrimè elaboravit. Confirmatur: Deus ab initio non solum fecit res permanentes ; sed etiam tempus. Atqui hoc est essentialiter successivum : ergo mundum creavit successivè.

6 Probo iam minorem illam, quam promisi probare, quod, scilicèt, auctoritas. D. August. super hac re pro sui ponderis more nos vrgere non debeat. D. Aug. in hac re Divinam Omnipotentiam altissimè contemplatus, eamque morosam arbitrari perperam passus, peracutè excogitavit illas cognitiones Angelicas, quibus narrationem Mosaycam interpretaret, ac expediret : processit autem S.D. sua co-

gitatione ſemper excelſus; ſed fortè non tàm ad narrationem Moyſis. Inſuper cogitationem de cognitionibus Angelicis reliquit debilioribus mentibus multum imperviam, neque cum Theologia horum temporum multum accomodabilem, vt ponderavit Pererius. Et quidem ita vt in hac re à ſuis etiam accerrimis defenſoribus deſeratur. Sed authoritas tanti Doctoris, quæ propter ſuæ mentis profunditatem, neque in anterioribus invenit Patrocinium, neque in poſterioribus ſatis accomodabilem intelligentiam, enervis authoritas eſt in hoc loco ratione materiæ: ergo authoritas D. Auguſtini alioqui celebris in hac re nos vrgere non debet.

7 Obijcitur primò. Illa verba Geneſ. 2. verſ. 4. *In die, quo fecit Deus Cœlum, & Terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra.* Exquibus verbis ſic formatur argumentum. Iuxta hęc verba arbores, & plantæ, cum Cęlo, & Terra in vno die creata ſunt: ergo diſtinctio dierum à Moyſe interpoſita, non hiſtorica, ſed myſtica eſt, & figurata. Reſpondeo *primò*, cum D. Thom. quæſt. 78. art. 2. diſt. ant. creata ſunt *eminenter*, Conc. ant. *formaliter*, nego ant. nam cum terra ipſa in ſuo gremio virgulta, plantas, & arbores contineret; potuerunt hæc eodem die, quo terra ipſa narrari. Quod ex verbis textus accipit firmitatem, dum dicit, *Omne virgultum agri, antequam oriretur in terra*, quæ verba ſonant terram ipſam adhuc gravidam arborum, & plantarum. Reſpondeo ſecundò. Cum Bonavent. & Torniello, diſt. ant. creata fuerunt in vno, & eodem *die*, nego ant. in die, ideſt, in *diebus*, ſingularis pro plurali, concedo ant. Ponitur enim ſingularis pro plurali, vt in Scripturis ſolet ſæpiùs vſu venire.

8 Obijcitur ſecundò, lib. Eccleſiaſtici 16. *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*: ergo mundus fuit non ſucceſsivè, ſed in inſtanti productus: Reſpondeo primò, diſtinguo antecedens. Simul quod *productionem* primæ ſubſtantiæ; concedo antecedens: Quoad *formationem* ſpecierum talis ſubſtantiæ; nego antecedens. *Rerum quippè*, ait D. Gregorius lib. 32. Moralium, cap. 9. & Beda in Hexameron, *ſubſtantia ſimul creata eſt, ſed ſimul ſpecies formata non eſt, & quando ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſpeciem formæ.* Reſpondeo ſecundò. Diſtinguo antecedens, creavit omnia ſimul *ſimultate inſtantis indiviſibilis*, nego antecedens: *Simultatè continuationis*, concedo antecedens. Dicuntur enim fieri ſimul ea, quæ quaſi ſub vno tractu temporis fiunt; & in quibus virtus productiva ſine ceſſatione procedit, progrediens quouſque perficiatur. Et certè totum exordium vniverſi latitudinem patitur, quemadmodum Marci 10. dicitur, feciſſe Deum ab initio maſculum, & fœminam; & Ioannis 8. Diabolum fuiſſe homicidam ab initio: Cum hæc non niſi ſexta die contigerint. Reſpondeo tertiò, & literalius. Diſtinguo ant. Simul ſimultate *temporis*, nego antecedens; ſimultate *collectionis*, ita vt nihil non ſi creatum ab ipſo, concedo antecedens, quia ſine ipſo factum eſt nihil. Dico ergo ly *ſimul* in rigore Græco potius eſſe particulam collectionis, quàm temporis; v. gr. Pſalm. 13. *Omnes declinaverunt ſimul inutiles facti ſunt*, & Pſalm. 45. *Simul inſipiens, & ſtultus peribunt*, fortè enim *ſimul* per etymologiam per inde eſt ac *ſimiliter*; v. gr. ita vt legendum ſit, *qui vivit creavit omnia ſimul*, hoc eſt, *Qui creavit rem vnam ſimiliter creavit, & alteram. Omnes ſimiliter inutiles facti ſunt. Similiter inſipiens, & ſtultus peribunt.*

9 Obijc. tertiò, verba Iob 40. *Ecce Behemot, quem feci tecum.* Ex quibus ſic ar-

arguit poteſt. Homo, & Diabolus creati ſunt ſimul tempore: Sed hoc poſito hiſtorica diviſio dierum non conſtat: ergo myſticè, vel figuratè eſt intelligenda. Minor patet. Nam Angelus primò, homo autem ſexto die conditus fuit. Probo maiorem ly *Behemot* iuxta interpretes Diabolum ſignificat, ly *tecum* ſignificat illum cum homine, hominemque cum eo viciſim eſſe productum. Sed hæc nedum important ſimultatem effectus, ſed etiam temporis: ergo homo, & Diabolus ſimul tempore producti ſunt. Reſpondeo 1. Negando maiorem, & maiorem probationis. Multi enim Interpretes non ignobiles, cum quibus Eugubinus, & Titelmanus per *Behemot* intelligunt Elephantem, vel feras, vt legunt *SEPTUAGINTA*: Cumque Beſtiæ, & homo eadem die creatæ fuerint, difficultas protinus complanatur. Reſpondeo 2. negando maiorem. Ad cuius probationem permiſſa maiori, nego minorem, quia ly *Tecum* idem eſt ac *ſicut te*, quo denotatur ambos Dei creaturam eſſe; immò, & ſimul tempore productam propter modicam intercapedinem inter productionem vtriuſque. Non ſecùs ac ſi Mater, quę gemellos fœtus concepiſſet, modó alterum pareret, & vno, vel altero die elapſo alterum, veraciſſimè poſſet deinceps ita loqui cum quolibet: *Ecce frater tuus, quem tecum peperi*, quamquàm non ſub eodem puncto temporis ambo in lucem editi fuiſſent. Similitèr quia, & hominis, & Angeli fuit propinqua productio; & quia Deus ſicuti fecit vnum fecit, & alterum, ideò per Job fuit ita loquutus: *Ecce Behemot, quem fecit tecum*, licèt non in eodem temporis articulo fecerit ambos.

10 Obijc. quartò: Omnipotenti nulla poteſt inijci mora quominùs operetur: ergo produxit mundum in inſtanti. Probo conſequentiam. Si in Deo mora non datur; nullum eſt argumentum pro ſucceſsiva productione, niſi narratio Moſayca. Sed hæc ſatisfaciebat fini ſuo, licèt mundus productus fuiſſet in inſtanti: ergo, &c. Probo minor. Finis Moyſis erat ſe atemperare ruditati Iudæorum, qui non poterant niſi valdè humanitùs percipere opera Dei promptiſsimè elaborata ab Omnipotenti, ſed huic fini fiebat ſatis per narrationem: ergo licèt narratio ſucceſsionem redoleat in productione, nihilominus facta fuit in inſtanti. Reſpondeo, negando conſequentiam. Ad cuius probationem, nego minorem, & ad eius probationem, nego etiam minorem. Nam finis Moyſis non fuit niſi obſervare exactiſsimè veritatem hiſtoriæ in re tanti momenti, quæ cardo erat cunctarum quæſtionum. Quod eo maximè convincitur, quod ſi Moyſes vnicè attendiſſet ruditati Iudæorum; graſsiori quodam modo proceſiſſet, nec tam minutiſsimas partitiones operum præſtitiſſet, in quibus tam longè ab eſt, vt eorum ruditati conſuleret; quinimò eorum mentes plurimis dubitationibus pulſaret, & in ipſis tenacem errorem quendam ſucceſsionis imprimeret. Altè ergo Moyſes primordia mundi conſtabilivit, & minutiſsimè retulit, vt quæſtiones præcideret. Quod ſi re tam ſygillatim tradita, nondum amputati ſunt errores de origine mundi; quid ſi Moyſes non tam enucleatè cuncta retuliſſet? Reſpondeo *ſecundò*. Diſtingo antecedens. Divinæ Omnipotentiæ nulla inijci poteſt mora à Divina voluntate, & neceſſaria ſucceſsione rerum producendarum: nego antecedens; à difficultate, vel reſiſtentia materiæ, vel à ſuperiori agente. Concedo antecedens. Quis enim erit, qui coercere, morarivè poſsit virtutem Omnipotentis? Potuit enim divina voluntas, ſicut, & fecit, vniverſum cum harmonia, ac ſucceſsione ſuarum partium decernere: & conſequenter à ſemetipſo, & hac effectuum conditione decretà iam obliga-

ba-

batur quodammodo ad productionem ſucceſsivam. Quos autem ob fines? ipſi eſt qui novit, non tamen latet Authores congruentiſsima cogitatio: dicunt enim Deum primum *creaſſe* ad oſtenſionem Omnipotentiæ, deinde opera *diſtinxiſſe* ad oſtenſionem Sapientiæ, tandem *ornaſſe* ad oſtenſionem bonitatis. Claudo autem cuncta verbis D. Gregorij loco citato. *Hinc eſt quod Moyſes, & diſtinctè per dies ſingulos condita retulit, & tamen ſimul omnia creata ſubiunxit, dicens: iſtæ ſunt generationes Cœli, & Terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus Cœlum, & Terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam. Qui enim diverſis diebus creatum Cœlum, & Terram, virgultum, herbamque narraverat, nunc uno die manifeſtat, ut liquido oſtenderet, quod creatura omnis ſimul per ſubſtantiam extitit, quamvis non ſimul per ſpeciem proceſſit.* Sub quibus verbis vtrarumque partium fundamentum poteſt conciliari, & ſenſus Geneſis verè hiſtoricus retinebitur. Si enim res tam ſcrupulosè enarrata figuratè ſuſcipitur; quid dicemus de reliquo Geneſis libro cum tamen ea omnia allegorizare, tolerari nec poſsit, nec debeat.

JHS.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA:

GENES. 1. VERS. 11. GERMINET TERRA HERBAM virentem.

ARTICULUS

AN MUNDUS VERNO TEMPORE; AN VERO autumno conditus fuerit?

NOTABILIA.

1 SUPPONO primo. Hanc quæstionem non tàm moveri absolutè, quàm respectivè, non enim fieri potuit, vt in toto orbe, vbique terrarum, eadem statio temporis esset verna, vel autummalis, hiemalis, aut æstiva; cum enim stationes huiusmodi à vertente, vel revertente sole procedant; quæ in terris antarcticis statio æstiva est, hiems sit arcticis, necesse est, & è contra: quapropter respectivè, & strictè quæstio instituitur ad terram illam, in qua fuit plasmatus Adam, vel in qua Paradysus fuit collocatus. Suppono secundò. Secundum illum mensem, quo dicitur incepisse Diluvium esse secundum respectu anni tunc temporis labentis, & prout abinitio mundi considerati, vt sentiunt Pererius, & Torniellus, & videtur certum.

2 Quibus positis triplex apud AA. invenitur sententia; quorum prima substinet mundum æstivo tempore creatum fuisse, & defenditur à Gerardo Mercatore in principio suæ Chronologiæ. Sed cum debili fundamento sit nixa, paucos sibi meruit habere Patronos, proindeque, & citò refelli solet, & facilè. Secunda per oppositum celebris, & famosa sententia tuetur, mundum verno tempore creatum fuisse. Quæ venit maxima probabilitate donanda spectato dumtaxat pondere autoritatis. Est in primis sententia omnium Astrologorum, qui ideò signum arietis, quod verno tempore ingreditur, primum inter signa Zodiaci collocarunt. Insuper præter nonnullos Hebræos eam tenent ex PP. Græcis S. Basilius in Hexameron. Athanas. in resp. ad quæst. 17. Antiochi Nazian. in orat. ad nonam Dominicam Eusb. citat. à Pererio, Cyrill. Hierosolym. Cateches. 14. Theodoret. Damasc. Synodus Palestina congregata à Theophilo Episc. Cæsarien. cuius meminit, Beda in Exordio lib. de sex ætatibus mundi.

di. Ex latinis PP. S. Leo Papa in ſerm. 9. de Paſsione Domin. S. Ambroſ. in Hexam. cap. 4. Beda in Gloſſ. interlineali ſup. cap. 35. Gen. & in lib. de Ratione temporum, cap. 28. & 40. Iſidorus lib. 5. Ethimolog. cap. de temporibus, Strabo, & Rabbanus ſup. Exod. cap. 12. Hiſtoria Scholaſtica in Geneſ. Lineon. Gualterus, Monachus, & alij cum Rabbi Ioſue, & Ioanne Lucido lib. 1. de Emendatione temporum, cap. 2. Cui præter alios plures nuperrimè adhæret in ſuis manuſcriptis Primarius Profeſſor S. Scripturæ huius Vniverſitatis Complutenſis Doct. D. Sebaſtianus Melgar vir doctus, mihique iam diù peramicus, & Concollega, & Monterde, Gen. 1. cap. 1. numer. 51. Tertia demùm ſententia opinatur, mundum fuiſſe conditum in autumno, quæ quorundam fuit ex antiquiſsimis Hebræorum Rabbinis, v. gr. Ioſephi 1. antiquitatum cap. 4. & Rabbi Eliezer in Geneſ. & Rabbi Habram ſup. cap. 7. Daniel. Cum quibus ex Latinis Scriptoribus, ſunt Abulenſis ſup. cap. 1. Geneſ. quæſt. 21. & in priori parte ſui defenſorij, cap. 14. Lira, Arias Montanus in ſuo libello de ſæculis in apparatu Bibliorum regiorum inſerto. Picus Mirandula, lib. 7. adverſus Aſtronomos, cap. 6. & alij cum Torniello in Añalibus, & Pererio in Geneſim. Quæ quidem ſententia etſi non ita fulta AA. ac præcedens, nihilominus in primoribus de rebus Biblicis nacta eſt non paucos, & rationum momentis videtur eſſe validior. Quapropter.

3 Sit noſtra concluſio cum tertia ſententia, cum qua dicimus, mundum tempore autumnali incœpiſſe. Probatur primò. Mundus cœpit menſibus Septembris, & Octobris: ergo cœpit autumno. Probo antecedens. Id perſuadent ratio, ſcriptura, ethymologia, paritas, experientia, & providentia: Sed tam multiplici ponderi argumentorum, non ſtare, non poſſumus: ergo mundus creatus fuit menſe Septembri, vel Octobri. Probo maiorem per partes, & in primis primam. Menſis, qui fuit primus anni in exordio mundi, is credi debet, qui primus habitus fuit apud vetuſtiſsimas nationes, illas præſertim, in quibus primæ, & ſecundæ ætatis homines habitarunt, apud regiones videlicèt Orientales. Sed apud Orientales primus menſis huiuſmodi habitus fuit September, vel October: ergo ratio ipſa perſuadet mundum vno ex his menſibus incœpiſſe. Maior ipſo rationis lumine comprobatur: qui enim ad mundi primordia magis loco, & tempore apropinquabant proculdubiò inceptionis eius firmiorem notitiam conſervaverunt. Minor probatur ex B. Hieronym. cap. 1. Ezech. vbi ait S. D. apud Orientales primum menſem totius anni fuiſſe eum, quem vocant Hebræi, *Thiſri*, & partim noſtro reſpondet Septembri, vel Octobri.

4 Probo ſecundam partem. 1. Menſis Septembris, aut Octobris ille eſt in quo fruges condi ſolent in horreis, & congregari. Sed Scriptura Sacra inquit, anni exitum, & introitum eſſe tempore congregationis frugum, & quo ipſæ conduntur: ergo Scriptura ſuadet mundum incœpiſſe in Septembri, aut Octobri. Probo minorem: Scriptura loquens de feſto tabernaculorum Exodi 23. verſ. 16. ait *ſolemnitatem* (ages) *in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas in agro*, & cap. 34. verſ. 22. iubet, eandem ſolemnitatem agi debere, quando redeunte tempore cuncta conduntur: ergo, &c. Probo illam eandem ſecundam partem ſecundò: Scriptura tradit Geneſ. cap. 7. Diluvium incœpiſſe menſe ſecundo: ergo primus anni menſis fuit September, vel October. Probo conſequentiam. Diluvium credendum eſt incœpiſſe eo tempore, quo ſuapte natura terra ipſa pluvijs, & imbribus abundaret: ſed ſi annus incœpiſ-

piſſet menſe Septembri, vel Octobri, ſic initium Diluvij benè componitur: ergo incipiente Diluvio menſe ſecundo primus menſis anni Septembre, vel October eſſe debebat. Minor ſatis conſtat, quippè incipiente anno in Octobri, & Diluvio in Novembri ſtatio hyemalis ſubſequitur, vt pluviæ defluerent. Probo maiorem. Diluvium credendum eſt incępiſſe tempore, quo minori indigeamus miraculo, & Deus ipſe finem ſuum de linea naturæ non niſi naturalium cauſarum curſu perficeret: ſed minus miraculum interponitur, ſi intercedit ſolum in copia aquarum, & continuatione fluendi; tempore tamen appoſito, & opportuno: ergo Diluvium tunc incępiſſe credendum eſt cum pluvię, & imbres ordine naturæ ſubſequerentur.

5 Probo tertiam partem de Ethymologia. Primus menſis, quo primæ nationes totius vniverſi annum incohabant fuit menſis *Thiſri*, qui ex Divo Hieronymo viſus eſt Octobri, vel Septembri correſpondere. Sed nomen *Thiſri* Chaldaicè *initium* valet, vt notavit Pererius: ergo quod Septembris, vel Octobris fuerit primus menſis, quo incępit mundus, firmatur etiam Ethymologia.

6 Probo quartam partem, ſcilicèt à paritate. Deus creavit vniverſum in ſtatu perfecto: ſed autumni tempore arbores, & plantæ ſuam perfectionem nanciſcuntur: ergo tempore autumnali mundus incœpit. Maior in hunc modum paritate fulcitur. Deus non creavit hominem in infantia, ſed in virili ſtatu, & perfecto: non enim decebat niſi perfectum opus prodire de manibus Omnipotentis: ergo potiori titulo mundus, & ornatus eius in ſtatu perfecto creandus erat, qui, nempè, propter hominem creabatur. Iam venio ad minorem, quàm ſic probo, & explico. Vernum tempus eſt infantia plantarum, qua tenerrimis frondibus, & floribus iubeneſcunt, perfectio autem, & quaſi virilitas plantarum fit dum maturum exhibent fructum, & ſemen. Sed nobiliora arborum genera non niſi autumnales dant fructus, & ſemina: ergo ſolum in ea temporis ſtatione perficiuntur.

7 Probo quintam partem ſcilicèt ab experientia. Menſis Septembris, & Octobris dat quoddam ſenſibile, & experimentale initium, & finem totius anni: ergo experientia teſtatur tali tempore mundum incœpiſſe. Probo antecedens: Ariditas arborum, deciſsio foliorum, & collectio fructuum virtutis productivæ terminum ſignat. Deinde nova ſemina mandare terræ, & nova ſubſequens ſeminum germinatio, quaſi indigitant initium anni ſubſequturi. Sed hæc omnia ferè Septembri, aut Octobri contingunt: ergo pro incœptione anni, vel experientia his menſibus ſuffragatur.

8 Probo ſextam, & vltimam partem, ex providentia. Appropinquante Diluvio providentia Patriarchæ Noe iubente Domino, magnam fructuum copiam comportavit in Arcam, vt ibi ad alimoniam ſervarentur, ac deſervirent: Sed hoc accidit circa menſem Septembrem, vel Octobrem: ergo altero ex his menſibus annus incœpit. Conſequentia tenet facta ſuppoſitione illa, quàm nos cum Pererio, & Torniello probatiſsimis Authoribus defenſamus, ſcilicèt, ſecundum illum menſem, quo Diluvium incępit, ſecundum itidem eſſe labentis anni. Probo minorem. Niſi tales fructus eſſent autummales, & non multo ante collecti credi non poſſet, eos intra Arcam ſine corruptione ſervatum iri: ergo pro priori ad Diluvium, vel paulò ante quaſi intra dictos menſes tales fructus fuerant congregati. Confirmatur hæc ratio. Nam ipſa providentia, quę dictat nedum primos homines, ſed etiam cuncta animantia fore paſcenda, videtur

tur postulare, vt omnes arbores statim à creatione fructibus redundarent, qui iam maturi per subsequentem hyemem alimento cunctorum viventium deservirent; quod tamen adaptatur autumno: Nam tempus vernum frondibus, floribusque Luxurians, vel nulla, vel pauca alimenta supeditaret.

9 Objicitur primò. Illud tempus credendum est initium dedisse mundo, quod videmus vitæ plantarum, generationique animalium aptissimum esse. Sed hoc non est autumnale, sed vernum tempus: ergo potius quàm autumno, verno tempore mundus incœpit. Maior constat. Nam illud videtur initiare totum, quo initiantur, & partes. Probo minorem. Quia vernum tempus est calore, & humiditate temperatissimum, & hæc quidem temperatio in omni planta est prolifica, atque fæcunda. Ad hoc argumentum respondeo, distinguendo maiorem. Si mundus crearetur *in infantia*. Concedo maiorem. *In statu perfecto*, nego maiorem. Itaque considerari debet mundum prodijsse de manibus Omnipotentiæ cum absolutissima perfectione, prout suprà insinuavimus: quare licèt fuerit productus aliqua successione, non ea, quidem, quam postularet via naturæ, vt plantæ, & animalia initia, & progressus generationis haberent; sed alia quadam successione brevissima illius hebdomadæ, sub qua totius naturæ auctor illam mirifica, & secretiori quadam successione disposuit, statuens, vt exinde cuncta statis motibus, & vicibus agerentur, statum autem perfectum mundi iam probabimus esse in autumno.

10 Objicitur secundò cum replica. Gen. 1. v. 11. Dicitur *Germinet terra herbam virentem*. Sed hæc germinatio verni temporis est: ergò verno tempore fuit mundus productus. Respondeo: Distinguo mai. *Germinatione statim ventura ad perfectum*, concedo maiorem, *germinatione lenta* qua modò procedit, nego maiorem, & distinguo minorem. Sed germinatio statim ventura ad perfectum est propria verni temporis, nego minorem, germinatio lenta, concedo minorem: ergo: nego consequentiam. Duplex ergo est germinatio, alia, qua germinavit terra in exordio, & hæc fuit citissima iubente Domino, & statim desinens in perfectum, & hanc quidem habuit terra in exordio, propter ea, quæ suprà tetigimus, vt mundus, nimirum, crearetur in perfectione. Altera verò est germinatio, qua modò terra germinat non ad iussum Domini dumtaxat, sed simul ad motum Astrorum. Ex his prima cum autumno componitur, secus verò secunda.

11 Objicitur tertiò. Congruentissimè dici, & credi potest, quod mundus sub id tempus conditus fuit, & illuminatus à sole, quo posteà fuit illuminatus per Christum, & reparatus per eundem. Sed adventus Christi per Incarnationem, & Passio, quam in carne susceptit mense Martio evenerunt: ergo eodem tempore mundus fuit conditus. Maior probari potest, tùm verbis Theodoreti quæst. 72. in Exod. sic aientis: *Eà de causa (ideſt, quia Deus incipiente vere creaturas condidit) etiam sub idem tempus liberavit Populum Israel à servitute Egyptiorum, & Gabriel Archangelus Sanctæ Virginis Mariæ lætum nuntium admirandi partus attulit. Eodem quoque tempore Christus Dominus salutarem pertulit passionem.* Tùm ex quadam proportione, quæ videtur inveniri informatione, & reformatione mundi, in illuminatione corporali, quæ facta est in exordio, & illuminatione spirituali, quæ facta est per Christum: solent enim similes proportiones animadverti in operibus Dei; v. gr. quæ traditur lib. 2. Machabæorum, renovata, videlicèt, sancta fuisse eodem tempore, quò fuerant eversa. Respondeo ad argumentum. Distinguo maiorem iuxta opi-

nio-

nionem probabilem, & in ſenſu myſtico, & allegorico. Concedo maiorem. Ad litteram, & neceſſariò, nego maiorem, & conceſſa minore, nego conſequentiam. Itaque licèt huiuſmodi allegoriæ pia conſideratione, & laudabili excitentur, præſertim cum in opinione probabili pondere authoritatis fundentur; nihilominus ex eis pro littera argumentum non ſumitur; ſed ſuprà benè præiactam litteram fundari debent, & pia meditatione ponderari: debet enim ex regulis Scripturæ ſenſus myſticus ſuper litteram inniti. Ex quibus ad verba Theodoreti patet reſponſio, & ad hiſtoriam lib. 2. Machabęorum: non enim inficior, quod vbi mira proportio eventuum innoteſcit in littera, id benè rationi pariter, & admirationi eſſe debeat. Sed propter noſtras rationes littera potius eſt in contrarium.

12 Obijcitur quartò. Nemo doctior Moyſe, quoad primordia mundi: ſed hic deſignat primum anni menſem eum; qui vocatur *Niſan*, & correſpondet Martio, aut Aprili: ergo hoc tempore incœpit mundus. Maior videtur certa, & minor conſtat Exodi 12. verſ. 2. vbi ait de menſe Niſan: *Hic menſis ſit primus vobis menſis in menſibus anni.* Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Primum anni menſem *quoad Sacra*, vel primum menſem anni Sacri; concedo minorem; anni vulgaris, nego minorem, cum Ioſepho lib. 1. antiquitatum cap. 4. ſic aiente: *Moyſes autem Niſan menſem primum in ſuis feſtis ordinavit, quod per hunc Hebræos ex Egypto eduxiſſet: eundem, & omnium, quæ ad rem divinam pertinent exordium fecit: alioqui quoad nundinationes rerum venalium, reliquamque diſpenſationem anni attinet, nihil de priſtino ritu innovavit.* Ex quibus verbis conſtat menſem *Niſan* fuiſſe primum in ordine ad ſupputationem feſtorum, vel annum Sacrum: annum verò vulgarem propter noſtras rationes Septembri, vel Octobri incœpiſſe. Imò ex eo, quod Moyſes ſignet talem menſem pro initio, patet, alium fuiſſe menſem pro initio anni vulgaris.

13 Obijc. quintò: Si mundus incœpiſſet in autumno folia, & ornatus plantarum minus duratura erant, quam modo, propter rigorem hyemis ſubſequentis: ſed hoc dici non poteſt: ergo nec primum. Maior eſt certa: quia folia vix nata, ſeu creata exſicarentur, cum tamen noſtra toto vere, & æſtate perdurent. Minor patet etiam, nemo enim dixerit minoris durationis eſſe ornatum illum mirabilitèr prodeuntem de manu Dei, quam qui quotanis appareret. Reſpondeo, conceſſa maiori, nego minorem, ad probationem facillimè reſpondetur non eſſe cuiuſpiam rei, quas Deus produxit durare vltra finem ſibi à Domino deſtinatum: cumque poſt autumnum, quo creatus eſt mundus, ſtatim venit hiems; folia, & ornatus plantarum iuxta præſcriptum Dei citiùs debebant areſcere, quin propterea ignobiliora ſint reputanda, quam quæ modò videmus: ſemper enim eis inerat mirabile quidpiam, dum iubente Domino vſquè ad ſtatum perfectum celerrimè adoleſcebant proportione inſuper ibi ſervata, vt quod citò creſcit, deleatur & citò. Quod pro mundiali pompa morale eſſe non deſinit.

14 Obijc. ſextò: Mundus incœpit menſe Iulio: ergo non in autumno. Antecedens probatur primà ex Gerardo Mercatore. Nam columba ex cap. 8. Gen. reddit menſe vndecimo, cum virentibus folijs olivæ: Vndè credendum eſt fuiſſe in Maio, quo folia vi reſcunt: ergo tranſacto Iunio loco duodezimo Iulius ſequitur ad exordium anni. Secundò ex Solino, qui cap. 35. refert, Egyptios exiſtimaſſe mundum incœpiſſe ſole ingrediente ſignum leonis. Sed hoc ſignum menſis eſt Iulij: ergo in hoc mundus incœpit. Reſpon-

deo, nego antecedens, & ad primam probationem Gerardi, nego argumentationem debilem ex virore foliorum olivæ: hæc enim vt patet cunctis, toto anno virescit. Ad secundam probationem respondeo infirmando authoritatem Solini: constat enim ex Iosepho lib. 1. antiquitatum, cap. 4. ex Cicerone lib. 2. de Natura Deorum, & Lactantio lib. 1. divinarum institutionum, Egyptios antiquissimos solitos esse inchoare annum à mense, qui nostro respondet Septembri. Quarè, & hiscè authoribus, & Egyptijs quoquè antiquioribus confidere malumus.

15 Obijc. septimò: Pondus authoritatis, tum omnium Astrologorum, tum SS. PP. Ecclesiæ Grecæ, & Latinæ. Respondet tamen Torniellus. „ Itaquè hæc opinio, quod mundus „ verno tempore conditus fuerit ma„ iorem habet confirmationem à mul„ titudine, authoritateque DD. qui „ eam sequuntur, quàm ab efficacia „ rationum, quę pro ea adduci solent. „ Vndè non videtur improbabile hos„ ce Authores, vel simpliciter omnes „ Astronomorum sententiam suscepis„ se, vel successivè posteriores priorum „ opinionem sine vlla rei discussione, vt „ aliàs interdum evenire solet, fuisse „ sequutos. Nam si responsiones ad „ ipsorum fundamenta iam adducta, „ & arguta contra eos diligentiùs ex„ pedissent forsitàn sententiam mutas„ sent. Hæc Torniellus. Ego verò quantum ad PP. & authoritatem, & rei discussionem, & probabilitatem ac reverentiam plenissimam abunde defero; cùm tamen hæc quæstio ex illis sit, in quibus, & ipsi SS. PP. & DD. liberum habent, in vtramque partem disputare; si adsunt interpretes faventes, & momenta rationum; idcircò sententiam nostram tenemus cum magna æstimatione probabilitatis partis adversæ. Quoad Astrologos verò præterquamquod Picus Mirand. lib. 7. cap. 6. in hoc puncto speciatim scribit contra Astrologos; videtur nobis, pluris faciendos esse Abulensem, Lyram, Arias Montanum, Iosephum cum vetustissimis Hebræorum, qui de exordio mundi ex traditione erant instructi, quàm omnes coniectationes Astrologorum semper infirmas. Replicabis. Non est ita liberum in hac re opinari: nam vt refert, Cornelius Gen. 1. ex V. Beda lib. de Æquinoctio verno definitum fuit in Concilio Palæstino, habito tempore S. Victoris Papæ, & Theophylo Præsidente, mundum fuisse creatum verno tempore: quod Concilium habitum est ad annum Christi 198. ergo ita non iam erit liberum opinari. Ad hanc replicam, & instantiam. Respondeo primò ex eodem P. Cornelio, quod quamquam ibi hæc res fuisset definita non debebat esse de fide, eò quòd tale Concilium non fuerit generale, sed Provinciale, & non quoad omnia confirmatum, vt infrà videtur. Ex quo duntaxat ea sententia vigens pondus authoritatis hauriret, quod semper ei vltrò deferimus; quamquam alia argumenta nos cogant ad sustinendum partes adversas. Respondeo secundò. Quod illud Concilium tunc temporis habitum in Palæstina, sicuti, & alia plura Provincialia, coacta sunt ad stabiliendam celebrationem Paschæ, cuius occasione procul dubio talis opinio in medium adducta est; sed minimè definita, vt patet in Collectione Conciliorum: vbi cum ad tempora talis Pontificis mentio fiat, tum talis Synodi Palæstinæ pro Paschate stabiliendo, tum talis anni 198. in quo Lateranus, & Rufinus erant Consules; nec vnum verbum de tali ratione, & sententia cooptatum est ab Ecclesia inter conciliares Sanctiones: quia nimirum fortè tempus inibi Paschatis celebrandi definitum est; non verò rationes illæ omnes, quibus id poterat promoveri. Respondeo tertiò. Quia

ipse-

ipsemet Beda in tom. 2. lib. de sex ætatibus mundi in initio, adhuc dum mentionem facit Synodi Palæstinæ se explicat formulis loquendi formidolosis scilicèt *prout valet OEquinoctij coniectura: vt credibile est: si non verior sententia vincit, vel similitèr.* Quæ formulæ non cohærent cum re definita vt tali. Atque propterea Authores tam pij vt Tostatus, Torniellus, & alij hac Synodo non coguntur; vel saltem res eiusmodi non invaluit inter Doctores vt definita. Respondeo quartò. Quia ea Synodus fuit ad ordinandum, quid vnanimiter de celebratione Paschæ vbique tenendum esset; non ad definiendum rationes, quibus ea res salubriter investigaretur, vt se explicat. Respondeo quintò: Bedam non omnia ibi dixisse circa tale Concilium: neque retulisse eam, quæ super ea re orta est inter Palæstinos, & Victorem gravis dissensio. Bar. ann. 198.

16 Obijcitur octavò: Alicubi terrarum arbores binos exhibent fructus vere, & autumno: ergo similitèr in mundi Exordio credendum est accidisse. Sed si ita accidit multæ rationes nostræ enervantur, & roborantur contrariæ: ergo, &c. Respondeo, distinguo antecedens. Vbi primi homines non incoluerunt, v. gr. *OEquinoctiali, & Torrida Zona.* Concedo antecedens. Iuxta Paradysum, & in alijs regionibus, nego antecedens, & consequentiam. Non enim est cur ad miracula confugiamus, vbi regio ipsa talem duplicem fructificationem ferre non substinet. Si verò alicubi vbi insinuavimus, id interdum eveniat, vim nostrorum argumentorum non flectit, quippè de his regionibus quæstio non est, vtpotè in quibus nec collocatus est Paradysus, nec plasmatus Adamus. De qua præsertim regione quæstio nostra processit.

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ET OMNE, QUOD MOVETUR, ET VIVIT ERIT vobis in cibum, Geneſ. 9. verſ. 3.

ARTICULUS

AN ANTE DILUVIUM ESUS CARNIUM IN USU, & licitus fuerit?

NOTABILIA.

PRO clariori intelligentia noſtri quæſiti notandum eſt vnicè, illud non procedere de licentia eſus carnium reſpectiva, & per accidens, v.g. reſpectu aliorum; vel ſuppoſita ignorantia invincibili, aut actuali inadvertentia, aut conſuetudine introducta; ſed de licentia abſolutè, & per ſe loquendo, iuxta ea, quæ de divina lege circa eſum carnium nobis modò innoteſcunt. Quo poſito Quadruplex in hac re placitum invenitur; licèt duplex vt magis ſpeciale, & prę̃cipuum ſit recenſendum. Aiunt ergo nonnulli, quos ſupreſſo nomine citat Torniellus tom. 1. Ann. à num. 1657. talem eſum ante Diluvium, nec licitum proinde, nec vſitatum fuiſſe. Per oppoſitum verò alij ibidem, itidem, & ab eodem citati, ſuſtinent nedum licitum fuiſſe, verumetiam communitèr ab omnibus vſurpatum. Præter hæc verò tertium eſt placitum defendens non fuiſſe licitum; ſed communitèr vſurpatum ab omnibus; poſtremò tamen alij contradictoriè defendunt talem eſum carnium, nec fuiſſe omninò licitum, nec vniverſalitèr approbatum. Quibus inſinuatis pro vniverſaliori modo reſpondendi ad quæſitum, duas tamen quaſi capitaliores, magiſque controverſas ſeiungo ſententias circa licentiam præcipuè verſantes. Quarum prima eſt affirmativa, inquiens, licuiſſe veſci carnibus ante Diluvium, quam tuetur Caietanus cap. 4. & 9. in Geneſ. Sotus lib. 5. de Iuſtitia, & Iure, quæſt. 1. art. 1. eamquè multis promovet argumentis, & ex RR. meus dilectiſsimus Magiſter P. D. Vincentius Ramirez in ſuis manuſcriptis Biblicis, qui pro ſe citat D. Chryſoſtomum hom. 27. in Geneſ. Theodoretum quæſt. 55. in Geneſ. D. Thom. 1.2. quæſt. 102. artic. 6. ad 2. Quos tamen

tamen pro se citat Augustinus Torniellus loco citato, pro sententia negativa, & quidem fideliori ratione, vt mox verba dabunt. Secunda sententia asserit talem esum carnium ante Diluvium fuisse illicitum. Quam defendunt omnes ferè Genes. Expositores, v. gr. Glossa ordinaria, Lyra, Beda, Abulensis, Hugo Cardinalis, Rabbanus, Dionysius Cartusianus, Rupertus, Pererius, & tandem Augustinus, Torniellus loco citato. Cum quibus etiam est nostra sententia, & conclusio, quam tollendæ confusionis gratia probabo in primis verbis eorum Patrum, quos sententia contraria sibi fingit esse Patronos: legi enim eos, & verba profero.

2 Probatur primò: Authoritate S. Ioannis Chrysostomi citato loco super nostra verba sic pronuntiantis: *Omne reptile vivens vobis erit in cibum, vt olera herbarum vobis dedi omnia. Hoc est initium edendarum carnium, non vt nos ad ventris ingluviem paret, & instruat, sed quia ex ipsis erat Noe sacrificaturus, & Deo gratias acturus, vt ne videamur, quasi à consecratis abstinere, idcircò edendi facultatem concedit, & valdè securos reddidit, quasi olera herbarum vobis dedi omnia.* Ex quibus sic arguitur. Post Diluvium, vt patet, fuit initium licentiæ carnium, & securitatis à timore: ergo anteà nec erat licentia, nec deerat timor, nimirum, fundatus in prohibitione saltem implicita. Theodoretus verò ait sic: *Post Diluvium autem pretiosorem cibum illi confert, prævidens enim Deus, in extremam dementiam lapsos, hæc omnia animalia pro Dijs habituros, permisit illorum esum, vt impietatem illam cohiberet.* Ex quibus sic arguo: Esus permittitur post Diluvium ad præocupandam idololatriam animalium: ergo non licebat ante Diluvium: Consequentia patet. Tum, quia non permittitur, nisi quod aliundè non licet: Tum, si anteà animalia comedebantur, pòst ratio Theodoreti esset nulla: ait enim, *summa enim est insania adorare, quod comeditur.* D. Thom. postremo loco citato, sic ait: *Esus plantarum fuit apud homines, etiam ante Diluvium; sed esus carnium videtur esse post Diluvium introductus.* Introducitur autem illud, quo longa consuetudine clausum erat: & quidem satis prohibita carnium alimenta censentur, si quasi intemerata tunc temporis habebantur, ita vt non sine scrupulo viderentur, tunc temporis attingi posse, præsertim, in infantia totius religionis, in qua instar piaculi esse posset, & credi deberet manus extendere ad id, quod necdum ore Dei concessum fuerat: & interdicta religiosissimè crederentur quotquot non habebantur concessa.

3 Probatur secundò conclusio à ratione super ipsas scripturas innixa. Nam Genes. 1. vers. 29. constat, omnes herbas, & fructus in escam homini fuisse concessas. Post Diluvium autem Genes. cap. 9. vers. 3. dicitur, *omne, quod movetur, & vivit erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis.* Ex quibus sic ratio nostra conficitur. Si ante Diluvium concessus esset hominibus esus carnium; ille expressus fuisset inter escas concessas ante diluvium, & non esset cur inter escas post Diluvium concessas recenseretur: Sed in concessis ante Diluvium non invenitur, vt constat ex ipso cap. 1. Geneseos, & post Diluvium cap. 9. Geneseos recensetur: ergo ante Diluvium concessus non fuerat esus carnium. Probo maiorem quoad vtramque partem, & primò quoad primam. Inverisimile est Deum, alimoniam hominibus designantem, illos cibos prætermisisse, qui forent potiori iure commemorandi. Sed carnes priori loco commemorari debebant, tum ob nobilius alimentum, tum ob arduitatem, quæ apparebat in occisione viventium, tum, quia viventia sensibilia primam sibi considerationem arrogabant: ergo

Deus

Deus in deſignandis alimentis ante Diluvium, carnes non prætermiſiſſet, ſi fuiſſent reipſa conceſſæ. Probo ſecundam partem maioris. Non eſt credendum, Deum poſt Diluvium quaſi novum privilegium hominibus intimaſſe id, quod ipſis erat notiſsimum, & iam pridem facultate, & vſu receptum. Sed Deus inſtar novi privilegij carnes conceſsit poſt Diluvium, per illa verba, *omne, quod movetur, &c.* ergo eſus carnium poſt Diluvium recenſendus non videbatur. Probo minorem. Illa verba, quæ ſubiunguntur, *quaſi olera virentia tradidi vobis*, ſic veniunt cum Torniello aptiſsimè interpretanda: *Hactenus ſolas herbas, & terræ naſcentia* (inquit ille) *ſeu vt vno verbo dicam, ſola vegetabilia tradidi vobis in cibum; nunc verò etiam ſenſibilia, ideſt, cuncta animantia trado, quibus veſci poſſitis, ac ſi eſſent olera virentia.* Sed hæc genuiniſsima interpretatio novi privilegij conceſsionem quoad alimenta ſignificat: ergo Deus poſt Diluvium carnes inſtar novi privilegij conceſsit.

4 Confirmatur hæc ratio. 1. Ex parte alimentorum datur fundamentum, vt ante Diluvium eſus herbarum, & fructuum duntaxat; poſt Diluvium verò, adderetur & carnium: ergo ante Diluvium hic non licebat. Probo antecedens. Fructus ante Diluvium pingiores, ac meliores erant, quàm poſt Diluvium, à cuius imbribus, & Occeani elluvionibus diſsipatus eſt vigor, & ſuccus omnium: ergo ad alendos homines ante Diluvium carnes non requirebantur, ſicut poſt Diluvium videbantur iam neceſſariæ. Sed hæc neceſsitas eſt ſufficiens fundamentum, vt poſteà carnes concederentur: ergo dabatur tale fundamentum. Confirmatur ſecundò. Homines ante Diluvium robuſtiores erant, quàm poſt, vt ipſa diuturnitas vivendi demonſtrat: ergo congruentia ipſa perſuadet cibis durioribus, robuſtioribuſque ſuam vitam tranſegiſſe, neque adeſſe motivum, cur carnibus veſci permitterentur, quæ proculdubio delicatiores, cum ſint, ſolis delicatioribus adaptantur, pro ijſdemque requiruntur. At planum eſt homines poſt Diluvium fuiſſe delicatiores effectos: ergo, & congruentia, quoquè plana reſultat, quod, videlicèt, à Deo ſapientiſsimè providente, eſus carnium hominibus non niſi poſt Diluvium permitteretur.

5 Obijcitur primò cum Caietano. Deus conceſsit homini ante Diluvium dominium naturale ſuper cuncta animantia, illis verbis, *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & vniverſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Sed dominium claudit ius vtendi re, prout Dominus velit: ergo poterat homo ante Diluvium animantia occidere, & manducare. Reſpondeo, diſtinguo maiorem. Dominium quoad omnes vſus rei quomodolibèt deſtructivos, nego maiorem: quoad pleroſque ſatis demonſtrativos ſuperioritatis, & dominij, quod reperiebatur in homine, concedo maiorem, & diſtinguo minorem, quoad vſus licitos, concedo minorem; quoad vſus illicitos, nego minorem, & conſequentiam. Itaquè explicanda ſunt nonnulla quibus ſuprà dati termini patefiant, & ſolutio tota expendatur enucleatiùs: tangit enim obiectio rem verè implexam. Propterea non negamus, homini per hæc verba: *Dominamini, &c.* collatum fuiſſe dominium iuriſdictionis ſuper cuncta animantia; verum quemadmodum huiuſmodi dominium Patris in Filios ſatis non eſt, vt poſsit Pater filiorum carnibus veſci, ita neque illud, quod habuit Adamus ſatis erat, vt animantibus veſceretur. Quod verò Adam ſolum habuerit dominium iuriſdictionis, firmari poteſt. Primò ex illis verbis *Dominamini, & præeſſe*: quæ ſonant gubernationem, & iuriſdictionem.

Se-

Secundò: Quia imaginando alias gentes extrà Adamum, non poſſet illis Adamus donare mundum: ergo non eſſet Dominus proprietatis. Tertiò. Quia Deus paſsim per colloquia cum primis Parentibus, & hominibus res mundi ordinabat: ergo tàm longè abeſt à dominio proprietatis, quod non haberet abſolutum etiam dominium iuriſdictionis. De dominio verò proprietatis res eſt difficilior: permittamus tamen illud: videtur enim tunc temporis innegabile Adamo, qui quaſi hæreditatem ſuam poſsidebat vniverſam terram: Dominium autem proprietatis ſecum fert rem poſſe, ſi velit Dominus, conterere, atquè deſtruere. Sed notandum eſt, quod quando dominium proprietatis venit à ſuperiore, qui ſimul eſt Legislator, poteſt aliquis vſus rei traditæ intelligi prohibitus ab ipſo, præſertim, cum ſit vſus peculiariſsimus rei, quæ ſolùm eſt propria ſolius *AUTHORIS*, & non Domini, licèt habeat dominium proprietatis in ipſum, & huiuſmodi ſunt res viventes vita ſenſitiva, & rationali: nam licèt tradantur homini à Deo cum dominio proprietatis in ipſas; vita tamen ipſarum ſemper reſervatur *AUTHORI*: Vndè ſine facultate expreſſa ipſius Dei, nec poteſt homo occidere hominem, nequè potuiſſet occidere beſtiam, licèt eſſet Dominus proprietatis ipſius: ſicut homo etiam habet dominium proprietatis in ſervum, quem tamen nequit occidere. Cuius doctrinæ ratio à priori eſt, quia vſus vitæ non intelligitur ſtatim ire poſt dominium proprietatis collatum, ſed ſemper reſervatur *AUTHORI*, qui cenſetur talem vſum ſibi peculiariſsimum ſemper interdicere, dum illum expreſsè non conceſſerit. Dominium enim humanum, cum ſit communicatio divini, tunc, ideſt in mundi exordio, primum incœpit communicari, ita vt omnia iura, ex quibus coaleſcit dominium, gradatim, & paulatim Deus homini impartiretur: ius ergo in vitam viventium, etiam ſenſibilium, vſquè ad Diluvium ſibi retinuit; Et quidem plus homo erat Dei, quàm Filius eſt Patris: Si autem Pater filium, vix ad vſum rationis venientem, in horto collocaret, vbi, excepta vna arbore, alias victui aſsignaret: profectò licèt inibi eſſent pecudes, piaculum putaret filius illas attingere.

6 Hinc venio iam ad terminos, quibus dilui formam argumenti, & ſuppoſito ibi, ſermonem non eſſe de dominio iuriſdictionis, quippè hoc non vrget, vt vidimus per exemplum Patris ad Filium, dico, Adamum habuiſſe dominium proprietatis ſuper cuncta animantia cum iure, & poteſtate ad omnem vſum, præter vſum occidendi, qui erat vſus vitæ pertinentiſsimus ad Authorem, & necdum ipſi expreſsè conceſſus: Qua propter D. Baſilius hom. 18. in Geneſim citatus à Pererio, ſenſiſſe viſus eſt, hominem ante Diluvium nequè honeſtè oblectationis cauſa venari potuiſſe. Hoc autem vſu vnicè excepto, plures alij reſtabant, qui dominium proprietatis in homine teſtarentur. Pro explicatione verò diſtinctionis, qua dixi dominium eſſe ius, & poteſtatem quoad vſus licitos, non verò illicitos, meminiſſe opportet eorum, quæ dixi, ſcilicèt, quando dominium ipſum venit ab ipſo Legislatore, qui vel tacitè, vel expreſsè poteſt prohibere aliquem vſum talis rei; & tunc, licèt quis habeat dominium proprietatis in eam, peccaret, ſi modo illo prohibito re vteretur (quidquid eſſet de validitate, quæ modò non eſt ad rem in homine reſpectu Dei, ſed conſideranda eſt de homine ad homines) vndè concluditur, tum quòd dominium proprietatis Adami ſuper animantia poterat habere aliquem vſum interdictum à Deo: tum, quod vſus vitæ animantium,

tium, cum eſſet pertinentiſsimus ad Authorem, & antè Diluvium homini non indultus expreſsè, prohibitus cenſebatur, non poſitivè, & directè, ſed negativè, & indirectè, & hoc nota.

7 Reſpondeo ſecundò: Ad argumentum. Diſtinguo minorem. Nullo dato impedimento ex parte rei ad omnem vſum, concedo minorem. Nulla data prohibitione ex parte perſonæ, quæ habet dominium, nego minorem, & conſequentiam. Itaque dupliciter poteſt conſiderari, quod homo non poſſet vti animalibus aliquo vſu, vel quia ipſa animantia, quæ ſunt res traditæ, aliquem vſum reſtringerent, vel quia homo aliundè prohibitus eſſet facere id, quod tali vſu erat eventurum. Reſtrictio alicuius vſus veniens imbibita in ipſa re, & cum limitatione ex parte ipſius, videretur vtique adverſari abſolutiſsimo dominio proprietatis ſuper illam conceſſo, & propterea talem reſtrictionem nego ex parte rei traditæ. Prohibitio verò ſivè tacita, ſivè expreſſa dabatur ex parte Adami, ne, ſcilicèt, carnibus pinguiſsimis veſceretur ad ingluviem, gulamque fovendam per accommodis, & quibus ſeſe compararet iumentis, ac ſemibruteſceret, à rerum naturalium, & Cœleſtium contemplatione avocatus, qua quidem tunc temporis vivere deſtinabatur à Deo, vt inquit Damaſcenus lib. 2. de Fide Orthodoxa, cap. vltimo per hæc verba: *Homo ante peccatum in terris corpore degens, animo cum Angelis diverſabatur in divinæ operibus intelligentiæ, talibuſque ſtudijs innutriebatur ad ſolum conditorem per creaturas eius aſſurgens, eumque contemplans incredibili voluptate perfundebatur.* Quæ quidem doctrina conſona eſt Patribus cum Pererio. Iuxtà hanc verò ſolutionem homo tunc temporis, vel venationis, vel alia de cauſa animantia poſſet occidere; non autem veſci; licèt haberet dominium proprietatis in eis. Et ſolutio, quæ præciſiva quidem eſt, exemplum habet non modò clarum, ſed peremptorium. Nam Petrus, v. gr. tempore quadrageſimæ habet dominium veriſsimum proprietatis ſuper omnium carnium genera, aves, & animalia, quibus verò veſci non poteſt: & quidem etiam ad hunc vſum ex parte ipſarum carnium nullum impedimentum reperitur: benè verò ex parte Petri, qui cum ſanus ſit, vt ſupponimus, præpeditur lege temperantiæ, quominùs eo tempore ipſis veſci non poſsit. Sic ſimilitèr in noſtro caſu. Replicabis, quomodo ſalvetur cohærentia eorum, quæ dicuntur, num. 5. cum ijs, quæ dicuntur hic, num. 7. & facultate occidendi beſtias ibi permiſſa? Reſpondeo, quod cohærentia ſtat in eo, quod in num. 5. datur vna ſolutio conſiſtens in eo, quod ius in vitam belluarum tunc à Deo non transferretur: & incedendo per hanc viam, neque ad veſtitum, nec ad oblectationem venandi conceditur, tunc hominem potuiſſe occidere belluas. In numer. verò 7. ad maiorem amplitudinem, datur ſecunda ſolutio, permittendo, quod ius ad occidendas belluas tum fuiſſe translatum à Deo in hominem; ſed ſimul ſuſtinendo, quòd adhùc homo non poſſet carnibus veſci; licèt animalia poſſet occidere: quia nimirum, licèt non daretur impedimentum ex parte dominij, daretur tamen prohibitio ex parte Adami, ne de carnium pinguedine provocaret Gulam, & à Deo, Cœleſtibuſque avocaretur. Et per hanc ſecundam ſolutionem conceditur facultas occidendi belluas adveſtitum, & venationem; ſed non ad veſcendum; non ſecùs ac ille, qui tamquam Dominus poteſt occidere gallinam in quadrageſima, quin poſsit licitè comedere ex ea. Quæ explica-

tio

tio cohærentiæ conſtat ex illis verbis ſupra. *Iuxta hanc verò ſolutionem.*

8 Obijcitùr ſecundò : In rebus, quæ non ſunt malæ niſi prohibeantur,non ſunt habendæ aliquæ pro illicitis, niſi certò conſtet de prohibitione. Sed eſus carnium ſolùm poteſt eſſe malus quia prohibitus , & antè Diluvium de prohibitione non conſtat: ergo ante Diluvium licitus fuit eſus carnium.Minor eſt certa: quia nullibi in Sacra pagina de tali prohibitione conſtat antè Diluviũ.Reſpondeo ad hoc argumentum,diſting.minor.Non conſtat, nequè formalitèr,nequè arguitivè,nego minorem : non conſtat præcisè formalitèr. Concedo minorem , & nego conſequentiam. Itaquè licèt expreſsè, & formalitèr non ſit prohibitus in Sacra pagina carnium eſus ante Diluvium; prohibitus tamen eſt in ipſa arguitivè: Sic enim conficitur prohibitionis argugumentum.Primò:quoties Scriptura indicat aliquid indigere verbali,& expreſſa conceſsione,vt fiat, & diu talis cõceſſio non datur, tàm diu res talis fieri nequit, ac prohibit reputatur : Sed Sacra pag. Gen.c.9 indicat eſum carnium , vt licitè fiat , indigereverbali, expreſſaquè cóceſsione ipſius Dei:& per totum tempus ante Diluviũ ſimilis conceſsio nondum eſt facta: ergo ante Diluvium licitè fieri non poterat eſus carnium , ſed prohibitus cenſebatur.Diſcurſus eſt legitimus : Maior eſt clara , exornariquè valebit exemplis. Minor autem quoad ſecundam partem eſt evidens ; quoad primam autem , videtur quoquè negari non poſſe : Nam verbalis, & expreſſa conceſsio eſus carnium poſt Diluvium facta à Deo infinitè ſapienti,& infinitè prudenti exercitè indicat tales cibos : tali conceſsione indigere Deus enim nihil ſuperfluè , & ſtultè creditur conceſſurus. Ergo S. Scriptura ſatis indicat opus eſſe conceſsione tali.

9 Secundò : Præter hæc lumine naturæ conſtabat talis prohibitio propter argumentum iam attactum: quod ſic efformo. Uſus vitæ animantium erat characteriſticus , & proprius ſolius Dei. Sed hominem ſibi arrogare vſum proprium , & characteriſticum ſolius Dei ſine eius licentia lumine naturæ conſtat eſſe prohibitum : ergo talis eſus carnium naturæ luminæ prohibitus apparebat. Maior conſtat : nam id naturæ lumine noverunt homines , quod vitæ ſolus Deus eſt Dominus , neque ſupra vitam datur proprietas niſi in Auctore , à quo intransferibilis eſt, ideſt inabdicabilis ; licèt poſsit communicari quoad vſum. Tertiò conſtat hæc prohibitio : quia veſci carnibus iuxta SS. PP. erat inſeparabile à Gula , & avocatione hominis à naturalium , & Cœleſtium contemplatione : Sed in primis id non erat ex obiecto contra temperantiam ; ſed ex prohibitione , & aliunde contemplatio naturalium , atque Cœleſtium erat primis hominibus intimata ante Diluvium : ergo carnium eſus prohibitus. Minor verò conſtare videtur. Nam Deus etiam de arboribus aliquid excepit : ergo potiori iure iuncta credi debeat prohibitio à cibis alijs magis irritantibus Gulam , & in quibus præſertim nonnulla crudelitas apparebat. De contemplatione verò rerum Cœleſtium , & naturalium etiam conſtat arguitivè fuiſſe intimatam ; tùm ex SS. PP. præſertim Damaſceno ſuprà allegato : tùm ex ſumma familiaritate , & communicatione Dei cum homine in conſilijs operum eius: quibus quemadmodum homo exercitè vocabatur ad contemplanda naturalia , & Cœleſtia, ſic exercitè prohibebatur ab omnibus , quæ poſſent hæc impedire , cuiuſmodi eſſet vſus carnium : Ex quibus omnibus conſtat ſi non formaliter , arguitivè ſaltem de tacita prohibitione eſus carnium.

10 Obijcitur tertiò. Abel Paſtor ovium agnos poterat manducare: ergo licitus fuit eſus carnium. Probo antecedens, ſi non potuiſſet manducare agnos non eſſet cur in Scriptura commendaretur eius oblatio de adipibus, & primogenitis: ergo, &c. Probo antecedens. Nam quoad vſus pellium, & lanæ fortè eſſent pretioſiora pecora macilenta, quàm pinguia: ergo niſi pinguibus veſci poſſet; non eſſet cur in horum oblatione commendaretur. Probo ſecundo antecedens, ex verbis Pauli 1. ad Corinth. 9. *Quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat?* Ego Paſtor gregis poſſet quoquè comedere, & agnos. Reſpondeo ad argumentum, negando antecedens, & ad eius primam probationem nego antecedens, & ad huius probationem ſimiliter nego antecedens regulariter loquendo, in quo ſenſu etiam loquitur textus. Quarè dicimus Abelem in Sacrificio de Adipibus, & primogenitis commendari, quippè, ſolent primogenita pecora eſſe chariora, & quæ magis pinguia ſunt, etiam ſunt pretioſiora, tùm ad multiplicationem gregis, tùm ad meliorem, & maiorem copiam lactis, & lanæ. Ad ſecundam probationem conceſſo antecedenti: nego conſequentiam. Pro lactè enim ratio non militat, cum ibi non interveniat vſus vitæ animantium, dominiumquè ſuprà vitam, quæ peculiaria ſunt Dei: Imò qui donat animal in poſſeſsionem, cum eò omnis eius vtilitas, & fructus donare intelligitur. Sed replicabis primo. Licitus erat vſus lactis, quin antè Diluvium inter cibos deſignaretur: ergo ſimiliter eſus carnium, licèt ante Diluvium non recenſeretur in cibis. Reſpondeo primò, permiſſo antecedenti, nego conſequentiam. Tùm quia lac cum ex ſua inſtitutione ſolum ſit alimentum fœtus, non erat pro alijs viventibus deſignandum, licèt poſtmodum humana guloſitas fœtibus illud præriperet ſine noxa cum id quaſi permiſſum conceſſumque cum gregibus haberetur. Non ſic de carnibus, quæ directè, & in ſe ipſis forent hominis alimentum, & in quibus occidendis dominium vitæ præriperetur authori. Reſpondeo ſecundò, quod lac non erat cibus propriè loquendo. Replicabis ſecundò. Non eſt cur Abel Paſtoritio munere fungeretur, niſi vt humanum genus gregibus aleretur: ergo, &c. Reſpondeo nego antecedens, tum quia cuius eſt iuriſdictio, atque gubernatio, eius quoquè eſt providere de paſquis: præſertim pecoribus, quæ ſunt animalia indigentia providentia, & regimine. Tum quia pro holocauſtis, & ſacrificijs ali debebant greges, & conſervari: Tum quia ab initio pecora, quæ poſt erant alimento deſervitura, debebant non efferari, ſed cicurari.

11 Obijcitur quartò: In Exordijs humanæ naturæ videtur à Deo, non niſi ſalubrioribus, cibiſquè robuſtioribus providenda: Sed huiſmodi ſunt carnes, tum experientia, tum Medicorum iudicio: ergo ipſa naturæ lege carnium eſus concedebatur. Reſpondeo ad argumentum permiſſa maiori, nego minorem. Licèt enim carnes debilioribus ſint magis ſalubres, eo quod ſtomachis debilibus faciliùs coquantur, ac tranſmutentur; nihilominus robuſtis corporibus etiam de conſilio Medicorum duriores cibi magis aptantur, ſiquidem ſemel concocti ſolidiùs præbent alimentum, & robur, præſertim in ea varietate fructuum, ſuccoquè optimo, qui ipſis inerat antè Diluvium. Ad hæc non gravabor Plutarchi verba ſubtexere, qui libro de ſanitate tuenda ſic ſcribit: „ Maximè cru„ditates metuendæ ſunt ab eſu car„nium: nam hæ, & initio valdè præ„gravant, & reliquias poſt ſe magnas „relinquunt. Ac optimum quidem

„erat

„ erat ita corpus assuefacere, vt nullum „ id carnium requireret esum : non „ enim ad nutriendum modò sufficien- „ tia largitur tellus, sed etiam ad de- „ lectationem, & voluptatem : qui- „ bus partim nullum aliud apparatum „ requirentibus vesci possis, partim „ ea sexcentis modis miscere, & sua- „ via reddere. In quorum confirma- tionem refert noster P. Leonardus Le- sius in suo Higiastico cap. 3. quàm diu- tissimè, & saniſsimis solis fructibus vi- vant Iaponi, Sinenses, Affricani, & celeberrimi quondam Eremitæ. Ad quæ cum pervenerim opportuna est ponderatio super alia loca Plutarchi vbi totus inhorrescit, atque execra- tur humanam voracitatem, crudeli- tatemque dum animalibus sibi con- viventibus pascitur. Vnde sic sumitur efficax ponderatio. Si post tot millia annorum in homine sensato, cuiusmodi fuit Plutarchus trucidatio ani- malium vitium, & crudelitas appa- rebat, quid credendum est visum fuis- se humanæ menti, dum vix homo simul cum animantibus vitam acceperant de manu creatoris?

12 Obijcitur quintò : si ante Di- luvium vesci carnibus non liceret, sed solis fructibus, pisces, gallinæ, & alia huiusmodi frustra fuissent in mundo toto tempore ante Diluvium : sed hoc dicendum non est : ergo. Maior con- stat. Quia aves, & animalia huiusmo- di nullum alium vsum habere viden- tur, nisi vt homines pascant. Respon- deo ad argumentum, nego maiorem cum probatione. Tùm, quia sicut de animalculis, & aviculis contemptibi- libus vix potest à nobis vtilitas desig- nari, cum autem ea ad ordinem vni- versi deneganda non sint, huius enim concentum, & harmoniam solus nos- cit ille qui fecit ; sic de gallinis, pisci- bus, & similibus discurrendum est tùm temporis, quando necdum homines istiusmodi vescebantur : tùm, quia in mundi completissima creatione etiam tùm temporis creari debuerant multa, quæ longo post tempore erant deser- vitura ; v. g. medicamenta, quæ longis post sæculis occasione morborum re- velarentur ; v. gr. Spinulæ, Tribuli, & Serpentes, quæ pro mulctandis peccatis post futuris creabantur, & tandem ani- malia, & aves domesticæ, quorum carnium vsus post bismille annos ho- minibus concederetur.

13 Obijcitur sextò : ante Dilu- vium solebant oferri Domino in sacri- ficijs etiam animalia : vt patet de Abel Genes. 4. vers. 4. ergo facta oblatio- ne consequens erat, vt carnes come- derentur. Probo consequentiam. So- lum consumebatur tota victima in ho- locaustis : Sed incredibile est, quod ante Diluvium cunctæ oblationes fue- rint holocausta, in quibus nihil car- nium relinquebatur, vt sacrificantes comederent : ergo facta oblatione poterat comedere carnes. Respon- deo negando consequentiam, & ad eius probationem nego minorem : Imò cum igne defcendente de Cœlo iuxta communem opinionem DD. Abelis Sa- crificia fuerint absumpta, & ita benè à Deo respecta credibilius est, sacrifi- cantes, qui erant viri probi totas car- nes igne consumere : eos verò qui non ita recto corde erant erga Deum plus minusvè iuxta vniuscuiusquè improbi- tatem eas præguſtare, sed non sine scrupulo illicitudinis maioris, aut mi- noris, prout quantitas, & conscientia dictabant. Et similiter discurrendum est si venatio recreationis causa tunc temporis concedatur, cum enim ea ex- coriarent ad paranda sibi vestimenta, vel tabernacula, illicitè quidem impro- bi carnibus vescebantur ; cum tamen de viris probis credendum sit, quod in insulis novi orbis Cuba, Hispanio- la, Iamaica, & Dominica contingere refert Acosta lib. 1. cap. 21. nimirum, incolas præ vacarum multitudine eas

ſæpè excoriare, & nudas carnes proijcere: quæ ſi propter copiam aerem inficerent, ab incolis tumultatæ credendæ ſunt. Ex toto decurſu quæſtionis colliges nonnulla, primò: Deum, ante Diluvium ſolos fructus, herbas, & ſemina hominibus conceſiſſe, quippè, quæ tunc temporis ſufficienti, & optimo alimento erant futura. Secundò, carnes ſolùm implicitè prohibitas fuiſſe, tùm legibus temperantiæ, tùm propter dominium vitæ ſemper reſidens in authore, cui prohibitioni probi auſcultabant; improbi autem procedente tempore, & creſcente malitia, ac gula indulgente, nedum carnibus penè vivis, & palpitantibus veſcebantur, ſed ſi credimus Beroſo, & Caietano, neque humanis carnibus parcebatur, quod nunc temporis in Barbaris, & Tartaris perhorreſcimus. Tertiò tandem, Deum, finito Diluvio, fructibuſquè aquarum eluvionibus, & Occeani ſalſedine diſsipatis carnium eſum hominibus indulſiſſe, partim eorum appetitus irritationi ſe attemperando, partim dominium, vel potiùs vſum ſuper animantium vitas vltrò concedendo.

14 Obijcitur ſeptimò. Si homo ante Diluvium non potuiſſet edere carnes, pecora, & animalia per bis mille annos propagata vniverſam terram obruerent, ſi tandiù non occidebantur. Sed id eſt abſurdum: ergo. Reſpondeo, negando maiorem, & ſuppoſitum ipſius, nimirùm, quòd multa non occiderentur: imò totidem ferè occiſa fortè ſunt ab hominibus, licèt carnium eſus eſſet illicitus: quia cum ab exordio mundi cœpiſſet homo à recto tramite deviare; pleraque pars hominum de lege Dei parùm ſolicita ſæpè illicita perpetrabat, ac vivebatur ad iuſſum libidinis. Quare in occidendis animalibus prohibitione non coercebantur, ſed ea occidebant, & manducabant, etſi illicitè id fieret. Conſtat hæc reſponſio ex eo, quod iam propè Diluvium ferè vniverſum genus humanum corruptum fuerit: Vndè ſi ferè totidem animalia credi potuerant occiſa, non ſecus ac ſi eis veſci licuiſſet; ceſſat abſurdum propagationis penè infinitæ.

15 Obijcitur octavò, cum replica. Si penè ab exordio mundi pleraque pars hominum cœpit carnibus veſci, licèt per nefas, tamen procedente tempore inolita conſuetudo invaleſceret eis veſcendi: ſed conſuetudo etſi introducta: per nefas, invaleſcens tamen per annos, & ſæcula, & pleriſquè quidem hominibus, non ſolum conſuetudo, ſed licitudo eſt: ergo, vel tot animalia, etiam per nefas occiſa, concedi non debent, vel concedi debet ante Diluvium licitus eſus carnium. Ad hoc argumentum reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem. Et licitudo ex ſe, & per legem, nego minorem, per accidens, & ex ſuppoſitione, & quaſi permiſsiva, permitto minorem, & nego conſequentiam. Itaquè vt diximus in notabili vnico noſtræ quæſtionis, non inquirimus de licentia eſus carnium per accidens; v. gr. ratione conſuetudinis introductæ, & inveteratæ, vel ratione ignorantiæ invencibilis; ſed an licitus fuerit per ſe loquendo, & ex lege divina, prout hæc modò nobis innoteſcit.

16 Obijcitur nonò, ab everſione fundamenti. Fundamentum, cui hæc ſententia nititur, ex ipſa Scriptura conſtat eſſe nullum: ergo ſententia ipſa ſubſiſtere nequit. Probo antecedens. Fundamentum eſt, quod conceſsio carnium facta poſt Diluvium, ſimul cum nulla mentione eſus carnium facta antè Diluvium, probat antè hoc carnes non eſſe conceſſas, imò, & tacitè prohibitas: ſed hoc fundamentum ex ipſomet Geneſi enervatur: ergo, &c. Probo minorem. In ipſo Geneſi conſtat, Deum dicere

ſuum

fuum Arcum ponere post Diluvium, qui tamen Arcus iuxta Doctores sæpè apparuerat ante Diluvium, licèt de hoc in Genesi nulla facta sit mentio: ergo licèt de concessione carnium antè Diluvium non fiat mentio, potuit dari talis concessio, & nihilominus etiam fieri post Diluvium, quemadmodum Arcus fuit antepositus, & nihilonimus postea ponitur à Deo per illa verba: *Arcum meum ponam, &c.* Respondeo ad hoc argumentum, nego antecedens, & consequentiam. Itaquè res, quæ anteà fuerat, benè potest à Deo, quasi denuò dici poni, vel fieri, dum novus finis indicatur, ad quem poni, dici, aut fieri constet, & hoc accidit in positione Arcus, qui sæpè apparuerat; ponitur enim post Diluvium, vel in signum præteriti, vt vult Abulensis, vel in signum non futuri, vt volunt alij: Concessio verò carnium post Diluvium invenitur sine alio fine præter ipsissimam concessionem, quæ quidem foret supervacanea, & indigna Deo, si sub eodem fine iam fuisset facta talis concessio antè Diluvium. Et hæc de hac quæstione. Vide si lubet Suarium nostrum de Opere sex dierum lib. 3. cap. 16. & D. Thomam 1. part. quæst. 96. artic. 1. De Dominio hominis in animalia pro statu innocentiæ.

QUÆST.

JHS.

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

OMNIS QUIPPE CARO CORRUPERAT VIAM SUAM, Geneſ. 6. verſ. 12.

ARTICULUS

AN OMNES OMNINO, QUI IN DILUVIO perierunt æternùm damnati fuerint?

NOTABILIA.

IN hac quæſtione aliter quam in cæteris nobis exordiendum eſt: cum enim in alijs primum locum quibuſdam ſuppoſitionibus præfigamus, vt explicato articulo controverſiæ, proponantur ſententiæ; hic è contra ſententiæ prius ſunt præmittendæ, vt poſtmodum articulum expediamus. Quapropter duplex verſatur in hac re ſententia ſibi omninò contradicens: altera enim aſſerit, omnes ad vnum, qui perierunt per aquas Diluvij æternam damnationem incurriſſe. Hanc latiſsimè, & pugnatiſsimè defendit noſter Pereira tom. 2. in Geneſ. lib. 9. diſputat. 3. in qua plenà eruditione conatur occludere quotquot vias ipſe rimatur propugnandi partes adverſas; quamquàm nullos video ſibi comparaſſe Patronos. Secunda verò ſententia contradictoriè ſuſtinet non omnes, qui deleti fuerunt aquis Diluvij in æternum perijſſe; ſed aliquos fuiſſe ſalutem adeptos. Pro hac ſententia plures ſunt Authores, & Patres, ſed diverſimodè diſcurrentes: vndè huic quæſtioni, & nonnulla accrevit implexitas, & nobis aliqua neceſsitas prænotandi, quam ſcilicèt viam ſimus perſequuturi. Igitur hanc ſententiam defendunt, Div. Hieronym. in traditionibus Hebraicis in Geneſ. cap. 6. Rupertus in Geneſ. cap. 16. Lyra, & Caietan. in Geneſ. cap. 7. Torniellus tom. 1. in Annalib. anno 1557. n. 21. Chryſoſtom. in Catena Lippomani in Geneſ. cap. 3. Præter quos omnes aggregantur aliqui Patres, qui occaſione textus Divi Petri Epiſt. 1. cap. 3. & 4. ſenſiſſe videntur, Chriſtum Dominum poſt mortem nedum ad inferos deſcendiſſe, Evangeliumque inibi prædicaſſe, ſed liberaſſe quoque ab inferorum damnatione aliquos ex illis, qui increduli fuerant in diebus Noe cum fabricaretur Arca. Quam ſententiam

buere videtur, Beda ſuper illum textum Div. Hilario propter verba, quæ hic adducit Pſalm. 118. Necnon id amplecti videtur Div. Epiphanius Hæreſi 46. & Author in Epiſt. Pauli vulgò putatus Ambroſius Epiſt. ad Romanos cap. 10. habereque videtur Sanct. Auguſt. lib. 12. de Geneſ. ad litter. capit. 33.

2 Ecce de relatione ſententiarum nodus fit nobis intricatior, quippè qui articulum miſcet de prædicatione Chriſti apud inferos omnibus Theologis implexiſsimum, adducitque in diſputationem textum illum 1. Petri cap. 3. *Inquo, & his, qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe cum fabricaretur Arca in qua pauci, ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.* Quem textum difficilimum Lorinus, totiuſque novi teſtamenti difficiliorem appellavit Arias Montanus: quod cuique erit ſatis notum, ſi varias interpretationes Authorum, & Sanctorum Patrum, propoſitioneſque difficiles inde ebullientes attentè conſideret, quas tum apud Lorinum in eum locum; tum apud Pereiram loco citato legere erit pervium. Vbi ſtatim licebit animadvertere, quomodo ex illo loco admittant, Chriſtum prædicaſſe Evangelium apud inferos Athanaſius, Epiphanius, Hilarius, Nazianzenus, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, & Damaſcenus; ſed quamquam ad ſtabiliendam, defendendamque noſtram concluſionem, hanc viam ingreſſuri non ſumus: quippè quam videmus tàm lubricam, & in quam nec ipſi Patres pedem figunt, ſed varij varia loquuti multifariam difficultatem adaugent; cumque nobis magis arrideat via talem locum interpretandi, quæ, & planior, & litteraliorⁿobis eſſe videtur; eam ſtatim dabimus libantes de hoc puncto quantùm oportet, vt ad theſim non deſcendamus ignari eorum, quæ circum noſtrum articulum ſolent ab Authoribus diſputari. Supponendo ergo quod verba immediatè antecedentia hunc textum loquuntur de Chriſto ſic: *Vivificatus autem ſpiritu*, & ſubſequentia ſic: *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma.* Sic demum tali textui paraphraſin adaptamus: *In ſpiritu veniens Chriſtus prædicavit Spiritibus ſivè animabus eorum, qui modo defuncti ſunt, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, dum fabricaretur Arca, in qua pauci, id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.* Itaque ſumma noſtræ interpretationis eſt, quòd Chriſtus adventu ſpirituali, & prophetico venerit in prædicatoribus, vel in Propheta ſuo Noe prædicans illis hominibus tunc incredulis, qui temporibus Chriſti mortui erant duntaxat SPIRITUS in cuſtodia, vel in ſepulchro detenti, ita vt ſenſus ſit: *Prædicavit olim his, qui ſunt modo Spiritus.*

3 In hanc interpretationem, Deo dante, ſtatim ipſe incidi capitibus 3. & 4. Divi Petri attente perlectis: dicitur enim etiam, cap. 4. verſic. 5. & 6. quidpiam ſimile, ſcilicèt: *Qui paratus eſt iudicare vivos, & mortuos: propter hoc enim, & mortuis Evangelizatum eſt.* Ubi etiam intelligo iam longè antè Evangelizatum fuiſſe per Prophetas hominibus, qui licèt tunc eſſent vivi; tamen mortui erant tempore, quo Div. Petrus hæc protulit. Similiterque dicendum eſt de illis verbis *iudicare vivos, & mortuos*, ſcilicèt, Deum eſſe iudicem æternum, coram quo pendent cauſæ illorum, qui vivunt, & illorum, qui mortui ſunt; iudex autem temporalis ſolum iudicat vivos. His poſitis fundamentum ad ſic interpretandum illum locum difficilem eſt multiplex. Primum: quia ſic videtur præſeferre lectio Græca, quæ ſic ſe habet: *Vivificatus autem ſpiritu, in quo, & illis in cuſtodia ſpiritibus profectus prædicavit incredu-*

lis aliquando, quando expectabat illa Dei longanimitas in diebus Noe apparata Arca: in qua paucæ, id eſt octo animæ ſervatæ ſunt per aquam (attende) *cui correſpondens exemplar nunc, & nos ſalvat Baptiſma.* Ecce quomodo fit paritas de prædicatione ſalutis per aquas Diluvij ad prædicationem Baptiſmi. Igitur ante Diluvium facta debet intelligi prædicatio ibi commemorata. Secundum: quia ſi textus ita intelligitur, fit totius contextus planiſsima intelligentia, ſenſuſque planè dogmaticus, & intento Divi Petri valde conſentaneus, vt legenti conſtabit, ſi talem Epiſtolam profundè meditetur, non quidem myſticè, ſed litteraliter. Tertium: qui ex interpretatione, quæ admittit, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, & ibi Evangelium incredulis prædicaſſe tot pullulant difficultates, vt vix poſsit emergi; quin potius merguntur aliqui quos Div. Gregorius commonefecit l. 1. Epiſt. 79. ne videlicet in Hæreſim, quam Philaſter retulerat, inciderent. Vndè licet admittamus in deſcenſu Chriſti ad inferos ibi legem Evangelicam mirifice, & glorioſiſsime perſonuiſſe; nihilominus id ex textu Divi Petri non videmus benè probari: in quo, & ipſi Sancti Patres varij ſunt, ita vt Divus Auguſtinus, qui rem pleniùs diſputat, omninò non quieſcat quouſque tandem in ſuperiorem noſtram interpretationem ipſe prolabitur.

4 Quartum propter auctoritatem Divi Auguſtini, qui Epiſt. 99. ad Evodium ait: „ Conſidera, ne fortè to„ tum illud, quod de concluſis in car„ cere ſpiritibus, qui in diebus Noe „ non crediderant, Petrus dicit, om„ ninò ad inferos non pertineat; ſed „ ad illa potius tempora, quorum for„ mam ad hæc tempora tranſtulit: illa „ quippè res geſta forma fuerat futuro„ rum, vt hi qui modo non credunt „ Evangelio, dum in omnibus genti„ bus ædificatur Eccleſia, illis intelli„ gantur eſſe ſimiles, qui tunc non „ crediderunt cum fabricaretur Arca. „ Illi autem, qui crediderunt per Bap„ tiſmum, & ſalvi fiunt, illis compa„ rentur, qui tunc in eadem Arca ſalvi „ facti ſunt per aquam. Vndè ait ſic, & „ *vos ſimili forma Baptiſma ſalvos facit.* „ Ad hanc igitur formæ ſimilitudinem „ cætera etiam de incredulis coapte„ mus, & non ſuſpicemur, quod apud „ inferos ad faciendos fideles, atque „ liberandos Evangelium prædicatum „ ſit, vel adhuc etiam prædicetur, qua„ ſi, & ibi ſit Eccleſia conſtituta. Hucvſque profunditas Auguſtini. Præter quæ idem ſentit vir pius, ac doctus de noſtra Societate benemeritus Pater Didacus Paiva lib. 2. pro Concil. Trident. fol. 121. & ſequentibus: atque Lorinus de illo præloquutus ſic: *Fateor hoc nomine me minus abhorrere ab iſta ſententia, quod ſit Authoris tam boni.* Ante enim animadverterat Bezam in id inclinantem, & ſemirefutaverat, ſubditque non eſſe cur hic Hęterodoxus de tali expoſitione quaſi inventori applaudat. Ego autem ſequutus contextum litteræ habens Auguſtinum Patronum, & meum Paivam Socium interpretationis, quæ & Lorino Socio item noſtro iam non diſpliceat, non ſum admodum ſolicitus de Beza, ſed dico ſolum: ò vtinam ille in cæteris cum Auguſtino ſaperet, & intelligeret! Præterquamquod quemadmodum de libris Gentilium ſolent Sancti Patres veritates excernere inſtar Hebræorum ſpoliantium Ægyptios, ſic etiam eſt cum Hæreticis factitandum.

5 Si autem interroges, cur tot Patres illum locum de prædicatione apud inferos intellexerunt? Dici poteſt primo, quod cauſa fuit ipſius textus verſiones, quæ id ſonare, eòque tendere ſtatim apparet. Cumque Sancti Patres litteram etiam quoad ſonum, & apicem, in quantum poſint, ſemper retineant; ideò tali interpretationi adhæſerunt. Secundò: quia fortè in ſuis

tem-

temporibus aliquibus articulis fidei necdum omnino explicatis videbantur non oriri propoſitiones ita difficiles. Tertiò : quia, cum certum eſſet, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, & inter Spiritus reprobos, & electos triumphali tuba perſonuiſſe Evangelium ; videbatur ſtatim prima fronte, Div. Petrus de hoc deſcenſu loquutus. Quartò: quia multi ex illis plena, ac plana fide hunc locum potius obiter pertractarunt vſque ad Auguſtinum,qui de more ingenij ſui illum vberrimè diſputavit quouſque tandem ſuperiorem ſuam interpretationem, & cum eo noſtram formidine reverenti plenus elicuit.Cui tamen ſatis adhæſiſſe ſignificat in illis verbis, quæ refert Pater Iuſtinianus in Epiſt. Can. loco hoc, vbi ait, & Bedam etiam ſequi Auguſtinum, cum tamen Auguſtinus intellexerit per *Spiritus in carcere* homines Noe temporibus viventes, quod, & Iuſtiniano, & Salmeron admodum diſplicet, nos ab hac allegoria talem interpretationem vindicamus, aſſerentes dici Spiritus in carcere, vel cuſtodia, vel inferno, &c. illos Spiritus incredulos, quatenus tempore Div. Petri duntaxat ſpiritus increduli remanſerant ; licèt tempore, quo ipſis figuraliter prædicatum fuit, eſſent homines animo, & corpore conſtantes. Pro quo vrgetur adhuc ex ipſo Patre Salmerone ibi tom. 16. dicit enim illud verbum *Antitypon* eſſe idem, ac *figuratum* correſpondens alicui figuræ : quare voluit dicere D. Petrus: *Quod quemadmodum temporibus Noe in figura prædicatum fuit Baptiſma aquarum paucis ſalvis factis per eas ; multis verò diſcredentibus ; ſic temporibus Chriſti prædicabatur Baptiſma alijs credentibus; diſcredentibus verò pluribus.* Hæc omnia ſic tacta ſunt, vt quantum poſsimus cogitationem Auguſtini, Bedæ, Didaci Payva, mihi, & etiam Lorino non diſplicentem, corroboremus. Cum verò torrens PP. & interpretum Catholicorum ſtet pro interpretatione, quæ ex hoc loco ponit Chriſtum apud inferos prædicaſſe : id negare interea non auſim ; videnſque hanc intelligentiam tantis hominibus arriſiſſe; aliundeque noſcens præcipuum Authorem Sacræ paginæ eſſe Spiritum Sanctum denegare non poſſum prædictis verbis hunc quoque ſenſum litteralem ; licèt concedamus etiam primum : quia poteſt dari duplex ſenſus litteralis,alius ab Scriptore Canonico; alius ab Spiritu Sancto intentus. Poſtremòque, licèt noſter ſenſus non fuerit ita receptus, negari non poteſt quin ſenſus litteralis in dies clareſcat, & quod non eſt novus ille, qui à Patribus, cuiuſmodi ſunt Beda, & Auguſtinus, traditur. Sed, cum hic locus celeberrimus ſit, fortaſſe de eo integram, & ſolitariam interpretationem dabimus annuente Deo ; pro præſenti verò præliminari hæc ſufficiant.

6 Poſt hæc ſcripta legi Baſilium Pontium, qui quæſt. 9. expoſitiva variarum diſputationum nedum nobiſcum ille conſentit per illa verba: *Dixi non hic agi de Chriſti ad inferos deſcenſu, in quo mihi ſummopere probatur Auguſtinus.* Sed etiam Authoribus eam fulcit, atque vindicare videtur : citat enim pro ea Titelmanum in illum locum Petri, & D. Thom. 3. part. quæſt. 52. art. 2.ad 3. vbi poſt primam expoſitionem Athanaſij, & Damaſceni inquit: *Auguſtinus tamen melius exponit in Epiſtola ad Evodium vt referatur non ad deſcenſum Chriſti ad inferos ; ſed ad operationem divinitatis, quam exercuit à principio mundi,&c.* Unde non eſt cur timeamus adhærere ſententiæ, quam ſequuntur Auguſtinus, D. Thom. Beda, Titelmanus, Baſilus Pontius, Pater Didacus de Payva, & quæ videtur non diſplicere Lorino : „ Neque obeſt (ait „ Pontius) *enervari* iuxta hanc inter„ pretationem, argumentum ex iſto „ petitum loco ad veritatem deſcen„ ſus

„ſus Chriſti ad inferos confirman-
„dam, cum ſuppetant alia clariora
„tam in novo, quàm in veteri teſ-
„tamento, de quibus vide Trium-
„phum Chriſti contra Iudæos integro
„titulo. Caniſium in Catechiſmo nu-
„mer. 13. de Fide, & Symbolo. Et
„Emondum Augerium lect. 7. Cate-
„chiſmi D. Thom. 3. part. tota quæſt.
„52. alioſque complures. Hucuſque Pontius vir ſanè doctiſsimus.

7 Neque videtur obeſſe ſecundò, quod de Novatoribus quiſpiam eiuſmodi interpretationem amplectatur, vt ſuprà iam tetigi. Primò: quia non eſt accipienda, vt eius cogitatio, & inventio illa, quam tot ante ſæculis tradiderunt Auguſtinus, Beda, & Div. Thom. quos vtinam Novatores in omnibus amplecterentur. Secundò: quia non ſtatim ac aliquid pronuntiat Hæreticus, id eſt veluti Hæreticum pronuntiandum: plura enim tum naturæ, tùm fidei nobiſcum ipſi pronuntiant, atque fatentur, quæ repellenda non ſunt, niſi adulterinis propoſitionibus permiſceantur; quinimo, & tunc citiùs ex ore ipſorum ad ora Catholica veritas eſt traducenda, vt inter ortodoxos pura, ſinceraque ſervetur ea, quæ ipſis duntaxàt quaſi conſpurcanda relinquitur: in hoc enim huiuſmodi homines præſtant ſeſe iniurios veritati, quam nos vindicare debemus: & propterea eam, quam in eorum manibus noverimus periclitari, ſtatim ad partes noſtras tutiùs reponendam aſſerere. Dicit ergo Sacra Scriptura: *Si ſeparaveris pretioſum à vili quaſi os meum eris* Itemque ritè docent Myſtici, quod ſi quandoque Diabolus transfiguratus in Angelum lucis bona ſuggerit, vt pedetentim ad mala declinet; tunc diſcretio ſancta diſcernat, & bona cum humilitate complectens, mala mox vt apparuerint fortiter deteſtetur. Vnde ſi etiam de Dæmone non eſt aſpernandus famulatus, quem tulerit veritati; cur erit de hæreticis? Tertiò: quia licèt opinio aliqua videatur ire contra communiorem aliquam intelligentiam Patrum in primis nulli dogmati adverſatur, ſi habeat pro ſe Patres aliquos, & illi, qui contrarij ſunt rem minus diſcuſſam, & etiam lubricam tradidere. Deinde etiam ſi in re aliqua, vel interpretatione ſingulariter quis opinetur vbi neque eſt definitio Eccleſiæ, vel Concilij, vel vnanimis conſenſus omnium Sanctorum Patrum, non ſtatim eius ſententia reſpuenda eſt, & exſibilanda quamquam matura circunſpectione ſit ſuſcipienda: *Dixi matura circunſpectione* quippè verſipelles hæretici ſolent oſtendere propoſitiones veras, vt manuducant ad falſas, errorque ipſorum ſenſim propinetur incautis. Verùm ſi hoc deſit, meditari debemus, quod cum Regnum Cœlorum ſit ſimile Theſauro, & in effodiendis Theſauris ſoleat Dominus operarios conducere, qui ſummo labore, & conatu margaritas inveniunt, & eruunt, ſed non ſibi, ſed Domino, quippè ad quas iura illi non habent; ita Deus vniverſorum Dominus in campo Eccleſiæ diſponit laborare operarios verè ſervos, & alienigenas, ſcilicèt extra gremium illius, miſeros, & humana mercede contentos, qui temporalium rerum ſoliciti, avidique plauſus humani, in litterario campo Eccleſiæ deſudant, in quo proinde, Deo ſic diſponente, quandoque veritatem aliquam, ſivè ſententiam nanciſcuntur non aſpernandam; qua tamen eos ſpoliari ſtatim oportet; quemadmodùm de Philoſophis Gentilibus ſuprà tetigimus: tum ne ſibi vſurpent, etiam minima ex parte, veritatem, cuius ſunt voluntariè tàm prodigi, dum abea deſciſcunt, & ſponte à via veritatis aberrant: tùm ne veritatem ipſam vndique venuſtiſsimam tantiſper apud ipſos detentam, iam poſtmodum fœdatam vul-

tu

tu non agnoſcamus, vt ad proprias ſedes eam revocare poſsimus. Quartò denique: quia etſi abhorrere à ſenſu, diſcurſuque Hæreticorum ſit certè argumentum pietatis; nihilominus id cum diſcretione fiat, quippè poſſent execrare nonnulla, quæ SS. & BB. Patronos haberent; & licèt mutuata ab Hæreticis, non eſſent carpenda, eo quod in ipſis nullibi exorbitaretur à fide. Deinde fortè id aliquando poterit eſſe minus conveniens: tùm quia ſi ſibilo excipiuntur nonnulla, quæ non deberent, eo quod in priſcis, boniſque Authoribus fundamentum habeant ſine offenſione Eccleſiæ, ſolet in hæterodoxo movere cachinos, exindeque litteraria fama ortodoxi haberi ludibrio: tùm quia, cum expediat ad revincendos Hæreticos eos primùm delinire benevolentia, atque amore captare, rurſuſque ad id valeat plurimum cum hominibus litteratis, eorum aliquas vltrò amplecti ſententias (innocentes quidem, & ſanas) vt ipſi veniant ad noſtras; fortè id fieri expediet, vt tandem credant, nos ipſis ex vera charitate potiùs, ſinceroque rationis, & fidei lumine, quàm ex præfacto, pugnacique animo, atque horrore indiſcretiſsimo refragari. Quæ omnia tàm ad longum tractavi, vt fidem ſuprà datam de fuſiùs diſputanda noſtra interpretatione quodammodo liberarem, arrepta nimirum ocaſione, quam Baſilius Pontius nobis exhibuit.

8 Pro coronide tamen renovandum advertimus id, quod ſuprà diximus de ſenſu duplici litterali, vt notant ſæpè Doctores; v. gr. in illis verbis Caiphæ Ioannis 11. *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat*: Cuiuſquidem alter ſenſus litteralis falſus eſt, & politicus intentus à Caipha, alter verò eſt Catholicus, & propheticus intentus ab Spiritu Sancto. Item in illis verbis: *Non alligabis os bobi trituranti.* Quorum verborum alter ſenſus eſt materialis intentus à Moyſe, quod nimirum bos de ſua tritura manducet; alter verò intentus ab Spiritu Sancto, vt ſcilicèt dentur alimenta Doctoribus, qui quidem ſecundus ſenſus litteralis eſſe cognoſcitur à poſteriori ex vſurpatione Eccleſiæ, ex conſenſu Doctorum, & proportione verborum id ſignificantium: quoniam, iuxta Auguſtinum, & Hieronymum, non officit ſenſui litterali, quòd locutio ſit metaphorica, & translatitia: igitur ad hunc modum dicimus locum illum Divi Petri poſſe habere ſenſum duplicem litteralem, alterum ſcilicèt intentum à D. Petro, & quem nos cum Auguſtino, & reliquis ſuprà ſequuti ſumus; alterum autem iuxtà communem Patrum, & Eccleſiæ vſurpationem de deſcenſu Chriſti, & prædicatione Evangelij apud inferos: quippè à poſteriori dignoſcitur, Spiritum Sanctum id per talia verba ſignificare. Primò: quia in verſionibus talia verba adhibita ſunt, quæ primà fronte id immediatè ſignificent; imò videantur nihil aliud poſſe ſignificare. Secundò: quia idſuadet altiſsima impreſsio de hac re, quæ tot retrò ſæculis in vetuſtiſsimis Sanctis Patribus, & Doctoribus; immò, & in ipſa Eccleſia reſedit. Siquidem, vt ait ipſemet Divus Petrus: *Non voluntate humana allata eſt prophetia; ſed Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt SS. Dei homines.* Tertiò ex ipſa verborum conſonantia cum facto: Nam de fide eſt, Chriſtum Dominum deſcendiſſe ad inferos, ibique totam legem Evangelicam cum eo in inferis reſonuiſſe. Itemque apud inferos eſſe carceri mancipatos ſpiritus illos, qui in diebus Noe increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam cum fabricaretur Arca. Quæ ergo maior factorum conſonantia cum dictis? Igitur licèt concedamus primum ſenſum litteralem duntaxat fuiſſe de mente ſcriptoris; nihilominus penè evi-

evidenter cogimur, vt ſecundum ſenſum litteralem etiam de mente Spiritus Sancti præcipui Authoris Scripturarum ſubſtineamus, & confiteamur. Quæ quidem incedendi via cuncta componit: perſcrutatur enim litteram ad mentem Scriptoris Canonici: amplectitur etiam litteram cum Eccleſia, & Patribus inſtar dogmatis; & tandem ad id non vias peregrinas inſequitur, ſed tritiſsima, & quæ in ſcripturis paſsim occurrit, diſtinguendi videlicèt ſenſum duplicem litteralem.

9 Hinc deſcendit opportuna monitio ad Hæreticos illos, qui in eo ponunt pertinaciam ſuam, vt obſtinate negent aliqua dogmata Catholica probari poſſe ex illis locis ſcripturarum vnde eruuntur, eo nixi fundamento, quod alium ſenſum litteralem ipſi melius adaptent: fallax enim eſt huiuſmodi fundamentum propter ſuperiora: cum enim ipſis ſuus ſenſus litteralis concedatur, non eſt cur tantopere indurentur ad concedendum alium, quem admittit Eccleſia, niſi quatenus ſint proprij iudicij amatores, & pertinaciæ: Regula enim ſacra eſſe poteſt, „ ac debet. Quotieſcumque Sancta Ma„ ter Eccleſia penè vniverſali interpre„ tatione, antiquoque vſu Patrum, at„ que Doctorum aliquem textũ in hoc, „ vel illo ſenſu intelligendum aſſerit, „ talem ſenſum credi debere, ab Spiritu „ Sancto per illas voces eſſe præinten„ tum, quoties nimirum illę voces tali „ ſignificationi non contradixerint. Cuiuſquidem ratio ea eſt, quod videlicèt Spiritus Sanctus per altiſsima verba Scripturarum, quorum omnem omninò ſignificationem intuetur ſe extenderit ad ſignificandum omne verum, quod ſub eorum ſignificato poteſt latere; quamquam ſub inde vnus vel alter ſenſus verus duntaxat attingatur à nobis, eò quod illo tantum contenti vlteriores non eliciamus. Cum autem Santa Mater Eccleſia afflata ſit Spiritu Sancto alias ſignificationes aſſequitur, veritateſque alias internoſcit etiam in illis verbis, in quibus quamvis nobis non apparerent, tamen certiſsime deliteſcunt. Signa autem de eo quod in erudiendis huiuſmodi ſenſibus Spiritus Sanctus illuminet, & aſsiſtat ſunt argumenta ſupra iam tacta. Primò. Vetuſta intelligentia Sanctorum Patrum, atque Doctorum per longa ſæcula cum pia traditione permixta. Secundò. Alta impreſsio, qua penè omnes fideles de ſimili ſenſu ſolent manere perſuaſi. Tertiò. Vſurpatio Eccleſiæ, quam Spiritus Sanctus regit, atque gubernat. Quartò denique. Pius quidam horror, & communis Catholicorum, contra ſimilia ſenſa reſpuentes. Quamobrem ſi Spiritus Sanctus per ea verba loquitur quidquid verè dici poteſt ijs verbis; & aliunde ipſe Spiritus Sanctus per Eccleſiam, & Doctores pios aliquam veritatem inibi ſignificari commonſtrat, quis eam etiam litteralitèr exprimi denegabit?

10 Quod punctum maximi momenti cum ſit, operæ pretium duco ex Auguſtino late fulcire, cum ipſi Hæretici ſe tam Auguſtini aſſeclas profiteantur, licèt abeant inde longiſsimè. Igitur hic Aurelius vbique tam aureus lib. 2. Confeſsionum plura ſpargit, quæ nobis, etſi prolixa ſunt tamen hic colligenda, vt quam vera ſint ea, quæ diximus paſsim mens Auguſtini reſpiret. Ait igitur primò, cap. 18. „ Quid mihi obeſt cum diverſa in „ his verbis intelligi poſint, quæ „ tamen vera ſint? Quid, inquam, mi„ hi obeſt, ſi aliud ego ſenſero, quàm „ ſentit alius, eum ſenſiſſe, qui ſcrip„ ſit? Omnes quidem, qui legimus, „ nitimur hoc indagare, atque com„ prehendere quod voluit ille, quem „ legimus. Et cum eum veridicum „ credimus, nihil quod falſum eſſe „ vel novimus, vel putamus, audemus „ eum exiſtimarè dixiſſe. Deum ergo

„ quiſ-

„ quiſquis conatur id ſentire in Scrip-
„ turis Sanctis quod in eis ſenſit ille,
„ qui ſcripſit; quid mali eſt, ſi hoc ſen-
„ tiat, quod tu lux omnium veridica-
„ rum mentium oſtendis verum eſſe;
„ etiam ſi hoc non ſenſit ille, quem
„ legit, cum & ille verum nec tamen
„ hoc ſenſerit? Ecce manifeſtiſsimè duplicem ſenſum litteralem, quem diximus; alium quidem ab Scriptore Canonico; alium autem à Divino Spiritu præintentum, & in ipſa Scriptura ſignificatum.

11 Ait ſecundò cap. 25. plura appoſitiſsima. „ Cum verò (dicit.) Non
„ hoc illè ſenſit quod tu dicis, ſed quod
„ ego dico; neque tamen negat quod
„ vterque noſtrum dicit; vtrumque
„ verum eſſe: O vita pauperum Deus,
„ in cuius ſinu non eſt contradictio!
„ plue mihi mitigationes in cor, vt
„ patienter tales feram, qui non mi-
„ hi hoc dicunt, quia divini ſunt, &
„ in corde famuli tui videntur; ſed
„ quia ſuperbi ſunt, nec noverunt
„ Moyſis ſententiam, ſed amant ſuam,
„ non quia vera eſt; ſed quia ſua eſt;
„ alioquin, & aliam veram pariter
„ amarent, ſicut & ego amo quod
„ dicunt, quando verum dicunt, non
„ quia ipſorum eſt, ſed quia verum
„ eſt. Si autem ideò amant illud, quia
„ verum eſt, iam & ipſorum eſt, &
„ meum eſt: quoniam in communi eſt omnium veritatis amatorum.

12 „ Illud autem, quod conten-
„ dunt, non hoc dixiſſe Moyſen, quod
„ ego dico; ſed quod ipſi dicunt, no-
„ lo, non amo: quia etſi ita eſt; ta-
„ men illa temeritas non ſcientiæ, ſed
„ audaciæ eſt, nec viſus, ſed Typhus
„ eam perperit. Ideoque, Domine,
„ tremenda ſunt iudicia tua: quo-
„ niam veritas tua nec mea eſt, aut
„ illius; ſed omninò noſtrum, quos ad
„ eius communionem publicè vocas
„ terribiliter admonens nos, vt noli-
„ mus habere privatam, ne privemur
„ ea: nam quiſquis, quod tu omnibus
„ ad fruendum proponis ſibi propriè
„ vendicat, & ſuum eſſe vult, quod
„ omnium eſt; à communi propelli-
„ tur ad ſua, hoc eſt à veritate ad
„ mendacium: qui enim loquitur men-
„ dacium de ſuo loquitur.

13 „ Attende Iudex, optime Deus,
„ ipſa veritas attende: quid dicam
„ contradictori huic, attende: coram
„ te enim dico, & coram fratribus
„ meis, qui legitimè vtuntur lege vſ-
„ que ad finem charitatis: attende, &
„ vide quid ei dicam, ſi placet tibi:
„ hanc enim vocem huic refero fra-
„ ternam, & pacificam. Si ambo vi-
„ demus verum eſſe, quod dicis, &
„ ambo videmus verum eſſe quod di-
„ co, vbi quæſo id videmus? Nec ego
„ vtique in te; nec tu in me; ſed am-
„ bo in ipſa, quæ ſupra mentes noſtras
„ eſt, incommuntabili veritate. Cum
„ ergo de ipſa Domini Dei noſtri lu-
„ ce non contendamus, cur de proxi-
„ mi cogitatione contendimus? Quam
„ ſic videre non poſſumus, vt videtur
„ incommutabilis veritas: quando ſi
„ ipſe Moyſes apparuiſſet nobis, at-
„ que dixiſſet: Hoc cogitavi, nec ſic eam videremus, ſed crederemus.

14 „ Non itaque ſupra quam
„ ſcriptum eſt vnus pro altero infle-
„ tur adverſus alterum. Diligamus
„ Deum noſtrum ex toto corde, &
„ ex tota anima, & ex tota mente noſ-
„ tra, & proximum ſicut noſmetip-
„ ſos. Propter quæ duo præcepta
„ charitatis ſenſiſſe Moyſen quidquid
„ in illis libris ſenſit, niſi crederimus;
„ mendacem faciemus Deum cum de
„ animo conſervi, aliter quam ille
„ docuit, opinamur. Iam vide quam
„ ſtultum ſit in tanta copia veriſsi-
„ marum ſententiarum, quæ de illis
„ verbis erui poſſunt, temerè affir-
„ mare, quam earum Moyſes potſi-
„ mùm ſenſerit, & pernicioſis conten-
„ tionibus ipſam offendere charita-

„ tem

„ tem propter quam dicit omnia, cuius „ dicta conamur exponere. Hucvſque integrum cap. 25. certè pretioſum, ſuave, fortiſsimum, & mirabile.

15 Ait tertiò cap. 26. „ Vellem „ quippè, ſi tunc eſſem Moyſes (ex „ eadem namque maſſa omnes veni- „ mus: & quid eſt homo, niſi quia „ memor eſt eius?) Vellem ego, ſi „ tunc eſſem quod ille, & mihi abs te „ Geneſeos liber ſcribendus iniungere- „ tur, talem mihi eloquendi facultа- „ tem dari, & eum texendi ſermonis „ modum, vt neque illi, qui nondum „ queunt intelligere, quemadmodum „ creat Deus, tanquam excedentia vi- „ res ſuas dicta recuſarent: & illi, qui „ hoc iam poſſunt in quamlibet veram „ ſententiam cogitando veniſſent, eam „ non prætermiſſam in paucis verbis „ tui famuli reperirent: etſi alius aliam „ vidiſſet in luce veritatis, nec ipſa in „ ijſdem verbis intelligenda deeſſet: „ ſicut enim fons in parvo loco vbe- „ rior eſt, pluribuſque rivis in amplio- „ ra ſpatia fluxum miniſtrat, quàm „ quilibet eorum rivorum, qui per „ multa locorum ſpatia ab eodem fon- „ te deducitur; ita narratio diſpenſa- „ toris tui, ſermocinaturis pluribus „ profutura parvo ſermonis modulo „ ſcatet fluenta liquidæ veritatis, vnde „ ſibi quiſque verum, quod de his re- „ bus poteſt, illud hic, ille illud per „ longiores loquelarum anfractus tra- „ hat.

16 Ait quartò cap. 31. „ Ita cum „ alius dixerit: *Hoc ſenſit quod ego*: & „ alius; *imò & illud quod ego*, religio- „ ſiùs me arbitror dicere, cur non „ vtrumque potius, ſi vtrumque ve- „ rum eſt? Et ſi quid tertium, ſi quid „ quartum, & ſi quid omninò aliud „ verum quiſpiam in his verbis videt, „ cur non illa omnia vidiſſe credatur, „ per quem Deus vnus ſacras litteras „ vera, & diverſa viſuris multorum „ ſenſibus temperavit? Ego certè, „ quod intrepidus de corde meo pro- „ nuntio, ſi ad culmen authoritatis ali- „ quid ſcriberem, ſic mallem ſcribere, „ vt quod veri de his quiſque capere „ poſſet, mea verba reſonarent, quàm „ vt vnam veram ſententiam ad hoc „ apertius ponerem, vt excluderem „ cæteras, quarum falſitas me non „ poſſet offendere. Nolo itaque, Deus „ meus, tam præceps eſſe, vt hoc illum „ virum (Moyſen) de te meruiſſe non „ credam. Senſit ille omninò in illis „ verbis, atque cogitavit, cum ea „ ſcriberet, quidquid hic veri poſſu- „ mus invenire: & quidquid nos non „ poſſumus, aut non dum poſſumus, & „ tamen in eis inveniri poteſt.

17 Ait denique quintò cap. 32. „ Poſtremo, Domine, qui Deus, & non „ caro, & ſanguis, ſi quid homo mi- „ nus vidit, nunquid, & ſpiritum tuum „ bonum, qui deducet me in terram „ rectam, latere potuit, quidquid eras „ in eis verbis tu ipſe revelaturus le- „ gentibus poſteris, etiamſi ille per „ quem dicta ſunt, vnam fortaſsis ex „ multis veris ſententiam cogitavit? „ Quod ſi ita eſt, ſit igitur illa, quam „ cogitavit, cæteris excellentior. No- „ bis autem, Domine, aut ipſam de- „ monſtra, aut alteram veram, quam „ placet, vt ſivè nobis hoc quod illi „ etiam homini tuo; ſivè aliud ex eo- „ rumdem verborum occaſione pa- „ facias; tu tamen paſcas nos; non er- „ ror illudat. Et cap. 23. ſic concludit: „ Coniungar autem illis Domine, in te, „ & delecter cum eis in te, qui verita- „ te tua paſcuntur in latitudine chari- „ tatis: & accedamus ſimul ad verba „ libri tui, & quæramus in eis volun- „ tatem tuam per voluntatem famuli „ tui, cuius calamo diſpenſatur ea. „ Hucvſque Auguſtinus. Diſpenſa tu etiam, perprudens Lector, teſtimo- niorum prolixitatem, quorum pon- derationem, ne prolixior fiam men- ti tuæ relinquo. Verùm cum ipſa eſſent

essent tam ad rem nata tam mira suavitate, & charitate flagrantia, dignaque, vt Theologum prætereant neminem; ideò nec peperci transcribendi labori, vt propter tui commodum tu mihi parceres laboranti.

18 Ex his ergo aperte concluditur, quod receptus, communisque Ecclesiæ sensus in aliquo textu iam pridem intellectus, & vsurpatus, vtpotè qui ab Spiritu Sancto præintentus arguitur, satis est litteralis ad ea, quæ sunt dogmatis confirmanda; licèt præterea alius etiam occurrat sensus, qui planior videatur, & litteralior. Hoc punctum cardinalissimum est Theologo Catholico, proindeque, & hactenus dicta video esse pauca. Sed ad secundum articulum festinemus, qui independenter ab hoc primo defendi poterit; verum reliquisse illibatam vnam ex vijs, qua aliqui adversariorum militant pro sententia contraria, non erat congruum.

Artic. II.

Declaratur, stabilitur, & probatur nostra conclusio.

19 Antequam constabiliam conclusionem, quam sum defensurus, prænoto, me hic non disquirere: num præter Noe, & eius familiam alij iusti extiterint tempore Diluvij, qui in eo perierint; sed duntaxat assero aliquos de pereuntibus æternam salutem fuisse assequutos, saltem quia opportunè contriti resipuerint. Probo igitur hanc conclusionem ab auctoritate simul, & ratione. Primò Divi Hieronymi, qui loco supra citato super illa verba Genes. *Non permanebit spiritus meus in homine quoniam caro est*, inquit: „ In Hebræo scriptum est: non „ iudicabit spiritus meus homines istos „ in sempiternum: quoniam carnes „ sunt: hoc est, quia fragilis est in ho„ mine conditio, non eos ad æternos „ servabo cruciatus, sed hic illis resti„ tuam quod merentur. Et similia habet in caput primum Nahum, quæ opportuniùs postmodum recensebimus. Secundò ex Ruperto in Genes. cap. 16. vbi postquam distinxit triplex iudicium, primum scilicèt, quo diabolus ab initio peccans ab initio condemnatus est. Tertium, quod est iudicium extremum; & medium inter hos iudicium Diluvij, asserit: „ Etenim pri„ mo, & vltimo iudicio soli reprobi „ feriuntur; & soli electi servantur: „ isto autem medio nec soli electi con„ servantur, nec soli reprobi suffocan„ tur: credendum quippè est, aliquos „ hoc Diluvio non perijsse, quorum eo„ dem periculo mortis peccatum de„ litum sit, iuxta quod scriptum est: „ Non vindicabit Deus bis in id ipsum. Tertiò ex Torniello Anno 1557. num. 21. dicente: „ Non est tamen impro„ babile, quod (Noe) plurimum profe„ cerit in animarum salute promoven„ da, quandoquidem multi eorum, „ qui prius increduli fuerant postea, „ inchoante Diluvio, & vallibus iam re„ pletis, credidisse, ac pœnituisse, at„ que crescentibus aquis post mortem „ in locum salutis concessisse, nimirum „ in Limbo Sanctorum Patrum sine er„ rore (vt arbitror) cum Lirano, & alijs „ admitti posse videtur. Sed dum adest gravis auctoritas Patrum, & Doctorum pro salute potius, quam pro perditione aliquorum, ipsi standum esse videtur: ergo aliqui eorum, qui mersi sunt Diluvio salutem æternam sunt consecuti. Minor explicatur sic. Quoties trahitur in controversiam perditio æterna alicuius, vel quorumdam hominum, ipsa humana ratio dictare videtur, vt si probabilia fundamenta non desint; potius sententia inclinet, atque tueatur

partes ſalutis, quàm perditionis. Sed in queſtione præſenti, datur fundamentum ex SS. PP. & AA. vt poſsimus defendere in Diluvio non contigiſſe perdictionem æternam vniverſorum, vt conſtat ex D. Hieronymo, Chryſoſtomo, Auguſtino, Hilario, Ambroſio, Epiphanio, Ruperto, & varijs AA. quorum loca data ſunt, referendo ſententias: ergo videtur potius eligenda ſententia aſſerens: non omnes pereuntes in Diluvio fuiſſe damnatos. Confirmatur: Deus ita providiſſe credendus eſt, vt fructuoſior evaderet prædicatio Noe, quàm Ionæ; ſed ad prædicationem Ionæ pœnituerunt Niniviræ: ergo & plures in prædicatione Noe; licèt reſpectu perituroruin fuiſſent pauci. Maior conſtat: tum ex parte concionatoris, qui erat Noe electus vt iuſtus; Ionas autem reſtitit Deo: tum ex parte audientium: erat enim non ſolum Ninive, ſed totus orbis terrarum: tum ex parte ſolemnioris aſſumpti, in quo veluti myſticè figurabatur, & ſacrum baptiſma, & Eccleſia; non videbatur defuturum veſtigium divinæ miſericordiæ, quoad ritam pœnitentiam, quæ tantopere viget in Eccleſia Catholica erga peccatores.

20 Objcitur primò immediatè: Eatenus aliqui pereuntium tali Diluvio ſalvi facti fuiſſent, quatenus id ſuaderet infinita miſericordia Dei; ſed hoc fundamentum non eſt efficax: ergo nullum datur. Probatur minor: miſericordia Dei non prævalet in miſerendo, quoties ex parte hominum implent menſuram ſuæ vindictæ: ſed ita accidit in eo caſu: ergo tale fundamentum non eſt efficax. Probatur minor: malitia humana eo devenit, vt Deum cogeret eo modo, quo dici poteſt: tum ad pœnitendum de creatione hominis: tum ad ſumendam ſtatim vindictam de ipſius iniquitate: ergo delicta talia, ac tanta fuerunt, vt impleverint menſuram ſuæ vindictæ. Conſequentia patet, & antecedens conſtat ex illis verbis: *Pœnitet me feciſſe eum. Delebo inquit hominem, quem creavi à facie terræ.* Reſpondeo negando minorem, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: non prævalet in *miſerendo omninò*; id eſt in parcendo, vel abſtinendo à vindicta, concedo maiorem; non prævalet in puniendo *miſericorditer*, ſub diſtinguo: cum contritis, & reſipiſcentibus, nego maiorem; cum obſtinatis, tranſeat maior (poteſt enim negari, cum Deus puniat citra condignum) & diſtinguo minorem: ita accidit in noſtro caſu in ſenſu explicato, concedo minorem; aliter nego minorem, & conſequentiam: dupliciter enim poteſt excerceri divina miſericordia cum peccatore: vel omninò parcendo quoad culpam, & pœnam; vel remittendo culpam, & partem pœnæ præcipuam; licèt non omnem, vt hic: vel remittendo particulam pœnæ ad oſtendendum affectum miſerendi cum cognitione noſtræ infirmitatis. Igitur quamvis in damnatione Diluvij reſpectu nullius prævaluit miſericordia primo modo; prævaluit tamen ſecundo modo reſpectu illorum, qui opportunè reſipuerunt, quibus & remiſsit culpam, & ſubſtulit pœnam æternam, licèt temporalem reliquiſſet; reſpectu verò obſtinatè morientium miſericordia etſi prævalere non poſsit; poteſt tamen monſtrari, Deo illos in inferno puniente citra condignum. Replicabis: in occaſione, quæ tota eſt iuſtitiæ detrahitur huic attributo, ſi miſcetur miſericordia: quia vnumquodque attributum debet habere ſuam ſphæram, quam aliquando ſe ſolo percurrat: ergo Deus nec miſertus eſt aliquorum in illa occaſione per auxilia gratiæ; nec per conceſsionem gloriæ. Reſpondeo negando aſſumptum: ad cuius probationem dico, attributa divina licèt ſpeculativè ſint præciſa formaliter inter ſe; neutrumque ingrediatur ſphæram alterius; nihilominus in operando

ad

ad extra alia cum alijs ſibi communicant, & permiſcentur. V. gr. in operibus Omnipotentiæ relucet ſapientia; in operibus liberalitatis relucet providentia, & loquendo de Deo, vt iudice, in operibus iuſtitiæ ſemper divina debet relucere miſericordia.

21 Obijcitur ſecundò: Si ex hoc fundamento liceret ſic opinari, poſſemus etiam opinari in Gloria eſſe aliquos de Sodomitis igne de Cœlo conſumptis; aliquos de Ægyptijs in mare demerſis, & de illis, quos cum Datam, & Abiron terra vivos abſorbuit; ſed hæc videntur dici non poſſe: ergo nec primum. Maior probatur ab identitate rationis, ſcilicèt tremoris, contritioniſque conceptæ cum ſtrages iam iam ad oculum graſſabatur. Reſpondeo primò, negando maiorem, & probationem: quippè non eſt modus comparationis inter vtraſque ruinas, & punitiones in ordine ad diſcurrendum iuxta miſericordiam Dei: quia vnam provinciam, vnumvè exercitum, atque vnam peccatorum colligationem ſimul deleri vno ſupplicio, atque in æternum damnari, eſt quid diverſiſsimum, diſtatque ſine modo comparationis à ſupplicio, quo vniverſum genus humanum tunc temporis exiſtens ſupra faciem terræ deleatur ſimul, & æternis cruciatibus mancipetur: primum enim non videtur derogare infinitæ miſericordiæ: ſiquidem permittit ſimul illam pluribus ex partibus cum hominibus exerceri; ſecundum vero cum penè totum genus humanum perdat, nullibi relinquere videtur locum miſericordiæ. Non ergo inſtrui poteſt iuſta paritas inter caſus tam ſine comparatione diſtantes. Verum ſi rigorem ſequelæ velis admittam, reſpondeo ſecundò cum Div. Hieronym. negando abſurditatem minoris, dicendoque non eſſe abſurdum ſi de Sodomitis, & Ægyptijs in mare merſis aliqui ſalvi facti fuiſſent. Audi eius verba in caput primum Nahum:

„ Si vobis videtur crudelis, rigidus, & „ cruentus, quod in Diluvio genus de- „ levit humanum; ſuper Sodomam, & „ Gomorrham ignem, & ſulphur pluit; „ Ægyptios demerſit fluctibus; Iſrae- „ litarum cadavera proſtravit in eremo; „ ſcitote, eum ideò ad præſens reddi- „ diſſe ſupplicia, ne in æternum puni- „ ret. Certè aut vera ſunt quæ Pro- „ phetæ loquuntur; aut falſa? Si vera „ ſunt, quæ de ſeveritate eius viden- „ tur dicere, ipſi dicunt: & falſum eſt „ hoc quod dicitur: *Non conſurget du-* „ *plex tribulatio*: falſa eſt ergo crudeli- „ tas, quæ in lege deſcripta eſt. Quod „ ſi verùm eſt vt negare non potuerunt „ dicente Propheta: *Non iudicabit Do-* „ *minus, &c.* ergo qui puniti ſunt, po- „ ſteà non punientur; ſi autem illi po- „ ſteà punientur Scriptura mentitur, „ quod dicere nefas eſt. Receperunt „ ergo, & qui in Diluvio perierunt, „ & Sodomitæ, & Ægyptij, & Iſrae- „ litæ in ſolitudine mala ſua in vita „ ſua. Ex quibus patet abſurdum ponderatum omninò enervari.

22 Obijcitur tertiò cum replica: Eatenùs aliqui de Diluvio pereuntibus ſalvi facti fuiſſent, quatenus illa verba Nahum capit. 1. verſic. 9. *Non conſurget duplex tribulatio, ſivè non iudicabit Dominus bis in id ipſum in tribulatione* deberent intelligi de eo, quod Deus non punit in æternum eos, quos punit in hàc vità; ſed hæc interpretatio neque litteralis eſt, neque tuta: ergo fundamentum eius eſt nullum. Minor probatur ex Patre Cornelio, & Pereira loco citato, qui tum ex verſionibus, tum ex interpretibus oſtendunt ſenſum eſſe *Deum non indigere tribulatione ſecunda, vt veniat ad conſummationem*: tum quia dicunt, Hieronymum in verbis ſuperioribus tropologicè fuiſſe loquutum: tum denique: quia Hæretici illum locum ſic intellectum depravant, aientes, poſt ſatisfactionem Chriſti non debere nos ſatisfacere pro peccatis: *Ne bis Deus in-*

dicet in id ipſum. Reſpondeo permiſſa maiori, negando minorem cum probationibus, & conſequentiam. Dico ergo quòd, licet illa interpretatio allegata, ſit litteralis, & ex mente Prophetæ; non tollitur quominus etiam interpretatio noſtra, quæ eſt Hieronymi, & Remigij ſit etiam litteralis ab Spiritu Sancto præintenta, & cum tali vocum ſignificatione immediata congruens mirificè, iuxta doctrinam videlicet ex Auguſtino ſupra præiactam. Deinde non eſt ſiniſtra, quia ab Hæreticis depravetur: itaque intelligi debet vel cum Cornelio, ſcilicèt quod *Deus non punit bis in eodem rerum ordine; licèt bis puniat in diverſo*, vel intelligi de punitione vniverſali à Deo, vt iudice proveniente: quia ſcilicèt culpam ſic in omnium oculis vindicatam alij iudicio non reſervet denuò plectendam; vel quia punita offenſa, remanet obſtinatio, & impœnitentia ipſius, vt nova culpa cum reatu ad novam pœnam: vnde iam ſecunda punitio ſit pro nova culpa. Tandemque videatur vlterius Hieronymus, qui de hac ſententia latiùs philoſophatur, vt poteſt videri apud Cornelium.

23 Objcitur quartò ex Pereira: in quæſtione de facto præſertim altiſſimo, & ſecretiſſimo, cuiuſmodi eſt divina prædeſtinatio, temerè procedit quiſquis affirmat, rem eſſe ſine teſtimonio Scripturæ, vel nobilium Doctorum auctoritate, aut rationibus firmis; ſed noſtra ſententia ſic ſe habet: ergo eſt temeraria. Maior videtur certa: quia in quæſtionibus de facto non ſufficit ad probationem, rem fieri potuiſſe: multa enim fieri poſſunt, quæ nunquam facta ſunt; & multa quæ facta ſunt, quomodo fieri potuerint oſtendi non poteſt. Probo minorem: quia nos non nitimur alicui textui Scripturæ ad id inferendum: non enim diſputamus de illo textu primo Petri tertio: neque de illo Nahum 1. verſic. 9. de quibus Doctores depromunt concluſionem huiuſmodi; ſed præter hos textus, & Authores ipſis innixos debilis, & ſola remanet pia argumentatio de miſericordia Dei, quæ multis reſponderi poteſt: ergo non datur fundamentum. Confirmatur primò ex verbis Pereiræ loco ſupra citato, num. 55. ſic aientis: „ Sci„ te, dixit Ariſtoteles, indecorum eſſe „ Philoſopho quicquam in Philoſophia „ ſine ratione oppinari, nedum affirma„ re. Et ego indignum eſſe Theologo, „ & gravi Sacrarum litterarum tracta„ tori dixerim, opiniones, quæ nihil „ per ſe habent probabilitatis adama„ re, & ſuo patrocinio defendendas „ ſuſcipere. Sed opinio illa, quæ Doctori tam claſico videtur parum probabilis ſuſtinenda non eſt: ergo, &c. Confirm. 2. ex Beda lib. 2. de Elem. aiente. Nihil miſerius eſſe quam dicere iſtud eſt: quia Deus id facere potuit: neque oſtendere rationem quare hoc ſic: ergo concluſio non tenet.

24 Reſpondeo diſtinguendo maiorem: ſine teſtimonio Scripturę *loquente in ſpecie ad caſum*, nego maiorem; ſine Scriptura, Patribus, & rationibus militantibus pro articulo, & principijs generalioribus, vnde caſus ille deſcendat, concedo maiorem, & diſtinguo minorem; vel nego illam cum conſequentia: quippè tàm in genere, quàm in ſpecie militant pro nobis Scriptura, Doctores, & ratio. Primò in ſpecie: quia licèt in illis textibus Divi Petri, & Prophetæ Nahum alium ſenſum litteralem non inficiemur; nihilominus ſuſtinemus retineri poſſe alium ſenſum litteralem, ſub quo plures Patres noſtræ aſſertioni ſuffragantur; licèt difficultates de tali interpretatione manantes ex profeſſo non ventilemus: ſufficit enim nobis, vt plures habeamus Patronos, quòd ſententia eorum ſit vna nobiſcum, & rationes, ſeu argumenta, quibus moventur admittentes, nec diſputantes aliam rationem, & viam minus lubricam pro-

mo-

movemus. Quę quidem eſt illa ratio probativa noſtræ concluſionis ſatis in ſpecie ad noſtrum caſum contracta, & Theologia Scholaſtica bene ſufulta.

25 In genere autem habemus Scripturas, & Patres eo nimirum tenore, quo miſericordiam Dei ſuper exaltant: neque enim pro quolibet ſingulari eventu, & ſingulari propoſitione debet adeſſe expreſſum teſtimonium Scripturæ; alioqui Sacra volumina mundus non caperet, ſed ex præiactis vniverſaliſsimis veritatibus fulcrum deſumitur pro ſingularibus aſſerendis: habet enim etiam Sacra Scriptura ſuos proceſſus ſcientificos, quibus ex vniverſalibus ad ſingularia proceditur. Sic non datur textus de eo quod Petrus in tali caſu, v. gr. habuit auxilium ſufficiens; & nihilominus id ex alijs textibus generalioribus Theologi argumentantur. Sic in Moralibus ex principijs generalibus reſolvendi ſunt particulares illi caſus, qui nuſquam reperiuntur apud Authores: ſic demum in Medicis, Iuridicis, &c. ergo de primò ad vltimum ſatis datur fundamenti ad noſtram concluſionem ſuſtinendam. Ad confirmationem reſpondeo negando minorem cum alijs verbis Pereiræ, qui lib. 7. in Geneſ. quæſt. 7. veritus ſententiæ ſuæ novitatem ſubiungit: *Et quidem probabilitatem huius opinionis cum cura, & diligentia tractare volui, non ſtudio aliquo novitatis, nec ad oſtentationem ingenij; ſed flagrantiſſimo amore, inveſtigandæ, reperiendæque veritatis.* Et lib. 3. quæſt. 5. agens de opinione Paradiſi multifariam ſe protegit ex Vincentio Lirinenſi, Auguſt. &c. ne videatur temerè opinari contra conſenſum Doctorum, eo quod res ſalva fide vtrimque agitari queat. Qui ergo ſatis ſibi fidit de ſententia, quæ torrenti Doctorum adverſatur, cur hic vult probabilitatem adimere opinioni illi, quam pietas ſuggerit, quam Authores nobiles tuentur, & quam nullum efficax argumentum evertit. Ex quo patet ad Bedam. Hæc quæſtio à tyronibus ſolum cum ſecundo articulo defenſabitur, ſumendo de primo ſententias: quia magis operoſum erit, ijs, qui in Biblicis non ſunt benè verſati in propoſitiones primi articuli verè difficiles, & inlatas probationes ſecundi ſenſus litteralis eiuſdem textus ſe immergere.

***

JHS.

QUÆSTIO NONA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ARCUM MEUM PONAM IN NUBIBUS, Geneſ. 9. verſ. 12.

ARTICULUS

AN IRIS ANTE DILUVIUM APPARUERIT?

NOTABILIA.

1 SUPPONO. Hunc Arcum Cœleſtem, de quo diſputamus, eſſe Iridem: Arcus enim hiſtoricè intelligendus eſt, & non figuratè, ac Methaphoricè, prout intellexit D. Ambroſius, qui in hac re à communi PP. & interpretum diſidet: qua propter, etſi reverenter, deſerendus eſt in hoc puncto, quod ad litteram diſputamus. Hanc noſtram ſuppoſitionem præter concors placitum interpretum, & Sanctorum firmat ſacer textus, qui ſemel, & iterum, cap. 9. Geneſ. de Arcu nubium loquitur; v. gr. *Apparebit Arcus meus in nubibus.* Item, *eritquè Arcus meus in nubibus.* Quas loquutiones quiſquam profectò non niſi violentà intelligentià ad Arcum Methaphoricum detorquebit, & relinquet Iridem, quæ paſsim de nubibus efformatur.

2 Duplex in hac quæſtione verſatur ſententia, prima negativa aſſerens, nunquam ante Diluvium apparuiſſe: quæ quidem ſententia finditur vlterius in duas, quarum altera aſſerit fuiſſe quidem pluvias ante Diluvium; ſed non Iridem: quam ſuſtinent aliqui, quos ſupreſſo nomine refert Abulenſis in Geneſ. cap. 9. Altera verò ſuſtinet nec pluvias, nec Iridem ante Diluvium extitiſſe, quam ſuſtinet Gloſ. Ordinaria, & Alcuinus interrogatione 135. in Geneſ. & pro vtràque poteſt citari D. Chryſoſtomus homil. 18. in Geneſ. eò, quòd Iridem miraculum appellet. Secunda ſententia eſt affirmativa, quæ defendit Iridem ante Diluvium ſæpè apparuiſſe: quam defendunt in hunc locum, Nicolaus de Lyra, Abulenſis, Bonfrerius, Cornelius, Pererius, Valleſius de Sacra Philoſophia, cap. 9. & plures alij, cum quibus, & Monterde lib. 2. in Geneſ. quæſt. 1. art. vnic.

3 Sit noſtra concluſio affirmativa, inquiens, talem Iridem ante Diluvium ſæpè apparuiſſe; quam ſic pro-

bo

bo hac ratione fundamentali. Iris est quidam effectus naturalis resultans ex nubibus pluviosis, & Solis repercusione: vt constat ex Plinio lib. 2. cap. 59. & ex Arist. lib. 3. Meteorum. Sed effectus huiusmodi naturalis non fuit impeditus toto tempore ante Diluvium: ergo sæpè apparuit. Probo minorem. Incredibile est, defeciſſe pluvias toto tempore ante Diluvium. Sed rursus datis pluvijs talis Arcus impediri non poterat: ergo toto tempore ante Diluvium non fuit impeditus. Minor constat, quia non est fundamentum ad asserendum, semel posito apparatu nubium, & pluvia, interposuisse Deum aliquod miraculum ad impediendam Iridem statim naturaliter sequuturam. Probo minorem. Si per tot annos, & sæcula defeciſſent pluviæ, arefacta fuisset vniversa terra, plantæquè, Bruta, & homines fuiſſent ariditate consumpti: videmus enim minores siccitates quantum afferant nocumenti regionibus, in quibus contingunt: ergo incredibile est defeciſſe pluvias toto tempore ante Diluvium.

4 Objcitur primò, cum replica. Pluviæ non fuerunt ante Diluvium: ergo nec Iris. Probo antecedens. Ex cap. 2. Genes. ex illis verbis: *Non enim Deus pluerat super terram ::: Fons ascendebat de terra, irrigans vniversam terram.* Ex quibus verbis sic arguo: In historia sacra ante Diluvium refertur defectus pluviæ, & refertur commoda irrigatio terræ, per fontem: sed nullum est fundamentum, ne ita fuerit toto tempore ab exordio mundi ante Diluvium: ergo, &c. Probo minorem. Nam fundamentum vnicum erat terræ ariditas ex defectu pluviarum: ergo si, semel deficiente pluvia, terra vniversa per fontem ascendentem irrigabatur; nullum est fundamentum, quod suadeat pluvias ante Diluvium. Ad argumentum: Respondeo, nego antecedens, ad cuius probationem distinguo maiorem, de exordio, & infantia mundi, concedo maiorem, indefinitè, nego maiorem, & minorem, cum probatione. Verum enim est, quod argumentum ad sustinendum fuisse pluvias ante Diluvium sumitur ex indigentia irrigationis terræ, quæ statis temporibus facienda erat, vt terra germinaret; sed hæc irrigatio non aliter futura erat, quàm medio naturæ cursu, quem Deus disposuit, & ex indè cœpit; nimirum, quatenùs sol per gyrum traheret vapores à terra, qui in media regione suspensi nubes formarent, & pluvias: Itaquè fundamentum nostrum est indigentia irrigationis ordine naturæ faciendæ. Irrigatio verò illa facta per fontem ascendentem terra pertinuit ad mirabilia opera creationis; & fuit solùm pro exordio, vt videlicèt terra germinaret herbas, *quando nec dabatur homo, qui operaretur terram, nec Deus pluerat super terram:* Imò crediderim idem esse, dixisse Moysem *non enim pluerat super terram* in illis primis articulis vniversi, ac testari pluvias ordinarias, completo mundi opificio, fuisse postmodùm subsequutas.

5 Objcitur secundò: Iris est signum non futuri Diluvij: ergo non apparuit ante Diluvium: Antecedens constat ex cap. 9. Genes. vbi Deus paciscitur cum Noe vlteriùs terram non delere Diluvio, & in huius fœderis signum ostentat Arcum. Probo consequentiam. Si apparuisset ante Diluvium; posteà esset signum fallax non futuri Diluvij: ergo si est signum non futuri Diluvij, ante non apparuisset. Probo antecedens. Quod apparet ante Diluvium velut signum non futuri Diluvij; & nihilominus trahit post se Diluvium; posteà semper erit signum infidele de non futuro Diluvio: ergo, &c. Respondeo primò, distinguo antecedens. Est signum non futuri Dilu-

vij mediatè, & arguitivè, concedo antecedens : formaliter, & immediatè, nego antecedens, & conſequentiam. Itaquè opportet aptè diſcernere, quomodò ſit ſignum Diluvij non futuri: non enim ita eſt formaliter, & immediatè: quippè Deus non dedit Arcum in ſignum non futuri Diluvij, ſed in ſignum fœderis facti cum Noe de non delenda terra Diluvio, quarè immediatè eſt ſignum fœderis, & mediatè ſignum Diluvij. Vt autem hæc, in quibus lego AA. valdè confuſos, enucleatiùs explicem, aio cum Abulenſi, talem Arcum fuiſſe ſignum fœderis omninò ad placitum, & fuiſſe ſignum naturale, largiter loquendo, reſpectu ſui ſignificati mediati, ſcilicèt, carentiæ futuri Diluvij. Ratio primi eſt; quia ex puro placito Dei pendet ex tunc, quod tale fœdus per tale ſignum nobis ſignificetur: & deinde eſt ſignum memorativum, quatenus nihil innuit præſens, neque immediatè ſignificat quid futurum, ſed quid præteritum, ſcilicèt, fœdus, cuius recordationem vult excitare in hominibus, vt per tale ſignum veniant in memoriam ſecuritatis, & cuius recordationem (methaphoricam tamen) promittit Deus cum Arcum viderit. Ratio ſecundi eſt: Quia ſignum *largiter naturale* eſt, & vocari poteſt, id, quod, attenta natura, quandam analogiam habet cum ſignificato, licèt non habeat phyſicam connexionem, ſicut fumus cum igne; quis autem dubitet Arcum genitum intra pluvioſas nubes, & ſæpèſæpius apparentem cum finitione pluviarum, habere naturalem quandam analogiam cum non futuritione vlterioris Diluvij, quam tunc Deus volebat hominibus pollicèri? Imò ediſſere mihi, quo aptiori ſigno, & quaſi proximiori, ordine naturæ, ad rem ſignificatam, tunc Deus vti potuiſſet, quam illo Arcu, non minus memorato, quam memorabili? Vndè Cornelius inquit: „ Appoſitè hoc ſignum non futuri Diluvij fuiſſe Iri„dem, poniquè in nubibus: quia ex „nubibus aquæ Diluvij delapſæ fue„rant, & ex ijs rurſus metui poſſet Di„luvium. Solet enim Deus in ſignis, quæ ad ſuum placitum inſtituit, proportionem, quandam ſervare cum rebus ſignificatis; v. gr. poſuit ſignum circunciſionis in pręputio ad ſignificandam multiplicationem ſeminis Abrahæ, & in Sacramentis ſignum mundificationis, in aqua, quæ lavat, & ſignum confortationis in oleo, & Balſamo proprijs ad confortandum, &c. Vndè idem ſignum quòd eſt ad placitum divinum, quodammodò dici poteſt etiam ſignum naturale, naturalitate, videlicèt, non riguroſa, & Scholaſtica, quatenus à natura ſit inſtitutum ad id ſignificandum; ſed naturalitate analogica, & proportionali, quatenus à natura talis res ſortita fuit talem proportionem, & propinquitatem cum re ſignificata propter quam placitum humanum eam inſtituit. Et hoc modo Arcus, qui ſignum naturale eſt nubium roridarum, dici poteſt ſignum ad placitum fœderis, & non futuri Diluvij, & ſimul ſignum naturale vtriuſque propter proximitatem inter ſignum, & ſignificatum, à natura donatam.

6 Reſpondeo ſecundò: Diſt. ant. Eſt ſignum naturale non futuri Diluvij tempore proximo, permitto antecedens: ſignum naturale nunquam futuri Diluvij, nego antecedens, & conſequentiam. Ad probationem diſtinguo conſequens. Si eſt ſignum naturale Diluvij nunquam omninò futuri, concedo conſequentiam: ſi eſt ſignum naturale Diluvij non futuri tempore proximo, nego conſequentiam. Itaquè dato, quod ſit Iris ſignum naturale riguroſum, & Scholaſticum non futuri Diluvij, cuiuſmodi eſſe dixerunt Hebræus apud Toſtatum, & Cornelius hoc loco, ſolùm admittimus eſſe ſignum natu-

ra

turale *non futuri* Diluvij, restrictè quoad proximum locum, vel proximum tempus: quippè, vt explicant hi AA. dum ponitur Arcus in nubibus, non habent nubes apparatum ad elluviones aquarum: negamus tamen esse signum naturale de non futuro Diluvio absolutè, & omninò, & de Diluvio vniversali: quia dicimus, talem Arcum multoties naturaliter apparuisse, & posteà nihilominus contigisse Diluvium vniversale. Iris ergo, quæ à natura habet significare defectum Diluvij in proximo loco, & proximo tempore, post actum Diluvium, assumpta fuit à Deo, tum ex proportione signi, tum ex placito Dei, vt significaret deinceps vniversam terram nullo vlteriori Diluvio fore delendam: & sic benè intelliguntur Cornelius, & Bonfrerius dicentes, talem Arcum fuisse signum naturale non futuri Diluvij antè ipsum Diluvium vniversale, postmodum verò fuisse signum supernaturale, quasi sic res tota explicetur: „ Iris à natura „ significat exclusionem Diluvij quoad „ determinatum locum, & tempus; post „ Diluvium autem vniversale hæc ea- „ dem Iris ex beneplacito Dei superin- „ duit ex infallibilitate divini fœderis „ maiorem amplitudinem, vt non solùm „ significet defectum Diluvij quoad „ determinatum locum, & tempus, sed „ omninò vniversaliter non futurum: „ Itaquè talis Iris naturaliter significat „ primum, & ad placitum significat „ secundum, quin vel in primo, vel in „ secundo sit signum fallax: In primo „ propter connexionem naturalem: In „ secundo autem propter promissio- „ nem Dei fidelissimam, & infallibilem. Nunquam autem Iris potuit esse signum naturale rigorosum, & Scholasticum, hoc est à natura institutum, & physicè connexum cum re significata, sivè de futuro aliquando Diluvio vniversalissimo, sivè de nunquam omninò futuro tali Diluvio, quia tàm Diluvium vniversale præteritum, quam securitas de alio simili non futuro, superant omnes vires naturæ, & sicut miraculosè Diluvium contigit, sic per fidem solùm constat non reversurum. Connexio autem physica nequè se extendit ad miracula, nequè se extendit ad finem. Sed nihilominus licèt admitteretur, Iridem antè Diluvium fuisse signum vniversale rigorosum de non venturo Diluvio vniversali, eo quòd quandò re ipsa venit, venit miraculosè, & confringendo leges naturæ, dici potest cum Authore Doctissimo talem Iridem post Diluvium sumi potuisse à Deo in signum non futuri vlterioris Diluvij.

7 Pro qua cogitatione accipe verba Francisci Vallesij cap. 9. de Sacra Philosophia, quippè quæ cuncta, quæ superius diximus illustrabunt. „ Ego „ verò inquit, non ita censeo; sed „ apparuisse etiam sæpè ante Dilu- „ vium (nequè enim deerat vlla na- „ turalium causarum eius, cum essent „ solares radij, & oppositæ nubes) „ Deum verò, cum iniret fœdus cum „ Noè, & eius posteris, ac paciscere- „ tur, non futurum iterum vnquam „ Diluvium, quo inundaretur tota ter- „ ra, iussisse, Iridem signum esse: Eam „ verò designasse potius, quàm aliud „ quidpiam eorum omnium, quæ in „ nubium regione apparent, vocan- „ turquè meteora; quia ea, scilicèt, „ Iris mittescentium imbrium nota est „ nequè verò quia ipsa per sese, aut „ naturà suà talis erat, non erat apta „ vt signum talis fœderis statueretur „ à Deo, quinimò hac ratione potiùs „ fuit statuenda. Cum enim Deus Au- „ thor ipsius naturæ sit, atquè adeò ea „ tota fluxerit ab eius voluntate, at- „ que ea virtus, quam vocamus natu- „ ram, sit in rebus corporalibus quod- „ dam velut vestigium divinitatis: ni- „ hil magis consentaneum, quàm vt „ vtatur Deus ad faciendum, aut sig- „ nificandum aliquid naturalibus re- „ bus,

„bus, atque hæ cum eius voluntate, „& præceptis consonent. Ipse enim à „principio futura omnia prævidens „suo verbo totam condidit naturam: „quid ergo mirum, si naturalia sem„per eius ductu decurrentia quo ab „illo principio dirigebantur, in illius „præcepta, & iussiones semper inci„dant? Atqui hic est plerumquè sua„visimus, & ordinatissimus divina„rum iussionum concentus; tametsi „aliquando, vt evidentiùs hominibus „suam divinitatem ostendat, præter „earum naturam aliquid imperet re„bus. Nunc verò iuxta illius naturam „iussisse, vt ipsis signum esset mundi „nunquam amplius imbribus delen„di, ex eius naturalibus causis erit „apertissimum.... Fit ergo Iris ab „adverso sole mittente radios in nu„bem non densam, significat ergo „naturaliter, quod & iussu Dei, im„brem nequaquam obruturum mun„dum: quomodo enim possit, cum ne„què Cœlum totum obductum nu„bibus sit, neque quæ *adsunt sint valdè densæ*. Hucusque Vallesius, qui altè, vt reor, in hoc puncto Philosophatus est, & quidem cum luce non modica, vt ea, quæ à nobis dicta sunt hactenus collustraret. De quibus omnibus in hoc argumento præiactis, Colliges primò Iridem, quatenùs nos reddit infallibiliter securos de Diluvio vniversali non reversuro, esse signum ad placitum, quippè ea securitas solum de divino fœdere proficiscitur. Colliges secundò. Posse dici signum naturale, primò largiter, & non Scholasticè, quàtenus signum, & res significata quandam cognationem habent quoad suum esse meteorologicum, & experimentale: verno enim tempore apparet Arcus, dum deficit pluvia. Secundò potest esse signum naturale rigurosum Diluvij non futuri, quoad proximum locum, & tempus propter rationes datas. Tertiò potest esse signum naturale rigorosum Diluvij nunquam venturi; & nihilominus apparuisse ante Diluvium: quia nimirum, quando venit, venit contra ordinem causarum, & quorumcunque naturalium signorum. Demum colliges tertiò. Rem à natura destinatam ad aliquem effectum posse à Deo offerri vt signum talis effectus, quippè in Deo dominium, quo iubet, confors est cum Omnipotentia creante.

8 Obijcitur tertiò. De apparitione Arcus ante Diluvium nulla fit mentio: ergo non fuit: siquidem res tàm memorabilis non videtur prætermittenda. Respondeo ad argumentum, concesso antecedenti, nego consequentiam. Sicut enim argumentum ab authoritate irritum est, quia non valet: *Scriptura Sacra non dicit: ergo non fuit*. Sic ab historia negativè argui non potest: Vndè licèt Moyses non retulerit, inde non resultat probatio; & hoc quidem maximè, cum fœdus Dei, cuius Arcus erat futurum signum, nondum fuisset: vnde non nisi incongruè videbatur præcessura loquutio de Arcu apponendo in signum fœderis, quoadusque de tali fœdere sermo haberetur. Quemadmodum enim de ratione signi est esse pro posteriori ad signatum, vt habent dialecticis, & nuper tradit in suis dialecticis institutionibus, disp. 1. cap. 2. P. Ludovicus de Lossada, Professor Biblicus Salmanticensis, qui Cursum integrum Philosophicum iam iam edit in lucem; ita, vt sermo iuxta naturas rerum sit ordinatus, prius de re, & postmodum de eius effectu, aut signo loquendum est, præsertim in narratione Historica, & de signo, quod supra rem cadit ex divino beneplacito id instituente.

***

QUÆST-

QUÆSTIO DECIMA.

TEXTUS AD ILLA VERBA:

ARPHAXAD GENUIT SALE. GENES. 11. VERS. 12.

ARTICULUS

VTRUM INTER PROGENITORES CHRISTI USQUE ad Adam debeat inter Arphaxad, & Sale alter Cainam interponi?

NOTABILIA.

OCCURRIT nobis iam ille nodus, si quis est alius, in tota Sacra pagina intricatissimus, & verè Tortor Interpretum: quippè in quo enodando desudant multum, & conquiescunt parum. Neque licet (veluti in Gordiano) manum adijcere ad rescindendum, cum Divina authoritas Bibliorum, in quibus nodus est efformatus, rescindi non valeat. Igitur difficultas est circa humanæ gentis progenitores: circa quos Moyses enumerans post Diluvium generationes, retulit, Arphaxad immediatè genuisse Sale, si textui Hebraico, & vulgato Latino credendum sit; aliunde verò versio Interpretum Septuaginta in eodem loco, & insuper D. Lucas Evangelista, cuius authoritas Divina, & Canonica tàm irrefragabilis est, interponunt inter Arphaxad, & Sale Cainam alterum distinctum ab illo, cuius in cap. 5. Geneseos fit commemoratio. Ex quibus non minus, quàm inter Scriptores Canonicos antinomia, & quasi contradictio resultare videtur: vel enim enarratio Divi Lucæ est mendosa, & superflua; vel enarratio Moysis est mutila, & defectuosa, quorum vtrumque est difficile: nam sicut Scriptori Canonico adversatur esse mendacem, ita etiam esse insciam: Spiritus enim Sanctus est infinitè sapiens; sicut & verax. Sed de D. Luca dicere inseruisse mendacium, vel errorem est nephas; de Moyse verò dicere, id, quod sciverit, reticuisse; tolerari plus poterit; sed probari debet.

2 Tanta est difficultas attacta, vt in eà vel primi Doctores succumbere non erubescant, & propriæ menti non fidant: veluti alibi se gessit Hieronymus circa exitum Thare de terra Canaam ingenue fassus, quæstionem ibi agitari solitam, esse insolubilem. Sed quamquam hæc via incedendi sancti-

tate plena eſt, & doctrina : multùm enim ſcire eſt, ſcire quod neſcias ; nihilominus in hoc meo qualicumque opuſculo, rationi non eſt conſentaneum viam ſimilem perſequi : tanti enim Doctores interdum ſic punctum aliquod reveriti prætermittunt ; quàtenus plenos alios tractatus novis ediſſerant, & ſuà nos vndique doctrinà, & eruditione reſpergant ; nos verò ſi ad pauculas accedendo quæſtiunculas, quæ Tyronibus inſtar præludij deſerviant, mentem promimus ſtudio, & diſcurſibus ieiunantem ; eſto eam teſtati ſimus ſimpliciter reverentem ; non rectam methodum exhibebimus diſcindendi Quæſtiones, ſed hauſtus frigidos, qui non depellant, ſed potius diſcendi maiorem provocabunt ad ſitim.

3 His præmiſsis, duplex in hac difficultate poteſt recenſeri ſententia. Prima affirmativa aſſerens, inter Arphaxad, & Sale interponendam eſſe generationem Cainam. Hanc ſententiam tuentur Lypomanus in Geneſ. 11. Canus lib. 2. de Locis Theologicis cap. 18. Toletus in Lucam cap. 3. Abulenſis in Chronolog. ſuper Euſebium lib. 2. cap. 35. Salian. in Annalib. Anno 1694. Torniellus eodem anno. Baſil. Ponce Q. Expoſit. Mariana. Sà, Delrio, Ulloa, Bonfrerius, Salmeron, & alij plures, quos citat, & ſequitur Cornelius Luc. 3. Secunda ſententia aſſerit, talem generationem eſſe expungendam, proindeque inter relatos Progenitores non debere interponi. Pro hac ſententia citatur Eugubinus, vt minus piè loquutus de Beato Luca de Septuaginta interpretibus. Ianſenius in Concordia cap. 14. Caietanus in Luc. 3. Genebrardus in Chronolog. Pater Cornelius in Geneſis 11. pro qua parte citat etiam plures Luc. 3. ſcilicèt Procopium. Adonem, Philonem, Ioſephum, &c. Et Pereira in Geneſis cap. 11. Naclantus in Medulla Sac. Script. Et pro vtràque quaſi mediatores referri poſſunt Ioannes Lucidus, Naucler, & Hermanus, & Ioannes de Leyba Recentior in Chronologia vniverſali, aientes, Cainam, & Sale non fuiſſe duos homines diſtinctos, ſed vnum binomium ; Lyra verò, & Gloſſa rem componunt dicentes, Cainam non fuiſſe Patrem naturalem, ſed Legalem Sale, & ideò fuiſſe prætermiſſum in Geneſi, & memoratum in Luca. Et hæc de ſententijs.

4 Igitur in hac quæſtione in eam potius venio ſententiam, quæ toto noſtratium agmine roboratur, ita vt nec vnum ex ſocietate viderim, qui diſſentiat. Cornelius enim Luc. 3. ſe retractat de ijs quæ dixerat Geneſ. 11. Hanc igitur ſententiam tenent Euſebius, Sanct. Auguſt. Naciancenus, Sulpitius, Hugo, Dionyſius Carthuſianus, Abulenſis, Lipomanus, Torniellus, Melchior Canus, & ex noſtris Salmeron, Bonfrerius, Mariana, Delrio, Toletus, Salianus, Barradas, atque Cornelius, & noviſsimè per doctus P. Vincent. Maſcarell, Profeſſor Biblicus Salmanticenſis in ſuis diſſertationibus diſſertat. 1. ſect. 8. cum quibus ſentio, & dico, *Cainam vere numerarì debere inter Arphaxad, & Sale*, quod ſic probo primò : Talis Cainam iunior retinendus eſt, ſi id clamat concors pagina tàm novi, quàm veteris Teſtamenti ; ſed ita accidit in præſenti : ergo retineri debet. Probo minorem : in primis expreſsè ponitur in authentica littera novi Teſtamenti, vt conſtat ex capite 3. Divi Lucæ ; ſed deinde conſtat in authentica pagina veteris Teſtamenti : ergo in vtroque conſtat. Maior patet : tum quia ita reperitur in vulgata noſtra, ibi : *Qui fuit Sale, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxad, &c.* quæ à Sacro Sancto Concilio Tridentino pro authentica haberi decernitur ; nullaque eius pars reſpui, vel propulſari : tum quia iuxta Cornelium omnia exemplaria in eo concordant, ſcilicèt

La-

Latina, Syra, Perſica, Ægyptia, Ethiophica, Arabica, & Græca, vno excepto duntaxat: tùm quia Biblia vetuſtiſsima Bibliotecæ Vaticanæ ante octingentos annos manuſcripta à temporibus Caroli Magni, & Alcuini ſic legunt, & tradunt. Probo iam minorem: generatio Cainam interponitur in veteri Teſtamento: tùm Geneſ. cap. 11. tùm Paralipomenon lib. 1. cap. 1. iuxta editionem *SEPTUAGINTA*; ſed hæc haberi debet multum authentica; tùm in ſe, & abſolutè: tùm reſpectivè ad hanc difficultatem enodandam: ergo Sacra pagina vtriuſque Teſtamenti clamat autenticè pro generationeCainam interponenda. Minor quoad primam partem conſtat: tùm ex Origenis teſtimonio apud Euſebium lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 23. aiente: *Id pro vero in Divinis Scripturis habendum eſſe, quod Septuaginta Interpretes tranſtulerunt, cum & Apoſtolicâ id firmatum ſit authoritate, & longo Eccleſiæ vſu comprobatum.* Tùm ex ſimili ſententia plurium Patrum, & Interpretum, ſolicitudineque Matris Eccleſiæ in hac editione imprimenda, & accuratiſsimè caſtiganda; imò, & apud Sinas, accepi à viro fidedigno hanc editionem indulgeri ab Eccleſia loco Vulgatæ, eò quòd in punctis Chronologiæ minus ab eorum Hiſtoria Vetuſtiſsima diſſentire videatur: propterèaque Sinenſes per hanc viam faciliùs adducantur ad fidem. Quoad ſecundam partem probatur ſic: quoties ad retinendum aliquem textum expreſſum in Novo Teſtamento non poteſt haberi ſuffragium; ſed potiùs reſultat difficultas ex Vulgata latina in veteri Teſtamento, recurri debet ad fontes illos, de quibus eliciatur; concordia, & totius Sacræ Scripturæ conſonantia retineatur; ſed hæc conſonantia relucet in Septuaginta Interpretibus; non verò in fontibus Hebraicis: ergo ad Græcos fontes Septuaginta, quaſi ad originalia in hac re magis authentica debemus recurrere. Maior conſtat ex ſententia Salmeronis vnius ex T. T. Tridentini Concilij, qui Prolegomeno 3. loquens de authoritate donata noſtræ Vulgatæ per Concilium Tridentinum, ſic proſequitur: „ Nihil ibi de Exemplaribus Græcis, aut Hebraicis agebatur: tantùm inter tot editiones latinas, quot noſtra ſæcula parturierant, quænam ex illis præſtaret, ſermo erat; & reiectis reliquis latinis vnam hanc Vulgatam tanquam veriorem, puriorem, dilucidiorem, & ſuis fontibus, vndè eſt orta, magis conſentaneam pronuntiavit. Liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas Sacras profundiùs meditantur, fontes Græcos, atque Hebræos, quatenùs opus ſit conſulere, quo noſtra vitio Librariorum, aut temporum iniuria corruptam, emmendare valeant; non tamen vt eam tanquam falsò interpretatam præſertim in rebus ad fidem; vel bonos mores ſpectantibus, aut errorem intolerabilem continentem condemnent, vt Hæretici frequenter impudentiſsimè faciunt. Et idem ſequuntur Bellarminus, Driedo, Vega, Serarius, Sixtus Senenſis, & alij: ergo ad diluci-dandum aliquem locum, vel componendam difficultatem, quæ in Vulgata non complanetur; ad fontes Græcos, ſi ipſi faveant, licèt adire, & opportebit recurrere. Minor quoad primam partem eſt evidens, & quoad ſecundam ſatis eſt nota omnibus, qui probè ſciunt Vulgatam noſtram ab originali Hebraico eſſe deſumptam, & cum ipſo concordem.

5 Probatur ſecundò concluſio: in hac parte illa ſententia præferenda eſſe videtur, in qua devoratur minus abſurdi, & planior fit expeditio difficultatis, quæ tantoperè torquet Interpretes; ſed ita ſe habet ſententia retinens generationem Cainam expreſſam à Di-

vo

vo Luca: ergo præferri debet. Maior videtur continere ſanum, atque legitimum Canonem interpretandi Scripturas. Minor probatur: nam ex ſententia expungente Cainam propter ſilentium Vulgatæ ſequitur, talem generationem erroneè inſertam fuiſſe in penè omnia exemplaria Divi Lucæ; ex ſententia verò noſtra ſolum ſequitur, talem generationem fuiſſe à Moyſe prætermiſſam; ſed ex ipſis terminis conſtat, ponere aliquem errorem in Evangelio plus habere abſurdi, & viam evadendi magis periculoſam, imò erroneam; quam dicere Moyſem omiſiſſe: ergo, &c. Minor, licèt clara ſit, magis elucidatur cum verbis tum Cornelij aientis ſic: „ Quare religio mihi eſt à „ Sacro Sancti Lucæ textu adeò con„ ſtanti, & certo non recedere: hanc „ enim reverentiam Sancto Lucæ, & „ Sacris libris debere me exiſtimo; præ„ ſertim cum minus incommodi ſit di„ cere Cainam à Moyſe præteritum ob „ cauſas nobis incognitas; quam in „ Lucam irrepſiſſe, aut falsò poni in Sa„ cro Sancti Lucæ textu; itaque in eo „ ſuſpectam facere fidem omnium exem„ plarium. Tum Toleti aientis: „ Cre„ dere enim debemus Evangeliſtæ id „ affirmanti, minuſque periculum eſt „ dicere exemplaria Hebraica ea in „ parte non haberi perfecta, quam „ aſſerere in Evangelio errorem, ſeu „ mendacium, vel minimum reperiri. URGETUR primò: inter argumenta ab authoritate authoritas poſitiva prævalet negativæ, vt in hac re argumentatur Salianus in Epitome Annalium; ſed authoritas Divi Lucæ eſt poſitiva, & authoritas Moyſis negativa: ergo potius ſtandum eſt D. Lucæ. URGETUR ſecundò: quia non fuit error in Septuaginta: quippè tam ſigillatim non poſſuiſſent annos vitæ, & generationis Cainam, niſi in Hebræo legiſſent: ergo nec in Divo Luca eſt error, ſed veritas. URGETUR tertiò: quia tractus ſæculorum deſerviunt ad proferendum vetera, quæ latebant: ergo cum Moyſes fuiſſet Sacer Scriba vetuſtior, & D. Lucas Recentior, potuit Spiritus Sanctus per Septuaginta Interpretes, & Divum Lucam aperire aliquid, quod eo vſque latuerat, & eo vſquè latere opportuiſſet.

6 Obijcitur primò: Moyſes non ſolùm omittit Cainam, ſed inſuper ait, Arphaxad genuiſſe Sale; ſed hæc non poſſunt eſſe vera, ſi Cainam interponitur: ergo eſt expungendus. Minor patet: quia Cainam interpoſitus genitus fuiſſet ab Arphaxad, & ipſe genuiſſet Sale. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: loquendo de generatione immediata, nego maiorem; mediata, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: non poſſet eſſe vera loquendo de generatione mediata, nego minorem, de immediata, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque quemadmodum in Scripturis ille, qui Avus eſt vocari ſolet Pater Nepotis, vt videre eſt apud Danielem cap. 5. vbi dicitur Nabuchodonoſor Pater Balthaſaris; licèt fuerit eius Avus duntaxat: ſic non eſt mirum dici etiam de Avo generare Nepotem: propterea omnes cognati aſcendentes, v.gr. Petri vocantur Genealogia Petri: quippè omnes retro aſcendentes generationes ſunt quodammodo generationes ipſius, eo quod de omnibus ille ſit proles. Sic etiam Hiſpanice loquendo ſolemus dicere, v. gr. *Mas vale Maria, que tu, y toda tu generacion*, vbi omnes Progenitores, & retro aſcendentes generationes vni cuidam ſurculo appropiari videntur, & convenire. Iuxta hanc doctrinam debet intelligi, Math. 1. quod Ioram genuit Oziam; cum tamen conſtet ex libris Regum interponi debere Ocoziam, Ioam, & Amaſiam: quare in eodem ſenſu ſemper manet vera loquutio Moyſis, & Vulgatæ dicentis, Arphaxad genuiſſe Sale; cum tamen in

re

re fuerint Avus, & Nepos; ſed cum de lumbis Arphaxad Sale verè fuiſſet progenitus, ſalvatur veritas loquutionis.

7 Obijcitur ſecundò: Talis generatio irrepſit in Septuaginta Interpretes: ergo expungenda eſt. Antecedens probatur ex editione Romana Septuaginta Interpretum, vbi in lib. 1. Paralipomenon non recenſetur Cainam: ergo ſi alibi invenitur in Septuaginta, eſt, quia irrepſit. Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem dico ex tali editione Romana, vtpotè imperfecta non poſſe ſumi argumentum: ſiquidem, vt obſervavit Bonfrerius in eo loco, vbi reponendus erat Cainam notatur ad marginem dari quemdam hiatum, vel vacuum quoddam, quod ſignum eſt fuiſſe in exemplari expunctum ab aliquo nomen Cainam, opinante videlicèt eſſe expungendum; ſubiungitque author ipſe, in hoc Romano Codice plura deeſſe: de eſt verò non tantum ille verſus; ſed, & plures alij ſequentes, & antecedentes non pauci: quænam ergo fides huic exemplari poterit adhiberi? Reſpondeo ſecundò. Quod in editione Romana Sixtina *SEPTUAGINTA* accuratiſsimè edita non ſolum recenſetur Cainam Geneſ. 11. ſed licèt 1. Paralip. 1. hæc vox non reperiatur, tamen qui legat notationem ſubſequutam quam Flaminius Nobilius vir peritus Græcè, & Latinè elaboravit; vel non deſiderabit ibi, vel habebit Cainam.

8 Obijcitur tertiò: Si rè vera Cainam interceſsiſſet inter Arphaxad, & Sale, Moyſes hanc generationem non prætermiſiſſet; ſed ipſam prætermiſit: ergo quia talis generatio non fuit. In primis probatur minor, poſteà probando eſt maior: in toto Pentateucho ſcripto à Moſe neque iuxta Vulgatam Latinam authenticam, neque iuxta originalia Hebraica, neque iuxta Paraphraſin Chaldaicam talis generatio reperitur, vt ibidem conſtabit: ergo Moyſes illam prætermiſit. Probatur iam maior: Si talis generatio in re interceſsiſſet, aut Moyſes illam prætermiſiſſet ſciens, & prudens; aut neſcius talis generationis intercurrentis; ſed neutum dici poteſt: ergo neque Moyſem fuiſſe talem generationem prætermiſſurum. Probatur minor: ſi ſciens, & prudens omiſiſſet, fuiſſet Scriptor mutilus, & diminutus; ſi verò neſcius talis generationis fuiſſet Scriptor ignarus; ſed vtrumque repugnare videtur Sacro Scriptori afflato ab Spiritu Sancto: ergo neque conſcius neque neſcius talis generationis, potuit illam prætermiſiſſe. Reſpondeo primò; permiſſa maiori, negando minorem, & ad probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, vel claritatis gratia diſtinguo antecedens: in toto Pentateucho Vulgatę, & Hebraico provt modo eſt, non invenitur talis generatio, concedo antecedens; provt à Moſe Scripto, & iuxta primigeniam ipſius integritatem, nego antecedens, & conſequentiam cum celeberrimis Authoribus, vt ſunt Gloſſa, Abulenſis in Chronico Euſebij part. 2. cum Alberto Magno, & noſtro Cardinali Toleto, qui in Luc. 3. Annot. 61. ſic ait: „ Exiſtimarem potiùs, dicen-„ dum eſſe, in Hebræo deeſſe genera-„ tionem illam, quæ re vera legebatur, „ & à Septuaginta converſa eſt in Græ-„ cum: non enim eſt credibile, Sep-„ tuaginta non ſolum numeraſſe Cai-„ nam; ſed etiam annos vitæ eius, ſi „ non legiſſent in Hæbreo: legerunt er-„ go, & exemplaria illa ita habebant; „ nec novum eſt illos, alia etiam tunc „ legiſſe, quæ nunc non habentur vitio „ Scriptorum, quod etiam in vulgato „ dicendum eſt. Igitur inclinant hi Authores ad aſſerendum, Codices Hebraicos, qui exiſtebant ante verſionem Septuaginta Interpretum habuiſſe talem generationem Cainam, vnde eam ſump-

ſumpſerunt Interpretes Septuaginta. Ad quod perſuadendum inclinat primò illa ſolemniſsima Interpretatio, ſeu translatio facta ex mandato Ptolomæi per ſenos viros ſelectiſsimos de vna quaque Tribu, quos ſanè crederet translaturos eſſe de Hebraicis non niſi ea, quæ inibi reperiſſent; non ſolum cum Spiritu prophetico inſpirarentur; ſed licèt humanitus res tota tranſigeretur; alioqui ſi in re aliqua non benè tranſtuliſſent à cæteris Iudæis de infidelitate arguerentur. Secundò: quia adijcere alium Progenitorem in tranſlatione, eſſet inconveniens maximum ipſis Iudæis, qui more cæterarum gentium; immò pluſquam omnes tanti faciunt ſuos Progenitores ab origine mundi. Tertiò: quia ipſa aſsignatio annorum vitæ ipſius Cainam oſtendit, talem ſeriem generationum ſic venire contextam de vetuſtiſsimis exemplaribus. Quartò: quia modo non reperiri in originali Hebraico non eſt argumentum; quamquam enim plures ſubſtineant, fontes Hebraicos non eſſe depravatos data opera, & induſtria Iudæorum; nihilominus primorum hominum ſententia eſt ea, quam noſter Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. tradidit his verbis: „ His igitur dua„ bus ſententijs refutatis, reſtat tertia, „ quæ eſt Driedonis lib. 2. de Eccle„ ſiaſticis Domagtibus, & Scripturis „ cap. 10. & aliorum, qui docent, „ Scripturas Hebraicas non eſſe in vni„ verſum depravatas operà, vel mali„ tià Iudæorum; nec tamen eſſe omni„ nò integras, & puras, ſed habere ſuos „ quoſdam errores, qui partim irrep„ ſerint negligentià, vel ignorantià Li„ brariorum, partim ignorantià Rab„ binorum, qui puncta addiderunt, & paucis interpoſitis; „ Cæterum non „ tanti momenti ſunt eiuſmodi erro„ res, vt in his, quæ ad fidem, & bo„ nos mores pertinent Sacræ Scripturæ „ integritas deſideretur. Quare iuſtus rerum æſtimator poterit meditari, quid debeat prævalere, præſentes ne Codices Hebraici ſine Cainam ad perſuadendum re ipſa non fuiſſe, vel atteſtatio poſitiva, & proximior alijs vetuſtioribus, & ſolemniſsimis Iudæorum voluminibus cuiuſmodi eſt Verſio *SEPTUAGINTA* ad perſuadendum in eis, talem generationem Cainam etiam fuiſſe contentam. Ego certè cum tantis Authoribus, & tali modo diſcurrendi multum conſentio.

9 Reſpondeo ſecundò negando maiorem, ad cuius probationem, nego minorem, & ad eius probationem diſtinguo maiorem terminis generalioribus ad amplectendam vtramque probationis viam: diſtinguo igitur ſic: cum aliquo defectu, ſivè diminutionis in Hiſtoria, ſivè ignorantiæ, qui Sacrum Scriptorem dedeceat, nego maiorem; cum aliquo ſilentio myſterioſo, & intento à Deo, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: ſed vtrumque repugnare videtur Scriptori Canonico in ſecundo ſenſu, nego minorem; in primo, concedo minorem, & nego conſequentiam: putant enim Authores digniſsimi, vt ſunt Lipomanus, Cano de Locis, lib. 2. cap. 18. & Bonfrerius potuiſſe quidem Moyſen non ſinè myſterio de tali generatione Cainam altum ſervare ſilentium; licèt eam re vera interpoſitam agnoviſſet inter Arphaxad, & Sale, admodum, quo ſolent diſcurrere interpretes ſuper Mathæum, dum vident, nonnullos Chriſti Progenitores ibi eſſe prætermiſſos: ſicut enim illa partitio Genealogiæ tres facit teſſera decadas, ſivè quaterdenas progenitorum, in quibus myſterioſe diſcurrunt interpretes; ita Moyſes, reſecando Cainam duas videtur decades conſcripſiſſe, decem videlicèt numerando ab Adam vſque ad Noe, & rurſus alios decem à Noe vſque ad Abraham: in quo, licèt cauſam myſticam difficile ſit com-

comperire; nihilominus facile est statim has æquales decades observare. Quod simul cum observatione Mathæi in suis æqualibus quaterdenis; & insuper cum relatione aliorum Progenitorum apud libros authenticos, fundat rationabilem suspicionem de eo, quod talis generatio iusta de causa fuerit prætermissa à Moyse; licèt postmodùm, vel ex traditione certa, aut certis monimentis, vel Spiritu prophetico afflati eam Septuaginta Interpretes suo loco inserendam putaverint, & cum ipsis D. Lucas enarrandam censuerit ad Progenitores Christi exactissimè recensendos. Hæc dicta sunt, si casu, quo Moyses eiusmodi generationem omisisset, velis id non factum fuisse ex ignorantia talis generationis interponendæ; sed quod Spiritu Sancto inspirante, sciens, & prudens illam omiserit; cæterùm, si malit quisquam talem generationem Moysem quoque latuisse, & solas reliquas de monimentis, vel traditionibus prioribus coordinasse, non valdè refragabor, cum nihil manet absurdi: quid enim prohibet, quominus Spiritus Sanctus in ea generatione propter suos fines cum Moyse silere maluisset, & solum posterioribus temporibus revelasse? Profectò id non est inconveniens: non enim Spiritus Sanctus statim ac dictat aliqua, debet cuncta dictare.

10 Objicitur quartò: talis generatio videtur addita in Septuaginta Interpretibus: ergo debet expungi. Probatur antecedens: D. Hieronymus in Quæstionibus in Genes. solitus est recensere discrepantias Septuaginta Interpretum ab Hebræo; sed hanc non recensel: ergo quia post tempora Hieronymi talis generatio fuit interiecta. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem distinguo maiorem: solicitus est perpetuò, & constanter, nego maiorem; sæpè, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Itaque, vt observavit Bonfrerius plures discrepantias relinquit intactas D. Hieronymus inter Hebræos codices, & Septuaginta, scilicèt in hoc cap. 11. vers. 13. in cap. 12. vers. 8. & 9. in cap. 23. versic. 15. & cap. 49. plura huiusmodi; sed insuper non poterat non legisse D. Hieronymus, talem generationem Cainam positam in Chronico Eusebij, cum ille tale Chronicon de Græco in Latinum transtulerit, &, vt inquit in Præfatione, nonnulla, quæ in eo sibi videbantur omissa, adiecerit: cur ergo, si animadvertisset, Cainam fuisse superfluum illum, in tali translatione non reticuisse data ratione, vel annotasset dum non reliquisset. Igitur ex D. Hieronymo nullum hic sumitur argumentum; sed potius eum intactam generationem Cainam iuxta Septuaginta, reliquisse videtur.

11 Objicitur quintò ad idem assumptum: D. Epiphanius sequutus versionem Septuaginta Hæres. 55. omittit generationem Cainam: ergo talis generatio in Septuaginta Interpretibus est adiectitia. Respondeo distinguendo antecedens: omittit iusta de causa: concedo antecedens; omittit quia in tali versione non esset, nego antecedens, & consequentiam: nam D. Epiphanius in eo loco disputabat contra Samaritas, qui volumini solum Hebraico fidem præstabant; cumque in eo sciret Epiphanius, deesse generationem Cainam, consultò eam prætermisit, nequid dubiæ fidei eis allegaret; non tamen omisit quia in versione Septuaginta non reperiretur: tùm quia ipse Sanctus Epiphanius, sivè in Anchorato, sivè in Hæresi 66. sivè initio Panarij mentionem facit talis Cainam interpositi inter Arphaxad, & Sale, licèt eum variatis litteris appellet *Cena*, vel *Cinna*: tum quia ipse Epiphanius in Abrahamo ponit vsque ad ipsum ab Adam viginti, & vnam genera-

tiones, quod verum esse non posset, nisi Cainam quoque recenseretur, etiamsi Adamus numeraretur: tum denique: quia, licèt daremus ab Epiphanio nullibi fuisse commemoratam; eam tamen ex Septuaginta alij Patres retulerunt, vt Theophilus Antiochenus, lib. 3. ad Antolycum, Augustinus lib. 16. de Civitate Dei cap. 10. Eusebius in Chronico: qua propter de vnica illa prætermissione Epiphanij, & quidem iustam ob causam, nulla potest confici argumentatio.

12 Obijcitur sextò: Si generatio Cainam esset inserenda turbaretur Chronologia; sed hæc debet in quantum possit illibata retineri: ergo talis generatio Cainam non est inserenda. Maior patet: nam, licèt omittantur centum anni, quos vitiosè dicunt Authores irrepsisse in Septuaginta Interpretes in vitis Patriarcharum; nihilominus in triginta annis ipsius Cainam semper turbaretur Chronologia. Respondeo primò distinguendo maiorem: turbaretur omnis Chronologia, nego maiorem; aliqua Chronologia, sub distinguo: quoad id, quod de versionibus constare debet, nego maiorem; quoad supputationes humanitus collectas, & factas, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Itaque pro hac solutione benè expedienda præmittendum est: primò ex erudito Torniello in Præfatione ad Annales, multiplex esse genus Chronologiæ: prima enim est Chronologia Hebræorum, quæ fallax, & ridicula solet haberi: itaque addicta litteræ Sacri Textus, vt non tàm Spiritui Sancto dictanti, quàm soli duntaxat litteræ accommodari videatur. Secunda est Chronologia, quam vocant Berosi Manethoni, Metastenis, & Philonis, quam Ioannes Annius Viterbiensis tradidit, & secuti sunt Authores Driedo, Nauclerus, Valerius Anselmus, Ioannes Lucidus, Michael de Medina, Sixtus Senensis, & alij; eam tamen fictionis, & falsitatis accusant plures, vt Pererius, Genebrardus, Ribera, Suarez, & alij. Tertia est Chronologia, quam Tertulianus, Clemens Alexandrinus, & Genebrardus sequuntur, observando videlicèt annos Regum cuiuslibet Monarchiæ. Sed etiam hæc fallere solet iam propter *inter Regna*, iam propter corregnantes, iam propter non nullos sivè obscuritate quadam, sivè Tyrannide prætermissos. Quarta Chronologia sumitur à fastis Consularibus, quæ tamen dissentioni est multum obnoxia, vt notaverunt Onufrius, Panvinius, & Carolus Sigonius: necnon totis Kalendarij revolutionibus permiscetur. Quinta demum Chronologia per Olympiadas supputatur, quæ magis arridet Torniello cum Augustino; sed hæc etiam sufficiens non est, nisi antè annum primum Regni Ioathan, in quo cœperunt Olympiades ad aliam Chronologiam confugiatur. De quibus omnibus satis constat, quòd super Sacro Textu Divinæ Scripturæ consurgit multifariàm opinabile humanis mentibus punctum Chronologiæ; in qua, si quisquam vnam saltem probatam viam supputandi retineat, nullam in hac re iacturam faciet.

13 Præmitto secundò id, quod ex superiori notabili statim occurrit, nimirùm Spiritum Sanctum plures obscuritates in Chronologia hominibus reliquisse, vt studij, & exercitationis materiam ministraret: vndè dicit Bonfrerius in hunc modum: Itaque, si quod „ Chronologiæ vitium est, non illud „ Scripturæ est, vel Moysis, qui de „ hac Genealogia (Cainam) nihil vel „ negat, vel asserit; sed error est ho„ minum malè colligentium ex Scrip„ tura. Et verò mirum est, aliquos tan„ ti hanc Chronologiam facere, quasi „ omnia Moyses, Sacrique Scriptores, „ quæ ad hanc pertinent, in manifesta „ luce ponere debuerint; cum eam Spi-

ritus

„ritus Sanctus multis locis videatur obſcurare voluiſſe. Hucuſque Bonfrerius, qui poſteà proſequitur denſa, vel denſiora certamina Chronologiæ commemorans; v. g. De illis quadrigentis annis ad cap. 15. Geneſ. verſic. 13. cum Pauli ad Galat. 3. 17. De obſcuritate annorum ſuperviventiæ Ioſue ad Moyſem. De obſcuritate annorum tempore Iudicum intercurrentium inter vnum, vel alterum Iudicem, ita vt ingens ſit labor computare illos quadringentos, & octoginta annos ab egreſſu de Ægypto vſque ad Templum Salomonicum. De obſcuritate annorum, qui tum in Libris Reg. tum in Paralipomenon perperam componuntur. De obſcuritate annorum Babylonicæ Captivitatis. De obſcuritate Septuaginta Hebdomadum Danielis. Poſtremòque de completione, vel incompletione annorum, vnde tanta varietas profiſciſcitur. Quæ omnia, cum ſatis conſtent ita eſſe Interpretibus obſcura, & dubia; non perperam ſe gereret quis in Chronologia, ſi ad vnam ex tritis ſemitis deveniatur.

14 Hoc poſito, iam ad argumentum reſpondeo, & dico, quod interſerendo Cainam trita aliqua Chronologiæ ſemita retineretur, ſcilicèt illa, quam Beroſus Annianus complexus eſt, & poſt eum ſequuti ſunt homines vere doctiſsimi, vt fuerunt Driedo, Medina, & Sixtus Senenſis. Rem ſic explico: numerus annorum adſcriptus Cainam iuxta Interpretes Septuaginta ſunt centum, & triginta anni: cum ergo de claſica ſententia Doctorum detrahendi ſint centum anni, quos vitiosè ſuperadditos latè probat Torniellus anno 131. num. 4. ſuperſunt tringita tantum anni vitæ Cainam, qui non turbant; ſed potius componunt Chronologiam Beroſi, provt notavit Bonfrerius: quippè Beroſus computat à Diluvio vſque ad Vrbis, & Turris fundationem vnum ſuprà centum, & triginta annos, qui, cum anno, in quo contingit confuſio linguarum faciunt centum, & tringinta, & duo: (licèt aliæ Chronologiæ ponant ſolum 102) cumque totidem numerentur à Diluvio vſque ad ortum Phaleg, (in quo evenit confuſio liguarum, iuxta opinionem Bonfrerij, licèt contradicat Torniellus,) planè conſequitur, etiam additis triginta annis Cainam minimè everti omnem probatam ſupputationem Chronologiæ; ſiquidem concordat cum Chronologia Beroſi cap. 4. & prædictorum Authorum, & cum illa, quam ſequitur Torniellus in Tabulis ſecundæ ætatis Columna 5. in Linea Parallela ad ortum Phaleg. Quæ Chronologia, ne facile reijciatur notandum eſt, Torniellum non inconſultò, ſed cum critico delectu ſuam ſibi præfixiſſe Chronologiam: quam quidem tum de ipſo tum de Bonfrerio, & reliquis hic probatam (quod difficile negari poteſt tantis Authoribus) non diſputatam volumus, vt conſtet etiam adijciendo Cainam probabilitèr ſalvari poſſe Chronologiam. Sed, ſi fortè acquieſcere nolis, ſed ſupputationes, & latibula numerorum nobis obtrudere, & Arabiciſmum promere in Theatrum.

15 Reſpondeo ſecundò, ad argumentum, permiſsà maiori, negando minorem, aut ſuppoſitum eius, ſcilicèt quod poſsit ſubſtineri Chronologia dum deſerendus eſt Textus: qua propter per appoſita ſubdam verba Bonfrerij, licèt videantur eſſe prolixa: tùm quia nihil prolixum, ſi aptum eſt rei, & opportunum eſt tempore: tùm quia in taxanda Chronologia æquum eſt, vt ſi minoris habenda eſſe videatur; potius id fiat per gravia verba Doctorum. Igitur Bonfrerius noſter poſtquam denſas Chronologiæ difficultates inſinuavit, ſic proſequitur: „Et nos pro „hac Chronologia rite, vt nobis qui„dem videbitur concinnanda clàram, „apertamque Scripturæ ſententiam „de-

„deſeremus? Itaque, vt quid de hac „re ſentiam, aperte proferam; malim „totam Chronologiam, temporum- „que rationem everti, & inverti, fa- „terique me neſcire quid quoque tem- „pore geſtum ſit, quàm Scripturam „ vel mendacij arguere, quod nimis „ impium ſit, vel quod ab Eccleſia, „ omnibuſque paſsim Doctoribus, re- „ceptum ſit pro Scriptura Sacra, vt „ ſuppoſititium credere: neque enim „tanti mihi Chronologia eſt, quam in „ multis omnes obſcuram fateri de- „ bent, vt ob id à minime obſcura „ Scripturæ Sententia recedendum „ ſit. Ecce hucuſque aperta verba pro parvipendenda Chronologia, quoties agitur de textu Sacro retinendo. Sed, vt videas quàm profundè talis Author hæc ſenſerit, audi adhuc verba apertiora, quæ ſubſequuntur: „ Velim „ ego, ſi fieri poſsit, Chronologiam „habere quam optimam; ea tamen ſi „ fine Scripturæ Sacræ (quæ Sacro- „ Sancta nobis eſſe debet) diſpendio „ haberi non poteſt; valeat ſanè Chro- „ nologia: etſi alterutra truncanda ſit; „ mutila ſit, nec ne Chronologia ſuſ- „ que deque facio. Et verò qui Sacræ „ Scripturæ in qua iuxta Divina oracu- „ la vita, ſaluſque æterna eſt poſita, „ iacturam facere præoptarit, quam „ Chronologiæ; hic perinde mihi vi- „ detur, ac ſi quis vitam ſibi eripi, quam „ dentem malit excuti. Hucuſque Bonfrerius Author pereruditus, & vir acris iudicij, proindeque in hac rè non contemnendi: vndè concuſſa manet obiectio de Chronologia.

16 Obijcitur ſeptimò copia Patrum, atque Doctorum gravium, & veterum quorum pondus videtur ad ſuam ſententiam revocare. Primò Euſebius Cæſarienſis Græcè editus in Chronico, vbi nulla fit mentio Cainam. Reſpondeo, id factum fuiſſe mala fide Scaligeri tale Chronicon Euſebij, confarcinantis, vt tradit Salianus tom. 3. Annalium in præfatione num. 18. Itemque in verſione Latina Scaligeri iam reperitur Cainam, iam non reperitur prout obſervavit Salianus in Præfatione 3. tom. non eſt ergo fides habenda non facienti fidem. Secundò Beroſus, Ioſephus, Eupolemus, Gregorius Turonenſis numerantes Abrahamum decimum à Noe, eo quod expungant Cainam. Reſpondeo, id hauſiſſe de Libris Hebraicis, qui clade decem Tribuum toto orbe diſperſi ſunt. Alij verò poſteriores Vulgatam ſequuti myſticam correſpondentiam in duplici generationum Decade obſervant comparando Adam primum incolam mundi cum Sem primo reſtauratore: itemque inter Noe & Abraham fit comparatio in ordine ad reparandum mundum, prædicandum verum Deum, exeundum de pereuntibus, poſteritati exemplificandum. Gregorius verò Turonenſis cum Oroſio, & Iſidoro ideò omittunt Cainam, quia annos ſumunt de Græcis; perſonas verò ex Hebræis, iuxta Hieronymi editionem, quam etiam quoad Chronologiam ſequuntur Freculphus, & Beda. Tertio Teophilus Antiochenus, & Africanus, qui de Codicibus Græcis omiſſerunt Cainam. Reſpondetur, id non fuiſſe de Codicibus Septuaginta, ſed de alijs Græcis Codicibus, qui fortè ab ipſis ſaniores haberentur, eo quod magis concordarent Hebræis. Quibus tandem omnibus reponit Salianus noſter Gregorium Nazianzenum, Severum Sulpitium, Auguſtinum ſemel, & iterum, Nicephorum Conſtantinopolitanum, Chronicon, Alexandrinum, Marianum Schotum, Georgium Sincclum, & de Societate noſtra adhuc ſuperaddit Franciſcum Riberam, Iacobum Gordonum, Henriquum Samerium, Matheum Raderum, cum quibus manet noſtra phalanx ſatis inſtructa. Atque ſi lubet pro copioſſori inſtructione in re Chronologica, conſule in ſecundo noſtro

vo-

volumine, quod paratum eſt iam, tractatum prævium de re Chronologica noſtrasDecades præeuntem,qui ex percrudito noſtro P. Ricciolio, & alijs concinnatus eſt;in quo etiam hoc punctum præſens videri poterit,tom. 1.ſuæ Chronologiæ reformatæ lib. 6. cap. 2. num. 3. & etiam conſuli poteſt Doctiſsimus Maluenda de Anti-Chriſto tom. 1. lib. 2. cap. 10. atque itidem, Illuſtriſsimus D.Marcellinus Siuri Epiſcopus Cordubenſis in ſuo vere inſigni opere ſuper Evangelia nuperrimè edito tract. 3. cap. 8.

17 Poſt hæc ſcripta video, quod duo Valentini Scriptores ſcilicèt Fuſter in ſuis aſſertionibus expoſitivis, & Monterde in ſua Theologia Syllogiſtica expoſitiva nodum pares ac diſpares extricare conantur: pares quidem in eo quòd tringinta illos annos Cainam (quem ambo interſerunt) credunt intelligi poſſe quaſi SUPRESSIVE in annis Arphaxad,quos adfert Vulgata. Sed diſpares in eo, quod primus exiſtimat Arphaxad genuiſſe Sale *mediante Cainam anno* 30. *ætatis ſuæ*. Quam explicationem, vt ad alterutrum referatur, efficaciter impugnat, vt voluntariam ſecundus. Qui tamen inde, vt appareret, ſuam cogitationem auſpicatus, ait,Arphaxad genuiſſe Sale medio Cainam ſine augmento annorum : quia altero generante ad annum decimum octavum, alter ad decimum ſeptimum ætatis ſuæ (quæ apta eſt generationi) reſultat illa ſumma annorum 35. quam narrat textus. Non videò in Illuſtriſsimo, & vere Doctiſsimo Valentino Magiſtro Siuri huius placiti vtriuſque mentionem, vbi de Cainam diſſerit. Ego verò itidem crederem, ſecundam cogitationem. R. Monterde, viri ſanè docti, ægrè etiam fundari poſſe; luſtratis etiam quæ adducit.

DECAS II.

QUÆSTIO PRIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

FIAT LUX, ET FACTA EST LUX, GEN. 1. verſ. 3.

ARTICULUS

AN LUX PRIMO DIE CREATA EADEM FUERIT cum luce Solis?

NOTABILIA.

SUPPONO primò, cum plurimis creationem mundi non fuiſſe in inſtanti, & cum D. Thom. 1. part. quæſt. 63. art. 3. & Scoto in 2. diſt. 13. lucem non eſſe ſubſtantiam, vt ſenſit Theodoretus, quæſt. 7. in Gen. & D. Bonav. in 2. d. 13. ſed qualitatem per ſe inſeparabilem à ſubſtantia luminoſa, diſtinctamque à qualitate illuminationis, quæ fit in aere proximo. Ita Suarez de Opere ſex dier. Suppono ſecundò cum fere omnibus TT. Græcis, & Latinis, lucem illam non fuiſſe ſpiritualem, ſed ſenſibilem, & corpoream. Quibus poſitis in hac re multiplex eſt ſententia de quibus latè Suarez tom. de Opere ſex dier, & Pereira in Gen. 1. Nos autem ne eas omninò prætermittamus, quidpiam libamus ex eis. Prima ergo eſt Damaſceni aientis, lib. 2. de fide, hanc lucem fuiſſe elementum ignis. Secunda Ambroſij Catharini ad hunc locum dicentis, fuiſſe eandem cum luce Solis omninò perfecta, & prout nunc eſt. Tertia Baſilij latè explicantis, primam lucem qualitatem immaterialem fuiſſe creatam, poſtmodumque globum Solis ea luce fuiſſe perfuſum. Quarta Magiſtri in 2. Bonav. ibidem, Bedæ in Hexam. Hugonis lib. 1. de Sacram. Lyrani, Toſtati in Commentarijs, &c. ſuſtinentum, primam illam lucem non fuiſſe Solem; ſed corpus quoddam lucidum inſtar nubis; ſed lucis languidæ, & inſtar tremulę Auroræ. Quinta denique (vt alias taceam) B. Dionyſij de Divin. Nom. cap. 4. & D. Thomæ 1. part. quæſt. 67. art. 4. & quæſt. 70.

artic. 1. Dionyſij Carth. in Geneſ. cap. 1. artic. 9. Pereir. in Gen. ibi, & Monterde Geneſ. 1. in ſua Expoſitiva Syllogiſtica, qui dicunt Lucem primo die creatam eandem fuiſſe cum luce Solis, ſolemque quoad ſubſtantiam primo quoque die fuiſſe formatum ; ſed eiuſdem, cæterorumque Aſtrorum lucem vſque ad quartum diem extitiſſe informem, & imperfectam.

2 Sit noſtra concluſio cum hac quinta ſententia. Quæ in primis ſtabilienda eſt authoritate PP. eam ſuſtinentium, & poſtmodum ratiocinijs. D. Thomas vbi ſuprà : *Et ideò eſt dicendum, quod vt Dionyſ. ait, cap. 4. de Div. Nom. illa lux fuit lux Solis, ſed adhuc informis, quantum ad hoc quod tam erat ſubſtantia Solis, & habebat virtutem illuminativam in communi, ſed poſtmodum data eſt ei ſpecialis, & determinata virtus ad particulares effectus.* Prætetea D. Dionyſ. *Lux eſt menſura, & numerus horarum, dierum, totiuſque labentis temporis : ipſa enim eſt ea lux (etſi tunc erat informis, quod, & Diuinus Moyſes ait) quæ primam diſtinxit, & definivit dierum noſtrorum Trinitatem.* Ex quo ſic: Dum ad ſcrutandam ſententiam SS. PP. accedimus, militat pro nobis inter SS. & veteres PP. vnus pro mille Doctiſsimus, & antiquiſsimus Theologus, & ſapientiæ Pauli Theſaurus, Dionyſ. Areopag. Item ex Modernis PP. D. Thomas lumen Angelicum: ergo hæc opinio contra quaslibet habet fulcrum celebre authoritatis; præſertim cum hæc alias componat, & aliæ huic queant ſuffragari, vt ad calcem poſtmodum colligemus.

3 A ratione probatur ſic. Nil eſt quod vrgeat, vt hanc primam lucem diſtinguamus à luce Solis. Sed hoc ipſo debet admitti indiſtincta : ergo, &c. Minor patet quia planior videtur curſus creationis, ſi nil ponamus, creatum, quod tam cito non extet, cuiuſmodi eſſet illa lux prima de qua non fit mentio poſt formationem Solis. Maior autem probatur. Si aliquid vrgeret maximè, quòd, vt conſtat ex Sacro textu, lux illa fuit primo die producta; Sol autem die quarto ; ſed id non vrget: ergo nihil. Probo minor. Ipſa eadem lux abſque inconvenienti potuit per triduum eſſe informis, formarique quarto die in globum Solis (& idem, de Luna, & reliquis Aſtris) Sed hoc aptatur Sacro textui : ergo, &c. Minor patet : quia fieri luminaria ex luce præiacta non eſt fieri lucem, ſed ſolùm efformari, ac omni ex parte perfici quoſdam globos, quoquoverſum perfectè illuminaturos iuxta ordinem illuminandi ab opifice intentum. Probo verò maiorem. Si aliquod eſſet inconveniens maximè, quòd iuxta hunc modum dicendi, de manu perfectiſsimi creatoris aliquid prodiret, ac aliquandiù remaneret informe. Sed hoc non eſt inconveniens ergo, &c. Probo min. Ipſe ſacer textus apertè dicit, Deum creaſſe terram informem, quam paulatim voluit herbis, arboribus, ac beſtijs ornare: Item etiam elaboravit aquas quoad diviſionem earum, & ornatum : ergo nullum inconveniens eſt ; imò ordinatus modus procedendi videtur eſſe in productione cuiuſdam lucis informis, quam Deus opportuno, quod ipſe vidit tempore, in ſua perfectiſsima luminaria diſtingueret, & accomodaret.

4 Confirmatur primò: Quia lux illa fuit cœleſtis : ergo non alia quam Solis : cæteræ enim in quas variant ſententiæ non eſſent cœleſtes, ſed elementares. Probo antecedens : Quia Deus primò ornavit Cœlum quam terram proprio ornatu ; non autem alio quam lucis. Secundò : Quia generaliſsima cauſa generationum, & conſervationis, cuiuſmodi eſt Sol, debuit ita primò extitiſſe à prima rerum conditione, vt nil ſaltem ſublunare ſine eius influxu perficeretur : ergo illa prima

ma lux fuit lux benefica Solis. Tertiò: Quia mundus iuxta D. D. creatus fuit die Dominico: hic autem ex pervetuſto gentium more *dies Solis* appellatur: ergo lux primæ diei fuit lux Solis. Quartò: Quia id probat rigoroſa vis dictionis Hebraicæ, qua luminaria die quarto exponuntur, ſcilicèt *Maor* quæ quidem dictio formatur ex ipſiſsimo verbo, quo explicata fuit lux ſcilicèt *Hor*, & ex littera *Mem*, quæ ſervilis eſt ad nomina componenda, & ſæpè ſervit in tali compoſitione pro præpoſitione *Min* quæ ſignificat *ex*. Vndè accedente die quarto ſic ſe explicuit Deus, fiat *ex luce magnum*: ſeu luminare magnum: & *ex luce minus* ſeu luminare minus. Nomen autem proprium Solis quod Hebraici eſt *Semès*, & in diebus creationis non memoratur, potiùs quàm naturæ eſt nomen officij: ſignificat enim apud Pagninum in Theſauro *miniſtrationem*, miniſtrat enim per gyrum lucem toti Orbi: ergo ſi Hebraica origo diſquiritur quæ magni facienda eſt in hac re, ille, quem Solem vocamus, opus quoddam eſt compactum ex luce præiacta, quæ nimirum primo die creata fuerat. Quintò: Quia fieri in primo die eſt abſolutum; in quarto verò eſt limitatum ideſt *vt lucerent ſuper terram*: debebat enim maſſa lucis in globos diſtribui, vt orbem illuminaret.

5 Obijcitur primò: Lux facta fuit primo die. Sed Sol formatus fuit quarto die: ergo diſtinguuntur. Reſpondeo, diſtinguo minorem: formatus fuit quoad ſubſtantiam. Nego minorem, quoad accidentia tàm intrinſeca, quàm extrinſeca concedo minorem, & nego conſequentiam. Eadem enim omninò fuit ſubſtantia Solis, & lucis: licèt enim lux ſit qualitas; tamen cum facta non fuiſſet per ſe ſubſiſtens vtpotè qualitas, & accidens; facta proinde fuit ſimul in ſubſtantia, & cum ſubſtantia ſubtiliſsima ex ſuis intrinſecis luminoſa ex qua poſtmodum luminaria, & Aſtra reſpectivè ad ſua munera ſunt efformata. Igitur ex luce primo die creata formatus eſt Sol quarta die quoad conglobationem, figuram, diſtributionem ſubſtantiæ luminoſæ influxus determinatos, aliaque id genus, quæ poſcebat eius abſolutio, & perfectio tum vt ſuos motus debitè perageret, tum vt eius illuminatio, & influxus ritè diſtribuerentur, & ritè divideret lucem à tenebris. Verum adverſus hæc dices immediatè. Per nos formatus eſt Sol quoad eius ſubſtantiam, & entitatem in primo die. Sed ex Sacro textu etiam prima die diviſa eſt lux à tenebris: ergo Sol formari non potuit quarta die, vt divideret lucem à tenebris. Reſpondeo diſtinguo conſequens, vt divideret diviſione, & motu imperfecto, quo iam gaudebat lux à prima die concedo conſequentiam: diviſione eſt motu perfecto, quo donata eſt lux quarto die. Nego conſequentiam. Ad quæ valdè appoſitè loquutus eſt D. Thom. 1. part. quæſt. 66. art. 4. *Ad ſecundum dicendum, quod ſicut ſecundum alios Sanctos materia erat quodammodo informis, & poſteà fuit formata, ita tempus quodammodo fuit informe, & poſtmodum formatum, & diſtinctum per diem, & noctem.* Cuius quidem ratio à priori eſt: quia vel Domino placuit mundum paulatim elaborare, ac perficere inſtar humani opificis; vel ſi illum formavit in inſtanti, vt alij malunt; placuit ei non niſi ſucceſsivè, & gradatim eius exordium nobis per Moyſem aperire, proindeque ita voluit à nobis fore intelligendum, & explanandum.

6 Obijcitur ſecundò: Ex noſtra ſententia dicendum videtur, cætera aſtra, ſaltem Lunam ex primæva luce fuiſſe formatam. Sed Luna (idem forte de reliquis Aſtris) iuxta Aſtronomos proprio lumine caret cum illuminetur à Sole: ergo hæc ſententia bene non cohæret. Maior videtur certa: quia ſicut Deus formavit Solem, formavit, &

Lu-

Lunam : ergo ſi primum ex primæva luce compegit, etiam ſecundam. Reſpondeo diſtinguo minorem PROPRIO LUMINE id eſt propria, & ſibi peculiari illuminatione inferiorum concedo minorem : languida enim lux illa, quam ſortita fuit ab initio, dum fuit in quarta die compacta, abſque irradatione ſolis ſub hoc, vel illo aſpectu Lunam percutientis, ad illuminandum non ſufficeret. *Caret proprio lumine*, id eſt, omninò luce non conſtat. Nego min. Ad quæ Paul. 1. ad Cor. c. 15. *Alia eſt claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum.* Item, *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit Lunem ſuum.* Præterquamquod, licèt aliqui, vel plures dicant ; non tamen dogma Mathematicum eſt, quod Luna omni prorſus deſtituta ſit luce : quare ego ſuam ipſi, & cæteris Aſtris lucem attribuo.

7 In hac parte iubetur plus roborari, *quòd Luna omni prorſus luce ſua non careat, licèt verè illuminetur à Sole.* Circa quod ſeligam de Interpretibûs, de Phyloſophis, & de Aſtrologis, qui id apertè pronuntiant, probant, & vindicant : cum quo faciam ſatis : primò ex Interpretibus expreſsè rem tradit in ſuo Commentario litterali in Geneſ. cap. 1. verſ. 14. in tom. de Benedictionibus Patriarcharum. P. Didacus de Celada num. 51. ibi : *Nec inficior, ſaltem Planetas mutuari lucem à Sole : veberiorem lucem, inquam : nam Aſtra habere aliquam lucem demonſtratur in Lunę Eclypſi, in qua Luna apparet rubicunda; Sol autem lucidior eſt reliquis Aſtris, vtpotè conflatus ex ampliori, & lucidiori ignei Elementi portione.* Hucuſque Celada : qui ſi legatur in numero præcedenti, totam noſtram ſententiam, de luce cum immenſo pondere authoritatis tradit, & fulcit. Item, eam probat P. Pererius in 1. Geneſ. & Mendoza probat, & promovet in ſuo Viridario Problem. 40. Quoad Phyloſophos, & Aſtrologos vtroſque produco ſimul. Nam PP. Conibricenſes omnium ore Phyloſophi circumquaque clariſsimi lib. 2. de Cœlo cap. 7. quæſt. 4. art. 1. ſic loquuntur. Statuenda tamen eſt hæc aſſertio, quam communior Aſtrologorum conſenſus approbat : *Tàm Stellæ fixæ, quam Planetæ, lumen à Sole mutuantur, ita tamen vt aliquid ex ſe lucis poſideant... poſterior pars aſſertionis probatur : quia Phœbe ideſt, Luna, quæ maximè videri poſsit tota à Phœbo nitere, aliquid innatæ, ac propriæ lucis, vendicat, vt in eius Eclypſi conſtat, cum etiam tunc rubeat, quod non eſſet, niſi aliquid in ſe luminis conſervaret.* Et art. 2. ad argumentum de eo, quod Luna quando eſt corniculata, deberet apparere aliquomodo lucida in reliqua parte à Sole non percuſſa ; reſpondet, ideò eſſe : *Quia nocturno tempore partes non illuminatæ à Sole ſuperantur, atque obteguntur illuminatarum fulgore.* Ex quibus conſtat, quod ex Interpretibus, Phyloſophis, & Aſtrologis fundatur hæc ſententia, & quidem non obiter, ſed ex profeſſo, vt ſupra conſtat.

8 Iam igitur prima die, iubente Deo, facta eſt lux, vel per creationem, vel per eductionem, vel ſecretionem, vt malis, cuiuſdam ſubtiliſsimæ, tenuiſsimæ puriſsimæque Cœleſtis ſubſtantiæ luminoſæ, quæ veluti micantiſsima quædam maſſa docilis extitit per triduum ad iuſſa Dei, & quarta die docilis extitit ad ſui perfectionem, & digeſtionem abſolutiſsimam. Porrò in hac die D.O.M. ex tenuiori, puriori, ac ſubtiliori portione huius lucis Solem formavit, & conglobavit, quaſi primogenitum lucis : de in ex ignobiliori portione ſubſtantiæ lucidæ Lunam, & cætera Aſtra ita Deus temperavit, ac finxit, vt vnicuique eam partem ſubſtantiæ illius adſcriberet, vti totidem gradus lucis congererentur, quot videbat Deus opus eſſe in vnoquoque ad obeundos ſuos motus, & gyros, ad diſponendos ſuos congreſſus in luce, & ſuos influxus : influunt enim

Aſtra per ſuas illuminationes. Atque vt mirabili harmonia fieret influxus in ſublunaria, quemadmodum in cantu ex voce, & pauſa harmonia reſultat; fecit Deus in Sole præcipuum depoſitum lucis, quæ iam reſpiciendo ad hæc Aſtra, iam ad illa, iam nunc gradatim recedendo, iam aſcendendo, cum lux eſſet puriſsima, tenuiſsima, ſubtiliſsima & apex, & quaſi anima lucis omnes omninò cæterorum Aſtrorum inferiores illuminationes quaſi harmoniosè componeret. Et certè multum harmonicum eſt, & valdè mirificum in hac re omne, quod cernimus. Quæ quidem ſententia ſic explicata, ni fallor, eſt plana, & multis ſubnaſcentibus difficultatibus libera, Deo valdè decora, vtpotè non ponenti aliquid ſtatim à Dei manibus periturum; Textui ſatis accomoda, & cæterarum ſententiarum ſatis amica.

9 Vndè primò ſi vera eſt ſententia Damaſc. aientis: *neque enim aliud eſt ignis quam lux.* Item, & Hugon. & Greg. Niſen. dicentis ignem iuſſu Dei ex imis ad ſupremum evolaſſe, & ibi lucere. Conſtabit cum noſtra ſi dicamus, illam totam maſſam fuiſſe ignem, & lucem: proindeque non ex materia Cœleſti ſpecie diſtincta ab elementari: hæc enim diſtinctio ſpecifica ſine vrgenti fundamento, & vtilitate eſt invecta ab Ariſtotele: neque eſt cur in creatione divina adSiſtema Ariſtotelis adſtringamur. Ita Celada de Bened. Patriarch. initio: cumque quarto die ex puriori, & nobiliori parte efformata fuiſſent luminaria cætera, craſior in ſua regione manſit cum vi ad comburendum, & vt eſſet ignis. Quod eò verius eſſe videtur, quòd ignis vt fertur in ſua ſphæra non lucet, ſuper quo pulchrè Baſil. in Examer. *Vox Domini intercidentis flammam ignis. Vnde arcana quædam doctrina nos docet; cum pro ijs quæ in vita geſſimus mercedes nobis retribuentur; naturam ignis in hæc diſtributum iri; lux ſanè iuſtis in perennem, & peramænam fruitionem cedet: è diverſo autem ſuplicio addicendis ſeorſum attribuetur vis oſtiva.* 2. Si appendimus fundamentum ſecundæ ſententiæ Ambroſij Cathar. etiam nobis ſuffragatur: movetur enim ipſe, vt Solem, & Planetas primo die ponat eſſe perfectos: quia hi dividunt dies, & tempus, quod putat eiuſdem conditionis fuiſſe in triduo ac poſteà. Hic ergo ſi noviſſet tempus informe, cuiuſmodi à nobis expoſitum eſt cum Angeli. Præcept. cum noſtratibus forſan eſſet, & iret expeditior. Tertia ſententia, ideò ponit eam lucem eſſe nubem quandam diſtinctam à ſole, quæ quidem, formato ſole, perierit: quia non rectè accomodabat; quomodo ex hac luce primi diei ſol formaretur, quarto die: ſivè enim lux prima erat peritura; (& hoc putat eſſe minus inconveniens) ſivè permanſura extra ſolem, ſivè cum ſole eius corpori quaſi adglutinata, ſivè ex ea materia ſublunari ſol efformandus, quo tranſiret de forma ad formam; id autem non congruit corpori ſolis incorruptibili. Quæ omnia rectè perurget D. Thom. 1. p. q. 67. art. vlt. Vndè ſi in noſtra ſententia ponimus primevam quandam maſſam lucis, vnde poſmodum efformatus ſit ſol abſque iactura incorruptibilitatis; convenimus implacito; ſed nos vitamus ſcopulos. Itaque P. Pereira in hoc loco benè vidit talem ſententiam perperam premi poſſe argumentis, ſi ad noſtras reſponſiones declinet. *Reſponderent enim* (ait hic Author) *nubem illam lucidam fuiſſe non ex materia elementari, ſed ex Cœleſti, quæ facta ſit ſol, non per mutationem ſubſtantialem; ſed per diverſa illius materiæ condenſationem, ac figurationem, & vberioris, nobilioris, ac efficacioris lucis acceſſionem.*

10 En placitum noſtrum: vbi nota duo: primum quod ex prævia condenſatione, ac figuratione ſubſtantiæ illius luminoſæ, & ex maiori acceſſione partium ad partes à fortiori vberior,

ac

ac nobilior efficaciorque lux reſultabat: Secundum. Quod primum *fiat* de luce, potuit intelligi de *fieri* ſubſtantiali: ſecundum autem FIANT LUMINARIA debet intelligi de FIERI accidentali: vnaquæque enim à Deo Optimo, & Sapientiſsimo Opifice ita fieri iubentur, quemadmodum in ſe, & ad ſuos fines ſunt factibilia: & ſolum cum ea diverſitate erant factibilia lux, & luminare prout ſyſtema noſtrum contendit atque conciliat. Quarta denique ſententia paulò operoſior eſt accomodatione: habet enim ſententia Baſilij, aliquid dubium, & aliquid certũ. Dubium: an apud ipſum lux ſit ſubſtantia luminoſa: nam dicit hom. 6. *Natura lucis producta eſt*, & quidem nullum accidens propriè eſt natura; ſed affectio naturæ. Econtra verò dicit: *Lucem pro ſplendore, & illuminatione poſuit.* Splendor autem accidens eſt. Item dubium eſt: an compoſitionem ſolis, & lucis intelligat cum omni rigore admodum albedinis, & ſubiecti; & eſſentiæ ſuſceptricis cum qualitate, quæ ſunt eius exempla: nam paulò ſuperius vtitur exemplo vehiculi, & lucernę vbi magis ſignat compoſitionem artificioſam quàm naturalem ex ſubſtantia, & accidenti. Ideòque non aſſentio huic quod eſt, D. Baſilium, conſtanter aſſeruiſſe de luce creationem accidentis ſinè ſubiecto. Sed rem ita poterat explicaſſe, vt ea quæ iudicabat exponerentur. Id autem eſt certum in D. Baſil. primum, quod Sanctus ad vulgus hæc loquebatur, & paſsim in re tam lubrica ſuis dictis diffidebat: *Necubi fortaſſe nos prætereat inventio veritatis, ac proindè error meus communis fiat auditorum iactura.* Et huiuſmodi plura hom. 3. & 6. in Geneſ. deinde certiſsima eius mens eſt: quod prima die formata eſt lux, & quarto die geſtatoria, vehicula, receptacula lucis, luminaria: quæ omnia apprimè reſpondent rigori Hebraico, nam hæc omnia ſignificat vox *Maor*, vt conſtat in Lexicis: illę verò omnes propoſitiones, quas hinc inde ſpargit, ſunt, vt hanc mentem exponat, & fulciat. Cum ergo iuxta noſtrum placitum ex eadem primæva ſubſtantia lucis formata fuerint conglobatione, & diſpenſatione mirabili Sol, Luna, & Aſtra, quæ ita lucerent ſuper terram, vt poſint omni proprietate appellari geſtatoria, vehicula, receptacula lucis: quemadmodum gelu concretum appellari poteſt geſtatorium, vehiculum, & receptaculum frigiditatis; inde eſt, quod non ſolum tenemus mentem Baſilij; ſed eam ab ſcopulis quibus ipſe non ſe confidit, liberamus.

11 Ad maiorem explicationem huius doctrinæ, ne vlla oriatur æquivocatio; advertendum eſt: Nos iuxta hanc ſententiam ſemper dicere, hanc lucem illuminantem totum orbem terrarum, tametſi de corpore luminoſo manantem, non eſſe ſubſtantiam, ſed qualitatem: tum quia nulla ſubſtantia cadit ſub ſenſum, veluti lux: tum quia alioqui in Cryſtallo luce perfuſſa daretur duplex forma ſubſtantialis: tum quia facile adeſt, & abeſt à corporibus ſine horum corruptione. Et id eſt, quod Philoſophi pronuntiant, & tenent de luce aerem perfundente, & nos paritèr ſuſtinemus cum ipſis. Cæterum ſuppoſito, quod lux ſit qualitas; de modo exiſtentiæ huius qualitatis diſputant Thelogi in Geneſ. cap. 1. & etiam Philoſophi ad tract. de Cœlo. De Theologis, & PP. Div. Baſil. Div. Gregor. Nazianz. & Theodoretus, quibus adhærere videntur noſtri Molina, & Tannerus qui ſenſerunt, lucem creatam fuiſſe qualitatem exiſtentem ſine ſubiecto, prout refert Cornelius in Gen. cap. 1. Sed hoc placitum communitèr non arridet: vndè nobiliſsima pars Theologorum, & Philoſophorum cenſent, lucem eſſe qualitatem inexiſtentem, & propriam cuiuſdam corporis lucidi, non ſecùs ac albedo nivis, &

Cygni eorum corporibus inexiſtit. Pro qua ſententia ſtans noſter Cornelius vbi ſuprà verſ. 3. inquit. *Tertiò, & optimè Beda, Hugo, Magiſter S. Thom. Bonav. Lyranus. Abulenſ. & favet S. Dionyſius ſuprà, putant, lucem hanc fuiſſe corpus lucidum, ſivè Cœli, aut potius abyſsi lucidam partem, quæ in circuli, aut columnæ ſpeciem conformata orbi præfulſerit, quæque fuerit inſtar materiæ, ex qua poſtmodum in partes diſtincta, ac diviſſa, adaucta, & velut in igneos globos fabricata, Sol, Luna, & Stellæ factæ fuerint.* Vnde S. Thom. *ait, hanc lucem fuiſſe ipſum ſolem adhuc informem, & imperfectum. Idem aſſerit Pererius, & alij.* Hucuſque Cornelius. Pro Philoſophis idem cenſent Conibricenſes de Cœlo lib. 2. cap. 7. quæſt. 2. artic. 1. &. 2. Statuentes, quod lux eſt qualitas inhærens corpori lucido. Hæc ergo etiam eſt noſtra ſententia, quam circa formationem, & diſtributionem talis corporis lucidi cum tam optimis AA. tradimus ſimul cum Philoſophis ſuſtinentes, quod lux, quæ à tali corpore lucido manat, & ipſi inhæret, eſt vera qualitas, & non ſubſtantia. Quo clara (ni fallor) remanebit tota Doctrina.

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS AD ILLA VERBA.

CIRCUMCIDETIS CARNEM PRÆPUTIJ VESTRI, vt ſit in ſignum fœderis inter me, & vos. Geneſ. 11. verſ. 15.

ARTICULUS

VTRUM CIRCUMCISIO INSTITUTA FUERIT in remedium peccati Originalis?

NOTABILIA.

1 PRæmittendum eſt primò, Circumciſionem eſſe Sacramentum veteris legis; licèt pluribus annis ante legem datam Moyſi fuerit inſtituta: cum enim per illam Populus Dei quodammodo coadunaretur, & præpararetur, ſeu initiaretur ad legem, tandem, veniente lege hic ritus adoptatus eſt, & incorporatus in lege, iuxta illud Pauli ad Galat. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe: quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Qua propter habita eſt Circumciſio deinceps veluti

ti character populi Hebraici, & ſignaculum, ſub quo legem profitebantur ita, vt per opprobrium cæteræ nationes appellarentur *incircunciſi*, quo ſignificabatur, eos non eſſe de poſteritate Abrahami, cui per pactum Divinum cum eo, & eius poſteritate initum iuncta eſt talis Circumciſio; quamquam enim Herodotus tradat, primos omnium ÆgyptiosCircumciſionem obſervaſſe, vnde manaverit ad Iudæos, id planè erroneum eſt; quin potius de Hebræis hic ritus ita adhæſit Ægyptijs, vt nemo inter eos vel Aſtrologia, vel Sacerdotio dignus eſſet, qui Circumciſus non fuiſſet. Ita Origen. lib. 2. Comment. in Epiſt. ad Roman.

2 Præmittendum eſt ſecundò, nos non intendere vnicum finem Circumciſionis explicare: permittimus enim ei omnes fines accommodari, qui rei, & Authori congruere videbuntur; quin propterea probatos hic, vel diſputatos velimus omnes illos, qui à Doctoribus recenſentur. Inter hos Philo Iudæus, & Rabbi Moyſes Ægyptius nonnulla tradunt, à quibus cum Toſtato, & Pereira honeſtatis cauſa volumus abſtinere: non enim de Circumciſione anatomen inſtituimus; ſed duntaxat: *Num pro remedio Originalis inſtituta ſit?* Perſcrutamur, interea non inficiantes quinas ipſi ſignificationes, quas velit noſter Pererius, ſcilicèt primò eſſe ſignum *memorativum* pacti cum Abrahamo, & poſteris. Secundò *repræſentativum* illius fidei, quæ refulſit in Abraham. Tertiò *diſtinctivum* Hebræorum à cæteris. Quartò *demonſtrativum* morbi communis, ſeu peccati Originalis per generationem tranſfuſi, demonſtrativumque curationis ipſius, amputando videlicèt id, vbi primum concipiſcentia flagraverat: & tandem quintò *figurativum* Chriſtiani Baptiſmi, & Circumciſionis ſpiritualis tum vitiorum, tum etiam cupiditatum.

3 Præmittendum eſt tertiò: Circumciſionem omiſſam fuiſſe per totos quadraginta annos, quibus Populus Hebræus in deſerto ambulavit: ſivè quia labor itineris ſpatium temporis non relinquebat, vt infantuli convaleſcerent: ſivè quia in deſerto non eſſet occaſio confundendi populi Hebraici cum reliquis gentibus, de quo diſputant Authores, ſicut, & de nonnullis rebus alijs adCircumciſionem attinentibus. De quibus P. Vazquez in 3. part. diſput. 163. 164. & 165. His tactis, ne Tyro ad articulum accedat ineruditus, ſic præciſè interrogat articulus diſputandus, ſcilicèt: *An, & quomodo verus ſit ſenſus communis Scholaſticorum aientium, Circumciſionem in remedium peccati Originalis fuiſſe inſtitutam?* Quæ quidem controverſia eſt certè graviſſima, & multum difficilis ad reſolvendum in partem alterutram duplicis ſententiæ ex diametro diſputantis: quarum prima abſolutè negat, Circumciſionem in remedium Originalis fuiſſe inſtitutam, quam ſequuntur plures de antiquis Patribus tam Græcis, quàm Latinis, ſcilicèt Iuſtinus Martyr Dialog contra Triphonem. Iren. lib. 4. contra Hæreſes cap. 30. Chryſoſtomus Homil. 27. in Gen. Euſebius Cæſarienſis de Præparat. Evang. lib. 1. cap. 10. Epiphan. Hæreſ. 8. & 30. Origen. homil. 3. in Geneſ. Theodoretus quæſt. 67. in Geneſ. Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 26. Hieronymus ad Galat. lib. 1. cap. 3. Tertullianus contra Iudæos, cap. 3. OEcumenius ad Roman 2 Theophilactus ad Roman. 4. Item Gloſſa, & Lyra, Geneſ. 17. & 20. Philo tom. 2. de Circumciſione, & Ioſephus lib. 1. Antiquitatum quàtenus nullam faciunt mentionem de tali inſtitutione. Bellarminus lib. 2. de Sacrament. Vazquez in 1. 2. diſp. 130. cap. 2. Becanus in Analogia cap. 14. num. 7.

4 Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit, Circumciſionem inſtitutam fuiſ-

fuiſſe in remedium Originalis: quam ex Patribus ante Auguſtinum videntur amplecti Athanaſius Oratione in illud: *Omnia tradita ſunt mihi à Patre meo.* Cyprianus de Cardinalibus operibus Chriſti, cap. de Circumciſ. Ambroſius Epiſt. 84. ad medium. Auguſtinus veluti Ante ſignanus huius ſententiæ eam tradit pluribus in locis, ſcilicèt, lib. 3. cont. Iulianum cap. 18. & lib. 5. cap. 5. lib. 2. de Gratia Chriſti, & peccato Originali cap. 30. & 32. & lib. 2. de Nuptijs, cap. 11. & 12. & lib. 4. de Baptiſmo, cap. 14. lib. 2. cont. Litter. Petilia cap. 72. lib. 15. de Civit. Dei, cap. 16. & lib. 16. cap. 27. lib. de Pœnitentia, & Medicina, cap. 5. lib. 5. Hipognoſticon à medio, & tract. 2. in Ioann. Gregorius Magnus 4. Moral. cap. 2. & 3. Proſperus lib. de Promiſſionib. Dei 1. part. cap. 24. Iſidorus lib. in Geneſ. cap. 13. Beda lib. 2. in Luc. cap. 8. & homil. de Circunciſ. tom. 7. Bernardus ſerm. 3. de Circumciſ. & Epiſt. 77. Rupertus Abbas lib. 5. de Operib. Trinit. & in Geneſ. cap. 33. Hugo lib. 1. de Sacrament. part. 6. cap. 3. Pererius, & Salianus, atque noviſsimè Illuſtriſsimus Epiſcopus Cordubenſis D. Marcellinus, Siuri tom. 1. in Evang. tract. 18. cap. 4. poſt quos ſequuntur omnes Scholaſtici, vt inquit Suarez, ſine vlla opinionum diverſitate, ſcilicèt Magiſter in 4. diſtinct. 1. & cum eo Div. Thom. Scotus, Durandus, Bonaventura, Ricardus, Palud. Gabriel, & alij, & idem Div. Thomas 3. part. quæſt. 62. artic. 6. ad 3. & q. 7. art. 4. &c. Propter quem Scholaſticorum conſenſum, inquit Suarez, *ſine temeritate ſententiam contrariam defendi non poſſe*; ſed, cum ex adverſa parte videam ſtare noſtros Bellarminium, Vazquez, atque Becanum cum tam veteri copia electa Sanctorum Patrum id proferre non auſim.

5 Inter has ſententias capitaliter dimicantes meditatus ego tantiſper, cum vtraque incedi poſſe, putabam, ſi nimirum ratio vtrarumque partium pronuntiatis ſtuderet ſe accomodare, vt fecit noſter Suarius, qui tom. de Sacram. diſputat. 5. mediam viam ſelegit, vt vtriſque Authoribus ſatisfaciat. Ait ergo, Circumciſionem non fuiſſe primario inſtitutam in remedium Originalis, neque ad hoc habuiſſe maiorem vim, quàm Sacramentum legis naturæ, ſcilicèt interna, vel externa applicatio fidei Parentum pro parvulis; dicit verò, talem Circumciſionem remittere peccatum Originale ex inſtitutione Divina duntaxat ſecundariò, & quaſi conſequenter. Cuius quidem concordia fuſiùs ex dicendis conſtabit, quippè quam magna ex parte amplexabimur, & ſequemur, huc revocantes id, quod alias in hac Palæſtra conſtabilimus tum in quæſtione de pereuntibus Diluvio: tum in quæſt. de Sanctificatione Ieremiæ, ſcilicèt ſenſum, & interpretationem alicuius loci apud Eccleſiam, & eius Doctores invaleſcentem, vt litteralem, (& præſentim pro confirmando aliquo dogmate deſervientem) vel ſaltem vt efficacem, & probativam ſuſtinendam eſſe: eo quod communis Eccleſię, & Catholicorum opinio conteſtis videatur ab Spiritu Sancto manere, ibi præſertim, vbi priſci Patres rem tam adeò clarè, & vnanimiter non tradidere; cum Deus hominibus ſuos ſenſus, & Scripturas eo, quo oportet tempore manifeſtet.

6 Dico ergo neque cum Suario, neque ſine illo, *Circumciſionem fuiſſe inſtitutam in remedium Originalis; ſed vt remedium exercitum indirectè, ordinariè, & capitaliter.* Probabo primùm id, quod abſolutum eſt in concluſione noſtra, & poſteà illius modificationes aperiam, & explicabo. Probatur primò ex Pontifice Innocentio Tertio, cap. *Maiores* de Baptiſmo: nam primò comparat illa verba: *Maſculus, cuius præputij caro Circum-*

cumciſa non fuerit cum illis Evangelij: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Deinde ait: „ Quod etſi originalis culpa re-„ mittebatur perCircumciſionis myſte-„ rium, & damnationis periculum vi-„ tabatur; non tamen perveniebatur „ ad Regnum Cœlorum, quod vſque „ ad mortem Chriſti fuit omnibus ob-„ ſeratum; ſed per Sacramentum Bap-„ tiſmi culpa remittitur, & ad Reg-„ num Cœlorum pervenitur. Cum er-go hic Pontifex per hæc verba baptiſ-mum parvulorum vt neceſſarium ab argumento Circumciſionis tentet ſta-bilire, pro noſtra ſententia eſſe con-vincitur.

7 Probatur ſecundò concluſio ex Sanctis Patribus. Primò ex Athanaſio, qui, quamvis videatut non facere Cir-cumciſionem, niſi figuram Baptiſmi; nihilominus hæc habet verba multum pro nobis: „ Rebus autem ita conſti-„ tutis videtur Circumciſio data eſſe, vt „ auferretur vituperium terreni ſtem-„ matis ab Abrahamitis, quo in poſte-„ rum non ſimus obnoxij huic maledi-„ cto. *Terra es, & in terram ibis*: abla-„ tum enim eſt opprobrium delicti. Secundò ex Cypriano: „ Hoc cum „ octava die viſum ſit celebrari, & no-„ men Circumciſo aptari, intimatum „ eſt his, qui digni Sanctorum conſor-„ tio cenſebantur, quod eorum nomi-„ na ſcriberentur in Cœlis, & æternæ „ Beatitudinis hæredes fierent, & con-„ ſortes. Ex Gregorio Magno lib. 2. Commentar. in Iob: „ Quod verò „ apud nos valet aqua Baptiſmatis, hoc „ egit apud veteres, vel pro parvulis „ ſola fides, vel pro maioribus virtus „ ſacrificij, vel pro ijs, qui ex ſtirpe „ Abrahæ prodierunt myſterium Cir-„ cumciſionis. Beda: Præcipuè do-„ num ſignabat remiſsionis, quod ſolve-„ ret à peccato prævaricationis Adæ, „ quod donum per eiuſmodi Circum-„ ciſionem eo tempore miniſtrari ei-„ dem gratiæ, Legiſquelatori compla-„ cuit. Si ergo Circumciſio maledi-ctum, & opprobrium delicti auferebat; nomine Circumciſorum adſcribe-bat gloriæ, & deſcribebat in Cœlis; tantumdem olim valebat, quantum aqua Baptiſmatis; & donum erat id, quo tunc placuit Deo homines à pec-cato prævaricationis Adæ liberare: er-go pro Originali tollendo fuit inſtitu-ta.

8 Probatur tertiò concluſio ſpe-cialiſsimè ex Auguſtino, qui, vt vidi-mus in relatione ſententiarum, tam aſ-ſertor eſt huius ſententiæ, vt eam mul-tiplici in loco tradat, fulciat, atque colluſtret. Nos autem cætera præte-reuntes præcipuum fundamentum ip-ſius producimus, & explicamus in hunc modum. Geneſ. 17. proponitur pa-ctum Circumciſionis ſub hac pœna: *Maſculus, cuius præputij caro circumci-ſa non fuerit delebitur anima illius de po-pulo ſuo.* Sed hæc verba ita exponenda ſunt, vt dicant, quemlibet hominem etiam parvulum circumcidi debere, vt pertineat ad ſortem gratiæ, & Cœtum Sanctorum: ergo quia Circumciſio fuit inſtituta ad communicandam gratiam, & tollendum Originale. Probo mino-rem ſecundum expoſitionem Div. Au-guſtini, & Eucharij, & partim aliorum: per ly *maſculus* intelliguntur etiam par-vuli: per ly *deleri de populo ſuo*, ſignifi-catur *ſeparari à Cœtu Sanctorum, & ſor-te gratiæ.* Per ly *pactum meum irritum fecit* intelligitur *culpa Originalis, & vio-latio pacti cum Adam.* Sed hæc expoſi-tio, dum ſuſtineri poteſt, amplectenda eſt, ne à recepta Scholaſticorum ſententia diſcedamus: ergo illa verba ſic ſunt exponenda. Probo maiorem per partes, & primo primam ex ver-ſione Septuaginta Interpretum dicen-te: *Maſculus, cuius præputij caro octa-vo die circumciſa non fuerit*, in qua ly *octavo die* manifeſtè refertur ad parvu-los; ſed hæc verſio retineri debet: ergo ly Maſculus ſignificat parvulos etiam.

Mi-

Minor patet. Primò: Quia retenta eſt in impreſsione facta iuſſu Sixti Quinti. Secundò: Quia ea vtuntur Patres Auguſtinus loco citato, Ambroſius, Epiſt. 77. Origenes lib. 2. ad Roman. cap. 3. Tertiò: Quia cum Hebræa, & Vulgata non pugnat; ſed illam explicat, & eandem. Quartò: Quia indicium eſt, antiquam Sinagogam ſic legiſſe, & propterea illam fuiſſe particulam ab Interpretibus Septuaginta interſertam: ergo, &c. Secundò probatur eadem pars, quia in illis verbis Evangelij: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* quibus Sancti Patres comparant noſtra verba, intelliguntur etiam parvuli; ſed tàm vniverſalis eſt illa loquutio vtpotè indefinita in re dogmatica, quàm hæc loquutio Evangelij; & deinde vtrobique ſignificatur paſsio, & non actio, cuius infantuli ſunt incapaces, vt conſtat ex ipſis verbis: ergo, &c. Tertiò pars eadem quia pro hac expoſitione clamat ipſe contextus: quia prius dicit: *Infans octo dierum circumcidetur*, & poſteà: *Maſculus, cuius præputij caro circumciſſa non fuerit, &c.* Sed pœna legis loquitur cum eadem illa perſona, cui lex imponitur: ergo, ſi lex Circumciſionis eſt ad infantulos, etiam ad ipſos pœna, & comminatio referri debet.

9 Probo iam ſecundam partem illius maioris. Eàtenus illa verba *deleri de populo ſuo* non deberent intelligi de ſeparatione gratiæ, & gloriæ, quàtenus ſignificarent, incircumciſos non debere in hac vita in Sinagoga recenſeri, vt probatiores ſentiunt Interpretes, ſed extra illam fieri; atqui, hoc admiſſo, melius prior ſenſus reſultat: ergo tenendus eſt. Probo minorem: quod non baptizatus ſeparetur in hac vita à conſortio Iuſtorum, Eccleſiaque Militante, non eſt incompoſsibile; immò magis propriè ſignificat, ſeparandum eſſe à Triumphante in vita futura: ergo, &c. Antecedens eſt clarum, & conſequentia etiam patet, præſertim cum de more Scripturarum in veteri Teſtamento ſub vmbra premij, & pœnæ temporalis figuratur, atque deliteſcit æterna. Et quidem dici poteſt, quod tàm immediata ſub eiſdem vocibus ſignificatur vna, quàm altera, prima reſpiciendo ad temporalia; ſecunda ad æterna: quippè actiones hominis corpore, & Spiritu conſtantis in vtraque vita retributionem concernunt, & ipſis in vtraque vita, retributio ſimul offertur; licèt de ſupplicio aliter forſan ſit philoſophandum cum Patribus, & Theologis propter illum textum Nahum primò: *Non iudicabit Deus bis in id ipſum*: pronior eſt enim Deus ſemper ad miſerendum quam ad plectendum.

10 Probo denique tertiam partem illius maioris: tum ex Auguſtino, Iſidoro, & Beda: quia illud pactum, quod irritum fieret, non poteſt eſſe pactum Circumciſionis: quomodo enim infantulus mentis impos tale pactum irritum faceret? Tum & præcipuè: quia, licèt ibi ſenſus obvius ſit de pacto Circumciſionis; ſenſus tamen reconditus, & myſterioſus (qui in veteri Teſtamento ſæpiſsimè diliteſcit, & ſolum ſapientibus revelatur, & traditur) eſt de pacto illo priſco Dei cum Adam: ſivè quia hoc vere, & originaliter, & non perſonaliter irritaretur à parvulis non circumciſis. Sivè quia hoc dilucide explicatur à Suario cum Auguſtino, & Eucherio per hæc verba: „ Fortaſſe verò ſub hoc ſenſu voluit „ Spiritus Sanctus indicare culpam exi„ ſtentem in parvulo ex tranſgreſsione „ prioris pacti, quam natura humana „ in Adamo commiſit, vt Auguſtinus di„ xit; & ita in illis verbis immediatè „ ſignificatur ratio incurrendi illam pe„ nam, quæ eſt carentia remedij, per „ quod tollenda eſt culpa, quæ eſt cau„ ſa illius pœnæ; quæ etiam culpa my„ ſticè, ſeu in ſenſu magis recondito in-

„ recondito indicatur; & ita coincidit „ hæc expositio cum intentione Au- „ gustini, eamque significavit Euche- „ rius lib. 2. in Genes. cap. 14. Sivè quia iuxta doctrinas de sensu litterali à nobis expensas in hoc libro in quæstionibus de Diluvio, & Ieremiæ Sanctificatione sensus litteralis habendus est, & ab Spiritu Sancto præintentus in quibusdam locis ille, in quem clarescente in dies, & annos Ecclesiâ de lumine suorum Doctorum, hi Doctores vna conclamant, & penè vt receptum dogma tuentur; nunc sic. Sed ante Augustinum hic sensus attactus est, vel insinuatus; & post Augustinum tàm Patres, quàm Doctores Scholastici, qui sunt armigeri Ecclesiæ, pro eo vnanimiter decertant: ergo tenendus est. Conficitur ergo dum totius probationis fila contrahimus, ex illo textu Genes. 17. ad mentem Augustini, & Doctorum congruenter exposito, fuisse necessariam olim Circumcisionem pro remedio Originalis tàm parvulis, quàm adultis, atqui hoc est Circumcisionem verè, & in re institutam fuisse in remedium Originalis: ergo ita fuit. Nunc sic; sed stante congrua expositione textus sufficienti pondere authoritatis suffulta, in his sæculis, in quibus veritas inclarescit, præstat ire cum vniverso agmine Scholasticorum; præsertim, cum ad propugnandum dogma deservit, & Hæreticis repugnandum: ergo de primo ad vltimum nostra Conclusio ex tali textu ita debet erui, atque propugnari.

11 Probatur quartò denique à ratione, vel coniecturis. Primò: quia eàtenus non esset instituta Circumcisio propter Originale, quàtenus fuisset instituta ad consignandum, & distinguendum populum Dei; sed nostra expositio hanc non evertit; sed explicat, & elucidat: quis enim dicat, quòd signo illo, quo Deus notat, & seligit fideles populi sui, non aptissimè removeat signaculum Diaboli, & quòd hæc remotio culpæ Originalis non sit apta signatio? Ergo, &c. Secundò: quia inter figuram, & figuratum aptior regula institui non potest, quàm vt poni debeant in figura quotquot sine inconvenienti poni possint de figurato; sed Baptismus, qui figuratus est per Circumcisionem, pro remedio Originalis fuit institutus; & aliàs id Circumcisioni concedere non parit inconveniens, vel asigna: ergo, &c. Tertiò: quia nisi Circumcisio fuisset instituta propter Originale, non debuisset infantulis ita tenerrimis destinari; quin potius oporteret, ipsos iam adultos hoc signum accipere: tùm ad meritum obedientiæ: tùm ad cognitionem mysterij, & protestationis: ergo, &c. Quartò denique: quia, cum Originale per viam generationis traducatur, & in præputio quoque plus innotescat rebellio concupiscentiæ, perappositus est ritus circumcidendi carnem, & talem carnem, vt esset signum exterius illius gratiæ interioris, qua peccatum Originale depelleretur. Si ergo lex vetus habebat remedium Originalis, & vlterius Deus de more suo cum proportione significat exteriùs, quod interiùs agit (veluti constat in Sacramentis novæ legis) cur non dicemus, ritum tàm peraccommodum ad expiandum Originale in lege veteri, ad id ex Divina ordinatione esse institutum?

12 Secunda pars nostræ Conclusionis, non tàm probationem exposcit, quàm explicationem illarum vocum, quibus nostram sententiam modificamus. Dicimus ergo, Circumcisionem institutam fuisse non directè, & signatè; sed *exercitè*, & *indirectè* in remedium peccati Originalis, quatenus hic finis non fuit in Sacro textu signatus, & expressus; sed finis alius segregandi populum Dei, medio quo ipsa mundatio ab Originali instituebatur: vnde, cum hic finis tollendi

Originale involveretur in alio quaſi priori, ideò dicimus quaſi, *mediatè*, & *indirectè* fuiſſe inſtitutam in remedium Originalis; *exercitè* autem dicitur: quia, cum per eamdem actionem, qua poſteri Abrahæ applicabantur ad populum Dei, mundarentur quoque ab Originali; idem erat inſtituere Circumciſionem propter finem ſegregandi populum, qui finis expreſſus erat, ac *exercitè* illam inſtituere propter tollendum Originale: quippè vna, & eadem actio erat exercitium vtriuſque: quapropter, ſi velis, dicere etiam potes, Circumciſionem, nedum *indirectè*, & *mediatè*, ſed *immediatè*, & *directè* fuiſſe inſtitutam in remedium Originalis; non ſecus ac in ſegregationem populi; ſed cum hac differentia, quòd inſtitutio hæc reſpectu huius finis ſegregandi populum, erat obvia, clara, & aperta; reſpectu verò finis tollendi Originale erat myſterioſa, & abſcondita; ſed reſpectu vtriuſque erat immediata: nihil enim prohibet, quod vna, & eadem actio externa propter duplex motivum inſtituatur, quorum vnum exprimatur, & aliud occultetur: non ſecus ac cum dixit Propheta: *Ad ſacrificandum Domino veni*, habebat quidem hunc finem; ſed celabat alterum, quem etiam habebat vngendi Davidem.

13 Rurſus diximus in Concluſione, Circumciſionem fuiſſe inſtitutam in remedium *ordinarium* parvulorum: quippè, cum Circumciſio ante diem octavum non poſſet adhiberi; ſi infans ante talem diem periclitabatur, alio remedio providendus erat, ſcilicèt applicatione fidei interius, vel exterius aliter facta. Poſtremò dictum fuit, hoc remedium Circumſionis fuiſſe *capitaliter* inſtitutum, id eſt pro maſculis, qui totius generis humani capita reputantur; quamquam fœminis in hac re aliter conſulendum eſſet. Quod autem hoc Sacramentum pro vno duntaxat ſexu fuerit inſtitutum non eſt inconveniens: tùm quia Sacramentum Ordinis ſolum eſt inſtitutum pro maſculis, licèt tàm viri, quàm fœminæ eleventur ad ſupernaturalia, & vocentur ad Divina: tùm quia nihil prohibet in Sacramentis veteris legis, quæ per ſe non cauſant gratiam, ſpecialiter deputaſſe aliquem ritum, quo Deus vellet vni ſolum ſexui alligare applicationem fidei à parentibus faciendam, eo quod aliundè talis ritus practicari deberet alijs etiam de cauſis; & ſolum in tali ſexu praxis ipſius locum haberet: fuit ergo Circumciſio inſtituta in remedium Originalis duntaxat parvulorum maſculini ſexus, quàtenus ex voluntate Dei, dum populus recenſebatur per maſculos, ipſorum macula per ſolemniorem ritum poſtulabat abſtergi. Fœminis autem cum ipſæ in recenſendo populo Dei non deberent connumerari, ritum peculiarem, quo mundarentur, pro ipſis inſtituti non poſtulabant. Et hæc de tota probatione, explicationeque Concluſionis, quæ per appoſita comparatione explicari adhuc poteſt ſic: ſicuti vtriuſque ſexus eſt iuſtificatio, ſic vtriuſque ſexus eſt perfectio Chriſtiana: quemadmodum ergo cum hoc ſtat, quod aliqua via perfectionis ſit deſtinata vni duntaxat ſexui maſculino, ſcilicèt profeſsio Apoſtolica Societatis Ieſu, & profeſsio Epiſcopalis Clericorum Regularium, quæ nimirum inſtituta non ſunt communia ſexui fœmenino, ſicut inſtitutum Dominicanorum, & Franciſcanorum; ſic, licèt Iuſtificatio ſit pro vtroque ſexu; poteſt nihilominus dari aliqua via, ſeu ritus iuſtificandi ſolum pro maſculis deſtinatus, ſcilicèt Circumciſio.

14 Obijciuntur primò loca Divi Pauli ad Galat. 5. & 6. vbi dicitur, quod *neque Circumciſio aliquid valet*. Et ad Roman. 3. vbi recenſendo vtilitatem Circumciſionis per ſe dicitur: *quia nimirum illis credita ſunt eloquia Dei*; ſed,

si fuisset Circumcisio instituta in remedium Originalis ; aliquid valeret , & aliquam vtilitatem Iudæis præterquam ipsis fuisse credita eloquia Dei: ergo nullàtenus fuit instituta in remedium Originalis. Confirmatur ex locis ad Coloss. 2. & Philipp. 3. in quorum primo ait: *In expoliationem corporis carnis , &c.* in secundo: *Fiduciam in carne, &c.* Sed hoc non est contradistinguere Circumcisionem carnis ab Spirituali Circumcisione, & primam fateri ; secundam verò denegare : ergo iuxta Divum Paulum Circumcisio Hebræorum remedium Originalis non afferebat. Respondeo negando minorem; quamquam enim fuisset Circumcisio instituta in remedium Originalis , cum id fuisset pro lege veteri , necesse erat Christo veniente , & eius lege iam promulgata per orbem tale remedium iam nihil valiturum , & in hoc sensu ait Paulus: *In Christo Iesu neque Circumcisio aliquid valet , &c.* Neque vtilitas medendi , vel purgandi ab Originali desinit satis significari in illa capitali vtilitate , scilicèt: *quia credita sunt ipsis eloquia Dei*: Vnde Theodoretus hic enumerans alia plura , quæ pro gente Circumcisa , & Iudaica potuisset Paulus commemorasse inquit: *Solam legislationem posuit: quia hic maximus honos est.* Ratioque à priori ex Div. Hieronym. lib. 2 in Epist. ad Galat. in fine peti potest, dum ait de Circumcisione: *ideò vtilem Iudæis fuisse , quia illis credita sunt eloquia Dei , quæ in opera vertentes à salute extranei non fuerunt* : scimus enim in eo, quod est , Iudæis fuisse credita eloquia Dei , Deum dedisse ipsis coràm præcepta , & legem vitæ , & disciplinæ, scilicèt Verbum Dei propter opera Dei; in lege autem vitæ , & disciplinæ planè clauditur , etsi non exprimitur , quidquid ad interioris hominis plenam , & Divinam instructionem attinebat , cuiusmodi erat remedium Originalis. Secundò placet mihi adhunc locum responsio solida Illustrissimi Siuri tract. 18. cap. 4. num. 50. scilicèt , ibi non esse sermonem de vtilitate Circumcisionis absolutè loquendo ; sed de vtilitate comparativa respectu Gentilium , de quibus Paulus C. antecedenti ver. 25. dixerat , quod si custodirent legem; præputium illis in Circumcisione reputaretur. Vndè statim enascitur illa interrogatio: *Quid ergo amplius Iudæo est?* Cui respondet Paulus. *Quia credita sunt illis eloquia Dei.* Quo carebant Gentiles: vndè licèt vtrique haberent remedium Originalis, vel in remedio legis naturæ, vt Gentiles , vel in Circumcisione , vt Iudæi ; hi soli habebant eloquia Dei ad vitam personalem ritè instituendam. Ad confirmationem respondeo, Divum Paulum post Christi adventum semper vocitasse Circumcisionem opus merè carneum , & spiritu vacuum; licèt ante Christum vere Originale abstulisset; vnde ad Philipp. 3. ait: „ Nos enim sumus Circumcisio , qui spiritu servi„ mus Deo , & gloriamur in Christo „ Iesu , & non in carne , fiduciam ha„ bentes , quamquam & ego habeam „ confidentiam, & in carne. Hæc confidentia in carne est dicere: *Si Circumcisio adhuc prodesset , neque ipsa mihi de est.*

15 Obijcitur secundò refertissimum agmen Sanctorum Patrum , quos congerit Suarez disput. 5. & nos in relatione sententiarum dedimus , dicentes expresè non salutem , & iustitiam; sed notam, cauterium, & per se populi segregationem involvi , & importari; in Circumcisione : sed contra tot , & tam priscos Patres in re gravissima militandum non est : ergo Circumcisio non fuit instituta in remedium Originalis. Respondeo primò distinguendo minorem : non est militandum sine pari agmine Patrum , & Doctorum pro nobis stantium , concedo minorem; cum illo , nego minorem , & iam patet quales , & quot nobis suffragentur.

Reſpondeo ſecundò, diſtinguendo maiorem: loquendo de primaria, directa, & expreſſa inſtitutione, concedo maiorem; de ſecundaria, indirecta, & occulta, nego maiorem, & permiſſa minori, nego conſequentiam: priſci enim Sancti Patres Græci, & Latini magis propinquantes ad eorum tempora ſcribebant contra Iudæos, qui omnem ſpem in ſua Circumciſione collocabant: vnde efficaciſsimè contendebant, illam vt ſpecialem quamdam cæremoniam Iudaicam nil eſſe, & nil valuiſſe, niſi populi Hebraici characterem, & notam, quæ Chriſto iam in carne, & eius lege reſonante evanuerat; non tamen negabant (quippè nec tum agebant) *num talis Circumciſio in vi illius ſubobſcuræ fidei, quæ tunc dabatur in Meſſiam venturum, deleret Originale*: quare de hac ſecundaria inſtitutione non erat illis ſermo, quippè Iudæis, Chriſtum, & baptiſma negantibus, opportunus non videbatur. Auguſtinus verò cum contra Pelagianos pro peccati Originalis vera exiſtentia dimicaret, in hoc ſenſu ſecundo, qui ad rem erat vtilis diſputavit, & ideò, vt ſpecialis aſſertor, & vindex eum eſt perſequutus: quare per hanc viam Sancti Patres congruentiſsimè componuntur; quinimò nos vniverſam Catholicorum Scholaſticorum aciem ſequi debemus, quippè qui priſcorum Patrum dogmatica diſsidia iuſta ratiocinatione compoſuerint, atque dirimerint.

16 Obijcitur tertiò: remedium Originalis pro vtroque ſexu debebat inſtitui: vterque enim erat infectus; ſed Circumciſio non habebat locum in fœminis: ergo neque fuit inſtituta in remedium Originalis. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: remedium ſimpliciter neceſſarium, & vniverſale, concedo maiorem; remedium Originalis, quod non ſit ſimpliciter neceſſarium, & vniverſale debebat inſtitui pro vtroque ſexu, ſubdiſtinguo: ſi aliàs, vel aliunde provideretur alteri ſexui; nego maiorem; non providendo aliàs alteri ſexui, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: ex ijs enim, quæ ſuprà fuſè tetigimus, ſatis conſtitit, potuiſſe aliquod Sacramentum vni tantum ſexui deſtinari; v. gr. *Ordinem*, & poſſe alicui ſexui peculiarem aliquam viam iuſtificationis (ſicut & perfectionis) inſtitui, dummodo etiam ſexui alteri ſua via, & iuſtificationis, & perfectionis remaneret. Conſtitit etiam ſatis cur talis ritus duntaxat maſculis deſignaretur: quia ſcilicèt purgari ab Originali eſtà militia Diaboli ad militiam Dei transferri; militia autem ſolum eſt maſculorum, & vbi maſculi deſcribuntur deſcriptæ intelliguntur & fœminę: quare, vt externè notaretur populus Dei maſculis duntaxat erat militaris nota invrenda, & quidem quæ propria eſſet tum ſexus, tum miniſterij, vt qui Deo militant etiam delectabiliora poſtponant. Fœminas autem, cum non deceret nota virilis, neque ipſarum foret prælium, propterquod deberent etiam viam generationis, ad quam præſertim videbantur in orbem inductæ, perrumpere; ideò eas alia pro tollendo Originali providentia concernit, ſcilicèt applicatio interna, vel externa fidei, provt in lege quoque naturæ præſtabatur pro perſonis ſingularibus liberandis. Vnde tandem, cum Circumciſio fuiſſet inſtar militaris Sacramenti, non erat pro fœminis. Dices: dantur fœminæ Ordinis Mercedariæ, & equeſtrium, quæ ſunt militares: ergo, &c. Reſpondeo diſtinguendo: pro orationibus, & pijs operibus, & famulatu muliebri ad militiam Sanctam deſervitura, concedo, ad negotium prælij deſtinatæ, nego antecedens, &c.

17 Obijcitur quartò: Si Circumciſio eſſet in remedium Originalis, vel eſſet in remedium neceſſarium, vel non neceſſarium; ſed neutrum dici poteſt er-

ergo non fuit inſtituta in remedium Originalis. Probatur minor quoad primam partem, ſcilicèt quod non fuerit remedium neceſſarium, ſecunda poſteà probanda. Primò: Quia Circumciſio iuxta Interpretes omiſſa fuit totis quadraginta annis in deſerto; ſed, ſi fuiſſet remedium neceſſarium pro expiando Originali, non fuiſſet ſic omiſſa: ergo, &c. Secundò: Si eſſet remedium neceſſarium, infantes morientes ante octavum diem decederent cum Originali; ſed credi non poteſt iſtiuſmodi infantibus non fuiſſe proviſum ad tollendum Originale: ergo, &c. Maior patet: quia ex præcepto Divino non licebat circumcidere ante diem octavum, & in caſu periculi ex iure naturæ non poſſet fieri Circumciſio: quia nimirum infantem iam in diſcrimine vitæ omninò interimeret. Probatur iam ſecunda pars, quod ſcilicèt non fuerit remedium non neceſſarium. Primò: Quia iuxta Innocentium Tertium in cap. *Maiores de Baptiſmo* neceſsitas Baptiſmi probatur ex neceſsitate Circumciſionis: ergo, ſi Circumciſio fuit in remedium Originalis, fuit vtique remedium neceſſarium. Secundò: Quia iuxta noſtram probationem, & locum Geneſ. à nobis cum Auguſtino explicatum: *Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit à gratia, & gloria erit exul*; ſed id denotat in Sacramento Circumciſionis neceſsitatem ſalutis: ergo fuit remedium neceſſarium.

18 Reſpondeo negando minorem, & antequam reſpondeam præmitto cum Suario, poſſe abſque inconvenienti; immò cum conciliatione Patrum dici, Circumciſionem non fuiſſe remedium neceſſarium Originalis; ſed quaſi commune, & quod regulariter primó applicabatur infantibus; licèt re vera ij poſſent alia via mundari ab Originali, & ita potuiſſe tum ante octavum diem, tum in deſerto ſalvos fieri ſine Circumciſione, & id apertè videtur ſentire Div. Thom. quæſt. 70. artic. 3. & 4. ad 3. Quæ opinio ex Suario claritatem quandam, & probabilitatem importat, ſi iactis in contrarium probationibus ſatisfiat, vt poſteà ſuo loco curabimus ſatisfacere. Modo autem ad primam partem minoris, & eius primam probationem reſpondeo ſic diſtinguendo minorem: ſi fuiſſet *neceſſaria infallibiliter* pro omni caſu, concedo minorem; ſi *exceptis aliquibus caſibus*, in quibus grave incommodum pervrgeret, nego minorem, & conſequentiam. Itaque Circumciſio erat remedium neceſſarium neceſsitate præcepti reſpectu adultorum, & neceſsitate medij ſaltem reſpectu parvulorum, quoties ſcilicèt aliquod grave incommodum applicationem Circumciſionis non impediebat: ita vt, ſi ſecluſſa ſpeciali gratia, vel neceſsitate, Parentes alio ritu vterentur ad expiandum Originale, nil ad ſalutem facerent, ſed ſuperſtitionem committerent. In probationibus autem prima, & ſecunda primæ partis clarè cognoſcitur interveniſſe illud incommodum, ſub quo Circumciſio non foret neceſſariò adhibenda: quæ enim maior neceſsitas, quàm vt infans non moreretur cum Originali, dum ab eo poſſet liberari alio ritu diſtincto à Circumciſione? Inſuper pro omittenda Circumciſione in deſerto vel intervenit Divina diſpenſatio, vt tradit Serarius in cap. 1. Joſue, vel iuxta Divum Thomam, Abulenſem, Maſium, Pererium, & alios apud eumdem, vera intervenit neceſsitas non circumcidendi infantes, eò quod ipſis crearetur periculum vitæ; cùm vrgentia profectionis ſemper inſtaret. De quibus omnibus liquet tali remedio Circumciſionis genus veræ neceſsitatis ad ſalutem competere;

etſi

etſi non pro omni caſu, & indiſpenſabiliter.

19 Ad probationes tandem ſecundæ partis accedentis, reſpondeo ad primam diſtinguendo antecedens: probatur quoad abſolutum neceſsitatis, concedo antecedens; quoad compara ivum, nego antecedens, & conſequentiam: ibi enim Summus Pontifex non vult omninò æquiparare Baptiſmum Circumciſioni, vt patet ex eo quod ſuum ibi relinquit diſcrimen inter vtrumque quoad introitum in Regnum Cœlorum: argumentabatur ergo Pontifex abſolute, & indefinitè neceſsitatem baptizandi parvulos, ex eo quod in lege veteri circumciderentur, quaſi ſicut infantium ætas ſubire debuit Circumciſionem, ita etiam modo deberet ſubire Baptiſmum; licèt quoad gradus neceſsitatis collationis vtriuſque ſua vnicuique ab altero diſcrimina remanerent: vnde ex hoc capite non ita Circumciſio neceſſaria concluditur, vt aliquando, & alicubi iuſtè non potuiſſet omitti. Ad ſecundam reſpondeo diſtinguendo maiorem: *Cuius præputij caro circumciſa non fuerit* in circumſtantijs, in quibus Circumciſio fuerit neceſſaria neceſsitate medij, vel præcepti, concedo maiorem; in quibus ita neceſſaria non fuerit, nego maiorem, & diſtinguo minorem: ſed id denotat *aliquando*, vel *ſæpè* neceſsitatem ſalutis, concedo minorem; *ſemper*, nego minorem, & conſequentiam: quorum terminorum explicatio fuit in ſuperioribus ſatis exhibita, & ex ea conſtat, fraudandum eſſe gratia, & gloria illum duntaxat ſivè parvulum, ſivè adultum, qui non circumcideretur in illis circunſtantijs, in quibus, & pro quibus illi Circumciſio foret iniuncta. Colligimus ergo iam ex toto argumento, Circumciſionem fuiſſe remedium abſolutè loquendo neceſſarium: ſiquidem rari caſus diſpenſationis, vel vrgentis neceſsitatis non tollunt abſolutam neceſsitatem ordinariam talis Sacramenti, & præcepti de eo ſuſcipiendo; cum quo tamen rectè componitur, in aliquibus caſibus, & pro Divino beneplacito tolli potuiſſe peccatum Originale ijſdem remedijs, quibus auferebatur in lege naturæ, & quibus ante Abraham iuſtificati ſunt Sancti Patres. Hic ſciſcitari quis poſſet: *Num Deus etiam ſine Baptiſmo ſalvare poſſet quemquam infantulum, quatenus id ageret per providentiam extraordinariam, ſivè gratioſam, & ſibi reſervatam, & per quam providentia ordinaria iuſtificationis inoffenſa relinqueretur, quatenus videlicet infantulus ille, qui ſalvaretur non id obtineret per providentiam ordinariam; ſed per illam extraordinariam, quam ſibi reſervavit Omnipotens Author Sacramentorum?* Non ſecus ac lex communis lata merendi gratiam coram Principe per hæc, vel illa geſta determinata, videtur non tollere quominus ipſe poſsit quempiam in ſui gratiam extraordinariè cooptare licèt talia non præſtitiſſet. Sed hæc fuſsiorem indaginem poſtulabunt. Et vide D. Bernard. Epiſt. 77.

20 Obijcitur quintò: Remedium Circumciſionis toto tempore deſerti vel conſtabat Iſraelitis eſſe aliquomodo neceſſarium pro tollendo Originali, vel non? Sed vtrumque eſt abſurdum: ergo & quod fuerit remedium neceſſarium Originalis. Probatur minor: ſi conſtabat, eſſe neceſſarium, videtur abſurdum dicere, eos per quadraginta annos tale remedium omiſiſſe in omni Populo Dei; ſed aliunde, ſi erat remedium neceſſarium videtur abſurdum dicere, quod Deus tam exactiſsimus Legislator ipſorum tale ipſis remedium non intimaſſet: ergo vtrumque eſt abſurdum. Reſpondeo dicendo, conſtitiſ-

ſe

se Israelitis tale remedium esse aliquomodò necessarium, scilicèt modo suprà relato, quando nimirum vel Deus non dispensaret, vel necessitas non vrgeret, cumque ex sententia Doctorum iam memorata per totos quadraginta annos, vel necessitas, vel dispensatio Dei intervenerit, sequitur non fuisse absurdam omissionem Circumcisionis tandiu, quamdiu necessariò adhiberi non debebatur; licèt cæteroquin foret necessariò adhibenda, vti post quadraginta annos adhiberi iam cœpit.

21 Objicitur sextò: Circumcisio iuxta Theologos, & Concilia non causabat gratiam; sed, si fuisset remedium Originalis, causavisset gratiam: ergo non fuit instituta in remedium Originalis. Probatur maior: Sacramenta veteris legis in eo differunt à Sacramentis novæ legis, quod hæc causant gratiam; secus illa: sed Circumcisio, etsi fuerit ante legem, tamen ex Theologis Sacramentum est veteris legis: ergo non causabat gratiam. Maior constat tum ex Concilio Florentino sub Eugenio IV. sessione vlt. in Decreto Fidei ad Armenos per hæc verba: „ Novæ legis „ Sacramenta multum differunt à Sa„ cramentis antiquæ legis: hæc enim „ non causabant gratiam; sed solum „ per passionem Christi dandam figu„ rabant; nostra verò Sacramenta, „ & continent gratiam, & digne „ suscipientibus eam conferunt. Tum ex Tridentino sess. 7. cap. 2. aiente: „ Si quis dixerit, Sacramenta novæ „ legis non differre à Sacramentis „ antiquæ, nisi quia sunt diversæ Cære„ moniæ, & ritus externi, anathema sit.

22 Respondeo primò distinguendo maiorem: non causabat gratiam propria virtute, & per se ipsam, concedo maiorem; non causabat gratiam; id est non erat medium, sub quo fieret protestatio fidei, & gratia adveniret, nego mai. & distinguo min. causavisset gratiam propria virtute, nego minorem; causavisset gratiam quàtenus sub ea fieret protestatio fidei in Christum, per quam olim fiebat iustificatio, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque componi potest, Circumcisionem propriè non causasse gratiam ex vi sua; & nihilominus fuisse institutam in remedium Originalis, quatenus illud esset signum determinatè institutum à Deo ad protestationem fidei masculorum, per quam iustificabantur, & gratiam accipiebant, vt dicit Augustinus de Nuptijs, & Concupiscentia reddens rationem quare Circumcisio tollebat Originale, scilicèt: *Quia per eamdem fidem venturi in carne Christi, & morituri pro nobis etiam iusti salvabantur antiqui.* Idem tradit Div. Thom. 3. part. quæst. 70. artic. 4. in Corp. his verbis: *In Circumcisione autem conferebatur gratia non ex virtute Circumcisionis; sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat Circumcisio: i. a scilicèt quod homo, qui accipiebat Circumcisionem profitebatur, se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis.* Et etiam ad hunc modum discurrunt plures Theologi: quare ex defectu Collationis gratiæ non est cur Circumcisioni auferatur ratio remedij ad tollendum Originale: vnde, vt inquit Coninc de Sacrament. quæst. 62. artic. 6. concluf. 3. semper salvatur vera differentia relata à Concilijs in causando gratiam inter Circumcisionem, & Sacramenta novæ legis: hæc enim per se ipsa, & sua virtute, & ex opere operato causant gratiam; secus autem Circumcisio.

23 Respondeo secundò: Supponendo prius doctrinam Theologorum, quorum aliqui, vt Hugo Victorinus, Alensis, & Bonaventura dicunt in Sacramentis veteris legis

datam fuiſſe gratiam non ſolum ex merito operantis, ſed præter illud; alij autem loquendo de Circumciſione manifeſtè pronuntiant, ipſam dediſſe gratiam parvulis ex opere operato. Ita Scotus, Gabriel, Alenſis, Durandus, & Paludanus omnes apud Suarium de Sacrament. diſp. 10. ſect. 2. & 3. His poſitis ad argumentum diſtinguo maiorem: Circumciſio non cauſat gratiam ex opere operato ſimpliciter, & abſolutè loquendo, concedo maiorem; reſtrictè in caſu neceſsitatis parvulorum, nego maiorem, & diſtinguo minorem: cauſaviſſet gratiam ex opere operato ſimplicitèr, id eſt cuicumque non ponenti obicem, nego minorem; cauſaviſſet gratiam vel ex merito operantis, vel ex opere operato in caſu neceſsitatis parvulorum, concedo minorem, & nego conſequentiam. Igitur dico cum Suario, differentiam noſtrorum Sacramentorum à Circumciſione in cauſando gratiam ſemper remanere, quàtenus noſtra Sacramenta abſolutè, & ſimpliciter ex opere operato illam cauſant, id eſt independenter à merito operantis reſpectu cuiuslibet non ponentis obicem; Circumciſio verò illam conferebat adultis dependenter à merito ipſorum fidei proteſtativo; parvulis autem ex opere operato reſtrictè ſumpto pro neceſsitate ipſorum, quatenus propter eam Deus illum effectum conferebat non tàm ex virtute Sacramenti, quàm ſupplendo ineffaciam ipſius, & hoc eſt quod ait Conink dum dicit loco citato: *Si quando autem conferebant, hoc in adultis fiebat ex opere operantis, aut in parvulis ex ſingulari privilegio non Sacramenti, ſed parvulorum. Et ita intelligendus Auguſtinus, & alij, qui dicunt Circumciſionem contuliſſe gratiam.* Dicitur autem hæc collatio gratiæ reſpectu parvulorum *ex opere operato* non tam propter id, quod ſonant verba, ſcilicèt *per vim ipſius operis*, ſed quàtenus confertur gratia independenter à merito operantis. Conſtat ergo, & Circumciſionem differre à Sacramentis novæ legis in cauſando gratiam; & nihilominus ſufficienter ſecum gratiam afferre ad tollendum Originale. Quæ omnia dicta ſunt conformiter ad primam ſuppoſitionem, quam fecimus in hac quæſtione. Nam ſi diceremus cum Scotiſtis, Pererio ad Rom. 4. d. 6. & Siuri tract. 18. cap. 4. num. 70. Circumciſionem, quæ tandiu legem anteceſſerat, non fuiſſe Sacramentum veteris legis; facilior via ſe extricandi appareret à textibus Concilij Florentini, & Tridentini. Quam quidem viam in ſua probabilitate relinquimus.

24 Obijcitur ſeptimò: Si Circumciſio inſtituta fuiſſet in remedium Originalis fuiſſet ſacra, & religioſa cæremonia; ſed ita non fuit: ergo non fuit inſtituta in remedium Originalis. Probatur minor: multæ gentes impiæ, & infideles vtebantur hac cæremonia, vt tradunt Epiphanius Hæreſ. 30. Ambroſius, Epiſt. 77. Origenes lib. 2. in Epiſt. ad Roman. cap. 3. circa finem, & lib. 5. contra Celſum poſt medium; ſed non vſi ſunt eà tamquam religioſa cæremonia: ergo, &c. Probatur minor: ſi vſi fuiſſent tali cæremonia ritu Sacro, & religioſo, tales infideles per ipſam fuiſſent iuſtificati; ſed non videtur dicendum, gentes impias, & infideles Sacramentum iuſtificationis accepiſſe: ergo neque vſas eſſe Sacro ritu Circumciſionis. Reſpondeo ad argumentum iuxta duplicem ſolutionem obiectionis præcedentis. Iuxta primam negando minorem, ad cuius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: tamquam *Sacra, & fructuoſa*, ſeu *gratiam conferente*, concedo minorem; tamquam *Sacra, &*

re-

religiosa ideſt ſuperſtitiosè vſurpata, & evanida religioſitate, nego minorem, & conſequentiam: non enim negamus, plures Gentiles tali ceremoniâ vſos eſſe, & quidem quaſi religioſa, vel ſuperſtitioſo fine: neque enim ad aliud talis ritus videbatur eſſe expetendus; cæterum ab ipſis evanidè adhibebatur, & ſine fructu: quandoquidem, vt eſſet remedium Originalis opus erat fidei Chriſti venturi; qua, cum carerent, & parvuli ipſorum pariter, & adulti, remedium Originalis per ipſam non parabatur: potuit ergo ritus ille, qui Gentilibus erat evanidus, & merè externus, eſſe Iudęis fructuoſus, & medicinalis.

25 Iuxta ſecundam reſpondeo, ſecundò negando minorem, & minorem probationis, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: ſi vſi fuiſſent *ritu pleno* tàm externo, quàm ex parte intentionis Miniſtri confuſè, vel clarè, concedo maiorem; ſi ſine intentione Miniſtri, vel debito ritu, nego maiorem, & diſtinguo minorem: non eſt dicendum accepiſſe Sacramentum iuſtificationis primo modo collatum, nego minorem; ſi ſecundò modo conferretur, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque dico cum Suario diſput. 10. de Sacram. ſect. 1. poſſe nos loqui de Circumciſione tunc temporis ad eum modum, quo nunc loquimur de Baptiſmo reſpectu parvulorum: cum enim ſuprà dixerimus, quod Circumciſio ex opere operato gratiam conferebat, hoc eſt ſtatim ac opus agebatur communicabatur gratia, ſupplente Deo ineffi-caciam Circumciſionis, quin meritum operantis requireretur, ſic modo theologizare poſſumus, & dicere, quod ſicut Baptiſmus rite collatus ab infidelibus, qui veram fidem proteſtari non poſſunt valet quidem, ſi non deſit intentio vel clara faciendi tale Sacramentum, vel ſaltem confuſa faciendi id, quod Chriſtus inſtituit, & intendit Eccleſia, ſic ſimiliter dicendum eſt, quod ſi Gentiles olim circumcidentes parvulos ſuos, id faciebant ſub ritu externo debito, & cum intentione clara, vel confuſa ſanctificandi ſuos parvulos, aut conſecrandi illos Deo, aut imitandi Abraham, & veram fidem Populi Hebraici, aut gerendi quod Deus inſtituit, verè tunc caſus infantuli mundabantur ab Originali, non ſecus ac modo per Baptiſmum ritè ab infidelibus collatum regenerantur in Spiritu: & ſicut hi poſtmodùm à pravitate Hæretica corrumpuntur, illi ſimiliter corrumperentur à vitijs, & ſuperſtitione Gentilica. Colligitur ergo de primò ad vltimum, talem Circumſionem potuiſſe eſſe in remedium Originalis; quamquam apud Gentiles etiam adhiberetur.

26 Obijcitur octavò: Si ita inſtituta fuiſſet Circumciſio in remedium Originalis non videretur omittenda inſtitutio tam principalis, vel ab Scriptore Canonico, vel à fideli Hiſtoria Hebræorum, præſertim vbi de eius cauſis, & inſtitutione differitur; ſed planè omittitur vtrobique: ergo quia talis inſtitutio non adfuit. Probatur minor, quoad primam partem: Geneſ. 17. refertur inſtitutio Circumciſionis ſub his verbis: *Vt ſit in ſignum fœderis inter me, & vos:::: eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*; ſed hic nulla fit mentio de remedio Originalis: ergo, &c. Probatur ſecunda pars minoris: quia Philo lib. de Circumciſ. tom. 2. & Ioſephus lib. 1. Antiquit. cap. 18. loquuntur de cauſis, & inſtitutione Circumciſionis; ſed nullam faciunt mentionem de remedio Originalis: ergo, &c. In hoc argumento in primis inſtat D. Siuri promptus, & opportunus. Quia ſimiliter Philo, & Ioſephus de nullo remedio Originalis mentionem faciunt; & tamen inde argui non poteſt quod nullum

lum fuiſſet. Deinde ſatis conſtat ex noſtra Palæſtra Scholaſtica, & ex Authoribus paſsim argumentum ab authoritate *negativè* non eſſe admodum firmum: ita vt non valeat: *In eo textu non dicitur: ergo non eſt.* Quibus poſitis. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: non videretur omittenda ab Scriptore Canonico ſaltem *in confuſſo*, & *arcanè* concedo maiorem; *clarè*, & *expreſsè*, nego maiorem, vel ſubdiſtinguo ſecundam partem maioris: ab Hiſtoria fidedigna, ſi Hiſtoricus benè percalluiſſet Scripturarum verba, & arcana, concedo maiorem; ſi ſecus, nego maiorem, & conceſſa minori quoad ſecundam partem, diſtinguo quoad primam: Scriptor Canonicus nullam facit mentionem de remedio Originalis *claram*, & *expreſſam*, concedo minorem; *implicitam*, & *arcanam*, nego minorem, & conſequentiam. Dicit enim Deus in eodem ipſo capite, finem Circumciſionis eſſe hunc: *Vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.* Quis ergo cum audiat hæc, & ſimul verba Pauli ad Rom 4. *Signum accepit Circumciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei* ſtatim non pronuntiabit quod Deus ille, qui tanto ſignaculo ſuum volebat populum inſignire, non eum vellet cum toto ſemine poſteritatis per characterem Circumciſionis à peccato Originali mundare, vt Sanctè, & legitimè ad militandum Deo de militia diaboli transferrentur? Patet ergo, Scriptorem Canonicum omnia ad Circumciſionem attinentia verbis pauculis comprehendiſſe, & *quaſi Sacramentaliter* retuliſſe ritum tam principaliſsimi Sacramenti.

27 Quoad Hiſtoricos verò Philonem, & Ioſephum dico: nullius roboris eſſe ad argumentandum hiſtoricam in hac re prætermiſsionem vtriuſque: cum enim in Scripturis Sanctis plura arcaniſsimè traderentur, quorum revelatio non erat debita Rabbinis humana eruditione valentibus, præſertim circa figuras Chriſti, & novæ legis, quas neuter bene complexus eſt; id circo mirum non eſt, eos omiſiſſe, quæ non intellexerint: plura enim in figura eis contingebant, vt videntes non intelligerent; poſtmodum verò dum venit lux in mundum, per quam clareſcerent, vti, & claruerunt loca plurima Scripturarum, arcana quoque plurima ſunt reſerata, donatuſque eſt nobis intellectus eorum, quæ ipſi non ſunt aſſequuti. Vbi obiter repetendum venit, quod, cum in dies etiam apud Eccleſiam Catholicam myſteriorum veritas inclareſcat, plurimi habendi ſunt quoad intelligentias dogmaticas Patres, & Theologi Recentiores moribus, & litteris probatiſsimi; neque hi nimis poſthabendi ſunt priſcis Patribus, qui fortaſsis ſuo tempore non omnia ſunt aſſequuti, eò quod vel contra errores aliquos decertantes pluſculum in partes alteras deflexiſſent; vel quod nedum tantas, & tot monimentorum claras notitias, vel tot Eccleſiæ declarationes habuerint. Vnde, ſi pro ſententia contraria aliqui de veteribus Patribus allegantur, dicito, vel dum flocci faciunt Circumciſionem, id facere poſt Chriſtum iuxta illud Pauli: *In Chriſto Ieſù neque Circumciſio aliquid valet, &c.* Vel tales Patres decertantes contra Iudæorum perfidiam pluſculum declinaſſe ad minuendam Circumciſionem, ne perfidia Hebraica in ea, veluti in latibulo foveretur. Vel tandem eorum ſententiam Patribus, & Doctorum agmini poſterioribus debere manus dare, eò quod noſtra ſententia magis iam per Eccleſiæ Catholicæ placitum adoptetur. Atque, vt pateat hæc ſecunda interpretatio Patrum, notari debet quod in opere altercationis Eccleſiæ, & Sinagogæ quod invenitur 6. tom. Oper. Auguſt. etiam ipſe Auguſtinus, qui noſter Anteſignanus eſt, contra nos ſtare videtur, vt videlicet Sina-

Sinagogam,& Iudęos revincat;niſi malis, quod tale opus non ſit Auguſtini, vt aliqui cenſent. Dicito vt malis: non enim hæc reflexio à nobis notatur propter indigentiam; ſed propter copiam. Replicabis pulchrè ad hæc. Circumciſio quantum valet eſt in Chriſto Ieſu,vt nuper diximus, & vt dicemus Decad. 4. & 5. Ergo falſum erit, quod in Chriſto Ieſu nil valet. Reſpondeo conceſſo antec. neg. conſequentiam: verum enim eſt,quodCircumciſio valebat in fide Chriſti venturi, ſed exiſtente Chriſto Ieſu iam in mundo, ea nil valet.

***

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS AD ILLA VERBA.

OLEUM SANCTÆ UNCTIONIS DEI SUPER IPSUM eſt. Lev. 21. verſ. 12.

ARTICULUS

AN OLEUM, QUO IN LEGE VETERI TUM REGES, tum Sacerdotes, & Pontifices vngebantur fuerit idem, necne?

NOTABILIA.

1 ANTE huius quæſtionis reſolutionem præmittere opportet, tum præceptum,quod dabatur in lege veteri de vngendis Pontificibus, & Sacerdotibus per hæc verba Exodi cap. 30. verſ. 30. *Aaron, & filios eius vnges, ſanctificabiſque eos,vt Sacerdotio fungantur mihi.* Tum morem, etſi non præceptum ſimiliter vngendi Reges,quemadmodùm ex repetitis textibus conſtat: Samuel enim vnxit Saulem, atque Davidem, vt traditur 1. Reg. 10. verſ. 21.& 1.Reg. 16.verſ.13. Item Iehu fuit vnctus à Filio Prophetæ 4.Reg. cap. 9. verſ. 6. Salomon à Sadoc 3. Reg. 1. verſ. 38. Ioas à Ioiada 4. Reg. cap. 11. verſ. 12. necnon fuit vnctus Achaz 4.Reg.cap.23.v.30. Cumquè de more conſter,invnctos eſſe Reges Iuda, & Iſrael: & inſuper ex præcepto vngi debere Pontifices, ſtatim dubium exoritur: num eodem Oleo, an diverſo Reges, Sacerdotes, ac Pontifices vngerentur.

2 In qua quæſtione duplex præcipua ſententia venit conſideranda. Quarum prima tradit eodem Oleo,

quo Pontifices vngebantur, Reges quoque vnctos esse. Quam tenet in primis Genebrardus in Psalm. 24. Ioannes Bochius, & insinuat Euthymius in Psalm. 88. vers. 21. Pineda lib. 2. de Rebus Salomonis cap. 6. Barradas tom. 2. in Evang. cap. 41. lib. 3. & etiam Abulensis in Exod. 30. vers. 30. post, quæst. 13. D. Isidorus de Officijs cap. 25. Secunda verò sententia per oppositum asserit, diversum fuisse oleum, quo Sacerdotes vngebantur à Deo, quo vngebantur Reges. Hanc tenet Ystela, Caietanus, Oleaster, Lipomanus, necnon Augustinus, quos citat; & sequitur Ioannes Lorinus in Psalm. 88. vers. 21. Item Becanus in Analogia cap. 16.

3 Adhæreo igitur huic secundæ sententiæ, & sic eam probo, & prius explico discrimen, quod dabatur inter oleum, quo vngebantur Pontifices, & oleum, quo Reges vngebantur: hoc enim erat oleum omninò simplex; illud verò re, & nomine erat compositum, quippè, non appellabatur oleum simpliciter, sed *oleum Sanctum*, & re ipsa vnguentum erat confectum ex oleo, mirrha, cinnamomo, calamo, & casia, vt constat Exodi 29. vers. 7. & Exod. 30. vers. 23. Quo posito ad probationem accedo sub hac forma. Lex promulgata Exod. 30. vers. 30. specialibus verbis destinat, oleum Sanctæ Vnctionis pro Sacerdotibus, & Pontificibus, & speciali prohibitione tale oleum interdicit cuilibet alteri. Sed Reges non erant de Sacerdotibus, & Lex clara Scripturæ ad verbum intelligenda est, nullis obstantibus coniecturis: ergo diversum fuit oleum Regum, & Sacerdotum. Minor quoad primam partem est certa, & quoad secundam satis consona regulis interpretandi Sacras Scripturas. Maior verò probatur ex textu, qui hæc habet verba: „ Aaron, & filios eius „ vnges, sacrificabisque eos, vt Sacerdotio fungantur mihi, filijs quoque „ Israel dices. Hoc oleum Vnctionis „ Sanctum erit mihi in generationes „ vestras. Caro hominis non vngetur ex „ eo, & iuxta compositionem eius non „ facietis aliud, quia sanctificatum est, „ & Sanctum erit vobis. Homo qui- „ cumque tale composuerit, & dede- „ rit ex eo alieno exterminabitur de „ Populo suo.

4 Probatur secundò: iuxtà Regulas Sacræ Scripturæ, quoties in aliquo verbo, vel phrasi invenitur appendiculum distinctionis, sine quo non vsurpatur; arguitur discrimen significandi quoties tale appendiculum deest: sed quoties Scriptura vsurpat oleum pro vngendis Pontificibus semper apponit appendiculum distinctionis, vocando illud *oleum Vnctionis*, vel *vnguentum*, ècontra verò in Vnctionibus Regum oleum simpliciter, & sine tali appendiculo nominatur: ergo boni Interpretes retinere debent discrimen inter vtrumquè. Minor probanda est recensendo ex altera parte textus, quibus Pontifices inunguntur; & textus, quibus Vncti sunt Reges: Sic se habent primi. Exod. 29. vers. 5. *oleum Vnctionis fundes super caput eius*, cap. 30. vers. 25. *Facieque Vnctionis oleum Sanctum, vnguentum compositum, opere vnguentarij*, vers. 31. *Hoc oleum Vnctionis Sanctum erit nobis.* & Levit. 21. vers. 12. *Oleum Sanctæ Vnctionis Dei super eum est.* Secundi verò sic se habent 1. Reg. 10. vers. 1. *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius*, cap. 16. vers. 13. *Tulit Samuel cornu olei, & vnxit Dauidem in medio fratrum eius*, & 4. Reg. 9. vers. 1. *Tolle lenticulam olei, & funde super caput eius.* Ex quibus omnibus textibus patet, invngendis Regibus oleum simpliciter nominari, invngendis verò Pontificibus oleum Vnctionis, sivè vnguentum: Ex quo perpetuo discrimine nominandi, discrimen etiam rei significatæ concluditur.

Prob.

5 Prob. tertiò : Ex P. Becano in Analogia, cap. 16. quæſt. 7. num. 5. & 7 ferè ad verbum. Oleum effuſſum ſuper caput Pontificis erat impedimentum, ne funera mortuorum proſequerentur: ſed Oleum effuſſum ſuper caput Regum non erat huiuſmodi: ergo erant diverſa. Maior conſtat ex Levit. 21. v. 10. vbi dicitur de Pontifice: *Ad omnem mortuum non ingrediatur omninò ::: Quia Oleum Sanctæ Vnctionis Dei ſui ſuper eum eſt.* Probo minorem. Nam David proſequutus eſt funera Saulis, & Ionathæ omni ritu exteriori, iuxta illud 2. Reg. 1. verſ. 11. *Apprehendens autem David veſtimenta ſua ſcidit, omneſquè viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleverunt, & ieiunarunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius.*

6 Confirmatur primò : Oleum Sanctæ Vnctionis tractari non poterat, niſi à Pontifice, & Sacerdotibus. Atqui Saul, David, & Iehu vncti ſunt à Prophetis, non Sacerdotibus : ergo non eodem Oleo. Secundò: Quia Hazael Rex Siriæ vnctus eſt ab Elia, 3. Reg. 19. & vt videtur, ex eadem lenticula Olei, qua vnctus fuit Iehu, & Eliſeus. Sed Rex Gentilis, qualis erat Hazael Oleo Sanctæ Vnctionis non erat vngendus : ergo nec Iehu, nequè Eliſeus. Tertiò David vnctus fuit ter : ergo non Oleo Sanctæ Vnctionis. Probo conſequentiam : Quia nec Pontifex quidem tali Oleo ter vngebatur.

7 Obijcitur primò : David vnctus fuit Oleo Sancto, vt conſtat ex Pſalm. 88. *Oleo Sancto meo vnxi eum*; ſed Oleum Sanctum, idem eſt, ac Oleum Sanctæ Vnctionis : ergo Reges vngebantur eodem Oleo Sanctæ Vnctionis, quo vngebantur Pontifices. Reſpondeo diſtinguo minorem : In tota ſua latitudine generica, nego minorem, in aliqua conſideratione ſpecifica, concedo minorem, & nego conſequentiam : Quia latiùs patet Oleum Sanctum, quam Oleum Sanctæ Vnctionis. Hoc enim licèt ſit Oleum Sanctum, addit inſuper conſecrationem compoſitionis, quam ſupra tetigimus: Itaquè Oleum Sanctæ Vnctionis erat Sanctum, quaſi activè, quia ſanctificabat Deo Pontifices: Oleum verò Regum, & Prophetarum erat ſanctum figurativè ratione myſterij, quia erat figura illius Olei, quo poſteà ſanctificatus eſt Chriſtus ; dicitur enim Pſalm. 44. verſ. 10. *Vnxit te Deus Oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Secundò dicit poteſt, tale Oleum fuiſſe ſanctum *denominativè* vel ratione loci : quia, licèt commune, tamen ſervabatur in Tabernaculo, pro lucernis; vel ratione perſonæ illum effundentis, ſcilicèt Samuelis Prophetæ : quia Prophetæ habebantur, & vocabantur homines Dei.

8 Obijcitur ſecundò : Salomon vnctus fuit in Regem Oleo Sanctæ Vnctionis : ergo idem erat Oleum, quo Reges, & Pontifices vngebantur. Probo antecedens. Salomon vnctus fuit Oleo deſumpto de Tabernaculo, vt conſtat 3. Reg. cap. 1. verſ. 39. *Aſſumpſit Sadoc Sacerdos cornu Olei de Tabernaculo, & vnxit Salomonem.* Sed Oleum, quod in Tabernaculo ſervabatur non erat aliud niſi Oleum Sanctæ Vnctionis : quis enim dicat Oleum commune, & ſimplex debere in Tabernaculo cuſtodiri : ergo erat Oleum Sanctæ Vnctionis. Reſpondeo, negando antecedens, ad cuius probationem nego minorem cum probatione inſerta, conſtat enim ex Levit. cap. 24. Oleum etiam commune, ſed ſacris vſibus deſtinatum, etiam in Tabernaculo cuſtodiri, & quidem ex præcepto Domini per hæc verba : *Præcipe filijs Iſrael, vt afferant tibi Oleum de Olivis puriſſimum, ac lucidum ad concinnandas Lucernas iugiter extra vellum teſtimonij in Tabernaculo fœderis.* Quarè vel hoc ſimplici Oleo Reges invngebantur : quod vtpotè liquidius, in Vnctione Regum commemoratur frequenter cum Vaſe, ita vt hoc dicatur in recto, Oleum verò

rò in obliquo, v. gr. *cornu Olei*, *lenticulam Olei*. Cum tamen Oleum Sanctæ Vnctionis ſæpè per ſe, & ſine Vaſe commemoretur, quaſi quidem hoc foret ſpiſſa quadam confectione glutinoſus; illud autem ſua ſimplicitate liquidus. Vel ſi malis non ita vulgare Oleum in vngendis Regibus fuiſſe Solitum adhiberi; ſed medium aliud inter vtrumquè relatum, non ibo inficias; ſed proba, & ſuſtine: Nobis enim pars noſtra ſemper ſatis ſana relinquitur, quoties non idem ſit Oleum, quo Reges, & Pontifices vngebantur.

9 Obijcitur tertiò, cum Genebrardo. Saltem Salomon, & David vncti fuerunt Oleo Sanctæ Vnctionis: ergo ſaltem vniverſaliter non eſt vera concluſio. Probo antecedens. Primò. Traditio Hebræorum eſt, conſilio Samuelis, & Prophetarum diſpenſatum fuiſſe cum Regibus Familiæ Davidicæ, vt Sanctæ Vnctionis Oleo vngerentur. Secundò: Quia vnctio Familiæ Davidicæ fiebat in typum, & figuram Vnctionis Chriſti: ergo Oleo ſanctiſsimo peragebatur. Tertio: Nam ex eadem traditione conſtat, tale Oleum Vnctionis miraculosè non fuiſſe imminutum; etſi per nonaginta annos ex eo Pontifices, & Reges Davidici inungerentur: ergo, &c. Reſpondeo primò diſtinguo antecedens: ritu communi, nego antecedens: ritu privilegiato, permitto antecedens, & nego conſequentiam. Eſtò enim ſingulariter vnus, vel alter propter ſpecialem rationem Oleo Vnctionis vngeretur; nihilominus aliud Oleum Pontificibus, aliud verò erat, quod vngendis Regibus ſervabatur. Reſpondeo ſecundò negando antecedens, ad cuius primam probationem, diſtinguo antecedens cum Becano. Traditio legitima, & fidedigna, nego antecedens. Rabbina, & improbabilis, concedo antecedens, & nego conſequentiam; non enim Samuelis, aut cuiuſquè Prophetarum erat diſpenſare in lege divina prohibente, ne quis tali Oleo, præter Sacerdotes, & Pontifices, vngeretur. Ad ſecundam probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, licèt enim Chriſtus vt Rex figuraretur in Regibus, tamen Chriſtus vt Pontifex figurabatur in Pontificibus: Vndè ad altiorem typum ſacratius Oleum ſervandum erat. Ad tertium diſtinguo antecedens. Ex traditione omninò legitima, nego, ex traditione partim legitima, & veriſimili, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Duo enim dicit talis traditio, alterum eſt: tale Oleum per nonaginta annos miraculosè non fuiſſe imminutum, etſi ſæpè fuiſſet adhibitum: quod libentèr amplectimur vnà cum miraculo ampullæ cum Sacro chriſmate, quæ per mille, & centum annos vnxit Reges in Gallia, & miraculosè non eſt imminuta. Alterum verò eſt, tale Oleum Sanctæ Vnctionis per illos nonaginta annos, non ſolùm Sacerdotibus, & Pontificibus, ſed vngendis etiam Regibus deſerviſſe, & hoc eſt, quod negamus propter fundamenta, & Doctrinas ſuprà propoſitas.

10 Quod ſi ad calcem huius quæſtionis interroges: quænam ratio fuerit, vt Reges in veteri lege Oleo vngerentur, ſivè idem, ſivè diverſum illud ſit ab eo, quo Pontifices vngebantur? Præſtò ſunt illæ tres rationes, quas depromit inibi ipſe Becanus vbi ſuprà. Nempè primò, vt quemadmodum per hanc Vnctionem ſolitam Pontificibus adhiberi, eorum inter cæteros Eccleſiaſticos præeminentia refulgebat, & dignoſcebatur; ita inter Principes Sæculares per talem Vnctionem Reges diſtinguerentur. Ita Abulenſis 1. Reg. 10. quæſt. 1. Secunda ratio ſumitur ex Auguſtino Triumpho (non in Triumpho vt Bec.) in opere de poteſtate Eccleſiaſtica, quæſt. 38. artic. 2. Quia per eam Vnctionem indicabatur, dari Regibus quoddam animi robur, quandam

damque virtutem animi ad ſubditos protegendos, aut defendendos. Tertiò: Quia vt tetigimus, ſicut Chriſtus Pontifex per Pontifices ita Rex Chriſtus per Reges figurabatur: vnde Chriſti quoque ipſi etiam Reges appellabatur. Pſal. 104. verſ. 15. *Nolite tangere Chriſtos meos* Iſaiæ, *hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro* Conſule Serarium in Reges lib. 1. Reg. cap. 10.

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

IRATUS DOMINUS IN MOYSEM AIT: AARON frater tuus, &c. Exod. 4. verſ. 14.

ARTICULUS

UTRUM MOYSES ALIQUO MODO PECCAVERIT tergiverſando in educendo ex Egypto populum Iſrael?

NOTABILIA.

1 NOto primò: Quod cum Domino placuiſſet populum Iſraeliticum iam pridem apud Ægyptios dira ſervitute gementem de manu Pharaonis liberare; ad id muneris elegit ſibi dilectum famulum Moyſem, dilecti quoque Populi ducem, in hac expeditione futurum. Hic autem cum tardioris linguæ eſſet, valdèque de ſua dexteritate diffideret, multiplici excuſatione adverſus Deum tergiverſatus, id muneris à ſe depellere conabatur, quouſque tandem, iraſcente Domino, coactus fuit eiuſmodi expeditionem amplecti. Oritur autem exinde inter Interpretes ratio dubitandi non modica, num, ſcilicèt, Moyſes in hac tergiverſatione cum noxa aliqua, vel innocenter ſe geſſerit? Urget enim ex alia parte tanti viri probitas, Deo ſimul, & nobis ſummopere commendata; ex alia autem vrget textus ipſe Exodi cap. 4. verſ. 14. vbi dicitur: *Iratus Dominus in Moyſem.* Cumque Dominus erga nos iraſci non ſoleat, niſi noſtra peccata eum provocent; argumentum enaſcitur, profectò non contemnendum, ſuadens Moyſem aliquatenus peccaviſſe.

2 Noto ſecundò: Quod cum huiuſce difficultatis legitima reſolutio pendere prorſus videatur ex rità, rectaque interpretatione textus Exodi nuper relati; obſervare oportet ante omnia vim riguroſam illius ver-

verbi *iratus*, & quidem non ex mero latinitatis Theſauro, qui quandoque profunditatem Hebraici ſermonis non valet explere; ſed etiam ex ipſo quoque Hebraico fonte, vbi ita legitur: *Vaijchar-Aph.* Conſultis autem Hebraicis lexicis, invenitur tale verbum prodire ex radice, *Charab* ex verbis, quæ in Grammatica Hebraica vocantur quieſcentia, *Lamed, he*: cuius quidem radicis ſignificatum potiſsimum eſt *ardere*, ſeu *ardor*, vt tradit Pagninus ex Rabbi Kimehi ita loquens. *Nam vt Kimehi monet, præcipuus fons huius radicis eſt ardor. Vnde quia in ira quis æſtuat; pro ira æſtuare ſumi ſolet, & interdum ſtudio rei, aut operis faciendi, id eſt confirmavit ſe ad opus.* Ex quibus verbis clarè conſtat, hoc verbum *iraſci* non ita à fortiori ſumendum eſſe, vt ſemper intelligere debeamus iraſcentem, malè animatum erga eum, cui iraſcitur; quemadmodum apud David etiam dicitur: *iraſcimini, & nolite peccare*; ſed interdum ſumi poſſe, & ex circunſtantijs fortè deberi, pro efficaci conatu, ſtudio, vehementia, & ardore alicuius operis inexorabiliter vrgendi, maturandi, atque perficiendi.

3 His poſitis, triplex in hac re occurrit ſententia; quarum prima aſſerit, Moyſem in prædicta tergiverſatione læthaliter peccaſſe, quæ ſententia Hebræorum eſt, atque Rabbinorum, quibus inſolitum non eſt ſuos Legislatores impiè ſuſcipere, atque calumniari. Secunda ſententia mitius reſolvit difficultatem, ait enim, Moyſem venialiter peccaſſe in tàm crebra excuſatione, etſi eum à læthali noxa faciat immunem. Hanc tenet Alphonſus Toſtatus, quæſt. 6. in cap. 4. Exodi. Caietanus in cap. 4. Exodi: verſ. 14. Tertia verò ſententia defendit, Moyſem tàm longè abfuiſſe ab aliquo peccato etiam levi; quin potius in ea multiplici excuſatione laudabiliter ſe geſiſſe, & candidæ humilitatis ſigna monſtraſſe; quam ſententiam tuentur omnes PP. S. Baſilius in Iſaiam ad illa verba *ecce ego mitte me.* D. Hieronymus Epiſt. 142. ad Damaſum, Gregorius Magnus lib. 35. Moralium cap. 13. & in 1. part. Curæ Paſtoralis, Rupertus Abbas, & Benedictus Pererius in cap. 4. Exodi verſ. 14. diſp. 4.

4 Noſtra concluſio ſit cum AA. tertiæ ſententiæ, quam primò vna, vel altera authoritate, dein multiplici ratione fulciemus. Probat. 1. authoritate D. Gregor. Magn. in 1. part. Paſtoralis Curæ, cap. 7. aientis: *Utrumque* (obedientiam ſcilicèt, & humilitatem) *Moyſes miro opere explevit; qui præeſſe populo Hebræo & noluit, & obedivit:::::: vtrobique humilis, vtrobique ſubiectus, & præeſſe populis ſemetipſum metiendo noluit; & tamen de Imperantis viribus præſumendo conſenſit.* Item ex verbis D. Hieron. dicta Epiſt. 142. vbi poſt longam diſputationem, & comparationem inter Moyſem, & Iſaiam ſic totam concluſionem Sancti Doctoris Pererius noſter excerpſit. „Ex quo mani„feſte poſſe intelligi, & Iſaiam rectè „poſt purgata labia ſua in Dei ſe ob„tuliſſe miniſterium: & Moyſem ſuæ „conſcium infirmitatis, & tanti mu„neris magnitudine territum, laudabi„liter etiam tàm magnum miniſterium „recuſaſſe. Denique Ioſepus lib. 2. „antiquitatum, qui authoritatem fa„cit, dum Scripturæ non adverſatur, „Moyſem ita loquentem inducit: *Po„tentiæ tuæ, Domine, quam & ego „veneror, & maiores mei coluerunt, „non ſum tam inſanus, vt parere du„bitem.* Attamen ego dubito, quo„modo vir privatus, & nullis viri„bus præditus; vel meis popularibus „perſuadere potero, vt relicta terrà, „quam habitant, aliam ignotam ipſis, „multoque labore parandam, me du„ce quærant; vel tametſi hoc illis per„ſuaſero, quomodo Rex Pharao ſit „cogendus, vt Hebræos dimittat,

„quo-

„ quorum opera, & industria constat „ Ægyptiorum fœlicitas? Hucusque „ Iosephus.

5 Probatur secundò: Ratione multiplici. Primò à priori sic. Non est facilè admittendum peccatum in viro celeberrimo virtutis eximiæ, & qui est legifer, & exemplar Sanctæ Legis à Deo præscriptæ, nisi vrgeat pondus authoritatis, aut rationis inevitabile fundamentum. Sed pro peccato Moysis non adest maximum fundamentum, quod probabilissimè dilui non possit; & insuper authoritas PP. suprà relata potius ipsius innocentiam commendat, & meritum: ergo omnis culpa, tàm gravis, quàm levis ab ipso debet exterminari. Secundò à posteriori probatur sic. Si Moyses in tergiversatione prædicta peccasset, non nisi peccato maximo peccasset: (quia non leve, sed gravissimum esset, non semel, sed sæpius durà responsione facie ad faciem contra Dominum reluctari) sed peccato tali non peccavit: ergo nullo. Probatur minor. Si peccato huiuscemodi peccasset tale crimen immulctatum non remaneret. Sed propter tergiversationes dictas Moyses à Domino plexus non est: ergo non peccavit tali peccato. Maior patet. Non enim oportebat in viro, qui futurus esset norma legis, rebellem inobedientiam impunitam relinquere, nè posteris via non parendi legibus præberetur. Minor etiam constat ex Textu: vbi licèt legatur manus leprà in Moysis sinum immissa; statim sana etiam legitur ad confirmationem signorum, quibus deberet Moyses fidem sibi à populo conciliare.

6 Probatur tertiò conclusio cum vrgentia superioris rationis. Resistentia inferioris facta Omnipotenti Imperanti, si culpabilitèr fieret, non reportaret condescendentiam, gratiam, & benedictionem. Sed hæc omnia retulit Moyses tergiversando: ergo id præstitit sine culpa, & potiùs cum merito. Probatur minor. Deus indulsit Moysi cum gratia, & benedictione vtriusque, suum fratrem Aaron, quem Moyses pro tali legations postulabat, & quidem verbis bendictione plenissimis, scilicèt: „ Iratus Dominus ad Moy„ sem, ait, Aaron frater tuus levites „ scio, quod eloquens sit. Ecce ipse „ eggreditur in occursum tuum: vi„ densque te lætabitur corde: loquere „ ad eum, & pone verba mea in ore „ eius, & ego ero in ore tuo, & in ore „ illius, & ostendam vobis quid agere „ debeatis. Sed hæc nihil sonat nisi gratiam, benedictionem, & condescendentiam in Moysem: ergo, &c.

7 Probatur quartò: Per humilem deprecationem numquam fit culpa. Sed Moyses Domino non nisi semper obsecrans resistebat: ergo inculpabilitèr; imò & cum laude animi religiosi, & submissi. Minor patet ex contextu. Probatur maior. Deprecatio circa rem imperatam, id est, precatio, nequidpiam fiat, ad summum ostendit inclinationem deprecantis aversam; sed voluntatem penitùs subditam, (alioquin non obsecraret, sed negaret) sed vbi voluntas inferioris subditur superiori, noxa non cernitur: ergo per humilem deprecationem numquam fit culpa.

8 Probatur quintò denique, & efficacitèr. Si Moyses quodammodo peccasset, agnovisset ipse peccatum, tum in se, tum in Deo sibi subirascente; sed tale peccatum sivè grave, sivè leve, ipse non novit: ergo nullatenus peccavit. Maior patet; quippè altercatio illa satis erat deliberata, vnde si aliquomodo erat deordinata, ignorari non poterat ab ipso peccante; præsente Domino iam irascente. Probatur minor. Si Moyses agnovisset aliquod peccatum in prædicta tergiversatione, illud in sua Historia cum humili pœnitentia commemorasset, sed in toto Pentatheuco talis pœnitentia non extat: ergo quia ipse nul-

nullum cognovit erratum. Probatur maior. Moyſes, dum tales quinque libros ſcripſit, vir erat eximiæ virtutis, & cum Deo familiariſsimę coniunctionis; ſed vir huiuſcemodi cunctis hominibus legem laturus, non poterat ſuum peccatum commemorare ſine pœnitentia ipſi correſpondente; tùm propter ſatisfactionem ſui errati; tùm ne daret ſcandaloſum documentum poſteritati: ergo ſi peccatum agnoviſſet, illud cum humili pœnitentia commemoraſſet. Nunc ſic. Sed ſemel poſito, quod Moyſes nullatenus in tanta tergiverſatione peccaſſet; dicendum eſt laudabilitèr ſe geſsiſſe: ergo ita eſt aſſerendum. Minor probatur ex toto contextu: nam Moyſes ſe excuſando propter linguæ tarditatem à legatione tam honorifica proculdubio non vulgarem teſtabatur humilitatem, atque animi demiſsionem. Deindè id honoris ſuo fratri Aaron deferendo, pariter oſtendebat charitatem fraternitatis, ſincerita tem in diſcretione, animumque ab omni ſpecie ambitionis, & vanitatis longè remotum; ſed hæc omnia proculdubio ſunt laudabilia: ergo de primo ad vltimum nedum non peccavit Moyſes, dum tot excuſationes adhibuit; verum adeptus eſt laudabilitatem, & meritum.

9 Obijcies primo: Sacer Textus planè ait: Deum iratum fuiſſe in Moyſem; ſed Deus non iraſcitur niſi peccatori: ergo quia Moyſes aliquomodo peccavit. Minor conſtare videtur: quia ira Supremi Domini, & iudicis eſt affectus tendens cum vehementia propter tranſgreſsionem alicuius iuris ſui dominij, & ſuperioritatis; ſed hæc tranſgreſsio non fit ſine culpa: ergo, &c. Reſpondeo primo, cum Rupert. Diſtinguo maiorem. Planè iratum, irà *figuratè* acceptà, & pro negatione rei petitæ vſurpatà concedo. Irà *verè, & proprie tali*; nego maiorem, & diſtincta minore ſub eiſdem terminis, nego conſequentiam. Eſt enim iuxta Rupertum, ira quodammodo, & iraſci, alicui crebrò poſtulata non cedere, vti hic fecit Dominus cum Moyſe eius obſecrationi reluctans; quin tamen propterea culpa convinceretur. Reſpondeo ſecundo: Diſtinguendo maiorem. Planè iratum irà punitiva, & offenſionis vindice, nego maiorem; irà amicè, paternè vè impulſiva, & ſeriæ voluntatis indice concedo maiorem, & diſtinguo minorem. Primo modo concedo minorem; ſecundo modo nego minorem, & cõſequentiam. Dupliciter enim affectus iracundiæ poſſumus meditari, ſcilicèt, vel cum quis acceptà iniurià exardeſcit, & ſi ſuperior eſt, ſtatim ad ſupplicium, & punitionem armatur, eo quod iniqua, erga eum perpetrata eſſe conſideret. Vel dum quis, conceptà ardentiſsimà, & irrevocabili voluntate aliquid efficiendi, ſibi moras inijci animadvertit, quibus, licèt non præter fas, operatio præconcepta ſuſpenditur; & tunc ſano cordis æſtu quædam forinſecus iracundia monſtratur, non tàm ad vituperium rei perperam factæ, quam ad rumpendas morulas precationum, firmæque voluntatis, & irrevocabilis animum oſtendendum. Igitur primo modo, quò Deus peccatoribus ſubiraſcitur, vt pro ſceleribus luant luridas pœnas, & quo ſæpè ſæpius abſque iure homo homini iraſcitur propter cuiuſdam vani honoris opiniones præpoſteras, non fuit iratus Dominus Moyſi; quippè in quo nullam etiam levem deprehendit iniuriam. Benè verò ſecundo modo, quippè cum Deus tantum deferret amico ſuo Moyſi, & quaſi de crebris eius obſecrationibus, & excuſationibus moram totius operis ſuſtineret, tandem iraſcentis more exæſtuare decrevit, decretumque irrevocabile Moſaycæ legationis, quodam inſolito ardore intimare; non ſecus ac ſi prereptus irà Deus quoque humano more excandeſcere conſueviſſet, in quo nulla culpa; quin potius amicitia pluri-

ma-

ma Moysis cum Deo demonstrabatur; vti alibi planè testatur Sacra Scriptura.

10 Obijcies secundò Moyses apertè contradixit Deo, & eius divinæ veracitati, sed id stare sine aliqua noxa non potest: ergo peccavit. Probatur maior. Deus dixit Moysi de Israelitis *audient vocem tuam, &c.* & Moyses dixit Deo, *non audient, & non credent.* Sed id est apertè Deo, & eius authoritati contradicere: ergo, &c. Respondeo primò cum Pereira. Nego maiorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: variato subiecto affirmationis amborum cõcedo maiorem: servato eodem subiecto vtriusque affirmationis nego maiorem, & in sensu explicato nego minorẽ, & consequentiam. Dum enim Deus dixit Moysi audient vocem tuam, de Senioribus Populi loquebatur penes quos & legationis admissio erat, & operis executio, vtpotè quos Populus veluti Duces consequeretur. Cum autem Moyses dixit, non audient, loquebatur de promiscuo vulgo ad altiora arcana semper incredulo, & negotia Domini lance male fida librante: quo, vt vides, cessat protinus contradictio. Respondeo secundò: Nego maiorem, & ad eius probationem distinguo maiorem: locutione familiari instar amici ad amicum, concedo maiorem, locutione definitiva, & authentica ex parte Dei, & resoluta ex parte Moysis nego maiorem, & sub data explicatione nego minorem, & consequentiam. Oportet enim more nostro distinguere colloquia familiaria etiam inter superiorem, & subditum, in quibus sæpè vsu venit vtrimque aliquid affirmari, negativè, aut contradici, non animo prorsus resoluto, atque definiente, sed pro rei conditione quasi tentativo, & conferentiali: vnde nascitur, quod altero negante, affirmanteque altero, nulla tamen contradictio succrescat; & huiusmodi fuit illud colloquium, in quo tergiversatus est Moyses, familiari Dei sermocinatione confissus: quo vsque tandem sapientissimam Deus authoritatem vsurpans omne ei caput excusationis abscidit. Non ergo Domino contradixit, dum dixit *non audient*; sed familiari licentia vsus, rem vndelibet exagitabat: quod obvio satis explicatur exemplo: v. g. Disputant duo de re aliqua vtili num valeat contingere, necne? Et quamquam neuter talem rem averset; quinpotius percupiat; eam tamen, dum disputat mordicùs negat esse eventuram; licèt tandem eius concessioni vltrò sit manus daturus. Igitur non absimiliter, quamquàm Moyses legationem obstinatè non detrectaret; nihilominus eam cum Deo familiariter repellebat, quovsque decretum altissimè, & authenticè clarescceret voluntatis. Respondeo tertiò distinguendo eandem maiorem: non credent *simplici narrationi* concedo maiorem: *Si fulciatur miraculis fidem conciliaturis*, nego maiorem: quare tam longè abfuit, vt Deus propterea Moysi irascceretur; quin potius ei signa postulata donavit in virga, in lepra, & in sanguine, sub quibus fidem ipse faceret, & fidem Israeliticam devinciret.

11 Obijcies tertiò: Resistere sæpè placito, & electioni infinitè sapientis, & Omnipotentis factę per honorificè circa se ipsum, saltem est pusillanimitas; sed pusillanimitas est culpa venialis: ergo saltem venialitèr peccavit. Respondeo distinguo maiorem: resistere suppliciter obsecrando, nego maiorem, refractoria voluntate contradicendo concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Nam vir dignissimè electus in Episcopum non est pusillanimis, quando meris, etsi crebro, precibus, & excusationibus reluctatur; nisi tandem contra placitum Sapientiorum in circumstantijs, in quibus non deberet, deliberatè detrectet; non enim obsecrationes quantumvis iteratæ pariunt offensam; sed ad summum in humanis generant tædium, & erga Deum

forſitam complacentiam, dum ex virtute proficiſcuntur, vt conſtat in Abraham moleſtiſsimè, vt ita dicam, pro Sodomis deprecante. Quod ſi inſtes: Deo clarè iubente ſemel, & iterum puſillanimis eſt, qui non fidit: ergo, &c. Reſpondeo conceſſo ant. nego conſequentiam. Quia prudentia eſt ibi diffidere, & tutiùs fidit in Deo, qui novit ſe prius profunda humilitate exinanire.

12 Obijcies quartò: Hæc loquutio *mitte quem miſſurus*, & videtur obſtinatè detrectare Miſsionem: ergo peccaminoſa. Probatur antecedens. Illa verba denotant velle ſermonem abrumpere, dicendo: *Eia ne immoremur amplius, ſed age quæ tibi agenda ſunt: ego enim ire non poſſum*: ergo, &c. Reſpondeo primò: Nego antecedens cum probatione; vel diſtinguo claritatis gratia: illa locutio ſiniſtrè intellecta concedo: pie interpretata, vt poſſet, & debet, nego antecedens. Cur enim illa loquutio ſic à nobis conſtrui non poſſet, vt ſit ſignaculum humilitatis, quaſi diceret „ Domine converte ſermones „ tuos in eum, qui mittendus eſt: ſeu „ omninò dignus eſt, qui mittatur: ego „ enim hac miſsione ſum prorſus in„ dignus. Reſpond eo ſecundò diſtinguo antecedens: iuxta phraſim Latinam, permitto antecedens, iuxta rigorem loquutionis Hebraicæ, quo locutus eſt Moyſes, nego antecedens, & conſequentiam: quippè loco eorum verborum ſic in Hebræo habetur apud Pagninum *Biſcelach nah beiad thiſcelach*, ideſt; *pro me mitte, quæſo, per manum mittes*, quaſi diceret, *pro me alium, precor, vt mittas, in manu tua mittes*, quæ repetitio de futuro, quaſi confidentialis poterit iudicari; ſæpè enim in futuro dicimus, *dabis Domine*, illud, quod dandum eſſe percupimus, ac poſtulamus.

JHS

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

SI ACCEPERIT HOMO UXOREM, ET HABUERIT eam, & non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij.

Deuter. cap. 24. verſ. 1.

ARTICULUS.

VTRUM IUDÆI DIMITTENTES UXORES peccarent, necne?

NOTABILIA.

AD reſolutionem huius quæſtionis attinet genus quadruplex permiſsionis adnotare cum Abulenſi, ſcilicèt primum, quando per carentiam præcipiendi bona altiora, intelliguntur permiſſa minora, ſicuti non præcipiendo virginitatem, videtur permitti matrimonium apud Apoſtolum. Secundum eſt per carentiam prohibitionis, quemadmodum dicuntur permitti, quę prohibita non inveniuntur. Tertium eſt per carentiam cohibitionis: permitti enim dicuntur ea, quæ, cum impediri poſſent, non impediuntur. Quarum denique eſt per impunitatem quàtenus permiſſa videntur, quæ ſem. l commiſſa, ſine ſupplicio relinquuntur. Hoc poſito, acre certamen in duo placita diſtrahit Authores, de quibus noſter Maldonatus inquit: *Vtrumque probabile eſt, & bonos vtraque opinio Authores habet.* Igitur prima ſententia eſt illorum, qui aſſerunt, per talem libellum repudij permiſſam fuiſſe dimiſsionem vxoris, vt quid malum, quod Iudæi dum facerent, illicita perpetrabant, nec ſolvebatur vinculum matrimonij, ita vt ſi vxor repudiata alteri nuberet, committeret adulterium. Hanc ſententiam tuentur ex Patribus Tertullianus lib. de Monogamia. Origenes tract. 7. in Mathæum, Chromatius, in cap. 5. Math. Hieronymus, Beda, Euthymius in Math. 19. apud Maldonatum; ex Scholaſticis verò Magiſter ſententiarum in 4. diſtinct. 37. Bonaventura, & Richardus cum alijs ſupra Magiſtrum. Secunda ſententia

per

per oppoſitum aſſerit, permiſſum fuiſſe Iudæis, dato libello repudij, dimittere vxores non ſolum quoad impunitatem; ſed quoad licentiam operationis, ita vt vinculum matrimonij vere diſſolveretur. Ita ſentiunt Author imperfecti in Math. Div. Thomas, Scotus, Durandus, & Paludanus in 4. diſtinct. 33. Bellarminus de Matrimon. cap. 17. ad obiectionem 14. Maldonatus Math. 19. Cornelius in Deuteron. cap. 24. Becanus in Analog. cap. 23. quæſt. 1. Abulenſis in cap. 19. Math. quæſt. 49. & 50. Burgenſis, Caietanus, Oleaſter, & alij plurimi, quos citat, & ſequitur Pater Thomas Sanchez de Matrimon. lib. 10. diſp. 1. vbi tamen Divum Thomam, Scotum, atque Richardum facit problematicos, id eſt vtriuſque partis; Caietanum verò dicit eſſe neutrius; ſed præter à nobis citatos pro vtràque parte, copiam ibi texit Authorum.

2 Noſtra concluſio ſit cum ſecunda ſententia, quàm probo primò ab authoritate Sacræ Scripturæ, in qua cap. 24. Deuteron. ſic dicitur: „ Si acce„perit homo vxorem, & habuerit „ eam, & non invenerit gratiam ante „ oculos eius propter aliquam fœdita„tem, ſcribet libellum repudij, & dabit „ in manu illius, & dimittet eam de ma„ nu ſuà. Et Malach. 2. dicitur: *Cum odio habueris, dimitti dicit Dominus Deus Iſrael.* Sed hæc verba apertiſsimam indicant conceſsionem; immò, & iuſsionem ſonare videntur, dum ab optimo Legislatore Moyſe, & per Malachiam ab ipſomet Deo proficiſcuntur: ergo talis dimiſsio erat licita. Confirmatur primò: Nam, licet illa permiſsio eſſet quaſi minoris mali; opus tamen ipſum, poſtquam ita permiſſum, omni culpa vacaret, id eſt, vt ſe explicat Div. Chryſoſtomus apud, & cum Abulenſi: *Auferre ergo culpam à peccato nihil aliud eſt, quam facere, quod id, quod alias erat peccatum, iam non ſit peccatum... Id eſt ex hoc, quod per legem permiſſum eſt repudium, quicumque repudiat vxorem agit ſecundum legem, & ita peccatum ſuum non eſt peccatum, id eſt actus ille, qui aliàs erat peccatum, non eſt peccatum propter legem permittentem.* Confirmatur ſecundò: quia Deus ita promiſsit libellum repudij, vt daret normam de repudiando; ſed ſi poſt hæc non eſſet licita repudiatio, Deus poneret Iudæis laqueum ad peccandum: ergo, &c. Minor patet: nam cum tam expreſſa permiſsione, & formulario libelli quaſi traherentur ad malum. Confirmatur tertiò: quia Deus fruſtra feciſſet talem permiſsionem, ſi poſt illam tam illicitum, ac antea permaneret repudium.

3 Probatur ſecundò à ratione: Per talem libellum authoritate Dei matrimonium diſſolvebatur: ergo licitè. Conſequentia patet ex omnibus, quæ mediante Deo vt Authore ſpeciali, non niſi ſanctè, & licitè fieri poſſunt. Antecedens probatur: Verba Moyſis Divini Legislatoris erant diſſolutiva vinculi matrimonij, ſi eius indiſſolubilitas eſſet ſolum ex iure Divino, & non iure naturæ; ſed ita eſt: ergo, &c. Maior patet: tum ex iure Divino per os Moyſis diſpenſante: tum quia verba videntur rumpere vinculum, dum ponunt ad repudiandum pro cauſa fœditatem immediatè contrariam pulchritudini, quæ ſolet eſſe cauſa inter coniuges ſe tali vinculo colligandi; & inſuper quia rigor litteræ Hebraicæ vocat *libellum abſciſsionis*, quod eſt rumpere vinculum. Minor patet *quoad non eſſe de iure naturæ* in matrimonio conſummato infidelium altero coniuge ad fidem ſe convertente, & altero nolente cohabitare ſine contumelia creatoris: tunc enim vinculum rumpitur: *Quoad eſſe verò de iure Divino*, ex eo quod matrimonium à Chriſto elevantum eſt ad vnionem Chriſti cum Eccleſia ſignificandam, vt probat Sanchez de Matrim. lib.

lib. 2. disputat. 13. num. 7. Qui omnimodam indissolubilitatem matrimonij non in ius naturæ; sed in ius divinum refundit. Confirmatur: quia, si tale repudium esset illicitum, tandiu non regnasset hæc ignorantia in Israel sine reprehensione Prophetæ, vt reliqua olim scelera obiurgabantur.

4 Probatur tertiò ab absurdo, & argumentationum conglobatione. Primò: quia sequeretur absurdum, vel saltem incredibilis deterioritas conditionis fœminarum, cum viri possint esse Polygami, & vxores repudiatæ, manente vinculo, aut deberent esse adulteræ, aut contineri. Secundò: quia mulier repudiata nubens alteri, impunis manebat apud illum vsque ad mortem illius Deuteron. 24. si ergo esset adultera lapidari deberet Levit. 20. Tertiò: quia ducens repudiatam, illam rursus poterat repudiare Deuteron. 24. ergo quia non erat adultera post repudium datum à primò viro: nemo enim potest verè repudiare nisi suam. Quartò: quia Deuteron. 24. repudiata nubens secundo viro post mortem huius non poterat reddire ad priorem; hoc autem, si vinculum permansisset, potius fuisset optandum. Quintò: quia Sacerdoti Levit. 21. conceditur in vxorem sola virgo; non verò repudiata, nec Meretrix: ergo, sicut Meretrix licebat Laico, ita quoque repudiata, sine adulterio, licebat. Sextò: quia, licèt contra bonum matrimonij, Polygamia erat licita, & non tam clarè permissa: ergo multò magis libellus repudij. Septimò: quia licita fuit Abrahamo repudiatio Agar. Genes. 21. ergo de primò ad vltimum convincitur licitum fuisset talem libellum repudij.

5 Obijciuntur primò illa verba Mathei 19. versic. 8. *Ait illis* (Iesus) *quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Sed hæc verba denotant, illicitum fuisse repudium: ergo re ipsa illicitum fuit Iudæis. Probatur minor: iuxta verba Christi Domini repudium erat actus à duritia cordis proficiscens, & vinculum legis coniugalis infringens; sed actus, qui propter duritiam cordis alicui legi valedicit, est peccatum: ergo talia verba denotant, in repudio interveniisse peccatum. Confirmatur: minus accedit ad malum fortis passio, quam cordis duritia; sed quæ ex forti passione fiunt, cum peccato fiunt: ergo multo magis quod fiat propter duritiam cordis. Respondeo cum Abulensi negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem; *remote*, & *originative* concedo maiorem; *immediatè*, & *formaliter*, nego maiorem, & distinguo minorem: actus, qui *immediatè*, & *formaliter* propter duritiam cordis valedicit legi, concedo minorem; præcisse *remote*, & *originativè*, nego minorem, & consequentiam. Itaque, licèt vera sit sententia Christi Domini aientis, Iudæis permissum fuisse, dimittere vxores propter duritiam cordis eorum, considerari debet, quod talis duritia se habuit *remote*, *occasionaliter*, & *originativè* in ordine ad actum repudij: non enim erat illa, ex qua immediatè actus repudij manabat, nisi quatenus inter duritiam cordis, quæ erat occasio, & origo permittendi, & ipsum repudium permissum, mediaret quidem permissio Legislatoris faciens opus licitum, quod aliàs esset illicitum: sivè fieret hæc permissio propter duritiam, sivè propter quamcumque aliam causam. Igitur ratio formalis ipsum constituens in se se liciti erat Divina permissio; durities autem cordis erat causa, & occasio ad illud permittendum. Tunc autem duritia cordis inducit malitiam in actum, quando immediatè, & formaliter ipsa est, quæ perpetrat opus; v gr. obstinatio in aliquo crimine; pertinacia Hæresis, &c. non verò quando mera est remota occasio, & origo longinqua quia vi-

de-

delicet Legislator videns ſubditos ægre ad aliquid cogi in eo diſpenſa. Unde ex quadruplici genere permiſſionis à nobis prænotato dico, tale repudium non fuiſſe permiſſum, præcisè permiſsione conſiſtente in carentia cohibitionis, & carentia punitionis: primò, quia concubinatus, & meretricium eſſent permiſſa, cum nec cohiberentur nec punirentur in lege. Secundo: quia ſequeretur, quod aliquid prohibitum eſſet permiſſum; v. gr. tenere ſervum Iudæum vltra ſeptem annos Exod. 21. & dare pecuniam ad vſuram Iudæis eſſet tam permiſſum, ſicut dare ad vſuram extraneis. Deuteron. 23. cum neutrum cohibeatur, aut puniatur: hæ enim permiſsiones ſolum ſunt reſpectu malorum; poteſt autem dici, repudium eſſe permiſſum: tum negativè, quia nulla erat prohibitio pro priori ad permiſsionem: tùm poſitivè, quia pro poſteriori ad permiſsionem, quàtenus in ea Divina interveniebat Authoritas, poterat reputari tanquam minus bonum in conſpectu maioris; non ſecus ac matrimonium in comparatione virginitatis. Ad confirmationem ex ſimili doctrina reſpondeo, dicens, etiam cum Abulenſi, quod, ſi Deus permitteret per legem expreſſam ea, quæ fiunt ex forti paſsione; v. gr. ex gula vehementi, ſicuti permiſsit libellum repudij, nihil eorum, quæ facimus ex paſsione eſſet peccatum; ſed tamen nihil eorum permiſſum eſt.

6 Obijcitur ſecundò: Textus in Cap. *Gaudemus* de *Divortijs*, vbi dicitur, Chriſtum reprobaſſe repudium antiquum Hebræorum; ſed Chriſtus non poterat licita reprobare: ergo erat illicitum. Confirmatur ex Div. Chryſoſtomo apud Toſtatum aiente, quod Moyſes dando libellum repudij *iuſtitiam Dei non monſtravit*: ergo dare talem libellum non erat iuſtum. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: vt *continuandum in Lege Evangelica*, concedo maiorem; pro tempore *Legis Moſaycæ*, nego maiorem, & diſtinguo minorem: *ne deinceps licitè fierent*, nego minorem; *in ſenſu compoſito, ita vt ſimul eſſent licita, & à Chriſto Domino reprobata*, concedo minorem, & conſequentiam nego: noluit enim Chriſtus Dominus, quod in Lege Evangelica repudium permaneret; licèt aliàs olim licitè vſurparetur: novit enim hic altiſsimus Legislator leges ſuas ſuis aptare temporibus. Ad confirmationem reſpondeo, potius pro nobis ſtare Divum Chryſoſtomum, dum parificat apud Toſtatum permiſsionem repudij cum permiſsione Apoſtolica de ſecundis nuptijs: cum enim hæ licitæ evadant à permiſsione, ita quoque repudium, qui, cum vlterius dicat, quod Deus à peccato abſtulit culpam peccandi, id eſt, fecit quod repudiando vxores non peccarent, debemus ad formam argumenti diſtinguere dicendo: non monſtravit iuſtitiam Dei, hoc eſt poſitivam conformitatem ad legem, & mandatum Dei, concedo antecedens; non monſtravit iuſtitiam Dei, & Sanctitatem diſpenſativam, & permiſsivam, nego antecedens, & conſequentiam: vnde licèt in tali opere non reluceret poſitiva iuſtitia; nihilominus intererat negativa, quæ ſufficiebat, vt liceret opus fieri abſque peccato, in quo ſenſu ait Maldonatus hęc verba: „ Mihi durum videtur „ dictu, Iudæos poſt tam amplam, & „ luculentam Dei permiſsionem dimittendis Vxoribus peccaviſſe; præſertim cum antequam Chriſtus explicaret, non ſatis ex Verbis Deuteronomij compertum eſſe poſſet de tenore „ permiſsionis. Certè non conſtabat „ tanquam rem malam permitti, quod „ ſatis eſſe videbatur, vt qui eà vterentur, culpà vacarent.

7 Obijciuntur tertiò verba Ieremiæ cap. 3. verſ. 3. „ Vulgò dicitur: „ Si dimiſſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, „ num-

„ nũmquid revertetur ad eam vltra? „ Numquid non polluta, & contami- „ nata erit mulier illa? Tu autem „ fornicata, & cum amatoribus mul- „ tis; tamen revertere ad me dicit Do- „ minus, & ego ſuſcipiam te. Item „ Deuteron. 24. dicitur, mulierem re- „ pudiatam, *ſi alteri nupſerit, fieri pol-* „ *lutam, & abominabilem coram Deo*; ſed „ perperam dici poſſet polluta, con- taminata, & abominabilis coram Deo, niſi adulterium perpetraſſet: ergo poſt libellum repudij manebat vinculum, & repudiata, alteri nubens, adulterabat. Reſpondeo negando minorem cum Bellarmino, qui loco citato affert planum ſenſum talium verborum: inquit enim, mulierem repudiatam, ideò vocari pollutam, & abominabilem coram Deo, quoniam à priori viro publica infamia erat notata, publicèque deſpecta: vnde Ieremias ſic pro Deo argumentationem inſtituit, vt ad pœnitentiam adducat: „ Si vir non recipit „ repudiatam, quæ nupſit alteri; mul- „ to minus ego deberem recipere te, „ quæ non nupſiſti alteri; ſed cum „ multis amatoribus fornicata es. In hac ergo diffamatione per repudium notari debent quænam eſſent cauſa ſic diffamandi, in quibus variant Authores. Cornelius autem, Becanus, & Lyra cenſent, eſſe cauſas ſufficientes Lepram, ſterilitatem, rem turpem matrimonio poſteriorem, & prolis impeditivam, beneficium, rixas perpetuas, ebrioſitatem, alioſque pravos mores incorregibiles. De adulterio autem putant, non fuiſſe cauſam, eam publicè dimittendi; ſed ſi in fragranti adulterio deprehenderetur, lapidari debebat; ſi ſolum erat ſuſpicio, per aquas Zelotypiæ erat examinanda; ſi demum conſtaret eſſe adulteram; non tamen publicè, nec fuiſſet in adulterio deprehenſa, poterat à Marito occultè dimitti, vt diſcurri ſolet de Sancto Ioſepho. Maritus autem ille, qui tunc caſus voluiſſet vxorem publicè accuſare, ſolemniterque dimittere, videtur Becano noſtro potuiſſe facere. Reſpondeo ſecundo ex Bonfrerio, eſſe pollutam, & abominabilem etiam coram Deo, vt ſuo Legislatore: nam coram Deo, & eius lege erat abominatio, & reſpectu prioris Mariti indecora pollutio futura, ſi ad vas ſuum ab alio corruptum, & pollutum ipſe reddiret: & hoc denotant textus, & ſeria prohibitio Deutor. 24. ne talis repudiata, & alteri nupta ad priorem vnum reddiret.

8 Hæc ſunt quæ in hac concluſione ſcribi potuerunt per modum diſputationis; licèt inſuper expediat, noſtro brevitatis more paucula quædam hic ſummatim inſerere, atque colligere ex mente Doctorum, vt ſi fortè inter diſputandum aliquæ eiuſmodi propoſitiones occurrant, ad eas non hæſitet intellectus. Colligitur ergo primò, quod, licèt Iudæi non peccaverint repudiando, eò quod ipſis liceret per legem Domini diſpenſantem; per id autem nolumus, quod tale opus repudij ſine diſpenſatione eſſet bonum: & hinc reſponderi poteſt ad permiſſionem propter duritiam cordis nuper obiectam: Etenim Abulenſis omnia argumenta recolligendo, ſic loquitur: „ Sed dicendum quod, aut argu- „ menta iſta ſumuntur ad inducen- „ dum, quod libellus repudij licitus eſ- „ ſet in ſe ipſo; aut ad oſtendendum, „ quod licebat Iudæis repudiare vxo- „ res, id eſt quod non peccabant re- „ pudiando. Si primo modo, non ſunt „ concedenda: quia non eſt verum, „ quod libellus repudij in ſe bonus „ fuerit aliquando: nam, ſi bonus „ fuiſſet non eſſet ſub permiſsione, „ maximè quia dicitur permiſſus ad „ duritiam cordis; ſed id, quod ad „ duritiam cordis permittitur, malum „ eſt; ſi accipiantur ſecundo modo, „ concedendum eſt, quod libellus re- „ pudij

„ pudij erat licitus poſtquam erat per-
„ miſſus. De quibus verbis tam ſolu-
tioni argumentorum, quam quæſtio-
nis reſolutioni conſulitur : deſinebat
enim eſſe malum per poſitivam permiſ-
ſionem.

9 Colliges ſecundò indiſſoluvilitatem matrimonij (ſi putanda ſit cum aliquibus de iure naturæ) ita fuiſſe de iure naturæ, vt in ea Deus potuerit diſpenſare; non ſecus ac diſpenſari potuit præceptum naturale de non occidendo innocentem cum Abrahamo reſpectu Iſaac, & cum Hebræis exeuntibus de Ægypto ad ſubripiendum ſpolia Ægyptiorum. Et quidem facilius quoad primum, quam quoad ſecundos caſus : hi enim erant contra prima præcepta legis naturæ; libellus autem repudij, & pluralitas vxorum erat contra ſecunda præcepta eiuſdem legis naturæ. Quæ omnia graviter, & profunde, vt ſolet, tractat Abulenſis in cap. 19. Mathæi quæſt. 30. 45. & 46. Colliges tertiò, alia duo fuiſſe etiam permiſſa Iudæis ferè eodem tenore permiſſionis, ſcilicèt dare pecuniam ad vſuras extraneis Deuteron. 23. & vindictam proſequi, quæ etiam dicit Toſtatus quæſt. 49. per hæc verba: „ Et id, quod dicitur de libello re-
„ pudij, eſt dicendum de vſuris ad ex-
„ traneos, & proſecutione vindictæ,
„ quod iſta faciendo non peccarent
„ Iudæi ſaltem in vſuris, & in libello.
Colliges quarto, hoc ius repudij tantum eſſe Mariti, non vxoris, vt tradit Ioſephus lib. 15. Antiquit. narrans de Salomè, Sorore, Herodis, præter legem repudiaſſe Coſtobarum. „ Lex
„ enim (ait) noſtra ſolis Maritis ius
„ repudij permittit; Mulieribus autem,
„ ne dimiſsis quidem, fas eſt nubere
„ ſine prioris viri permiſſu. *Quam poſteriorem partem verborum* (inquit Cornelius) *ſi vera eſt, ad vſurpationem ſolitam fieri à Maritis eſſe referendam; non verò ad legem, in qua non invenitur.*

10 Colleges quintò, non ſolum Iudæos vſos fuiſſe repudio; ſed etiam Medos, & Perſas, vt conſtat in libro Eſther. Vbi Aſſuerus repudiavit Vaſthi: & Philiſtæos vt patet Iudic. 15. verſ. 2. & etiam conſtat apud Toſtatum, qui pro Gentilibus allegat. titulum de *Repudijs* tàm Codicis, quàm Digeſtorum. Cum autem ſibi obijcit quomodo Gentiles licitè rumperent indiſſolubilitatem matrimonij, ſi hæc eſt de iure naturæ, ſtatim reſpondet, quod in his, quæ ſunt de iure naturæ per ſecunda præcepta, eſt locus opinioni, iuxta quam licet cuicumque genti facere, ſicut putaverit, quouſque per aliquam Legem Divinam, vel Humanam, aut contrariam conſuetudinem confirmetur, quid tenendum ſit.

11 Tandem colliges pro quæſtionis periodo, formulam ſcribendi libellum, & cauſam huiuſce Scripturę: formula ergo ex Vatablo, & Oleaſtro hæc erat apud Iudæos: „ Ego Rabbi
„ Simeon Filius Rabbi Abraham, Filij
„ Rabbi David, Filij Rabbi Salomonis
„ die primo menſis ſecundi anno
„ 5296. à Creatione mundi, hic, & in
„ hac Civitate ex animi mei conſenſu,
„ & ſine vlla coactione repudiavi Ra-
„ chel filiam Rabbi Moyſis, Filij Rab-
„ bi Ioſeph, Filij Rabbi Iacob, & dedi
„ illi libellum repudij in manu Schedam
„ abſciſionis, & ſignaculum diviſionis,
„ vt ſit à me abiecta, & abeat quocum-
„ que velit, & nemo poſsit illi prohi-
„ bere, iuxta conſtitutiones Moyſis, &
„ Iſrael. Vbi notabis, poſſe tale repu-
„ dium in rigore dici licitum poſitivè, quàtenus erat *iuxta conſtitutiones* Moyſis, & Iſrael. Cauſa verò ſcribendi libellum hæc erat iuxta Auguſtinum lib. 19. contra Fauſtum: „ Deus, (inquit)
„ interpoſuit hanc moram, vt in diſsi-
„ dium animus præceps, libelli conſ-
„ criptione refractus abſiſteret, & quid
„ mali eſſet, vxorem dimittere cogi-
„ taret; præſertim, quia Scribæ, quo-
„ rum

„ rum erat litteras ſcribere quaſi viri „ prudentes diſsidij diſſuaſores erant. Vbi nota *quid mali* ſolum polytici, & incommodi; & ante permiſionem; non verò moralis, & peccaminoſi, & pòſt permiſsionem intelligi ab Auguſtino. Quod ſi Chriſtus Dominus etiam repudium abſtulit, non fuit quia non licuiſſet, ſed quia expediebat vinculum matrimonij ablata diſpenſatione, ad primævam ſuam naturam revocari.

JHS.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA:

CONSURGETIS DE INSIDIJS, ET VASTABITIS Civitatem, Ioſuè 8. verſ. 7.

ARTICULUS.

AN LICEAT IN BELLO IUSTO UTI INSIDIJS?

NOTABILIA.

1 NOTO primò fœdè hallucinatum fuiſſe Calvinum, dum vertit imperitiæ ſic ſcitari de inſidijs: præterquamquod enim D. Aug. duas in hac re quæſtiones conſumat, vereri etiam poterat plurimos Theologos, & Iuriſconſultos, quin in ea diſcutienda ſuam operam prudentiſsimi locaverunt. Erravit ergo, quippè, non omnis quæſtio inquirit, *an ſit res*, ſed alia, *quid ſit res*, aliud demum, *qualis ſit?* Vndè eſto certo liceant inſidiæ, poteſt iure optimo dubitari, qualiter, ſeu quomodo liceant? Tot enim obijci poſſunt huic licentiæ rationes extricatu difficiles, vt reddant dubiam viam illam, quà hæc quæſtio ſe expediat, proindequè apta evadat ad ſciſcitandum. Hinc vt moris eſt in alijs non dividam ſententias, neque Authores congeram, cum Sacri, & Prophani TT. & Iuriſconſulti agmine denſiſsimo ſuffragentur.

2 Noto ſecundo, inſidias tendi poſſe verbis, & factis: In Verbis quidem, æquivocatione, & amphibologia, in factis autem, quàtenus id vſurpatur, quod aliâ viâ, aliovè fine fieri intelligitur, ac re ipſa eſt; vt cum quis terga vertit fugam indicans, vt hoſtem cingat ſecuriùs. Non agimus modo de primo inſidiarum genere, cum videlicèt ſecundum hic amplam, & vberem diſceptationis materiam ſubminiſtret.

3 Noto tertiò. Bellum vel iuſtum eſſe poſſe, vel iniuſtum ex parte gerentis : iuſtum, nimirum, quandò lex, & iura ſibi ſuccurrunt in ordine ad ditionem aliquam vſurpandam, aut poſsidendam ; iniuſtum autem, cum quis tyranicè, & per fas, & nefas vult armorum potentià Regno, vel aliqua poſſeſsione potiri. In hoc ergo bello iniuſto illicitæ ſunt prorſus inſidiæ ; illicita enim redduntur quotquot ad finem illicitum ordinantur : De bello autem, quod iuſtum eſt ex parte gerentis, inquiritur, an liceat vti inſidijs, quæ in facto conſiſtunt? Noto quartò ex Monterdio in Deuteronomium duodecim in Sacris Biblijs obſervari iuſtas cauſas belligerandi. I. Si in aliqua terra nomen Dei blaſphematur, vt habetur Exodi cap. 23. & Deuter. cap. 7. II. Si à Dei cultu recedatur, vt Deuter. cap. 13. mandatur, quod ſi aliqua Civitas ad idolatriam declinaverit, quod omnes aliæ pugnent contra eam. Et propter hoc vertebantur in bellum contra duas Tribus, & dimidiam omnes Tribus Iſrael, quia ædificaverunt Altare, quod videbatur ſignum idolatriæ, vt patet Ioſue cap. 22. III. Si recedatur à fidelitate Domini temporalis, vt patet 3. Regum cap. 3. & Geneſis cap. 14. IV. Si ſubditus contra Dominum committat rebellionem vt patet 2. Regum cap. 20. V. Si mala defendantur : vt factum è prælium contra filios Beniamin. Iudicum cap. 20. VI. Si alicui Principi magna fiat iniuria in ſe, vel in ſervis ſuis, vt de Moabitis radentibus barbas, & ſcindentibus veſtimenta nuncijs David, vt patet 2. Regum cap. 10. VII. Repetendo aliquas res ablatas, vel violenter detentas, ſive iura, & dignitates perſonales, vt patet 2. Regum cap. 3. David pugnavit contra Isboſeth, petens Regnum ſibi à Deo datum. VIII. Hoſtes pro repellendo 2. Regum cap. 8. contra Philiſtin. IX. Impedientes hoſtes delendo, vt Iudæi contra Amorrhæos nolentes eis tranſitum concedere, vt patet hic, & Numer. cap. 21. X. Contra hoſtium adiutores, vt patet 2. Regum cap. 8. contra Siriam David pugnavit, quia hoſtibus ſuis iungebatur. XI. Pro parente, vel amico eripiendo Geneſ. cap. 14. ſcilicet Abraham pugnavit, vt eriperet Lot. XII. Si Dominus per nefas ſuos vaſſallos præmat, vt Machabæi pugnaverunt contra Antiochum, quia cogebat eos dimittere legem Dei. 1. Machabæorum per totum.

4 Concluſio ergo noſtra affirmativa eſt cum penè immenſa copia DD. TT. ac Iuriſtarum agmine refertiſsimo. Probo primò ab authoritate. 1. ex cap. Ioſue 8. vbi Deus expreſsè eas præcipit, ſic enim ait, verſ. 4. *Præcepitquè eis dicens : ponite inſidias poſt Civitatem, nec longiùs recedatis, & eritis omnes parati* : ergo licent. Secundò. Ex S. Aug. quæſt. 10. ſuper locum relatum, vnde proſequitur in hunc modum : *Hinc admonemur non iniuſtè fieri inſidias ab his, qui iuſtum bellum gerunt, vt nihil homo iuſtus cogitare debeat præcipuè in his rebus, niſi vt iuſtum bellum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt (non enim omnibus fas eſt) cum autem iuſtum bellum ſuſceperit ; vtrum aperta pugna, vtrum inſidijs vincat nihil ad iuſtitiam.* Ex D. Hieronym. in Ezech. 17. *Quandiu non iubes, & pactum non ineas ſub nomine Dei prudentiæ eſt, & fortitudinis, decipere, vel defraudare adverſarium vtcumque potueris.* Tertiò probatur ex iure Canonico 23. q. 2. cap. *Dominus* Quartò authoritate omnium Theologorum cum D. Thom. 2. 2. quæſt. 46. art. 3. necnon Sacri favent Interpretes cum Abulenſe in Iudices cap. 7. quæſt. 30. Quintò ex Iure civili in lege de *dolo* in Pandectis cum omnibus Interpretibus ad eandem legem, & copioſiſsimè Cephalenus con. 696.

&

& ex lege *nihil intereſt*, *ff. de captivis*; & lege *non ſolum* Codice *de Commercijs*, & *Mercatoribus*. Sextò ex varijs Scriptoribus Prophanis ex illo Virgilij *Dolus, an Virtus, quis in hoſte requirat?* Ex Quintiliano lib. 2. cap. 13. *Nonnunquam terga dediſſe ſimulatâ fugâ, prodeſſe.* Ex Xenophonte de Hipparcho, *revera nihil in bello vtilius dolo.* Item ex Pyndaro, Homero, Polibio, Ammiano apud Plutarchum. Septimò probatur exemplis ſtrenuorum Ducum; v. gr. Ageſilai, ſic loquentis apud Plutarchum. *Eum, qui nobiſcum fœdus inierit, damno afficere impium eſt: hoſtes vero fallere non iuſtum ſolummodò, valdèque glorioſum, ſed & ſuave, & lucroſum eſt.* Et Bræſidæ apud Tucididem lib. 5. *Illa belli furta pulcherrimam laudem habent, quibus hoſtem quis maximè decipit.* Lacedemoniorum, de quibus, ille dux, qui armis, & per robur vincebat minor victima donabatur, maiori autem, qui ſuaſione, & fraude. Sinarum, qui, vt retulit mihi Pater Ioſephus Raimundus Arjò vir omni fide digniſsimus, toti ſunt in delendis ſemper hoſtibus per inſidias incruenti belligerantes. Itemquè aliorum Ducum, vt videri poteſt apud noſtrum Serarium.

5 Probatur ſecundò à ratione noſtra Concluſio. Primò. Ille, cui ius, atquè iuſtitia favent in bello poteſt palàm, & clàm omittendo, & agendo, quę non ſunt prohibita, ſuis hoſtibus nocere: ergo inſidias, quando, & vbi voluerit collocare. Antecedens præter commune placitum Populorum, probatur primò. Quidquid meum eſt, poſſum recuperare omni modo non vetito, dum per iura licet; ſed hoſtibus nocere, neceſſarium eſt ad talem recuperationem; ergo dum iuſtum eſt bellum poſſum palàm, & clàm hoſtibus nocere, modo non expreſsè prohibito. Antecedens probatur ſecundò: Ius naturæ poſtulat vt meis, meorumquè vitæ, & commodis magis proſpiciam, quam hoſtibus; ſed ad recuperandum, quæ mea ſunt cum maiori incolumitate valet plurimum dolus, & fraus. Ergo ſivè palàm, ſivè clàm, licet hoſtibus inſidiari. Minor eſt certa: dolus enim me periculis liberat, ac cædem meorum, quam fortè incurrerem ſi manus conferam cum hoſte, & robur cum robore congrediatur. Probatur ſecundò: non minus eſt de iure naturæ in habente vim, vim vi repellere, quam in non habente vim, vel dubitante, vim hoſtium artibus ſuperare: ſed hoſtes contra quos iuſtum bellum ſuſcipitur, vim inferunt iura vſurpando; & vis reſiſtendi, vel non adeſt, vel ſemper eſt dubia propter varios eventus belli; ergo licet hoſtium vim inſidijs, & artibus debellare. Maior lumine naturæ clara eſſe videtur: quis enim neget viatorem latronibus armis, & vi reſiſtere non valentem, non poſſe os ſtratagemate, & aſtu vincere, & ſuffocare?

6 Probatur tertiò multùm à priori, & valdè efficaciter. Talis vſus inſidiarum contra nullam eſt ex virtutibus: ergo licet: probo antecedens, vel eſſet inter Theologales contra Charitatem, vel inter Cardinales contra Iuſtitiam. Sed non eſt contra Charitatem, nequè contra Iuſtitiam: ergo contra nullam. Maior patere videtur: non enim id contra fidem, & ſpem eſſe poteſt; imò non eſt contra prudentiam, ſed videtur iuxta: nequè contra temperantiam, cuius eſt moderare iram, & prælium: non contra fortitudinem, quæ verſatur inter timorem, & audaciam: tum, quia hæc eſt virtus perſonalis: tum quia vſus inſidiarum, nequè naſcitur, vt ſuppono, ex defectu virtutis animi ad congrediendum; ſed ex prudentia, quia non vult, ad acquirenda, quæ ſua ſunt, ſua etiam (ideſt ſuos) ſine neceſsitate prodigere: tum quia ex Hie-

ro-

ronym. vt ſupra, *fortitudinis eſt vti inſidijs.* Iam probo minorem quoad primam partem probaturus poſtmodum quoad ſecundam. Eatenus eſſet contra charitatem, quatenus violaretur amor proximi per necem ipſius ex inſidijs ſubſequutam: ſed non violatur: ergo non eſt contra charitatem. Probo minorem. Tam occiditur proximus in conflictu prælij, quam arte inſidiarum: ſed in bello iuſto non peccatur, aut violatur graviter charitas erga proximum, eum occidendo in prælio: ergo neque vſu inſidiarum. Maior nota eſt: & minor patet iure belli, & praxi bellandi. Cuius quidem ea ratio eſt. Quia non intelligitur directè, & activè proximus à proximo vita privari; ſed quod proximus iniuſtè rem occupans, vel iura detinens alterius, ſuam vitam prodigit, dum eam ſponte obijcit in tutelam iniquitatis: qui verò iura ſua perſequitur ad ea tendit directè recuperanda, nequè occideret, aut vellet occidere, niſi quatenus hoſtes interponuntur. Probo iam ſecunda partem. Eatenus talis vſus eſſet contra iuſtitiam quatenus per eum vel læderetur ius rerum in hoſtibus, vel perſonarum: ſed neutrum læditur: ergo talis vſus non eſt contra iuſtitiam. Probo minorem. In primis, non læditur ius rerum, vt ſuppoſſuimus, conſtat enim quod ſi bellum eſt iuſtum ex parte gerentis, hoſtis nullo iure gaudet ad retinendum. Sed deinde non læditur ius perſonarum, & vitæ: ergo neutrum. Probo minorem. Non læditur ius vitæ quoad ſubſtantiam; æquè enim læderetur per conflictum, cum per hunc æquè tollatur vita. Sed inſuper non læditur quoad tollendam vitam tali modo; ſeu non læditur ius quoad actiones: ergo non læditur ius vitæ. Probo minorem. Nullum ius prohibet eas actiones inſidiatorias in ſpecie, & particulari, vt ſupponimus, loquimur enim de factis non vetitis. Sed nequè inſidiæ in genere ſunt vetitæ, aut iure, aut lumine naturæ, aut iure gentium, aut iure Divino, & civili, vt ſolutione argumentorum conſtabit: ergo non læditur ius vitæ, etiam quoad modum tollendi vitam inſidiosè. Confirmatur denique tota doctrina. Feras occidimus vel conflictu, vel ſtratagemate, vt malumus; quia vita ipſarum iuri noſtro poſtponitur: ſed vita hoſtium iura noſtra evertentium debet iuri noſtro poſtponi: quando per iniuriam nos appetunt, vel noſtra detinent: ergo vita hoſtium in bello iuſto vel vi, vel ſtratagemate tolli poteſt.

7 Obijcitur primò. Vſus inſidiarum etiam in bello iuſto pluribus virtutibus adverſatur, quas Scriptura commendat; communicatquè vitijs, quæ paritèr Scriptura reprehendit: ergo vitioſus, & illicitus eſt. Probo antecedens. Fraus, & dolus adverſantur fidelitati, veritati, & ſimplicitati, quas commendat Scriptura. Geneſ. 20. verſ. 6. cap. 25. verſ. 27. Iob 1. verſ. 1. & 8. item cap. 2. verſ. 3. Prob. 3. verſ. 32. cap. 10. verſ. 9. & 20. cap. 11. verſ. 5. cap. 28. verſ. 10. & 18. & ex Novo Teſtamento ad Philipenſes 2. verſ. 15. ad Epheſ. 6. verſ. 5. & communicant aſtutiæ, & calliditati, quas Scriptura reprehendit ſæpè, & præcipuè in lib. Pſalm. ergo, &c. Confirmatur. Quia Cicero 1. de Officijs, & prophanorum ſapientum doctrina fraudes, ac dolos ſemper arcet à bonis viris: ergo illicita eſt illa fraus, vel dolus, quæ miſcetur inſidijs. Reſpondeo, negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Fraus, & dolus certè mendaces, & quæ adhibentur contra ius alterius, concedo antecedens. Fraus, & dolus ſine mendacio, & quæ adhibetur ad tuendum ius proprium, nego antecedens, & conſequentiam. Sancta enim Scriptura commendat omnes virtutes,

prout

prout harmoniam in ſuo vnaquæque gradu componit, atquè adeò vt re ipſa virtutes ſunt, & non vitia: nihil enim tàm pervium eſſe ſolet, quàm virtutes ad vitia proxima, quibus interiacent, flexu quodam degeneri tranſilire, vnde & minatus eſt Propheta *væ vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Vitiaquè plurima virtutum nomine decorantur, fucantur, atquè venduntur, ſicut ècontra virtutes nonnunquam præpoſtero iudicio culpantur vt vitia, de quo latè D. Gregorius lib. 10. Moralium cap. 16. Itaquè prædictus inſidiarum vſus nequaquam opponitur ſimplicitati, veraciti, aut fidelitati, prout eas Scriptura commendat; nequè dolo illi communicatur, quæ Scriptura ſæpè reprehendit. Quod quia caput eſt argumentorum paulò explicatius, ſigillatimquè perſequemur.

8 In primis non opponitur ſimplicitati, quam Scriptura commendat; in hac enim non laudatur ſimplicitas, quæ ſit fatuitati perſimilis, imò, & vna cum ipſa: *In Scriptura enim Sacra* (inquit D. Gregorius lib. 4. Epiſt. 31. ad Mauritium Auguſtum) *cum in bona intelligentia ponitur ſimplicitas, ſæpè prudentiæ, aut rectitudini ſociatur. Vndè etiam de Beato Iob ſcriptum eſt, erat vir ſimplex, & rectus; & B. Paulus Apoſtolus admonet dicens, eſtote ſimplices in malo, & prudentes in bono. Et per ſemetipſam veritas admonet dicens: eſtote prudentes ſicut ſerpentes; & ſimplices ſicut columbæ. Eſſe valdè inutile iudicans ſi aut ſimplicitati prudentia, aut prudentiæ ſimplicitas deſit. Vt ergo ſervos ſuos ad cuncta eruditos efficeret, eſſe eos, & ſimplices ſicut columbas, & prudentes, vt ſerpentes voluit, quatenus in eis, & ſerpentis aſtutia, columbæ ſimplicitatem acueret, & columbæ ſimplicitas ſerpentis aſtutiam temperaret.* Hæc D. Gregorius. Ex quibus apertè conſtat non eam ſimplicitatem commendari in Scriptura, quæ prudentia non temperetur: & re ipſa: quando eſt prudentia opportunior, quam dum ea, quæ ſunt noſtra per vim, & malitiam ab adverſarijs detinentur? Cor enim ſimplex eſt cor planum, & planum eſſe non debet oſtium reſpectu inimici, ideòque tempore belli non ſit planus, ſed ſinuoſus ingreſſus in Civitatem. Propter hæc vſus inſidiarum in bello iuſto non communicat dolo, & fraudi, quas Scriptura reprehendit: hæc enim ſanctiſsimè deteſtatur cor duplex, & verba doloſa vbi ſyncerè agendum eſt: quia præſefert ſpeciem malitiæ, & infidelitatis cum amico dupliciter, fraudulenter, doloſequè agere, & converſari. Verum vt caveat quis omni via non vetità contra ſe plura molientibus non vetat; ſed aliquando ſuadet; & ideò dicitur à Iuriſtis *dolus malus*, quia dabilis eſt *dolus bonus.*

9 Deinde talis vſus inſidiarum non opponitur fidelitati: fidelitas enim virtus eſt, quæ quodammodo ſupponit debitum promiſsionis, ſivè explicitè, quæ, nimirum, per expreſſa pacta intervenerit, ſivè implicitè, quia ius aliquod ſivè naturale, ſivè gentium, Divinum, vel civile correſpondentiam aliquam poſtulet, cui deficere infidelitas ſit, ad modum, quo dicit D. Paulus, *qui curam ſuorum non habet, maximè domeſticorum, fidem non habet, & eſt infideli deterior.* Verum inter hoſtes apertos, & aperto etiam Mare iam iam pugnaturos, quænam pacta credenda ſunt? Imò etſi paciſcerentur, etiam pacta forent reformidanda: & præterea quodnam ius poſtulat, vt hoſtis id officij, & humanitatis agat in hoſtem, vt nullis vtatur inſidijs, quibus ſibi poteſt conſulere? Profectò nullum, vel aſsigna. Quapropter inſidiarum vſus nullatenus frangit fidelitatem, niſi fœdus iniretur vtrinquè, & receptà promiſſorum ſecuritate: tunc enim ſi alter ſe gereret

ret ſecus ac promiſsit , deeſſet fidelitati. Hoc autem pacto ſecluſo , fidelitas non temeratur per inſidiarum vſum , qui licet in vna acie cum formidatur in altera , & viciſim licet in hac , quippè prudenter formidatur in illa , præſertim , dum nullæ conventiones, aut fœdera præceſſerunt.

10 Tandèm non opponitur veracitati , cuius eſt conformem reddere loquutionem cum mente. Per inſidias autem nulla inducitur diſconformitas loquutionis cum mente , qua veracitas labefactetur. Cuius ratio eſt. Quia facta illa , quibus perficiuntur inſidiæ non ſunt ſigna manifeſtativa animi , & mentis re ipſa non exiſtentis : ſunt autem occaſio propter ſui motivi , & finis incertitudinem (qui pendet ex intentione agentis) vt videntes decipiantur , putantes , alium finem tali actioni fuiſſe præfixum ; cum re ipſa non eſſet ; v.g. cum imperator exercitus iubet aliquas copias terga vertere prævidens hoſtes fugam arbitraturos ; videtur loqui medio illa facto , ſe fugere : ſed tali facto fugam non loquitur : in cuius aſſumpti probationem toti incumbemus : quippè , res eſt delicatiſsima explicatu , & in qua doctiſsimi quique homines ita ſint lubrici , vt vix teneri poſsit , quid dicant ; Atquè in primis Vazq. 1. 2. diſp. 182. cap. 4. & Torres diſp. 94. dub. 1. dum ſequentes D. Thom. aſſerunt , hoc ineſſe diſcrimen in ſignificando inter res , & verba , quod hæc inſtituta ſunt ex communi conſenſu ad ſignificandum aliquid ; illæ autem ex communi conſenſu alicui particulari ſignificationi non ſunt alligatæ , certè omninò non placent , quippè rem omninò non explicant. Tum quia negari non poteſt plures eſſe actiones , quæ ex communi conſenſu cuipiam ſignificationi alligantur ; v. g. capite , vel digito in vtramquè partem flexo , negatur : manus protenſa cum digitis , & palma , ſuſquè , dequè commotis , vocat : ramum ad valvas appendere , vinum vendi ſignificat , & ſimilia : Tum , quia ex doctrinis ibi traditis relinquitur , Ducem terga vertentem cum animo decipiendi hoſtem , qui credat ſe fugere , illicitè procedere , & activè decipere , niſi aliud verum ſignificatum præſentet. Quod quia plerumquè deeſt in bello , prout à nobis diſputatur ; (tendunt enim Duces directè , vt medijs ſuis motibus hoſtes decipiantur) ideò per huiuſmodi doctrinas , quæſtioni non credimus ſatisfactum : & propterea tantorum hominum præeunte face , noſtras cogitatiunculas adijciemus.

11 Propoſitio ergo noſtra erat huiuſmodi. Imperator exercitus dum fugam ſimulat , vt hoſtis decipiatur , nec loquitur fugam , nec illam loquitur contra mentem. Prima pars ſuadetur hoc diſcurſu : Res , & verba in eo differunt , dum ſignificant , quod res ſignificant exercitè , voces autem ſignatè , quippè , nihil aliud niſi ſigna ſunt. Vnde ſuboritur , quod ſicut voces adæquantur in ſignificando cum conceptu , pro quo ſubſtituntur , ita res in ſignificando adæquantur ſui exercitio , ita vt nihil aliud ſignificent à natura , quam quod res ipſa naturà ſuà fert (non loquimur de ſignificatione ad placitum , quia hæc provenit à placito communi , quod in actionibus particularibus non reperitur) propterea cum actio vertendi terga naturà ſuà ſolùm ferat ſpeciem fugæ , ſolùm exercitè ſignificat ſpeciem fugæ , non fugam. Cumquè Dux) etiam cum intendit , vt hoſtis decipiatur (non dico decipiat , quia activè non decipit) habeat etiam in mente *ſpeciem* fugæ , licèt non fugam , eccè conformatur loqutio cum mente ; quin interveniat falſitas activa , ſed paſsiva dumtaxàt in hoſtibus , dum incautè credunt *ſpeciem fugæ* eſſe fugam. Dux autem activè non decipit , quippè loquitur id , quod habet in men-

mente nam dum terga vertit non loquitur fugam, ſi res benè præſcinditur, *ſed ſpeciem fugæ*, & hæc erat, quam ille habebat in mente. Replicabis: qui loquitur ſpeciem fugæ, & fugam non habet in mente activè decipit: ergo, doctrina data non ſubſiſtit. Reſpondeo, nego antecedens, quod videtur evidentiſsimum, vel diſtinguo claritatis gratiâ: Qui loquitur ſpeciem fugæ, ideſt, *quoad ſpeciem loquitur fugam, & fugam non habet in mente activè decipit*, concedo antecedens: qui loquitur ſpeciem fugę, *ita vt ipſa ſpecies, & apparentia fugæ ſit res dicta, & ſignificata per loquutionem*, nego antecedens, & conſequentiam. Itaque aliud eſt loquutionem media illa actione ſignificare immediatè fugam, & hoc eſt falſum: aliud autem eſt ſignificare immediatè *ſpeciem fugæ*, prout ſupra notavimus, & hoc eſt verum, quia re ipſa illa actio natura ſua fert ſpeciem fugæ, cumque in rebus ſignificatio ſit exercita, debet opportunè diſcriminari ſignificatio, & res ſignificata, vt res tota præhendatur: eſt ergo ſignificatio *ipſum fieri* rei ideſt, terga vertendi, res autem ſignificata eſt ipſa ſpecies fugæ, quæ in talibus circunſtantijs ex motu retrogreſivo reſultat, tamquam effectus aliquis de linea intentionali: vnde ſignum eſt res phyſica, & ſignificatum eſt res intentionalis. Non dubito, quin hæc ſint ſubtilia nimis, ſed in primis puto eſſe vera, & credo pariter, delicatum aſſumptum, delicatiori, quantum poſimus, eſſe filo tractandum.

12 Secunda pars illius propoſitionis erat, quod Dux in tali caſu terga vertens omninò contra mentem ſuam non loquitur, imò neque loquitur quippiam: Pro cuius partis probatione, diſcurro ſic. Mens eius generalis, & reflexa, & hoſtibus denuntiata eſt de nullo conſilio ſuo, per nullum factum bellicum, particularem eius mentem hoſtibus aperiri, & nullis ſignis prodi. Ergo vel omninò non loquitur eò quod cuncta, quæ dicta eſſe poſſent, ſua ſignificatione ſunt denudata: vel non loquitur contra mentem, eò quod illa mens reflexa, & animus occultandi ſeſe, cum nulla loquutione diſconformatur, ſed æquè ſe habet ad facta externa ſignificantia EST quam ad ſignificantia NON EST. Quia nimirum, ex libera hominis voluntate, & iam intimata ruptus eſt nexus, commercium, & ordinatio externarum rerum, atque verborum ad internos ſenſus manifeſtandos. Quod attinet ad rem bellicam hæc eſt ſumma Doctrinæ, quam aliquantulò plus explicare non gravabor. Ponamus Petrum dicere concivibus ſuis: „ Ita volo ſecre„ tum meum mihi: & ſic vivere in hac „ civitate, vt verba, vel facta mea men„ tem non prodant: quare licèt dicam, „ EST mens mea, fortaſſe erit NON: & „ licèt videar pedibus progredi in vi„ cum anteriorem, non ibo niſi in „ poſteriorem. Hoc omnibus notum „ facio, vt me nemo poſtulet falſitatis. Si quis quæſo huius intimationis, vel inſcius, vel immemor quomodolibet ex verbis, aut factis eius mentem argueret, non omninò falleretur à ſe ipſo paſsivè, quin Petrus eum activè deciperet? Eſt innegabile: Quia nemo Petrum cordatè poſſet poſtulare fallaciæ. Imò ſi & ipſe Petrus ſimul dixiſſet: *Viciſsim cuncta reliquorum verba, vel facta non accepto in ſigna ſuorum conceptuum.* Poſſet quidem reputari fatuus, aut incommunicabilis, vel manià laborans; ſed fallax minimè. Igitur hoc poſito, quod videtur mihi eſſe verum. Veniamus modo ad denuntiationem Belli prout modo eſt in vſu; & videbimus quam maximè ex parte doctrinæ congruit ſuperiori. Dicit ergo Hiſpania dum Angliæ bellum indicit. „ No„ tum ſit Anglorum vniverſæ ditioni, „ nos Hiſpanos propter iura noſtra le„ gitima, eorum res, & perſonas ſeſe „ obij-

„ obijcientes eſſe invaſuros fortiſsima „ vi quantum poſimus, & conſilio, & „ arte alte ſecreta: Vnde & cuncta „ verba, & facta, quæ bellico more ho„ ſtibus apparebunt, omni vi ſigni„ ficationis exuimus, niſi paciſcamur „ de pace: proindeque falſo claſicum „ canere ad pugnam; fugam ſimulare; „ copias ſpecie tenus augere, Explora„ tores dolo plenos immittere, & alia „ id genus, quæ vſui eſſe ſolent, cun„ cta ad noſtrum vltimatum finem „ reparandi iura noſtra, & ad ſignifi„ cationem huius noſtræ reſolutiſsimæ „ voluntatis ordinamus. Cæteras verò „ omnes verborum, atquefactorum „ immediatiores ſignificationes omni„ nò, aut tollimus, aut ſuſpendimus „ ſervato iure naturæ propter ius per„ fectum occultandi noſtra conſilia, „ *quod nobis competit, præſertim tempore* „ *belli.* Quibus poſitis, ille hoſtis, qui in alterius facto, vel verbo eius mentem tenere præſumpſerit, ſeducet ſe ipſum; non autem ſeducetur ab alio.

13 Hæc omnia robur accipiunt ex verbis D. Thomæ quæſt. 40. art. 3. num. 22. vbi ait: *Alio modo aliquis poteſt falli ex dicto, vel facto noſtro: quia ei propoſitum, aut intellectum non apperimus: hoc autem ſemper facere non tenemur: quia etiam in Doctrina Sacra multa ſunt occultanda maximè infidelibus... Vnde multo magis ea, quæ ad impugnandum inimicum paramus ſunt eis occultanda. Vnde inter cætera documenta rei militaris hoc præcipuè ponitur de occultandis conſilijs, ne ad hoſtes perveniant, vt patet in libro de Stratagem. Francorum. Et talis occultatio pertinet ad rationem inſidiarum, quibus licitum eſt vti in bellis iuſtis? Nec proprie huiuſmodi inſidiæ vocantur fraudes, nec iuſtitiæ repugnant, nec ordinatæ voluntati. Eſſet enim inordinata voluntas, ſi alioqui vellet nihil ſibi ab alijs occultari.* Ex quibus verbis deduco plura, quæ cogitationem noſtram foveant, & faveant. Primo ius fundamentaliſsimum horum omnium eſſe ius vniuſcuiuſque occultandi conſilia ſua, maximè infidelibus. Secundo: totas inſidias eſſe huiuſmodi occultationem, ibi & *talis occultatio, &c.* Videtur enim tùm ex his verbis, tùm ex ſubſequentibus colligi in huiuſmodi inſidijs, quæ in bello iuſto poſſunt vſurpari, fallaciam nullam intervenire propter occultationem veritatis. Tertio demum, has inſidias parari per ordinatiſsimam voluntatem, quà cuncta ad vltimum finem iurium ſuorum appenduntur, & regulantur. Ad quæ perappoſita ſunt verba P. Torres de fide diſp. 94. dub. 1. ibi: *Poſſunt Milites vno loco in alium moveri, & etiam ſi hoſtes decipiendi ſint, arbitrantes illos fugere ex timore quando reverà non timent; ſed ea intentione mutant locum, vt melius poſint hoſtes ſuperare, & ſimili quolibet, ſtratagemate poſſunt vti, non propter mendacium, & ſimulationem in rebus; ſed per occultationem veritatis: neque enim debent Milites omnia ſua conſilia revelare hoſtibus. Et iuxta hanc doctrinam poteſt intelligi quomodo Ioſuè cap. 8. paraverit inſidias ſuis hoſtibus, &c.* In quibus verbis, & AA. cum P. Vazquez, & alijs tota legitur doctrina noſtra generalioribus propoſitionibus tradita, ex qua tamen nos vlteriores, & vlteriores propoſitiones diſcutimus, vt funditus hæ inſidiæ à mendacio ſemper illicito liberentur.

14 Pro quo quidem aſſumpto, & ijs, quæ ſuperius ſunt tradita plus explicandis, obſervari debet, veracitatem humanam, quæ ad homines eſt; non ad Deum (cui nemo mentiri poteſt, Dominus enim intuetur & cor) eſſe virtutem in commercio humano, & fideli fundatam: quare ſtatim ac inter aliquas nationes, aut populos, licèt ſervetur ius naturæ, commercium abrumpitur, & ſociabilitas fidelis ingenua, & rationalis tranſit in capitales inimicitias, qua ſeſe invicem vita, & fortuna privare contendunt; ceſſat ex par-

parte quoad exercitium virtus veracitatis, & obligatio ipsius ex defectu signorum: non quidem, quia si alter loqueretur, posset apponere loquutionem menti difformem; sed quia ex iure illo primo occultandi se, & sua, maximè gentibus iam sibi infidelibus, aufert à verbis, factisquè suis omnem vim significandi; vt nulla verba, & facta, (nisi quandò loquerentur ex condicto, & pacificè: tunc enim non erat locus verbis pacificis in dolo) prodant mentem suam hostibus suis. Cur enim homo sit proditor sui in verbis, & factis? Quæ dum significant ex communi placito, durat placitum, vbi durat commercium humanum: hæc enim signa propter tale commercium instituta sunt, & ex illo placito cum tali significatione vestiuntur; sublato tamen placito, signorum significatio removetur, nè homo sese prodat ijs, quibus ocultari maximè exoptat, & plurimum interest. Igitur in omnibus verbis, & factis insidiosis tàm ofensivis, quàm defensivis immediata significata per belli denunciationem submoventur: remanente illo dumtaxat significato generali, & finali, scilicèt, *Per cuncta mea opera, & verba bellica* (iuxta vsum recepta, & consuetudines) *me volo defendere, & hostes omninò meos superare.* Vndè in prædictis veracitas non habet locum ex defectu signorum: sicut nec mendacitas, quæ opponitur veracitati: Quod autem hæc veracitas sit virtus commercij patet ex Authoribus dicentibus de mendacio, ideò licere non posse; quia rueret commercium humanum: Sic Pater Dominicus Viva pro Bulla *Vnigenitus* propos. 71. *Rueret enim humanum commercium si mentiri, & peierare liceret.* Ruente ergo humano commercio, mendacia, & periuria non fient licita: quippè intrinsecè mala; verùm non poterunt fieri ex vniversaliter sublatà significatione signorum, quæ in subsidium talis commercij data est. Dices. Ergo in bellis iustis licebit dicere falsum hostibus. Quod negat D. Th. Respondeo, distinguo consequens *authenticè, & ex condicto hostibus conuenientibus*, quoad signa loquutiva. Nego consequentiam: tunc enim ex placito vtrorumquè redditur ad signa, & hæc vim habent significandi: *loquutionibus insidiosè dissemina-tis*, v.g. *in Exploratoribus*. Concedo consequentiam, propter dicta. Ex dictis infertur primò.

15 Quod ad mensuram interdictionis commercij humani licen tales insidiæ, & à mendacio excusantur: solent enim Nationes tum iuxta mores suos bellum indicere, tum etiam aliquando, & alicubi plus minusvè acre, & hostile, & tunc plura, vel pauciora, fœdera dirumpuntur iuxta mensuram causæ, & placitum vtriusquè partis expressè, aut implicitè intimatum: quod certò scire non est facilè, nisi vnumquodque bellum in particulari cum omnibus suis circunstantijs consideretur. Propterea D. Thomas. *Sunt enim quædam iura bellorum, & fœdera etiam inter ipsos hostes seruanda, vt Ambros. inquit lib. 1. de Officijs cap. 29.* Dixit enim *quædam* sed non *qualia*; hæc enim pendent ex circunstantijs, vt ibidem Ambrosius, ibi: *Siquidem vehementioribus hostibus, & infidis, & ijs, qui amplius læserint vehementior refertur vltio, vt Madianitis, &c.* & posteà dicit minorem vltionem Gabaonitarum, & adhuc minorem Syrorum ab Eliæo, &c. ergo tandem incertum est, quomodo in vnoquoquè bello particulari iura commercij humani rumpuntur, & quibus standum sit; quibus verò secus; quod nisi ex communi vtrarumquè partium tunc temporis sensu definiri vix potest. Si rogaveris in bello nunc temporis vsitato quæ, & quantæ licebunt insidiæ? Respondeo. Quotquot modo vsui sunt in Europa, & aliæ his affines, quæ in consideratione pruden-

tum non diſcrepant ab his, quæ impræſentiarum vſurpantur. Quoad ea autem, quæ horrorem, & inhumanitatem important, iura commercij humani rupta non creduntur vtrinquè; vndè ita inſidiari erit illicitum; & ſimulatio in ijs erit iniurioſa deceptio, niſi, vel expreſsè intimatum fuerit huiuſmodi bellum; vel propter qualitatem cauſæ horridiſsimæ, aut qualitatem congredientium; v. g. ſi res eſſet cum Barbaris; aliter bellum intelligendum veniret, quam cum Catholicis, ſervato verò naturę iure omnibus debito. Hæc ita fuſsè diſcuſsi, quia magni momenti ſunt; quia in ſe implexa, & quia ex eis ſunt plura dilucidanda. Dilucidant autem illa, & mutuò dilucidantur cum illa doctrina communi Theologorum aientium Confeſſarium interrogatum de aliquo peccato poſſe dicere, *non eſt mihi confeſſus*, etſi re ipſa fuerit; & idem de eo, qui à iudice non legitimo interrogatur. Ratio enim horum ea eſt, eo quod ius tum Sacratiſsimum ſigilli, tum naturaliſsimum occultandi id, quod revelatum ipſi noceret; removet tunc caſus à verbis, & factis illam ſignificationem, quam alioqui, & cum alijs in alijs rebus haberent; & eorundem ſignificatio relinquitur arbitrariè ad conjecturam prudentum in tali coniuncto circunſtantiarum. Ecce doctrinam, vt ſentio, pro hac re non ineptam, & cum ſuperiori noſtra valdè aptam, quæ in eo à priori conſiſtit, quia commercium humanum eſt communicatio conceptuum, & ad hanc communicationem externa inſtituta ſunt ſigna: quarè ſublato commerciò humano, vel pœnitùs, vel ex parte, tollitur, vel pœnitùs, vel ex parte (iuxta gradus nimirum, in quibus commercium interdicitur) illa ſignificatio externa ſignorum. Ex qua radice bene præciſa, & perpenſa obſervabis forſan nonnulla facilia explicatu, quæ antea non erant; v. g. Confeſſarius, qui audivit adulterium, & expreſsè dicit *non audivi* non eſt mendax, quia ſublato commercio humano propter ſigillum, ſublata eſt ſignificatio ſignorum revelantium, &c. & alia id genus.

16 Obijcitur ſecundò: Lex naturæ prohibet alijs facere, quod nobis fieri nolumus. Sed nemo vult ſecum inſidiosè agi; ergo nequè cum alijs poterit inſidiosè agere. Reſpondeo primò: Diſtinguo minorem. Ab amicis, & quibuſvis alijs cum quibus commercium ſociale durat, concedo minorem. Ab hoſtibus; ſubdiſtinguo: permiſsione talium inſidiarum in ipſis erga ſe æquè ac in ſe erga ipſos; nego minorem. Voluntate poſsitiva, & optativa, concedo minorem; & nego conſequentiam. Itaquè eadem voluntate, qua quis vult alteri bellum indicere, vel ab alio indictum aceptare, vult vtriquè parti permiſſas eſſe illas artes bellicas, quibus vnaquæque pars ſua iura tueatur: neque violantur iura charitatis ad proximum dum ex condicto vtrarumquè partium tantundèm vni licet, quantum & alteri. Reſpondeo ſecundò: Diſtinguo minorem. Voluntate ordinata, nego minorem; voluntate inordinata, concedo minorem: & hæc reſponſio eſt cum Abulenſi quæſt. 6. ad 1. & cum D. Thom. vbi ſupra: inordinata enim eſt voluntas, qua quis velit, nè alius vtatur ſuo iure occultandi; cumquè inſidiæ in hoc tandem funditus reſumantur, vt conſilia ſua quiſquè hoſtibus tegat; inde eſt non ordinatè velle eum, qui in ſuis hoſtibus cuncta patefacta deſideret, vt melius eos impetat, & impugnet.

17 Obijcitur tertiò: Inſidiæ, & inſidiatores odio habent lucem: ergo malè agunt: iuxta illud Lucæ 6. *Qui malè agit odit lucem.* Reſpondeo, permiſſo antecedenti, nego conſequentiam. Licèt enim verum ſit, quod qui malè agit, odit lucem, ſemper enim ini-

iniquitas erubeſcit; non tamen omnis fuga lucis eſt iniquitas, cum multa arcana iuſtis de cauſis celari debeant Tobiæ 2. verſ. 7. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.*

18 Obijcitur quartò: Inſidiari eſt agere fraudulenter: ſed agere fraudulenter eſt iniuſtè agere: ergo inſidiari eſt iniuſtum. Reſpondeo, nego maiorem: cum D. Thoma ſupra dicente, quod non ſunt inſidiæ propriè fraudes, cum nequè iuſtitiæ, nequè ordinatæ voluntati repugnent. Vel *diſting. min.* Agere fraudulentur contra iure humani commercij, conced. min. Salvo illo commercio humano, quod & poſtulat ius naturæ, & ius gentium. Neg. min. & conſeq. Quorum explicatio conſtat ex ſuperioribus.

19 Obijcitur quintò: Bellicè litigantes in bona cauſa comparantur cum litigantibus civiliter: ſed nequè reis, nequè actoribus artificioſis inſidijs vti licet: ergo nec bellicè litigantibus. Reſpondeo: nego minorem cum Doctiſsimo Covarrubias, qui lib. 1. reſolutionum cap. 2. doctè diſputat, & exponit, quibus artificijs ſeſe rei, & Actores poſint circumvenire: Qua doctrina poſita duo ſunt magis certa: alterum, quod in iuſta cauſa, ſeu certiùs iuſtà plus inſidiarum, atquè artificiorum licebit, quam in non tali: Alterum verò eſt, quod plus huiuſmodi licebit in bello, quam in lite civili; cum enim lis hæc pacatiùs inſtituatur, remiſſaquè ſit ad illum hominem, qui iuri dicendo deſtinatur; profiteri videtur vias minus doloſas. In bello autem, cuius totus animorum ardor, eo tendat, vt homines ſibi infenſos devincat, omnes vias (imò occultiores melius) tentabit.

20 Obijcitur ſextò ab abſurdo multiplici. Si in bello licerent inſidiæ, licerent primò mendacia; ſecundò arma, & vexilla ementita, tertiò inuſitatum genus armorum, & pugnæ; quartò, reſcindere pacta, & conventa in ſtando promiſsis: quintò, telà veneno invngere, & flumina inficere, cocoſquè, & pincernas hoſtium corrumpere ad hoſtium necem. Sextò; ſiccarios conducere, & immittere: ſeptimò; arte Magica, tempeſtates movere, & præſtigia hoſtibus objicere: ſed hæc omnia non licent; ergo neque inſidiæ. Reſpondeo, negando antecedens implicitum, quod videlicet ſequatur abſurdum. Ad cuius primam probationem nego ſequelam; mendacium enim intrinſecè malum eſt, & ſemper illicitum. Vnde ſtantibus loquutionibus in ſua vi ſignificandi, & authenticè, & quaſi ex condicto procedentibus de vno Duce in alterum mens debet talibus loquutionibus conformari: poterunt autem de hoſtibus in hoſtes nonnulla verba, & orationes promanare, quæ credantur eſſe mendacia, ſed quæ re ipſa non ſint propter illam interdictionem ſignificandi, quam ſupra fundavimus ex iure occultandi propria conſilia. Ad ſecundum, concedo ſequelam: Arma enim huius vel illius Artificij, vexillaquè huius, vel illius coloris, quorumcumquè bellatorum libera, & communia ſunt, & artis bellandi eſt ſelectiora arma tractare, & hoſtium vexilla cautè obſervare. Ad tertium, concedo ſequelam: Ordo enim acierum in pugna planè eſt prudentiæ militaris inventum, & ſicut ſemper licuit per ſæcula ingenio venire de armis in arma; v. g. de pugnis ad ſagittas, haſtas, & gladios, vt eſt apud Caſiodorum lib. 1. Variarum 30. & de illis ad ſclopos, atque Bombardas, quarum multiplex genus eſt: ſic ſemper nova armorum genera ab vtriſque bellantibus poſſunt excogitari, & moris iam eſt vtrimquè recepti, ingenioſos incendiarios ſecum deferre, vt vrbes expugnent. Quarè perperam conquæſtus eſt ille Moſcobita de quo Lipſius in Poliorceticis lib. 5. cap. 5. quod Rex

Po-

Poloniæ candentibus globis, eius munitiones ligneas incendiſſet, quaſi iura belli violaſſet: quid ni enim ille habuit munitiones lapideas, vel ſi habebat ligneas, quæ tanto ſunt debeliores, cur ille tam audax, vt belligerari non pertimeſceret. Ad quartum, nego ſequelam cum D. Ambroſio vbi ſuprà aiente: *Liquet etiam in bello fidem, & iuſtitiam eſſe ſervanda, nec vllum decorum eſſe poſſe, ſi violetur fides*, & cum Senec. lib. 5. de Beneficijs, cap. 21. *Multa legem non habent, neque actionem; atqui conſuetudo vitæ humanæ lege omni valentior dat aditum. Nulla lex iubet amicorum ſecreta non eloqui: nulla lex fidem etiam inimico præſtare, quærar tamen cum eo, qui arcanum ſermonem non continuerit, & fidem datam, nec ſenſatam indignabor.* Item cum D. Th. vbi ſuprà dicente, non licere etiam cum hoſtibus dicere falſum, nec ſervare promiſſum: quia ſunt quædam iura bellorum. Itaque conſequenter ad noſtras doctrinas ſuperiores, aio, fidem, pactaque conventa hoſtibus data ſemper intelligi eſſe ſervanda, alioquin mendacitas interveniret. Siquidem quando vtrinque convenitur ad paciſcendum, etiam convenitur in ſignis, per quæ mens menti manifeſtetur: vndè ſi diſcordant verba cum mente, mendacitas eſt. Si verò poſtmodum diſcordant facta promiſsis, infidelitas eſt, itavt etiam ſimulator ille Machiabellus lib. 3. de Repu. cap. 4. ſic dixerit: *Ea fraus quæ fit in re militari fidem frangendo, pacta non conſervando, nequaquam glorioſa.* Ad quintum reſpondeo, diſtinguendo ſequelam, attenta opinione veterum Iuriſtarum, & pondere rationum, permitto ſequelam, vel omitto, habita, vel attenta bellorum conſuetudine noſtra, & fœdere quaſi implicito vtrarumque partium, nego ſequelam. Eſt enim opinio Baldi, & veterum Iuriſtarum cum Vegecio, vniversè loquendo licere hoſtes veneno occidere, quam modo nos non adoptamus: abſtinemus enim ab huiuſmodi ſecunda diſputatione, ne primam reddamus magis implexam: Vndè dicimus, quod eſto liceant inſidiæ, dicta venena non licent, præſertim in bellis, prout in Europa vſurpantur: cum enim Nationes ſint humaniores, ac politiores; omne genus crudelitatis quaſi ex condicto, & communi placito deteſtatur: Crudelis enim eſſet illa enecatio, quæ fieret per venenum irreſiſtibiliter, & contra legem humanæ conſuetudinis peccaretur. Ad ſextam probationem, reſpondeo, vt ad quintam, iuxta quam dico, quod attenta conſuetudine bellorum totius Europæ iniquè ageret pars illa, quæ immiſſo Sicario, ducem hoſtium confoderit, iuxta factum illud percelebre, quod refert Claudianus de bello Gildonico: *Bellumque negavit perfamuli patrare nefas.* Sic enim videntur ferre noſtra iura bellandi, vt nimirum tam inglorium facinus propulſetur, & virtus vtrinque dimicationis habebat locum. Ad ſeptimum reſpondeo negando ſequelam, iura enim noſtra ſolum ſunt vſque ad aras, ne poteſt non eſſe illicitum paciſci cum Dœmone: Vndè blasfema habenda ſunt verba illa, quæ de aliquibus retulit Bodinus, dicens: *Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo.*

21 Obijcitur ſeptimo: Nequit eſſe in bello licitum Chriſtianis, id quod Gentiles abhorrent, & execrantur; ſed Gentiles hoc inſidiarum genus explodendum cenſuerunt: ergo eſt illicitum. Probo minorem, primo ex Euripide aiente: *Non eſt mentis rectæ clanculum velle occidere hoſtem. Secundo.* Ex Cœlio Rodiginio lib. 8. cap. 30. aiente, de Tibarenis, quod hoſtibus ita eſſent fideles, vt prælij locum, tempus, & horam denuntiarent. *Tertio.* Ex Polibio lib. 13. laudante Achæos, eò quod ſummopere occultis dolis abhorrent, & ne infeſtiſsimos quidem hoſtes ſic vellent vincere. Reſpondeo, diſtinguo maiorem.

iorem. Vanis rationibus permoti, nego maiorem. Solidis, concedo maiorem, & distincta minori, nego consequentiam. Inter Gentiles enim solebant bella subnasci, eò quod vtrique de animositate, & Corporum robore decertarent: quarè nolebant dolo confidere, sed virtuti: & propterea, vt testantur Libius lib. 42. Polibius lib. 13. & Plutarchus in Pyrrho solebant hostibus locum, & penè modum prælij aperire, ita vt veteres Florentini, ne insidijs fidere viderentur, toto mense campanam vnam nomine *Martinellam* pulsabant, vt hostes admonerentur, & Ternatenses Incolæ vires, arma, & præliandi modos enunciabant, vt refert Michael de Montrigne lib. 1. cap. 5. Labentibus verò sæculis, solidior ratio bella movet, scilicèt, Iustitiæ defensio: Cumque melius sit hanc iustitiæ defensionem humano nocumento, quamminimo sustinere, ideò consultum, & probatum est, hostes superare dolo, & insidijs, quam armis trudicare. Gentiles ergo insidias detestabantur ex præsumptione, & arrogantia: Christiani verò is incumbunt non nisi prudentia, misericordia, atque charitate commoti.

22 Pro coronide huius quæstionis antidotum paro circa primæ obiectionis superiores doctrinas. In eis enim quantum potuimus speculativè cucurrimus, vt rationem à priori persequeremur, indagantes: quomodo sine mendacio in bello talia vsurpari consueverint. Nolim tamen censeri, propterea me in bellis prout modo agi, & publicari solent, aliquid de licita praxi imminere, ac iuri naturali, quod servari solet, & debet, quidquam detrahere, neque vllius virtutis veracitatis præsertim officium tollere. Penes me enim solum esse potest latitudinem humani placiti, & conventionis explicare speculatione, quà posim altiori; eò autem vti populorum est, nationum, & gentium: & quidem non nisi, prout postulant iura naturæ. Quare iuxta mensuram, qua humanum inter hostes commercium interdicitur, aut vsurpatur, & iuxta licentiam actionum, quam communis sententia Authorum complectitur, veniunt doctrinæ superiores intelligendæ: neque eas alio quam sano intellectu velim esse donatas.

(?)

QUÆSTIO

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

STETERUNTQUE SOL, ET LUNA DONEC vlciſceretur ſe Gens de Inimicis ſuis. Ioſuè 10. verſ. 13.

ARTICULUS

VTRUM SOL, ET LUNA STARE NATURALITER poſſint?

NOTABILIA.

ANTE quæſtionis reſolutionem prę̃mittere oportet ſiſtma Copernici, qui inter Mathematicos nobilis eſt, ſingulariter tamen Philoſophatus: ait enim, Solem eſſe Mundi centrum, ternamque ſuo Epyciclo infixam triplici motu moveri, ſitamque eſſe in quinto Cœlo cum orbe lunari ſub Saturno, Iove, & Marte, ſed ſupra Venerem, Mercurium, & Solem. Quæ quidem placita inviſa ſunt ſectis Philoſophorum præter Nicetam, pauculoſque Pithagoricos; inſuperque contra SS. PP. pronuntiata, & TT. gymnaſia, multumque Scripturæ adverſantia: *Terra enim*, ait Eccleſiaſtes cap. 1. *in æternum ſtat. Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem*, & Pſ. 42. *firmavit orbem terræ, qui non commovebitur*, & Pſ. 102. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Ex quibus omnibus periculoſa, & temeraria apparet huiuſmodi cogitatio.

2 Hac tamen præmiſſa notitia, quę̃ in hac re poteſt eſſe inſtar primæ ſententiæ. Secunda ſententia aſſerit, hæc ſidera poſſe naturaliter ſtare, & quieſcere: quæ tribuitur Petro Comeſtori, ſivè Authori Hiſtoriæ Scholaſticæ à Serario hic, & ab Abulenſi 4. Reg. cap. 20. Tertia ſententia aſſerit, Cœlos, Solem, & Lunam nullo naturali modo quieſcere, & ſtare poſſe. Hanc tenet Ariſt. lib. 9. Metaphyſic. cap. 4. text. 17. quem ſequuntur Diſcipuli Themiſtius, Philoponus, Simplicius, & Alexand. Aphrodiſeus lib. 2. naturalium quæſtionum cap. 18. Quarta demum ſententia eſt P. Nicolai Serarij, qui & morem gerit authoritati Ariſtotelis, & etiam ſtando rationi rem componit cum PP. Conimbricenſibus

lib.

lib. 1. de Cœlo, cap. 2. quæſt. 3. art. 4.

3 His poſitis abſolutè dico; Corpora Cęleſtia ſtare poſſe ſecundum naturam. Quod probo ſic primò. Corpora Cœleſtia non habent in ſe principium effectivum motus: ergo naturaliter poſſunt ſtare, & quieſcere. Antecedens videtur certum: nam ſi ab intrinſeco moverentur, eſſent viventia, quod eſt falſum, & ſi non nemo id aſſeruerit. Probo conſequentiam. Cui moveri eſt extrinſecum, intrinſecum eſt eſtare: ergo, ſi hæc corpora ſolum moventur ab extrinſeco, vt ferunt Philoſophi cum Ariſt. & TT. cum D. Th. habebunt ſtare ſecundum ſuam naturam.

4 Probatur ſecundò iuxta ſatis probabilem opinionem: Cœlum ex aqua concretum eſt: ergo naturaliter ſtare poteſt, & quieſcere. Probo conſequentiam. Nam antecedens etiam videtur conſtare ex verbo Hebræo, quod ſignificat Cœlos eſt enim, quod ſignificant *ibi aquæ*, Probo, inquam, conſequentiam. Aquæ concretæ craſſities apta nata eſt potius ad quietem, quam ad motum: ergo ſi Cœli ex aqua, concreti ſunt ſtare naturaliter poſſunt.

5 Tertiò probatur, ſeu explicatur ratio à priori, & prima probatio. Stare licèt ſonet quid poſitivum, revera eſt quid negativum, ſcilicèt, *non moveri*; ſed ſi intelligentiæ non moverent Cœlos, Cœli non eſſent violenti: ergo naturaliter poſſunt ſtare. Probo minorem. Ideò eſſent violenti, quia exigerent ab intrinſeco ita moveri ad bonum ſui; ſed id non exigunt: ergo non eſſent violenti. Maior videtur certa, nam exigentia ad bonum aliorum non tollit connaturalem ſtatum ſui. Vndè licèt illa Corpora exigerent moveri propter influendum in vniverſum, nihilominus ſtando, ſervarent ſtatum connaturalem ſui, quod nobis ſufficit ad controverſiam præſentem. Probo minorem. Nihil non vivens exigit ad connaturalem ſtatum ſui, moveri: ergo, &c. Probo antecedens. Omnis motus ab extrinſeco advenit rei poſt ſtatum connaturalem ſui: ergo niſi motus fuerit ab intrinſeco, qui eſt motus vitæ, non poterit exigi ad ſtatum connaturalem rei.

6 Obijcitur primo, contra noſtram concluſionem, Ariſt. lib. 9. Methaph. cap. 4. aientem, Corporibus Cœleſtibus non in eſſe potentiam contradictionis ad moveri, & non moveri: ergo naturali neceſsitate moventur, quieſcereque proinde, & ſtare non poſſunt. Huic obiectioni priuſquam reſpondeam, non poſſum non obſervare, niſi ego fallor, noſtros Conimbricenſes, atque Serarium minus dialecticè proceſiſſe, vt ſe Ariſtoteli oſtenderent reverentes. Primi enim aiunt: *Poſſe nos de quiete loqui, vel ad mentem Ariſtotelis, vel ſecundum rem ipſam.* Unde duo pronuntiata efformant omninò contraria. Et reapte ſemper Philoſophi articulos diſcutiunt ſecundum rem ipſam, & incongruè dividunt aſſerta affirmando in altero *ſecundum rem*, & negando in altero *ſecundum Ariſtotelem*: id enim potius eſt probro Ariſtoteli, quam reverentiæ: eſt enim perinde ac dicere: *Res aliter ſe habet in ſe, ac Ariſtoteles pronuntiavit.* Quod ſi ad hæc tandem deveniendum eſt; quid ni Ariſtoteles in hoc placito planè deſeritur?

7 Propter hæc abſolutè reſpondeo. Conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Rotundè enim pronuntio authoritatem Ariſtotelis eſſe in hac re deſerendam. Quod non officit diſcipulatui peripatetico, ſiquidem Alexander Affrodiſæus Sectator maximus Ariſtotelis in ſua Dialectica, & Fr. Ioſephus de Muñana vindex Ariſtotelicus in ſuo opuſculo pro dignitate Ariſtotelis aiunt, benè poſſe diſcipulos in hoc, vel illo placito ſuo Principi refragari. Ratio verò deſerendi Ariſtotelem in hoc puncto eſt, quia manare

videtur ex alio in quo habet ipſe Adverſarios Philoſophos, & SS. PP. Hoc ergo punctum eſt, Cœli incorruptibilitas, vt diſtincti à materia elementali: in quo adverſarios habet penè omnes Philoſophos ante ipſum, vt videre eſt apud Conimbricenſes lib. 1. de Cœlo cap. 3. quæſt. 1. art. 1. Item & penè omnes recentes Aſtronomos poſt Thyconem lib. 1. de Mundi Ethærei recentibus Phænomenis. (Hic A. ſolum citatur pro Cœli corruptibilitate, quam tenet; non verò pro Cometis, de quibus hic non eſt ſermo) Inſuper, & SS. PP. præſertim Ambroſium in Examer. lib. 1. cap. 6. De Habram Patria. lib. 2. cap. 8. vbi reprehendit Philoſophos, *quod Superiorem Mundi huius ſubſtantiam, quam Æthera vocant, non ex Cœlorum mixtione elementorum conſtare volunt, ſed ex quinta quadam vſia eſſe aſſerunt.* Et alibi vocat hoc dogma pernicioſum, & inventum ad adſtruendam æternitatem Mundi. Idem habet Baſilius in Exam. hom. 1. & alij apud Martinengum. Vndè cum SS. PP. & Sacri Authores iudicaverint, Ariſtotelem ſtare pro æternitate Mundi, ideò in opinionibus circa Mundi primordia, ei non multum fidunt, ſicut & nos, qui licèt alibi conemur eum aliquo modo ab hoc errore excuſare ex illis libris quatuordecim de ſecreta ſapientia apud Ægyptios, quos ipſi tribuimus, nihilominus prudenter repellimus placita illa, quæ tali errori favere videantur. Et certè incorruptibilitas Cœlorum nequè Scripturæ, nequè Scripturarijs multum arridet: Vndè in hac, & alijs ſententijs affinibus præſtat homines Biblicos non eſſe ſcrupulosè Ariſtotelicos, ſed ex principijs Scripturæ congruentioribus ſua pronuntiata dirimere.

8 Obijcitur ſecundò: Si Soli naturale eſſet quieſcere, & ſtare poſſe, cum ſtetit, iubente Ioſue, naturaliter ſtetiſſet; ſed hoc eſt falſum: ergo, & quod Sol naturaliter ſtare poſsit; & idem de Luna, &c. Minor videtur certa, quia non eſt naturalis ſtatio Solis illa, quæ fit per miraculum, vt accidit ad iuſſum Ioſue. Maior autem probatur. Quod naturaliter poteſt quieſcere, ſi ſemel tantùm quieſcere videtur, naturaliter accidere credendum eſt: quia potentia naturalis per aliquos actus debet manifeſtari: vel ſi dantur tales actus credendi ſunt provenire à tali potentia; ſed Sol ſtetit tempore Ioſue cap. 1. & tempore Selæ lib. 4. Reg. ergo ſi ſtare naturaliter poteſt, tunc naturaliter ſtetit. Reſpondeo, diſtinguo maiorem. Statione naturali quoad ſuſtantiam, concedo maiorem. Naturale eſt enim Soli quieſcere, ſi non cietatur; ſtatione naturali reſpectivè ad effectus, & circunſtantias, nego maiorem. Et ſub datis terminis diſtincta minori, nego conſequentiam. Statio enim illa Solis tempore Ioſue erat naturalis quoad ſubſtantiam, quippè, ſiſtente motu intelligentiæ motricis, quies Solis erat naturalis, id eſt, iuxta naturam ipſius; non tamen propterea deſijt eſſe miraculum: Cum enim Deus ſtatuiſſet perpetuò in gyrum Orbes moveri, & cum ipſis ſydera fixa, & errantia per vim fortiſsimam, & perpetuam intelligentiæ moventis; hinc eſt, quod imperium Ioſue non niſi per miraculum potuit compeſcere fortiſsimum hunc gyrum naturæ, eiuſquè effectus frangere, & retardare. Vndè ſicut nonnulla ſunt miraculoſa non quoad ſubſtantiam, ſed quoad circunſtantias, vel modum; v. g. ignem exiſtentem Compluti Romæ comburere, ſic ſtare naturale erat Soli, & ipſius ſubſtantiæ; propter relatas verò circunſtantias, & totius vniverſi exigentiam erat miraculoſum: Concedimus ergo illas ſtationes relatas fuiſſe effectus illius potentiæ ad naturaliter ſtandum, ſed qui non fiebant, niſi miraculo interveniente. Poſt Iudicij autem diem illa ſtatio, & quies poterit omninò naturaliter

liter contingere, si (quod Deus scit) vtilior sit Vniversò tunc temporis Cœlorum statio, & quies.

9 Obijcitur tertiò : Etiam in sublunaribus datur aliquid, quod non sit vivens, & exigat semper moveri: ergo potiori ratione id erit verum de Sole, quo nihil mobilius. Nunc sic. Sed si semper exigit moveri non nisi violenter stabit: ergo Sol naturaliter stare non potest. Probo primum antecedens. Argentum vivum propriè non vivit, sed tamen exigit semper moveri: ergo datur ens huiusmodi. Respondeo, distinguo antecedens. Moveri localiter, nego antecedens: moveri ex conditione mixti, seu pugnæ qualitatum, concedo antecedens : & nego consequentiam. Non enim negamus dari aliqua entia sublunaria, & non viventia, quæ ita sint mixta elementis, & qualitatibus, vt quando sunt in suo statu connaturali semper habeant, & exigant quendam motum trepidationis, & ebullitionis, aut effervescentiæ; & hoc modò, etiam Sol ipse movetur, & exigit semper moveri, in sententia illorum, qui dicunt esse ignem, & per instrumenta Mathematica observaverunt illum flameum, vel vt fornacem. Negamus autem rem eiusdem speciei cum sublunaribus, cuiusmodi putamus esse Cœlos, & sydera exigere semper motum localem, per quem ipsis nulla perfectio acquiritur, licèt toti Orbi ex eorum motu sequatur vtilitas.

10 Obijcitur quartò : Si Sol non moveretur, & quidem rapidissimè, statim periret : ergo naturaliter quiescere non potest. Probo antecedens. Vorax flamma Solis per motum citissimum de instanti ad instans aleretur nova humiditate Cœlorum, quam per gyrum exvreret : ergo si quiesceret ex defectu pabuli interiret. Respondeo primò, nego antecedens. Ad cuius probationem nego antecedens; quia ex opinione Philosophorum ignis in propria Sphæra, & centro non eget pabulo, quanto minus illa portio ignis simplicissima, quæ resideret in Sole. Respondeo secundò, quod etsi aleretur aquea humiditate Cœlorum, etiam dum quiesceret sic aleretur : per continuam enim combustionem talis humiditatis alia post aliam succederet, & attraheretur, quæ continuò Solem reficerent, & instar pabuli deservirent. Prima solutio eligenda est, si simul sustineatur soliditas Cœlorum. Sed cum hæ quæstiones sint Quodlibeticæ, & aliæ seorsim ab alijs defendi soleant; possunt aliæ ita defendi, vt respectu alterius quæstionis possim hanc vel illam partem contradictionis amplecti. Et ideò ponitur secunda solutio stando fluiditati Cœlorum; licèt nos soliditatem propugnemus. Vbi oportunè etiam nota, quod licet alicubi in alia quæstione videamur Cœli incorruptibilitati consentire, id est, vt etiam ea admissa sententia, videatur ibi responsum parari posse; eam tamen, non secus ac in hac quæstione omninò repello vtpotè Biblijs, & Patribus minus conformem.

JHS.

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

DOMINARE NOSTRI TU, ET FILIUS TUUS, & filius filij tui. Iudic. cap. 8. verſ. 22.

ARTICULUS.

AN GEDEON PECCASSET, SI DELATUM principatum accepiſſet?

NOTABILIA.

1 SUPPONO Gedeonem fuiſſe præclarum Iudicem ex illis, per quos Deus multis annis Iudaicum Populum gubernavit, & per quem delevit Madianitas, vt liberaret Populum ſuum, in quo cum ſtrenuiſsimè ſe geſiſſet, omnes viri Iſrael victoriâ exultantes, & gratitudine pleni decreverunt, ei deferre abſolutiſsimum dominatum ſuper Populum ſuum, & quidem nedum ipſi, ſed & duobus poſteris eius filio, ſcilicet, & Nepoti.

2 Suppono ſecundò: In hac ſpontanea oblatione facta Gedeoni dominandi ſuper Iſrael duo interveniſſe, in quibus ipſi exhibebatur favor, & beneficium. Primum erat in amplitudine dominandi, liberrima poteſtate decernendi, iubendi, atquè agendi quidquid legibus non eſſet prohibitum: Antea enim Gedeon ſolùm fungebatur iudiciaria poteſtate, qua ſolùm in rebus bellicis, & neceſsitate poſtulante poterat ſe ſolo decernere; alioqui nihil publicum ferè ſuo arbitrio, ſed ſeniorum conſilio poterat imperare. Si verò delatum principatum accepiſſet, nullis Senatorum ſententijs ſe illigaret, ſed libito pleniſsimo dominaretur. Secundum erat ius ſuccedendi poſteris ſuis vſquè ad tertium gradum conceſſum in tam ampliſsimo dominatu: Dominaturus enim erat ipſe prior, poſteà primogenitus eius Iether, deniquè primogenitus huius; de alijs enim quid futurum eſſet non conſtat. Erat enim beneficium, & favor ipſi talis continuatio poſteritatis: quippè, iudiciaria poteſtas, quam à Deo acceperat, vita, dumtaxat ipſius terminabatur.

3 His poſitis duplex in hac re poteſt referri ſententia. Prima afferens, tum Populum rectè detuliſſe Gedeoni huiuſmodi principatum, tum ipſum Ge-

Gedeonem licitè potuiſſe illum ſuſcipere. Quæ ſententia iure tribui poteſt Flavio Ioſepho de antiquitatibus Iudaicis: iudicat enim hunc principatum non eſſe alium, quam iudiciariam poteſtatem Gedeonis datam à Domino, quam volebat ipſe deponere, & cui Populus replicabat. Hoc enim poſito patet eſſe licitum Populo ſupplicare Gedeoni, rurſuſquè Gedeonem, officium datum à Domino non detrectare. Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit, nec Populum rectè detuliſſe Gedeoni talem principatum, neque ipſum rectè admiſſurum, ſi forſitam admiſiſſet. Hanc ſententiam tuetur Abulenſis in Iudices cap. 8. quæſt. 19. 20. 21. & 22. & Pater Nicolaus Serarius ibidem quæſt. 10. 11. 12. & 13.

4 Nos autem adhæremus huic ſecundæ ſententiæ, quam duplici concluſione explicabimus. Itaquè dico primò: Populus non rectè, ſed illicitè deferebat Gedeoni huiuſmodi principatum. Quod ſic probo. Populus in hac re deficiebat erga Deum, & erga proximos: ergo ſe gerebat illicitè. Probo primam partem antecedentis, poſteà probaturus ſecundam. Liberè deſerere Deum, & poſtponere eius ſpecialiſsimum dominatum, & perfectionem dominativam tandiu ſuſceptam, & exhibitam erga Iudæos, eſt Populum deficere erga Deum: ſed Populus Iſraeliticus ab exitu Ægypti ſuſceptus eſt ſingulariſsimè in manus Dei, ipſum diu, noctuquè gubernantis, & per deſerta, & gentes ipſum tum Ducibus, tum Iudicibus providentis gubernatione valdè immediata: ergo Populum ſe commiſiſſe Gedeoni per ampliſsimum dominatum eſt, Populum deficere erga Deum. Maior videtur cèrta: Eſt enim quædam inhonoratio expreſſa, vel tacita gubernationis Divinæ, confugere ad hominem eos, qui gubernantur à Deo Sapientiſsimo ſui amanti, imò & Omnipotenti. Confirmatur. Nam id fieri non potuit ſine vitio intellectus, & voluntatis erga Dei beneficia: ergo illicitè. Patet antecedens, quod ad intellectum: Quippè, ipſi multum cæcutiebant, dum non obſervabant liberationem à Madianitis potiùs Deo, quam Gedeoni tributum iri: Quoad voluntatem. Quippè ſiniſtrè vertebat ſuos affectus amoris, gratitudinis, promptæ obedientiæ, &c. erga Gedeonem, qui erat Miniſter, cum deberet potius eos omnes exercere erga Deum tantæ liberationis Authorem. Vndè hic etiam à Deo probata debent intelligi verba illa dicta Samueli 1. Reg. 6. & 8. *Non enim abiecerunt te, ſed me, ne Regnem ſuper eos.*

5 Probo iam ſecundam partem antecedentis, ſcilicèt, quod in hoc Populus deficiebat erga homines; quod ſic probo. Inducere, & committere homini cuipiam tam ampliſsimum, & libentiſsimum dominatum, nocebat libertati ſingulorum, fovebat ambitionem, atquè diſsidia, tandemquè corruptioni morum fræna laxabat. Ergo Populus in delatione talis Principatus deficiebat erga iura humana. Probo antecedens per partes. Quia tale dominium ferebat ſecum magnam poſſe hominibus imponere ſervitutem, eoſquè multis duriſquè oneribus premere, & ſubiugare, propterea què loco citato Regum, dicuntur verba illa: *Dicam tibi onus Regis*, & ſequentia, in quibus, quaſi iure Regio (iure ſæpè ſæpius vſurpato) plures afflictiones deſcribuntur, ſub quibus gemerent homines, dum Regibus ſeſe ſubiugarent. Probo ſecundam partem. Quod huiuſmodi dominatus foveat ambitionem, atquè diſſidia: Cum enim voluntas humana nata ſit ſerva, & miſera toto fervore nititur, vt dominetur, ipſaquè iubeat, & cuncti auſcultent. Inde truculenta bella, odia execrandà, enormia parricidia, & ſtrages miſerrimæ ſeminantur, quarum vtinam non eſſet nobis hiſto-

ria,

ria, & experientia tam teſtis. Probo deniquè tertiam partem. Nam in homine deſpoticè imperante tàm ſolet eſſe pro ratione voluntas, vt in pluribus potius regnaverit libido quàm mens; ſed in huiuſmodi hominibus pervium eſt, tum exemplo, tum indulgentià moribus fræna laxare: nam *Regis ad exemplum totus ſubvertitur Orbis*: ergo licet in Religioſiſsimo Gedeone quoad perſonam ſuam, hæc longè abeſſent; tamen corruptioni morum erat expoſitum deferre hominibus, qui ad malum proni ſunt ab adoleſcentia ſua tam ampliſsimum dominatum.

6 Probo ſecundò concluſionem. Populus in hac re nedum ſtudebat novitatibus (quod ſemper Populis interdicitur) verum etiam ſibi arrogabat ius, quod derogabat Deo in Principibus eligendis; ſed hæc arrogatio eſt illicita: ergo, & delatio Principatus in Gedeonem. Maior videtur certa, nam à principio Populi Iſraelitici reſervaverat ſibi Deus moderatores Populi conſtituere, vt patet ex electione Moyſis, & Ioſue, & poſteà Iudicum vſquè ad Gedeonem, quibus ſuum ſpiritum dabat, vt gubernarent: Quarè Populum eos ſuo nutu deligere, & quidem amplificata poteſtate, erat novum ſibi ius cudere, & Divinum abrogare. Probo minorem primò. Nam Iſraelitæ etiam cum petiverunt Regem à Domino, rem illicitam perpetrarunt, vt patet ex 1. Reg. cap. 6. vbi dicitur, *diſplicuit valdè ſermo iſte Samuelì*: & cap. 12. vbi dicitur, *addidimus peccatis noſtris malum, vt peteremus Regem*: ergo potius illicitè operabantur, dum arrogabant ſibi ius eligendi. Probo minorem ſecundò. Si Imperator aliquis multis annis legitimo iure aliquibus Populis providiſſet de Ducibus, & Iudicibus; rebelles haberentur, & putarentur iniquè agere, ſi arbitrio ſuo vnum ex illis Ducibus in Throno perpetuo figerent, donarentquè ampliſsimà poteſtate: In hoc enim Imperatoris iuri detraherent. Sed Sacratius eſt ius Divinum, & eius ſingularis protectio digna gratitudine pene infinita: ergo tali iuri derogare eſſet illicitum. Quantà autem ſingularitate Deus illi Populo imperare voluiſſet, conſtat ex Deuteron. cap. 26. verſ. 17. dicitur, *Dominum elegiſti hodie, vt ſit tibi Deus, & ambules in vijs eius, & cuſtodias cæremonias illius, & mandata, atquè iudicia, & obedias eius Imperio, & Dominus elegit te hodie vt ſis ei Populus peculiaris.* Ecce quantum criminis à tam peculiari Dei dominatu deſciſcere.

7 Dico ſecundò: Gedeon non niſi illicitè accepiſſet principatum à Populo delatum. Probatur primò: Quod ſine iure legitimo defertur, nequit cum iure ſuſcipi, niſi peculiariter tale ius reſideat penes accipientem: ſed Populus deferebat ſine iure, & in Gedeone nullum ius peculiariter reſidebat: ergo. Maior patet. Minor quoad primam partem conſtat ex concluſione præcedenti: quoad ſecundam etiam conſtat: quia alioqui abſquè Populi delatione poſſet Gedeon ſibi hunc principatum aſſumere, ſi ad id peculiaria ſua iura clamarent: quæ non conſtant.

8 Probatur ſecundò concluſio, Gedeonem talem principatum ſuſcipere foret primò privare Deum immediata poſſeſsione ponendi Rectores Populi: nam id iuris, & dominationis ſibi Deus ab initio ſervaverat: ideòque dixit Gedeon; *Non dominabor vobis ego, ſed vobis dominabitur Dominus, &c.* Foret ſecundò: ſibi adſcribere victoriam reportatam de Madianitis: propter hanc enim principatus ille deferebatur, vt patet in littera. Foret tertiò: conſentire multitudini præcipiti, & inconſultæ fovendo defectionem à Domino propter Ducem, quod quidèm eſt rebellare. Foret quartò: inducere ius Regium necdum à Domino permiſſum, & privatis hominibus multum onero-

ſum,

ſum, & inimicum: Foret tandem quinto: more Gentilico, & cœco more ambitionis deferre iura principatus in ſobolem naſcituram non attenta dignitate regnandi: Sed in his omnibus Gedeon iuris divini, & humani tranſgreſſor exiſteret: ergo peccaret; & quidem graviter, nam res eſt graviſsima.

9 Obijcitur contra vtranque concluſionem. Primo: Laudatiſsimum eſt ſemper in Populis totos ſe dedere Rectori, & Duci, quem optimum agnoverunt, & totos ſeſe in omnibus velle ex eius nutu, & diſpoſitione pendere. Sed ita ſe Populus præſtitit cum Gedeone: ergo licitè, & laudabiliter ſe geſit dum ei detulit Principatum. Reſpondeo, diſtinguo maiorem. Iure Domini, & Imperatoris ſemper illeſos, concedo maiorem, depreſſo, nego maiorem, & diſtinguo minorem. Ita ſe Populus præſtitit ſervando ius Domini, qui erat Deus, nego minorem: deprimendo hoc ius, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque poſtquam Populi experti ſunt Ducem aliquem in prælijs ſtrenuum, morigerum, æquiſsimum, &c. benè, & laudabiliter poſſunt ſe totos ei plena cum obedientia committere in ijs, ad quæ ipſe ex munere ſuo habet iura iubendi; ſecus verò ei committere novum ius ei donando, & deprimendo ius Domini, & Imperatoris, qui talem Ducem miſit: nam ſi hoc modo fieret; eſſet manifeſta rebellio ſaltem inadæquata: & hoc tanto plus quantum in prædictis populis nullum adhuc ius creandi ſibi Principes reſideret; ſicuti nedum in Iſraelitico Populo reſidebat. Is ergo, quantum iudiciariam poteſtatem Gedeonis extendebat ad regnum, & ampliſsimum Dominatum, tantundem Domino detrahebat, qui, vt vidimus ſupra, hunc ſibi fecerat ditionem, & populum peculiarem. Et quidem etſi honore afficere, & proſequi dignos viros ſemper ſit laudi; dum fiat verò ſine iure proprio, & cum læſione iuris alieni præſertim divini, ſemper eſt malum.

10 Obijcitur ſecundo, cum replica. Amplificare dominatum Gedeonis, non erat Deo quidpiam detrahere in dominando: ergo licitè fieri poterat. Probo antecedens. Deus ſemper Rex Regum, & Supremus Dominus remanebat: ergo nihil à Populo, ſivè Gedeone ſibi detraheretur in dominando. Reſpondeo, diſtinguo antecedens. Quoad altiſsimum, & ſupremum eius generale dominium, concedo antecedens, quoad dominium quaſi familiarius, & peculiare, quo ſibi elegerat Iſraelitas in Populum, nego antecedens, & conſequentiam, inde patet ad probationem. Verum enim eſt, Deum, adhuc electo Gedeone in Regem, ſupremum ſemper Dominum, ac Regem remanſurum ſuper Iſrael; non ſecus ac poſtmodum dominabatur Saule, atque David Regnantibus; detraheretur tamen Deo ille ſpecialiſsimus Dominatus, quo ipſe, & non alius erat caput peculiare politiæ Iudaicæ: Ipſe tantum Dominus vocabatur: ad ipſum fiebat conſultatio de ſingulis; & ipſe in ſingulis agenda ſignabat: neque ad alterius arbitratum deſpoticum quidquam pendebat: Item Rectores, Duces, iudices ipſe ſignabat nullo iure ſucceſsionis intercedente: Quæ omnia, electo Gedeone in Regem, transferrentur in eius ampliſsimum Dominatum: maneretque Deus ſolum Supremus Dominus, & generalis Iſraelitici Populi, ſicut cæterarum eſt gentium. Replicabis. Adhuc eſſet Dominus ſpecialis Iſrael: quia hic etiam cum habuit Regem Saulem, & Davidem Dominum conſulebat: quod neutiquam in Nationibus cæteris accidebat: ergo, &c. Reſpondeo, diſtinguo antecedens. Conſulebat Religionis cauſa, concedo antecedens. Gubernationis cauſa, nego antecedens, &

conſequentiam. Verum eſt Deum, datis Regibus, in Iſrael magis adorari, quam apud gentes ; ſed non magis gubernare ſpeciali ratione externa gubernationis : ſed ſolum interna , quàtenus cor Davidis , & Regum in vera Religione exiſtentium plusDeo auſcultabat , quam Reges nationum ſuperſtitionibus dediti : Imò ſi gubernationis causà aliquando conſulebant , fortè erat quia nedum omnia iura Regis vſurpabantur ab illa poteſtate recentiùs nata.

11 Obijcitur tertiò : Deferre tam amplum principatum Gedeoni erat plus ei ſe ſubijcere ; ſed ſe plus , & plus ſubijcere homini Religioſo , dilecto à Deo , ſtrenuo , & liberatori vitæ , & fortunarum populi nequit eſſe peccatum : ergo , &c. Probo minorem. Primo : Eſt actus humiliatis , & materia conſilij D. Petri in 1. Epiſt. cap. 2. *Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſivè Regi tamquam præexcellenti , ſivè Duci, &c.* Ergo nequit eſſe peccatum. Probo ſecundò : Seſe ſubijcere, dum Capiti verè Superiori ſeſe ſubijcit, nemini poteſt iniuriam irrogare : Sed eatenus eſſe poteſt peccatum quàtenus per talem ſubiectionem irrogaretur iniuria , vt vidimus ſupra: ergo, &c. Reſpondeo , concedo maiorem, diſtinguo minorem; detrectando firmiorem, & fideliorem incomparabiliorem ſubiectionem reſpectu Dei, nego: tali ſubiectione intellecta præciſivè,concedo minorem;& ad primam probationem,diſtinguo : Eſt materia conſilij talis actus humilitatis iuxta debitam , & ordinatam regulam rationis exhibitus,concedo antecedens; aliter, nego antecedens. Præterquamquod enim ille textus D. Petri intelligendus eſt de illa ſubiectione debitareſpectu poteſtatum iam præexiſtentium iuxta ipſarum iura , non de collatione amplioris,vt videre eſt in eo,quod loquitur de Regibus , & Ducibus , &c. Præter hoc , inquam , falſum eſt quod cumque ſubijci non eſſe peccatum : Si enim Servus vnius ſe ſubijcit alteri detrahit primo Domino, cui ſoli ſervitutem debet ; Item ſi Clericus laico , fidelis infideli, maior ætate , ſapientia,& virtute ſe ſubijciat minori in his omnibus inordinata ſubiectio eſt , & contra regulam rationis , vt inquit Toſtatus. At , inquis , Gedeon erat verè ſuperior ad Populum : ergo ipſi benè ſe ſubijciebant. Reſpondeo , diſtinguo conſequens ; transferendo in ipſum dominationem ſpecialiſsimam , & ampliſsimam Dei , nego conſequentiam. Si ſolum quoad poteſtatem Iudiciariam Gedeonis ſe ſubijciebant , concedo conſequentiam. Inordinatum enim erat ſemper , atque vitioſum quærere , & collocare tutelam gubernationis in homine , quà prius eò vſque fruebantur in Deo eos ſpecialiſsimè moderante. Ad ſecundam probationem patet ex immediatè dictis : Erat enim Deo iniuria rudis , & quaſi barbarus ille contemptus , ſeu potius inconſideratio: Item etiam hominibus ea inductio Regis erat iniuria: quippè,non eſt liberum Populis importabilia iuga ſuæ poteſtati conſtruere , & quaſi libertates naſciturorum ſuffocare priuſquam veniant in lucem.

12 Obijcitur quartò : Non datur peccatum niſi contra legem : ſed nulla lex vetabat Gedeonem fieri Regem: ergo in eo eligendo , & in electione acceptanda peccatum non inerat. Probo minorem. In primis nulla lex erat contra Gedeonem in particulari ; ſed deinde Reges inter Iſraelitas fieri non erat prohibitum : ergo non erat prohibitum Gedeonem fieri Regem. Probo minorem ex Deuteron. cap. 17. vbi dicitur : *Cum dixeris conſtituam ſuper me Regem , ſicut habent omnes per circuitum nationes , eum conſtitues , quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Ergo in lege permiſſi erant Reges Iſraeli. Reſpondeo, ne-

nego minorem, & ad probationem, diſtinguo maiorem. In particulari quoad nomen, concedo maiorem; in particulari quoad factum, & circunſtantias, nego maiorem, propter vim noſtrarum rationum: & diſtinguo minorem: fieri ex electione divina, concedo minorem: ex humana electione, nego minorem, &c. atque cum eodem textu nobis obiecto reſponſionem paro: ſiquidem ibi iubetur conſtitui Regem, *quem elegerit Dominus*: Vndè lex eſt illa negativè ſic tandens: *Nullus tibi Rex eſto, quem Dominus non elegit in Regem.* Cumque Gedeon ſolum electus fuiſſet in iudicem à Domino, quippè Rex primus fuit Saul. 1. Reg. cap. 6. & 8. inde eſt, Gedeonem, dum regnum, & principatus deferebatur à Populo, proculdubio contra hanc legem peccaturum fuiſſe; ſi acceptaviſſet. Imò ex hac lege Deutor. dignoſcitur, quoties in Geneſ. 25. & 49. vel alibi fit mentio de Regibus Iſrael, intelligendos eſſe eos, qui annuente Domino, ſtatutiſque ab ipſo temporibus eſſent venturi, non autem eos, qui quoquomodo à Populo acclamarentur.

13 Obijcitur quinto: ſi Gedeon accepiſſet Principatum non eſſet Tyrannus, occupans ſibi indebita: ergo, non peccaſſet. Probo antecedens: accepiſſet, quod ſuis virtutibus debebatur: quod Populus libentiſsimè deferebat, & ad quod Populus ius habebat: ergo in eo accipiendo non eſſet Tyrannus. Probo antecedens quoad vltimam partem. Nam iuxta Iuriſtas; & Theologos, iura Regnorum reſident in Conſenſione pleniſſima Populorum; ſed ibi omnis Populus deferebat: vt conſtat ex illis verbis: *Omnes viri Iſrael, &c.* ergo Populus ius habebat ad deferendum Gedeoni hunc principatum. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, vel gratia claritatis, diſtinguo antecedens. Non eſſet Tyrannus per violentiam illatam ſubditis, concedo antecedens. Non eſſet Tyrannus qua parte in Tyrannide datur vſurpatio iuris, nego antecedens, & conſequentiam. Igitur in Tyrannide, & clauditur vis illata vaſallis, quàtenus dominatio exercetur contra ipſorum reluctantiſsimas voluntates, & hæc pars Tyrannidis ibi non intervenit, quippè omnes talem principatum libentiſsimè deferebant; & clauditur violatio Iuris, quod modo reſidet, vel in aliqua privata perſona, vel in ipſiſmet populis: & ideò nunquam nunc ſeparantur in Tyrannide violatio Iuris, & reluctatio voluntatis, vel voluntatum. In Gedeone verò daretur vſurpatio iuris ſine reluctatione vllius voluntatis humanæ: quippè, ius, quod violabatur ex dictis, vel erat ius divinum, illius ſpecialiſsimi dominatus Domini ſuper Iſrael, vel erat Ius poſterorum, qui nedum erant. Quanquam ſi relatè ad hos velis talem dominatum vocare Tyrannidem, fac vt velis; ſed placet magis non vocare Tyrannum, eum, cui ius humanum præſens nullum opponitur. Ad illam probationem, in qua dicitur, ius regum in Populis reſidere, reſpondeo, id ita eſſe ex permiſsione Dei, poſtquam Populo pettenti Regem indulſit, quamquam in tali petitione Deus ipſe non placuit, vt conſtat ex illis verbis 1. Reg. cap. 8. *Non abjecerunt te; ſed me ne regnem ſuper eos.* Veruntamen ante hæc tempora nullum ius in populis reſidebat, vt ſibi Regem crearent: Sed hæc iura Domino ſervantur: iuxta illa verba Deutor. 17. *Conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.*

14 Obijcitur ſexto: ex Ioſepho, qui inquit, Gedeonem ideò à viris Iſrael acclamari, quia volebat iudiciariam poteſtatem deponere: Sed ſumendo hanc non peccaſſet; potius

fortè peccaſſet in relinquendo: ergo, &c. Reſpondeo, negando maiorem, & infirmando authoritatem Ioſephi validiſsimis coniecturis. Primò, quia nulla fit in textu mentio, aut ſignum huius depoſitionis. Secundò, quia eſt inveriſimile tantum honorem, & quidem à Deo delatum, & poſt glorioſam victoriam eum detrectaſſe. Tertiò, quia potius ipſe debebat prior cum populo agere, quam Populus ipſum ſuper principatum huiuſcemodi conveniſſet. Quartò deniquè, quia textus ipſe indicat, Gedeonem non ſuſcepiſſe coactum, quod recuſabat; cum tamen ſi poteſtatem iudiciariam voluiſſet deponere coactus poſtmodum proceſiſſet. Propter quæ omnia, malumus cum Serario noſtro non conſentire Ioſepho. Vbi notabis obiter, probationes, quæ à congruentia ſumuntur nullius roboris eſſe, ſi ſeorſim, & diſtributivè conſiderentur; vndè potius ſumunt efficaciam à numero, collectione, & qualitate; alioqui vnaquæque per ſe ſolam nequit aſſumptum ſatis fulcire.

QUÆSTIO NONA.

TEXTUS AD ILLA VERBA.

VIDI MULIEREM IN THAMNATA DE FILIABUS Philiſtinorum. Iudic cap. 14. verſ. 2.

ARTICULUS

UTRUM SANSON PECCAVERIT DUCENDO vxorem de filiabus Philiſtinorum?

NOTABILIA.

1 CUM Philiſtæi eſſent de ſtirpe Cananæorum ratio dubitandi fit pervia: prohibebantur enim matrimonia inter Iſraelitas, & Cananæos, tum Exod. cap. 34. tum Deutor. 7. nè, videlicèt, mulieres alienigenæ corda Iſraelitarum averterent, & ad idola declinarent: vndè videtur enaſci, Sanſonem contra leges eiuſmodi deliquiſſe. E contra verò militat pro rectitudine operationis electio Sanſonis in iudicem, inſpiratio ipſius Dei, quæ videtur ipſo textu indicari; & alia, quæ non immerito rem hanc vrgent ad diſputandum.

2 Sunt ergo in hac quæſtione duæ ſententiæ, quarum prima ſuſtinet, Sanſonem in eo connubio rem illicitam perpetraſſe. Tenet hanc ſententiam, ſal-

ſaltem problematicè Alphonſus Toſtatus in hunc locum quæſt. 3. Sed quamvis quæſtionem appellet problema neutrum; nihilominus ſolvit ſigillatim rationes Authorum, qui Sanſonem à peccato liberare conantur: ex quo magis pro adverſa parte citari poteſt. Item Theodoretus in notis Photij apud Serarium hoc loco: ait enim Deum in hoc matrimonio ſe habuiſſe cum Sanſone permiſsivè, permiſsio autem pletumquè malorum eſt. Deniquè illi favet Nicolaus Serarius in Iud. 14. quatenùs contrariam vocat ſolùm probabiliorem, & inſuper nonnulla diluit, quæ pro licitudine talis connubij circumferuntur. Secunda ſententia defendit à peccato matrimonium Sanſonis, quam tenet David Kimhi apud Toſtatum: & ibi Nicolaus de Lira, inſuper Caietanus, Arias apud, & cum Serario noſtro vbi ſupra.

3 Sit concluſio noſtra cum ſecunda ſententia, quæ ſic probatur primò. Deus poſsitivo motu, & inſpiratione Sanſonem impulit ad tale coniugium: ergo erat licitum. Conſequentia patet, Deus enim *intentator malorum eſt*, neque eſſe poteſt Author peccati. Probo antecedens, ex illis verbis eiuſdem capitis verſ. 4. *Parentes autem eius neſciebant, quod res à Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſtijm.* Vnde ſic. Res tota à Domino fiebat, & per eam quærebat Dominus occaſionem perdendi Philiſtæos, qui dominabantur Hebræis: Sed id contingebat per poſsitivam illuſtrationem Sanſonis, & impulſum: ergo, &c. Probo minorem primò ex D. Ambr. initio lib. 2. de Spir. Sanct. vbi ait, *& ideò futurum prævidens Sacramentum ex alienigenis poſcebat vxorem.* Item ex Caietano hoc loco ſic aiente: *Sanſon motus Spiritu Dei ſciens, & prudens petijt huiuſmodi coniugium.* Item ex fidei adverſarijs, Vermilio, Cytræo, Junio, ac Tremelio, qui omnes hic inſtinctum Dei, & motum fatentur, quorum authoritas, etſi nulla ſit abſolutè, ſatis probat hic reſpectivè: qui enim in Scripturis Spiritum Dei paſsim cavillantur, & negant, profectò argumentum faciunt, dum illum alicubi vna, & vltro fatentur: fit enim huiuſmodi argumentatio: *Huiuſmodi homines Spiritu humano præpepti, niſi certò conſtaret, non faterentur Divinum.* Probo minorem ſecundò. Tota vis interpretationis huius loci clamat pro ſpeciali illuſtratione, & impulſu Dei ad tale coniugium: ergo, &c. Probo antecedens primò. Verbum *quærere* contraponitur verbo *permittere*, atquè intentionem directam ſignificat; ſed Deus directè intendens aliquid, poſsitivè media diſponit, non permiſsivè: ergo tale coniugium à Deo eligebatur, & ſuadebatur media poſsitiva illuſtratione, & impulſu. ET VRGETVR. Quia tale verbum *quærere* in Textu Hebraico ponitur in coniugatione ſignificante, vehementer quærere: ergo cum tale medium eſſet eligibile à Deo poſsitivè illuſtrando, & impellendo Sanſonem, illud elegit. Secundò quia rem à Domino fieri, eſt, Deum eſſe ſpecialem eius Authorem: ſed hoc contingit media poſsitiva illuſtratione, & motione: ergo, &c. Tertiò quia ly *autem* eſt particula adverſativa, quæ videtur Antitheſim ſignificare, quaſi diceret, *Sanſon benè ſciebat, parentes autem eius neſciebant, quod res à Domino fieret.* Vndè dicit Caietanus. *Ideò enim non Sanſonem, ſed parentes eius latere Divinum Conſilium ſcribitur.*

4 Confirmatur. Deus ſpeciali impulſu movit Iudith, vt in ſuis oculis caperet Holofernem, iuxtà illa verba, *cui etiam Deus contulit ſplendorem.* Item iuxta DD. ſpeciali inſpiratione fuit ductus Oſeas, vt vxorem ſibi aſſumeret fornicariam, & ſimiliter alia plura, quæ in Sacris Biblijs facta Dei ſpeciali inſtinctu noſcuntur: Imò, & in Eccleſia Catholica in geſtis Martyrum

rum; v. g. cum Sancta Polonia ſe iniecit in ignem, & ſic alia: propter quæ facta ſingularia Sanctorum dicuntur ea potiùs mirabiles, quam imitabiles illos redidiſſe: ergo ſimiliter ſpeciali ſpiritu Sanſon tales nuptias celebravit.

5 Confirmatur ſecundò à numero congruentiarum. Primò. Quia ipſe erat Iudex, & licet Iudices non eſſent impeccabiles, inveriſimile tamen erat, quod qui eſſet Iudex tam ſolemniter peccata patraſſet; quinimò eius factum ſacris monumentis inſerebatur cum Dei approbatione ibi, *quod res à Domino fieret*, & ſine reprehenſione. Secundò. Quia ſi illicitam rem perpetraſſet, eius increpationi Deus non peperciſſet, vt fecit toties cum Iſraelitis matrimonia cum alienigenis reprehendendo: Nulla tamen conſtat increpatio Sanſonis. Tertiò. Quia propter admiſſum crimen enervis fuiſſet Sanſon in Philiſtæos, nec tanto robore communitus. Quartò. Quia cum plerumquè Iudices Spiritu Dei agerentur, vt in toto libro Iudicum conſtat; reflexo diſcurſu (multum Biblico) liberandus eſt quiſquis de crimine non ſit evidenter convictus, ſi via ſuppetat, qua poſsit probabiliter liberari. Quintò. Sanſon eſt Typus Chriſti: ergo, &c.

6 Obijcitur primò. Illa verba Exod. cap. 34. verſ. 16. *neque vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis, nè poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ fornicari faciant filios tuos in Deos ſuos.* Et verba Deuter. cap. 7. verſ. 3. & 4. *neque ſociabis eum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, neque filiam illius accipies filio tuo, quia ſeduceet filium tuum, ne ſequatur me.* Ex quibus verbis arguitur ſic. Hic planè, & expreſsè prohibentur coniugia cum Cananæis. Sed Philiſtæi Cananæi erant: ergo Sanſon contra legem peccabat ineundo matrimonium cum Philiſtæa. Reſpondeo, diſtinguo maiorem. Lege in quam Divinitùs cadere poſſet privilegium, & diſpenſatio, concedo maiorem; lege Divinitùs indiſpenſabili, & in omni caſu, & perſona infallibiliter obligatura, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens. Niſi ſpecialiter abſolutus eſſe à lege, concedo conſequentiam. Privilegio liberatus ab illa, nego conſequentiam. Cum enim Divinæ leges circa plura verſentur, quæ non ſunt intrinſecè mala, ſed mala ſint quia prohibita, non eſt cur altiſsimus ille Legislator non poſsit quando, vbi, & quibuſcumque velit legem laxare, maximè cum oporteat ad fines ſibi altiſsimè præſtitutos: ineſt enim ab exordio legis appoſita quædam conditio, ſcilicèt, *niſi quempiam aliquando iuſtâ de causâ velim excipere*: non ſecùs ac in cæteris legibus Eccleſiaſticis, & politicis venit illa conditio ſubintelligenda, *Niſi Rex, aut Papa diſpenſet.* Fundamentum autem, vt opinemur huiuſmodi privilegium Sanſoni fuiſſe conceſſum, eſt ipſe Sacer Textus prout à nobis expoſitus, rationeque, & DD. ſatis perpenſus: vndè dicit Caietanus, quod Sanſon motus Spiritu Dei ſciens, & prudens petijt huiuſcemodi coniugium, *quamvis contra legem Moyſis*: vbi notandum eſt ly *contra legem Moyſis*; diſpenſatio enim dicitur vulnus legis, & proculdubio in Divina illa motione diſpenſatio notiſsima claudebatur. Item quando ibat ad nuptias aſtitit ei Spiritus Dei, vt leonem dilaceraret.

7 Obijcitur ſecundò: Licèt Sanſon diſpenſatus fuiſſet in legibus Exod. & Deuter. peccabat nihilominus ineundo coniugium cum Philiſtæa: ergo non ſatis à peccato probatur immunis. Probo antecedens. Licèt tale coniugium non eſſet contra obedientiam legis; eſſet tamen contra virtutem Religionis, & charitatis ſpiritualis propriæ graviter oppoſitum: ergo ſuſ-

ſufficiens ſibi maneret titulus ad peccatum. Probo antecedens. Seſe exponere periculo proximo idolatrandi, graviter opponitur virtuti Religionis, & charitatis propriæ; ſed ducere vxorem Ethnicam, & alienigenam, erat ſeſe exponere proximo periculo idolatrandi: ergo virtuti Religionis, & charitatis propriæ erat graviter, oppoſitum. Maior conſtat, quia peccat contra aliquam virtutem, qui ſe exponit periculo proximo incidendi in vitium contrarium: & ipſa charitas propria ſpiritualis iubet non mergere animam in abyſſum idolatrandi: Minor etiam conſtat ex illis verbis Scripturæ, quæ de vxoribus alienigenis recitantur: *certiſsimè avertent corda veſtra, &c.* Confirmatur, & explicatur. Diſpenſatus ad carnes poteſt peccare, veſcendo carnibus, quia licèt tunc non ſolvat legem ieiunij; graviter tamen læderet virtutem temperantiæ, ſi in grave diſcrimen ſeſe conijceret valetudinis: ergo licèt Sanſon non peccaret contra legem Moyſis in eo coniugio; peccaret tamen contra primum Decalogi præceptum, legemquè naturalem charitatis.

8 Ad Argumentum reſpondeo negato primò, & ſecundò antecedenti, ad ſilogiſmum probativum, conceſſa maiori, diſtinguo minorem, niſi id fieret afflatu Dei diſpenſantis, & ſpecialiter impellentis, concedo minorem, ſi ita fieret nego minorem, & conſequentiam. Vndè illa verba *certiſsimè avertent corda veſtra* directa ſunt in tranſgreſſores legis, quibus in ſupplicium deſtinabatur hæc ruina, non autem in ſolutos, & privilegiatos à lege, Deiquè ſpeciali motione operantes; his enim pro incolumitate Deus erat fideiuſſor, quo tenente non ruerent: ad id enim ſe Deus ligabat, dum motione ſpecialiſsima eos pervgeret: quarè nequè in proximum, nequè in remotum periculum deficiendi ſe conijciunt, licèt probandi ſunt ſpiritus, an ex Deo ſint, qui Spiritu Dei perducuntur. Hinc patet ad confirmationem, & diſparitas ad exemplum inibi adductum: qui enim intemperanter indulget carnibus ſpeciali motione Dei non fertur, ſicuti in noſtro caſu probamus; & ipſe eventus teſtatur Sanſonem in Religione non defeciſſe.

9 Obijcitur tertiò ab abſurdo. Si licitum fuiſſet tale coniugium, liceret modò Catholicis cum Hæreticis, alijſque diverſarum Religionum hominibus miſcere connubia: ſed hoc eſt falſum: ergo & concluſio. Reſpondeo, diſtinguo maiorem, nota Dei motione, & inſtinctu, concedo maiorem: abſquè illa, nego maiorem, diſtinctaquè ſub eiſdem terminis minori, nego conſequentiam. Non enim benè inſtituitur paritas de caſu extraordinario ad ſtatuendum Canonem communem. Itaquè in hac re ex Dei inſpiratione fas eſſe poteſt, quod alioqui eſſet nefas: Ita Serarius citans D. Chryſoſt. 1. ad Corinth. hom. 16. & D. Ambr. Epiſt. 70. ad Vigilium, & lib. 10. de Abraham capite vltimo. Tandemquè pro hijs matrimonijs, & ſequela, quæ inculcatur abſurda, lubet hic adnotare, matrimonia fidelium cum Hæreticis, & infidelibus iure Eccleſiaſtico eſſe prohibita in Conc. Calced. cap. 13. Laodicenſ. cap. 10. & 31. Carthagin. 3. cap. 12. & alijs, & communiter etiam iure naturæ ob pericula prolis, & coniugis; quibus hic, & nunc ceſſantibus ipſa iuris naturæ prohibitio ceſſaret ceſſante ratione. Sic Coninck. diſp. 26. num. 21. & diſp. 31. num. 44. & 45. Vndè Sanchez lib. 7. de Matrimonio diſp. 72. num. 5. aſſerit in locis mixtionis Catholicorum cum Hæreticis licere connubia, ſi præfata pericula ceſſent. Quibus dumtaxàt libatis ad noſtrum caſum plana ex inde manat reſponſio: Ex eo enim, quod in caſu, & con-

coniugio Sanſonis ipſe Deus ſpecialis motor, & Author, fideliſsimus fideiuſſor exiſteret, vt quævis (alioqui pericula) pericula eſſe deſinerent; fieri non poteſt validum argumentum, & generale, vt huiuſcemodi periculoſa connubia paſsim licerent.

10 Obijcitur quartò: Qui facit contra legem cum actuali cognitione honeſtatis, & obligationis rei præceptæ ductus ſolùm bono delectabili peccabit; ſed ita ſe geſsit Sanſon in eligenda vxore de Philiſtæis: ergo peccavit. Maior eſt nota, quia eſt poſthabere honeſtatem, & delectationi ſuccumbere. Probo minorem ex ipſo Textu, verſ. 3. ibi. *Cui dixerunt pater, & mater ſua: nunquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni Populo meo, quia vis accipere vxorem de Philiſtijm, qui incircunciſi ſunt? Dixitquè Sanſon ad patrem ſuum, hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis.* Ecce in his verbis parentes Sanſonis eum commonefaciunt de nubendo in Populo ſuo præ nuptijs cum incircunciſis; & ille id facere ſpernit propter concupiſcentiam oculorum ſuorum: ergo cum notitia honeſtatis propoſita ad amplectendum ſuccubuit concupiſcentiæ. Reſpondeo, conceſſa maiori, nego minorem, & ad eius probationem diſtinguo antecedens. *Et ille facere ſpernit propter concupiſcentiam oculorum*, tanquam rationem vnicam, nego antecedens. Tanquam rationem ſufficientem, ad ſatisfaciendum parentibus ſuis, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Licèt enim Sanſon parentibus ſuis eam rationem reddiderit, qua ſatis convincerentur, non tamen eis patefecit, quomodò res illa à Domino diſponebatur, vt animadverti poteſt verbis immediatè ſequentibus. *Parentes autem eius neſciebant, quod res à Domino fieret, & quæreret ocaſionem contra Philiſtæos.* Vndè Sanſon ſine mendacio parentes ſuos eluſit, eoſquè veritatem celavit ſubdens rationem complacentiæ in oculis eius, quæ erat vera, & non vnica: non ſecùs ac fecit Samuel cum iret ad vngendum Davidem, tulit enim ſecum vitulum de Armento, & dixit, *ad immolandum Domino veni*: quod licèt verum eſſet, non tamen erat vnicum motivum, imò neq; principale adventus ipſius.

QUÆSTIO

JHS.

QUÆSTIO DECIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

CUM AUTEM VIDISSET MULIER SAMUELEM exclamavit voce magna. 1. Reg. cap. 28. vers. 12.

ARTICULUS.

AN VERA SAMUELIS ANIMA, VEL SOLUM *illius Phantasma apparuerit ope Pythonissæ?*

NOTABILIA.

1 NOTO primò summam historiæ, videlicèt quod, cum Saùl congressurus esset cum Philistæis, consultus Dominus ei non respondit, neque per somnia, neque per Prophetas, vel Sacerdotes. Vnde, licet Magos, & Ariolos abstulisset de terra; libuit ei scisciscitari per Pythonissam, cuius ope sibi Samuel suscitaretur: Samuel ergo cum apparuisset prophetavit ipsi sciſuram Regni translationemquè in David, & tandem ipsius Saulis cum tribus filijs mortem iam imminentem, & eventuram, quæ quidem cuncta evenerunt: quæritur ergo, *Num ipse Samuel verè apparuisset, vel merum ipsius Phantasma per Dæmonem fabrefactum?* Ratio dubitandi est: quia per artem Magicam, cui Pythonissæ vacabant, concedi non potest vera Samuelis suscitatio, cum autem alia ex parte tam veridica fuerit prophetia, vt à Dæmone prodire non posset; inde dubium enascitur, quod potest meritò appellari problema, sicuti appellatur ab Abulensi, eo quod vtrimquè rationis, & auctoritatis gravia fundamenta concertent.

2 Notò secundò, spiritum Pythonicum fuisse ab Apolline Pythio derivatum, qui dicitur Pythonem Serpentem interfeciſſe. Hic ergo spiritus Pythonicus plures sub se claudit species, quas recenser Tostatus 1. Reg. quæst. 22. de quibus omnibus cum Sacra Historia noster Sanctius duo genera præcipua Pythonum esse commemorat, quorum primum est illorum, quos Dæmon occupat, & per quos fundit oracula, vt Sybilla apud Virgilium lib. 6. & puella Actorum 14. quæ spiritus ventriloquus appellatur, eo quod quasi

quaſi de ventre Satanicum murmur aſcendat. Aliud eſt illius Spiritus Pythonici, qui in aſſumptis cadaveribus loquebatur; quaſi eiuſmodi Spiritus Pythonici manes excitent inferorum ad aliquid ſciſcitandum, de quibus multa Virgilius, Horatius, Seneca Tragicus, & Lucanus, ſupra quos videri poterit noſter Delrio lib. 4. Magiæ cap. 2. quæſt. 6. ſect. 2.

3 In quo quidem puncto triplex aſsignari poteſt ſententia plurimis locupletata Patronis. Prima negat, Samuelis animam apparuiſſe. Ita Tertullianus de Anim. cap. 57. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. de Adoratione in Spirit. Rupertus in Commentarijs Reg. lib. 2. cap. 17. Procopius, & Strabo ibi. Methodius Patarenſis Epiſcopus, & Martyr, in lib. de Engaſtrimito. Chryſoſtomus homil. vlt. de Lazaro, Athanaſius in Quæſtionibus ad Antiochum quæſt. 13. Iſidorus lib. 8. Etymologiarum cap. 9. Teophilatus in 8. Mathæi Vatdolus, Turrecremata in cap. NEC MIRUM 26. quæſt. 5. Guillermus Pariſienſis lib. 8. de Vniverſo 1. part. circa finem. Ianſenius Eccleſiaſtici 46. Martinus Martinez lib. 9. Hypothi Regul. 21. Burgenſis additione 2. ad Lyram 1. Reg. 28. & alij plures.

4 Secunda ſententia ait, veram animam Samuelis apparuiſſe Sauli. Hanc tenent Origenes de Engaſtrimito apud Euſtachium in diſſertatione contra illum. Ambroſius Luc. cap. 1. Zeno Veronenſis Serm. de Reſurrectione. Ioſephus lib. 6. Antiquitatum cap. 15. Lyra 1. Reg. 28. cum Caietano, Malvenda, Sanchez, Cornelio, Eſtio, & Abulenſi ibi quæſt. 28. & in repetitione de Trinit. num. 73. Bonartius Eccleſiaſtici 46. Delrio lib. 2. Diſquiſitionum Magicarum quæſt. 6. & 26. Torreblanca de Magia lib. 2. cap. 27. num. 31. & de Iure Spirituali lib. 1. cap. 3. Suarez tom. 2. in 3. part. diſput. 42. Pereira ad cap. 7. Exodi num. 48. Tyræus de Apparitionib. lib. 1: Cap. 16. num. 410. Salianus Anno Mundi 2979. num. 76. Torniellus eodem anno. Auguſtin. Stheucus Coſmopæia cap. 3. Bulengerus lib. 2. adverſus Magos cap. 11. Petrus Gregorius de Republica lib. 15. cap. 5. num. 8. & in Syntaxi tom. 4. lib. 5. cap. 5. num. 30. & cap. 17. num. 5. Valleſius cap. 33. de Sacra Philoſophia. Ioannes à Matre Dei, qui & ſuperiores, alioſque plures vbertim congerit in Iſagoge Prælud. 1. digreſſ. 6.

5 Tertia ſententia, non diſtinguitur à præcedentibus; ſed ambas complectitur, & more problematis verſat articulum. Hanc primus, & celeberrimus dicendus eſt amplecti Auguſtinus Epiſt. ad Simplicianum, & in lib. de Cura pro Mortuis cap. 15. & de Octo Dulcitij Quæſtionibus quæſt. 6. Baſilius, qui negare videtur ad cap. 8. Iſaiæ, & affirmare Epiſt. 80. Itidem Iuſtinus negare in Quæſtionibus contra Gentiles quæſt. 52. Hieronymus lib. 1. in Math. cap. 6. & affirmare Iuſtinus in Dialog. cum Tryphone & Hieronymus ad cap. 7. Iſaiæ, & 13. Ezequiel. Div. Thom. 1. part. quęſt. 89. art. 8. Inſuper Eucherius, Rabbanus, Beda, & Hugo 1. Reg. 28. Nazianzenus orat. 3. Hancherus volum. 1. Cronographiæ, Caſtro lib. 2. de Iuxta Hæreticorum punit. cap. 14. & etiam poſſe citari videtur Iſidorus lib. 8. Origin. cap. 9.

6 His poſitis dico, *veram Samuelis animam apparuiſſe Sauli.* Quam concluſionem aſſerit noſter Sanctius, *eſſe verum, & penè communem*, propter probationem poſtmodum ſecuturam. Probatur ergo primo authoritate Eccleſiaſtici cap. 46. verſ. 23. vbi recenſens geſta Samuelis concludit ſic: *Et poſt hoc dormivit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Ex quibus verbis multiplex

plex pro noſtra ſententia reſultat argumentatio. Primò : quia talis enarratio non pertineret ad laudes Samuelis, niſi de eius vera perſona ; potius quam de ſolo phantaſmate loqueretur. Secundò : quia connexio talium verborum cum præcedentibus poſtulat de vero Samuele Sermonem fieri, ne in eodem tractu orationis iam de vera, iam de phantaſtica perſona verba procederent. Tertiò : quia exaltaſſe vocem de terra, & prophetaſſe verè contra Saulem, non videntur cadere poſſe, niſi in Samuelem verum, qui dum viveret negotia Domini geſſerat cum Saule. Probatur ſecundo authoritate Scripturæ ex 1. Reg. 28. vbi is, qui per Pythoniſſam apparuit Sauli ſæpe ſæpius *Samuel* nominatur, & dicitur, & nihil ibi de phantaſmate memoratur; ſed cuncta, quæ narrantur, ſoli Samueli, perinde ac ſi viveret, adaptantur ; ſed nihil eſt, quod nos cogat ab hac propria, & plana intelligentia recedere : ergo tenenda eſt.

7 Probatur tertiò concluſio ex Sanctis Patribus. Primo ex Auguſtino, & Thoma, qui in locis citatis, præſertim quoad Auguſtinum in lib. de Cura pro mortuis cap. 15. ſolum relinquunt libertatem admittendi partes oppoſitas, quàtenus tunc temporis aliqui dubitarent de Libro Eccleſiaſtici inter Canonicos computando : ergo, cum illud modò dubitare ſit nefas ; trahendi ſunt proculdubio ad noſtras partes Auguſtinus, & Thomas. Secundo ex Div. Ambroſio aiente Luc. 1. *Samuel poſt mortem ſecundum Scripturæ teſtimonium futura non tacuit.* Tertio ex Zenone Veronenſi Serm. de Reſurrectione dicente : „ Sauli Regi deſideranti ſi„ ne ambiguitate non tantum ſuam „ præſentiam exhibet ; ſed etiam ad „ conſulta reſpondet, liberiuſque ca„ nit mortuus, quam canere conſue„ verat vivus. Quibus adiungi poſſunt, iuxta ſententias ſupra relatas, Baſilius, Iuſtinus, Hieronymus, Eucherius, Origenes, Beda, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Tertulianus, Athanaſius, Iſidorus, &c.

8 Probatur quartò à ratione fundamentali : quoties interpretatio alicuius loci Biblici fit maximè ad litteram ; imò & rigidè iuxta tenorem, & ſonum verborum, & ex ea ſic facta dilucidantur dogmata fidei, & fulciuntur, atque probantur per Authores Catholicos ; ea retinenda eſt, & ſuſtinenda, niſi quippiam in oppoſitum convincatur abſurdi; ſed interpretatio, quà dictum textum loqui volumus de vero Samuele, & non de Spectro, aut phantaſmate loquente nomine ipſius, eſt eiuſmodi : ergo tenenda. Maior inſtar Canonis eſſe deberet Catholicis interpretibus, qui in duobus illis retinendis ſuas debent operas collocare, ſcilicèt in retinenda littera, & corroborandis ex ea dogmatis Catholicorum. Minor verò etiam patet quoad vtramque partem, ſcilicèt quod in noſtra interpretatione plus litteraliter res accipitur, dum illum Samuelem ſignificari intelligimus, qui illic nominatur. Et quia apparitiones veras mortuorum (quas veræ reſurrectioni ſuffragantur) ex hoc loco comprobat Auguſtinus de Cura pro mortuis cap. 15. Valentia tom. 4. diſputat. 11. quæſt. 1. punct. 1. §. 9. Torreblanca de Iure Spirituali lib. 1. cap. 3. num. 41. Malderus de Iuſtitia, & Iure tract. 10. cap. 8. quod autem inde nihil manet abſurdi argumentorum ſolutione evacuabitur.

9 Obijcitur primò capitale argumentum, quo plerique adverſariorum trahuntur in ſuam ſententiam. Iuxta ſacrum textum ope Pythoniſſæ Samuel fuit ſuſcitatus ; ſed nefas eſt credere, quod vi artis Magicæ Samuelis anima de ſuis ſedibus evocetur : ergo id, quod apparuit fuit duntaxat Samuelis ſpectrum. Maior patet ex ipſo textu, vbi Pythoniſſa conſulta edixit Sauli, quem

cuperet ſuſcitari, cui ipſe reſpondit: *Suſcita mihi Samuelem.* Minor probatur tum ex Tertuliano lib. de Anim. cap. 57. aiente. „ Abſit, vt animam cuiuſ„ libet Sancti, nedum Prophetæ, à „ Dœmonio credamus extractam. Tum ex Theodoreto quæſt. 62. vbi ait: „ Nonnulli dicunt ventriloquam „ veri retuliſſe Samuelem; ego autem „ hoc exiſtimo eſſe impium. Tum à ratione: quia, cum *iuſtorum animæ in manu Dei ſint*, credi non poteſt à quoquam, quod anima Samuelis Pythoniſſæ necromantidis poteſtati, Magiciſque incantationibus eſſet ſubiecta. Reſpondeo negando maiorem, & conceſſa integra probatione, pronuntio cum Patribus, & interpretibus, itemque exemplo, atque coniecturis, quod licèt Saul verè conſuluerit Pythoniſſam; nihilominus non ope ipſius, ſed Dei arcaniſsima diſpoſitione accidiſſet, Samuelem redivivum occurriſſe Sauli, eumque propheticà perteruiſſe ſententià. Pro quo in primis ſtat Auguſtinus, (& quidem in lib. 2. ad Simplicianum, vbi favere largius videtur contrariæ ſententiæ;) inquit ergo quæſt. 3. „ Non „ eſt abſurdum credere ex aliqua diſ„ penſatione divinæ voluntatis per„ miſſum fuiſſe, vt non invitus, nec „ dominante, aut ſubiugante Magica „ potentia; ſed volens, atque obtem„ perans occultæ diſpenſationi Dei, quæ „ & Pythoniſſam illam, & Saulem la„ tebat conſentiret ſpiritus prophetæ „ Sancti, ſe oſtendi aſpectibus Regis „ divina eum ſententia percuſſurus. Item Div. Thomas 2. 2. quæſt. 174. artic. 5. ad 4. ait: „ Et ſi Dœmones „ animam alicuius Sancti evocare non „ poſſint, neque cogere ad aliquid fa„ ciendum; poteſt tamen hoc fieri vir„ tute divina, vt dum Dœmon conſu„ litur, ipſe Deus per ſuum Nuntium „ veritatem enuntiet, ſicut per Eliam „ veritatem reſponditNuntijsRegis, qui „ mittebantur ad conſulendum Deum „ Acharon. Ecce tantorum Patrum apertiſsima teſtimonia, & etiam ſubiunctum exemplum de reſponſis Dei, etiam dum ſiniſtra conſultatio inſtituitur. Quod quidem exemplum, vt altero ſuffulciatur, occurrit Balaam Dœmonis Propheta, & Ariolus, vt tenent plures Patres, & nos cum ipſis, in quæſtione, quam de illo ſcripſimus. Hic ergo ſeptem aras cum erexiſſet Baal ad accipiendum reſponſum; Dominus ſponte prævenit, & eum Spiritu prophetico ita præmunijt, vt non reverteretur ad quęrendum augurium, vt dicitur num. 24. verſ. 1. Cum quibus teſtimonijs, & exemplis conformis eſt noſtra ſolutio, quam tenet Abulenſis 1. Reg. 28. quæſt. 28. Gaſpar Sanchez ibidem num. 18. Ioan. à Matre Dei Prelud. 1. Digneſ. 6. & alij. Quæ quidem omnia, cum dederimus ad fundandam graviſsimam ſolutionem; inſuper ſuffragantur ex ipſo textu duæ ratiocinationes non contemnendæ. Prima, quod nuſpiam ipſius textus legitur, Pythoniſſam ritus necromanticos attentaſſe (vt ſenſiſſe etiam videtur noſter Bellarminius) qui quidem ritus cum carminibus, circulis, herbis, atque ſuffitibus ſolerent adhiberi, vt conſtat ex prophanis Seneca, Statio, Lucano, & Horatio Poetis, & Delrio, & Torreblanca de Magia, multum temporis opus erat, vt vires necromanticæ exercerentur; cum tamen neque leviuſcula mentio appareat in textu. Secunda, quia, etiam apparente ipſo Samuele, conterrita fuit Pythoniſſa dicens. *Deos vidi aſcendentes de terra*; iuſſaque eſt non timere per ipſum Samuelem: Quomodo ergo veterana præſtigiatrix expaveſceret ad manium evocationem, quam toties ipſa credenda eſt peregiſſe, niſi quàtenus per altiorem poteſtatem contigiſſet?

10 Sed pro prædictorum integra claritate replicabis primo: ſi Pythoniſſa arte ſua non revocavit Samuelem,

cur

cur verſic. 21. ita loquitur ad Saulem: *Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, & poſſui animam meam in manu mea?* Reſpondeo: quia re vera obedivit auſcultando Sauli, & promittendo cum proprio diſcrimine artes ſuas per illa verba: *Quem ſuſcitabo tibi?* Quod ideò manifeſtum eſt, quia ipſa poſt ſuperiora verba proſequitur: *Et audivi ſermones tuos quos loquutus eſt ad me.* Replicabis ſecundò: inconveniens eſt aſſerere, quod Deus ſeſe artis Magicæ fautorem oſtendat; quod tamen ibi feciſſe videtur in noſtra ſententia, cum providiſſet de effectu, dum res per ſiniſtras artes Pythonicas tractabatur. Reſpondeo primò, id minimè ſequi in noſtra ſententia, in qua non iudicamus, cæremonias Magicas interveniſſe; ſed duntaxat aſſeveramus, poſtquam Saul ad Pythonem advenerat, retuliſſe de manu Dei ſtatim apparitionem Samuelis terrificam, qua, & præſens conſultatio, & reliqua eius crimina plecterentur. Reſpondeo ſecundò, cum verbis Toſtati ſic reſpondentis: „ Neque etiam Deus in hoc favit arti „ Magicæ: quia non fecit propter „ eam; ſed quia expediebat, quod „ ſuſcitaretur Samuel, eo quod Sa„ muel magis terreret Saulem, & fa„ ceret eum erubeſcere pluſquam alij „ Prophetæ, & quia prædixerat ei „ principium regnandi, & ablationem „ à Regno. Patet autem ex Auguſtino, Pico Mirandulano, & Iulio Bullengero contra Aſtrologos, poſſe hos, Deo diſponente, propter ſuas cauſas, vera prædicere aliquando. Replicabis tertio: cur Deus tale oraculum ad tale tempus diſtulit? Reſpondeo cum Sanctio, vel vt Saul lueret peccatum Pythoniſſandi; vel quia tunc oportebat reſponſum, quando interrogantis pervrgebat anguſtia; vel ad removendum Diaboli fraudem, & Saulem vere monendum, vt ſibi, & Iſraeli conſuleret. Et hæc de hoc capitali argumento.

11 Obijcitur ſecundò Div. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 23. vbi expreſsè aſſerit, animam Samuelis non apparuiſſe Sauli. Reſpondeo, Divum Auguſtinum plus nobis favere in lib. de Cur. pro mortuis in cap. 15. vbi hæc habet: „ Nam „ Samuel Propheta defunctus vivo „ Sauli etiam Regi futura prædixit, „ quamvis nonnulli non ipſum fuiſſe, „ qui potuiſſet Magicis artibus evo„ cari, ſed aliquem ſpiritum tam malis „ operibus congruentem, illius exiſti„ ment ſimilitudinem figuraſſe: cum „ Liber Eccleſiaſticus, quem Ieſus Fi„ lius Syrac ſcripſiſſe traditur, & prop„ ter eloquij nonnullam ſimilitudi„ nem Salomonis pronuntiatur, con„ tineat in laudem Patrum, quod Sa„ muel etiam mortuus prophetaverit. „ Sed, ſi huic libro ex Hebræorum „ (quia in eo non eſt) canone contra„ dicitur, quid de Moyſe dicturi ſu„ mus? Vbi pro tanto doctore retinendo, reflecte ad plura. Primò quam manifeſte hic Sanctus Doctor rem determinet propter Eccleſiaſtici auctoritatem. Secundò hunc librum ſcriptum fuiſſe poſt illos ad ſimplicianum, vbi contrarius eſſe videtur, vt conſtat ex lib. 2. Retract. cap. 1. & 64. Tertiò in Libro de Doct. Chriſt. rem adduxiſſe per modum inſtantiæ. Quartò in Libris ad Simplician. problematice fuiſſe loquutum; immò ibi plus eſſe nobiſcum; ſiquidem ait, tum quod profundiorem inquiſitionem adhibere non potuit: tum quod ſi de illuſione phantaſmatis (ait) ibi eſſet reformidandum; id revocat in ſolitas præſtigias, & illuſiones Dœmonis, quas ſemper timere oportet, quoties aliquid maiori inquiſitione non conſtiterit, & patefiat. Quintò: quia in Lib. de Octo dulcitij quæſtionibus quæſt. 8. inquit: „ Sed quam non „ fruſtrà dixerim, pedetentim nos in „ hoc genere ſimulatam Samuelis ima„ gi-

„ginem Pythoniſſæ miniſterio præ-
„ſentatam exiſtimare debere; mea po-
„ſterior inquiſitio declaravit: quando
„inveni in Lib. Eccleſiaſtici. Vbi Pa-
„tres laudabantur ex ordine ipſum Sa-
„muelem ſic fuiſſe laudatum, vt pro-
„phetaſſe etiam mortuus diceretur. De quibus omnibus manifeſte concluditur, nobiſcum eſſe Auguſtinum, quem, cum toties rem verſet, atque diſcutiat, voluimus noſtra diſſertatione perpendere, vt liquidò patefiat, eſſe noſtratem. Cum vero alia alius Sancti oſtendatur auctoritas, ſi eſt de illis, qui in tertia ſententia connumerantur, reſponderi poteſt, rem ab illo problematice fuiſſe diſcuſſam, cum in diverſis locis diverſa tradiderit; ſin autem ſit de expreſsè negantibus, cum noſtris expreſsè affirmantibus compenſabitur.

12 Obijcitur tertiò: in Iure Canonico determinata eſſe videtur ſententia negans, verum apparuiſſe Samuelem: ergo noſtra ſuſtineri non poteſt. Probatur antecedens ex cap. Illud 26. quæſt. 9. & ex cap. *Nec mirum* 26. quæſt. 5. in quibus textibus expreſsè dicitur in Decreto Gratiani, non Samuelis animam; ſed merum illius phantaſma apparuiſſe. Reſpondeo negando antecedens loquendo de iure Canonico legem faciente, ad cuius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: quia licet Decretum, ſeu volumen Gratiani inter partes Iuris Canonici recenſeatur; nihilominus trita iam eſt doctrina apud nobile agmen Doctorum, quos citat, & ſequitur Ioannes à Matre Dei, Decretum Gratiani non plus ſibi auctoritatis acquiſiviſſe, quam alioqui de ſe habent textus Patrum, qui ibi adducuntur; & in hoc ſenſu venit admittendus Barboſa citatus à perdocto noſtro P. Maſcarell in ſuo Tom. de Libertate Fidei in Prologo: cumque ſpecies prædictorum textuum fundentur in Auguſtino, vt ibi conſtat; reſumenda eſt ſolutio ex ijs, quæ dedimus præcedenti objectione. Ex eo verò quod à Gratiano compilata ſint talia decreta, auctoritateque Pontificum correcta, & impreſſa, Pontificia eis non accreſcit auctoritas, cum teſtante Felino in cap. 2. de Reſcriptis num. 43. Cœpola de Cognitione Librorum Iuris Canonici num. 18. pluſquam quadraginta errores in prædicta compilatione obſerventur: & ideò his Reſponſis prudentum in re Canonica non collata fuit illa vis legis, quam Iuſtinianus voluit in re civili reſponſis prudentum communicare.

13 Obijcitur quartò: noſter textus expreſsè dicit, quod Sauli Dominum conſulenti noluit Dominus præbere reſponſum neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas; ſed dum videtur conſtare, Deum nolle reſpondere Sauli, & aliunde miniſteria Magica interponuntur, violenta interpretatio eſt credere, apparitionem Samuelis virtuti Dei factam, vt reſponderet Sauli: ergo ſolum ope Dœmonis conficta fuit aliqua ſimilitudo Samuelis. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: noluit præbere placatus, & quaſi exauditor ad preces, concedo maiorem; abſolutè, & omnimodo, nego maiorem, & diſtinguo minorem: dum conſtat de omnimoda nolitione reſpondendi ſivè in pœnam, ſivè in gratiam, concedo minorem; quando ſolum conſtat de non reſponſione gratioſa, nego minorem, & conſequentiam: Deus enim quaſi exauditor Saulis noluit ei reſpondere per ſomnia, per Sacerdotes, aut per Prophetas, quibus modis ſolitus erat fundere oracula in gratiam conſulentis. Cum tamen Saul quaſi deſperans cucurrit ad Pythonem, completa eſt ira, & hora Dei, vt vellet ei terrificam intimare ſententiam, & quidem per eumdem Prophetam, qui vivus toties commonefecerat Saulem.

Obij-

14 Obijcitur quinto: qui apparuit Sauli ei exhibitam adorationem non reſpuit; ſed ſi fuiſſet Samuel vir vere Sanctus, ſe adorari nullatenus permiſiſſet: ergo non fuit vetus Samuel. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: adorationem Latriæ, nego maiorem; adorationem reverentiæ, & obſervantiæ reſpectu maiorum, aut duliæ, vt permittit Toſtatus, concedo maiorem, & diſtincta minori ſub eiſdem terminis, nego conſequentiam. Mos enim erat Hebræis ſimiles adorationes vſurpare erga perſonas, quibus obſervantia eſſet debita, vt fecit Abigail ante David cap. 25. lib. 1. Reg. & David ante Saulem cap. 24. & Abraham ante Filios Heth, & plura id genus, quorum aptiſsimam rationem producit perdoctus Ioannes à Matre Dei doctiſsimus Carmelita Excalceatus dum ita ſubiungit: „Nam adoratio eſt ho„nor externo corporis geſtu exhibi„tus, & ſicut honor indifferens eſt ad „honorem delatum Deo, & homini„bus, ita & adoratio, vt docent noſ„tri Salmanticenſes 1. 2. in arbore „prędicamentali virtutum num. 64. Et proſequitur exponens ex rigore Hebraico incurvationem tanquam reverentiam Civilem: allegans ſibi ſuum, & noſtrum D. Thomam 2. 2. quæſt. 84. artic. 1. ad 1. Quæ, veluti lubens retuli, atque complector; ſic velim, has Doctiſsimorum hominum verè doctas doctrinas ad ſinenſes ritus ſincere traduci, & ad Confutium, maiorumque animas ingenuiſsime accomodari. Diſtinguitur enim adoratio Sacra, quæ eſt Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ ab adoratione mera pietatis erga maiores, vel politiæ erga Principes exercendæ.

15 Obijcitur ſexto, cuncta, quæ de Samuele affirmantur in textu ſalvari poſſunt, quin verus Samuel apparuerit; ſed aliunde medium artis Magicæ manifeſte eſt impotens vere aliquem ſuſcitare: ergo dici debet, quod Samuel ſolum apparuerit in figura. Maior patet: nam figuræ, & imagini, cum gerant vices perſonæ, tribui ſolent vera loquutione quæcumque dicuntur de figurato: ſi enim videmus imaginem Ciceronis ſtatim proferimus: *Hic vere fuit eloquens*, & ſic de alijs, quæ paſsim circumferuntur, & afferuntur exempla. Quorum ratio eſt: quia per medium imaginis, ſeu phantaſmatis tranſeunt loquutiones vſque ad perſonam, & ita quidquid in textu refertur de Samuele verè ſalvatur, licet ipſe non apparuiſſet. Reſpondeo negando maiorem, ad cuius probationis explicationem ſtatim concedimus, in præſenti textu ſatis cuncta verificari, niſi accederet etiam textus Eccleſiaſtici ponderatus, qui perperam intelligi poteſt, niſi quàtenus ipſe Samuel in ſe fuiſſet ſuſcitatus, vt iam tetigimus. Quod ſi inſiſteres adhuc verba Eccleſiaſtici poſſe in ſolo Samuelis phantaſmate veram recipere intelligentiam, non multum repugnabo; ſed id plus deſerviet ad probabilitatem partis oppoſitæ, quam ad oppugnandam noſtram, quæ ſemper pro ſe habet veritatem prophetiæ, tantam geminationem Samuelis, rigorem verborum, favorem Pythoniſſæ, & nullius artis Magicæ adhibitæ enarrationem.

16 Obijcitur ſeptimo obiectio complexa ex nonnullis reflexionibus ſupra textum, quæ ſic perpenduntur. Prima: quomodo dixit Samuel: *Cras tu, & Filij tui mecum eritis*, cum Saul reprobus non iturus eſſet ad iuſtos? Reſpondeo: quia ille modus ſatis vſitatus Hebræis non ſignificabat, eumdem locum pro vtroque; ſed eumdem ſtatum diſſolutionis à corpore, ſcilicet illos morituros craſtina die (fuerit ne tempus determinatum, aut non) Secunda: ſi Samuel obediens Deo apparuit Sau-

Sauli, cur ei dixit: *Quare inquietaſtis me vt ſuſcitarer?* Reſpondeo primo: quia idem fuit ac dicere, & interrogare Saulem: *Ad quid me de requie vocaſti?* Secundo: quia obiurgabat Saulem, adhibuiſſe Pythonem, quia Saul fuit occaſio, vt ad has triſtes auras Samuel reddiret. Imò confirmatur fuiſſe verum Samuelem: quia Diabolus dum à Magis conſulitur congaudet magis, vnde non eſſet cur quereretur. Tertia: nam id accidit, quod petijt Saul; ſed ille dixit: *Diuina mihi in Pythone*: ergo talis apparitio fuit Magica. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: quod petijt Saul ex parte termini, concedo maiorem: quod petijt Saul ex parte medij ad terminum obtinendum, nego maiorem, & diſtinguo minorem: & etiam dixit: *Suſcita mihi Samuelem*, concedo minorem; præcisè dixit vſum artis Magicæ, nego minorem, & conſequentiam. Neque argumentum peti poteſt ex verbis Saulis, qui in multis erravit, vt notavit Abulenſis quæſt. 27. Si autem roges quarto quomodo Samuel vere apparuit, & Prophetavit, ſi non ſurrexit in proprio corpore; ſed in aereo ad id formato ab Angelo. Reſpondeo pro apparitione ſufficit aeris corporis ſimilitudo: quid enim dicit apparitio, ſivè apparentia; pro prophetia verò ſufficit, quod eadem fuiſſet anima, vbi Prophetandi virtus ineſſe deberet. Hic ad calcem commonere non piget, Pythoniſſam non fuiſſe Matrem Abner, vt fabulantur Hebræi: quia Abner pertinebat ad tribum Benjamin, & Pythoniſſa ad Iſſachar.

17 Obijcies octavò: ſi Deus ſuſcitaviſſet Samuelem medio miniſterio Pythoniſſæ; Deus faceret miracula in confirmationem falſæ doctrinæ. Sed Deus nequit facere miracula in confirmationem falſæ doctrinæ: ergo non manu Dei adductus eſt Samuel. Minor eſt Theologorum Scholaſticorum. Probo maiorem: Deus ſic ſe gerendo, feciſſet miraculum evocandi Samuelem in confirmationem artis Magicæ, quam Pythoniſſa profitebatur. Sed hæc doctrina Magica falſa eſt: ergo, &c. Ad hoc argumentum. Reſpondeo primò: ſupponendo Sermonem non eſſe de patratione miraculorum ex directa intentione conformandi doctrinam falſam, licèt in hoc ſenſu etiam nonnulli recentiores auſi fuerint affirmare, quos ſicut ſupreſſo nomine citat Oviedo de Fide Spe, & Charit. controverſ. 3. punct. 4. numer. 62. ita eos etiam ſupprimit ſuo diſcurſu. Quo poſito diſtinguo maiorem: *Indirecte*, & in circunſtantijs, quibus confirmaretur, permitto maiorem cum Durand. Gabriele, Caietano, Valentia, Bannez, Lorca, Puente Hurtado, & Medina, quos affert Oviedo, ab ipſis non diſcedens. *Directe*, nego maiorem, & diſtincta reſpectivè minori, nego conſequentiam. Cumque hæc ſententia talium virorum ſua probabilitate denudari non valeat; nihil ex ſententia noſtra ſequetur abſurdi. Vbi nota, te, ſi nolis, non cogi, vt te immergas in littem hanc Scholaſticam, dum Biblica controvertis: cum enim in rebus opinabilibus Scholaſtica Theologia debeat excernere opiniones ſanas Interpreti deſerituras; quoties hic interpres in poſitionem aliquam Scholaſticam, & probabilem incidat, cum ſola eius ſententiæ probabilitate debet eſſe contentus, quin pulverem Scholaſticum ingrediatur; ſed ſolum in negotio ritè interpretandi verſetur: quod ritè præſtabit, ſi ad ſenſus ſanos, & ad vias per limam Scholaſticam probatiſsimas ſe recipiat. Reſpondeo ſecundo: negando maiorem. Quia concors ſententia Theologorum eſt, Deum poſſe facere miracula, quibus appareat confirmari doctrina falſa, quan-

quando ea patret in circunſtantijs, quæ benè inſpectæ oſtendant in Deo finem illa patrandi, præter talem falſitatis confirmationem. Cumque in tota quæſtione, & textu conſtet, Deum habuiſſe finem, tùm verè prophetandi per Samuelem, tùm puniendi in Saule ipſum peccatum Pythoniſſandi per notitiam verè terrificam; argumentatio ſubſtructa planè ſucumbit. Reſpondeo tertio: Negando ſuppoſitum maioris. Quia vt ex decurſu Quæſtionis conſtat, nullam opem Pythoniſſæ verè Magicam interveniſſe, convincitur; ſed potius Deum preveniſſe eius præſtigias, & ſuperſtitiones: vnde & ipſa etiam fuit prorſus conterrita. Quomodo ergo confirmaretur Magia, quæ non fuit exercita?

DECAS III.

QUÆSTIO PRIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ET PERCUTIENS SERVUM PRINCIPIS SACERDOTUM amputavit auriculam eius Math. 26. vers. 51.

ARTICULUS

AN DIVUS PETRUS PECCAVERIT AMPUTANDO *auriculam Malchi?*

NOTABILIA.

1 NOTO primò, duo certa sunt, quæ ad resolutionem huius Quæstionis satis conducere mihi videntur. Alterum est, Divum Petrum de mysterio Christi rudem non esse; sed præ cæteris optimè instructum: iam enim ab ipso interrogatus, mirabilem illam Divinitatis suæ fecerat confessionem: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Alterum est, rudem omninò non esse, & ignarum de mysterio passionis; toties ipsi cum cæteris à Domino denuntiato: *Ecce ascendimus Ierosolimam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & conspuetur, & flagellabitur, & postquam flagellaverint, occident eum;* licèt, vt ait Evangelista, *Verbum istud esset absconditum ab eis*, quatenus id perfectè non assequebantur.

2 Noto secundò, quæstionem esse posse de peccato, vel materialiter, vel formaliter considerato; scilicèt, inquirendo; vel an Divus Petrus malum gesserit, vel an malè gesserit? An, inquam factum in se, vel quoad circunstantias peccaminosum esset? An verò, licèt illud esset peccaminosum; tamen Divus Petrus amore Christi percitus, nihil in eo facto peccaverit? Utrumque interrogationis articulum resolutio nostra complectetur, & vtriusque offendicula complanabit.

3 Ergo cum triplici celebri Doctore, triplicem item invenio celebrem sententiam. Prima est Doctissimi P. Salmeron in Evang. qui tomo illo, vbi de passione agit, Divum Petrum peccasse multiplici argumentatione confirmat.

mat. Secunda eſt ſapientiſsimi noſtri P. Barradas, qui tom. 4. in Evang. lib. 6. cap. 17. num. 4. & 5. Divum Petrum à peccato tenet immunem. Tertia verò ſententia eſt Eximij Doctoris P. Franciſci Suarez tom. 2. in 3. part. diſt. 34. ſect. 3. qui iuxta doctrinam ſecundi noſtri notabilis cum diſtinctione procedens, fatetur zelo præreptum in illis circunſtantijs Apoſtolum non peccaſſe; quamquàm factum ipſius in ſe fuiſſet peccaminoſum, ſic inquit. *In hac re mihi vera videtur ſententia Hieronymi, qui Mathæi 26. vno verbo dixit: Petrum hoc feciſſe eodem mentis ardore, quo cætera; ſed non poſſumus factum Petri ſecundum ſe excuſare.* His poſitis.

4 Opinor ego, Divum Petrum, neque in facto, neque in animo peccaviſſe. Probo primò. Divus Petrus non ſine licentia Domini Malchum percuſit: ergo rectum fuit factum, & ſana mens, & intentio. Conſequentia patet, antecedens probo. Ex verbis Auguſtini in quæſtionibus novi, & veteris Teſtamenti, quæſtione 104. ſic aientis: *Quia ſicut ſignificatur in Luca, Domino ipſo permittente, percuſit.* Sed hæc, ſi Divus Lucas benè inſpiciatur, non Scholaſticam permiſsionem quæ peccati eſſe ſolet, ſignificat; ſed licentiam, & facultatem: ergo de licentia Domini fuit. Probo minorem: textus Divi Lucæ ſic ſe habet, cap. 22. verſ. 49. 50. & 51. *Domine ſi percutimus in gladio, & percuſit vnus ex illis ſervum Principis Sacerdotum, & amputavit auriculam eius dexteram; reſpondens autem Ieſus, ait, ſinite vſque huc; & cum tetigiſſet, &c.* Ecce diſcipuli interrogant, & ſtatim legitur percuſio Malchi; quin verba Domini prohibitiva miſceantur; imò dum ſtatim loquitur, ea verba vſurpat; *ſinite vſque huc* (ideſt cum Barradas) *ſatis eſt vſque huc proceſſiſſe cum gladio; ne vltra progrediamini.* Sed hoc innuit, priorem impetum Petri de licentia Domini ſaltim, vel ratihabitione fuiſſe peractum, & ſolum vlteriora prohiberi: ergo, &c. Min. patet, quia illa verba *ſinite vſque huc* æquivalent his Hiſpanis, *haſta aqui eſtà bueno: no paſſeis adelante*; quæ verba ratihabitionem habent priorum, & poſteriora condemnat, in illo præſertim, qui & vlteriora, & priora impedire potuiſſet, quod tamen non fecit, imò & gladios quoſdam iuſſerat apparari.

5 Probo ſecundò: Ex SS. PP. Chryſoſtom. Math. 26. *Conſidera Petri, & amorem pium, & humilitatem. Alterum enim ex diligendi fervore fecit: hoc eſt ſervum percuſit.* Auguſtino de Agone Chriſtiano, cap. 27. *Petrus non ſuperbia; ſed quamvis carnali, tamen amore Domini hoc fecit.* Ambroſio in Lucam 22. *Petrus eruditus in lege promptus affectu, qui ſciret Phinees reputatum ad iuſtitiam, quòd ſacrilegos peremiſſet, percuſit Principis ſervum.* D. Leone Sermone de Paſsione. *B. Petrus, qui animoſiore conſtantiâ Domino cohærebat, & contra violentorum impetus fervore ſanctæ charitatis exarſerat, in ſervum Principis Sacerdotum vſus eſt gladio.* Ex quibus omnibus conſtat, Petrum innocenter egiſſe. Sed clarius quoad factum, & intentionem nobis favet Cyrillus Alex. lib. 11. in Ioannem cap. 35. vbi inquit, *Petrus gladium habuit, quia ſecundum legem gladio ſe defendere licebat. Vnde intentio Petri, qui gladium adverſus hoſtes accepit, à mandato legali non fuit aliena.* Ecce intentionem ſanam, factumque à lege non diſcrepans.

6 Probatur tertiò à ratione. Divus Petrus non peccavit ex parte voluntatis; ſed neque ex parte operis: ergo nullatenus: Maior patet, tum ex PP. ſupra relatis, tum ex Hieronymo Math. 14. dicente, *In omnibus locis ardentiſsimæ fidei invenitur Petrus: & licet erret in ſenſu; non tamen errat in*

in affectu. Tum quia passim per Evangelia vehemens amor Petri in Christum, & legem animadvertitur. Tum quia de intentione tanti hominis sane cogitandum est nobis, nisi alioqui invitis ratione factorum. Probo iam minorem. Factum illud, quod est pro honore Dei, pro defensione Iusti per antonomasiam; & in causa iustissima totius vniversi, non est factum, quod secundum se sumptum, quid involuit illicitum: sed facinus D. Petri fuit pro honore Filij Dei, cuius Divinitatem iam pridem noverat, & confessus fuerat: deinde fuit in defensionem IUSTI per antonomasiam, qui est Christus, & tandem in causa iustissima, in qua comprehensus erat typus totius innocentiæ: ergo D. Petrus non peccavit quatenus est ex parte sui facinoris. *Confirmatur primò.* Discipulum repellere cum armis aggressionem illam, de qua Magister suus, vt iniusta, alte conqueritur, facinus est certè laudandum: sed D. Petrus armis repulit aggressores, de quibus, vt iniustis, in eo impetu Dominus querebatur: ergo, &c. Probo minorem ex illis verbis, *tanquam ad latronem existis cum gladijs, & fustibus comprehendere me.* Confirmatur secundò: Communia vota Christianismi, & fidelium in id facinus afficiuntur, quasi in factum eggregium, Petrumque ex eo potius commendant, quàm carpunt. Sed si id facinus materialiter, & secundùm se inspectum, esset iniustum, & solum de bona mente Petri excusandum, non ita omnium Christianorum animos de lege quidem satis instructos prærriperet, & captaret: ergo facinus secundum se erat licitum. *Confirmatur tertiò:* Deus non se habet permissivè in aliqua actione permissione propria peccati respectu vtriusque contrarij: Si enim permissivè se habet cum iniusto aggressore, se positivè gerit cum defendente se. Atqui Deus in ea actione se gerit permissivè cum cohorte, & turba iuxta illud, *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*: ergo cum defendente se positivè concurrit iuxta suam voluntatem, solumque repressit ad vlteriores ictus cohibendos, & perficiendum Mysterium.

7 Obijcitur primò ex Salmerone. D. Petrus, neque Iudex, neque à Iudice potestatem habens, Malchum propria authoritate percussit: ergo peccavit. Respondeo primò distinguendo antecedens, propria authoritate, sed Spiritu Sancto permota, concedo antecedens, cum D. Ambrosio apud Suarium. Sua authoritate dumtaxat, nego antecedens, & consequentiam. Quod si in Scripturis sæpè propter motum Spiritus Sancti occisio aliqua excusatur; v. g. in Iepte, in Moyse, &c. quando oportunius, quàm cum Petrus coram Domino Filio Dei, & pro ipso militabat? Respondeo secundò, negando antecedens: quia à Supremo Iudice habebat potestatem se eò vsque defendendi, seu licentiam iuxta illa verba, *finite vsque huc*, iam ponderata.

8 Obijcitur secundò: Christus tale facinus corripuit dicens; *converte gladium tuum in vaginam: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Sed quod Deus corrigit, malum est: ergo D. Petrus in hoc facto peccavit. Respondeo negando maiorem. Christus enim Petro nullam reprehensionem adhibuit; sed factum temperavit vsque ad talem percussionem, eam permittens propter gloriam Dei, & ostensionem benignitatis in sanando inimico; & vlteriora prohibens; tum, nè, armis defendi putarent; tum, vt salubrem inde doctrinam eliceret, quà, & Iudæos, & Discipulos à vindictæ terrore absterreret. Cui interpretationi multùm favet Aug. quæst. 104. dicens, illa verba, *qui accipit gladium, gladio peribit, propter priorem percussionem dicta non fuisse: sed nè iterum percuteret; permis-*

sum

ſum enim ei erat, vt dolorem faceret, non, vt occideret.

9 Obijcitur tertiò: Hæc defenſio Petri fuit contra voluntatem Chriſti, contra eius doctrinam, & adimpletionem ſcripturarum: ergo iuſtificari omninò non poſſet. Probo antecedens, quia voluntas Chriſti Domini erat bibere Calicem paſsionis, *Calicem, quem dedit mihi Pater non bibam illum?* Ioann. 18. Doctrina Chriſti erat redemptio præſtanda per mortem, & paſsionem *tradetur, & crucifigetur, &c.* Et demum illo facto implebantur ſcripturæ iuxta Math. 26. *Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri?* Ergo, &c. CONFIRMATUR ex alia increpatione Chriſti ad Petrum, Chriſtum à paſſione de hortantem, dixit enim Math. 16. *Vade poſt me Satana ſcandalum mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Ergo conſequenter in hac defenſione inordinatè proceſit. Reſpondeo negando maiorem, & ad eius probationem, dico D. Petrum in illa percuſsione, neque fuiſſe impacientià prærreptum, quin reſponſum à Domino eſpectaret, vt ponderat Salmeron: licèt enim Chriſtus non conceſſerit percuſsionem, tamen illum primum impetum ſanæ defenſionis Diſcipulorum ratum habuiſſe credi poteſt, vel propter miraculum factum poſt cum Malcho, vel propter alios fines, vt inſinuant illa verba, *ſinite vſque huc* quaſi diceret, *dexadlo aqui, que haſta aqui, no mas, os he dado licencia.* Ex quo liquet, quomodo non fuerit contra Domini voluntatem. Illa autem verba Ioann. *Calicem quem dedit mihi Pater non vis, vt bibam illum?* Tendunt ad vlteriores percuſsiones impediendas, ne fortè commiſſo prælio, traditio, & comprehenſio non fieret. Vnde propter idem dixit ſimiliter Chriſtus apud Math. *Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri?* Oportuit enim fieri vſque eo, & non amplius iuxta verba Chriſti, *ſinite vſque huc.* Et licèt Petrus cum cæteris doctrinam de traditione, & morte ſæpè audiviſſent; in myſterio tàm difficili, & arduo non omnia plenè noſcebant, & ideò dicit textus Evangelicus: *Et nihil horum intellexerunt: & verbum iſtud erat abſconditum ab eis: & non intelligebant, quæ dicebantur.* Quare Petrus ex vna parte de ſuo munere ſatisfaciendo curabat, *& ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo,* & ex alia tanti negotij providentias arcanas plenus fide Domino relinquebat. Ad confirmationem. Reſpondeo, D. Petrum in illo caſu non peccaſſe, non enim directè, & efficaciter voluit Chriſtum à Paſsione impedire; ſed cum eius divinitatem tunc agnoviſſet, rem cogitabat eſſe tanto Domino abiectam, vnde, & dixit, *abſit à te Domine*: non *erit tibi hoc*; & licèt Chriſtus dixerit, *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi, ſapis ea, quæ hominum ſunt*, voluit dicere *in hac re humanitus cogitas, & mihi adverſarijs faciens ſcandalum, dum ad hæc dicta mea aſſumis. Et aſſumens eum Petrus, &c.* Quis enim dubitet, hæc ex amore in Chriſtum procedere? Et ex amore in Chriſtum quis peccat?

10 Obijcitur quartò: Illa verba Mathæi ſtatim ſubſequentia, vbi dicit: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Ex quibus arguo ſic. D. Petrus in eo facinore potiùs confidit manibus ſuis, quàm Chriſti Divinitati, & Potentiæ. Sed id vacare omninò culpa non poteſt: ergo aliquomodo peccavit. Probatur maior ex verbis relatis. Nam ſi defenſionem illam Chriſti Divinitati, & potentiæ commiſiſſet; non ita fuiſſet illis verbis à Deo commonefactus: ergo confidit manibus proprijs, humaniſque viribus; & non Magiſtri ſui Divinitati, & potentiæ. Reſpondeo negando maiorem, ad cuius probationem diſtinguo antecedens. Si pœnitus

commiſiſſet, ita vt neque quod in ſe erat perageret, concedo antecedens, ſi ita commiſit, vt tamen ageret quod in ſe erat. Subdiſtinguo, non fuiſſet commonefactus *reprehenſivè*, concedo antecedens; *monitorie* ad oſtendendam abſolutiſsimam potentiam, & ſponta-neam oblationem in mortem, nego antecedens, & conſequentiam. Dupliciter enim poterat D. Petrus id negotium Chriſti potentiæ, ac Divinitati relinquere; vel omninò, ita vt quieſceret, ac ſe, & ſuos extraordinariæ providentiæ committeret; vel vt regulariter debent homines facere in operando, nimirum, relinquendo, quod eſt hominis, homini; quod eſt Dei, Deo. Hoc autem ſecundo modo in ſuo eggregio facto ſe geſit, tulit enim ipſe in eo conflictu omnem eam opem, quam potuit, interim Domino ſuo, ac Magiſtro, quem noverat Filium Dei, ſuas providentias arcaniſsimas reſervando. Hic verò Dominus Ieſus vim armorum vltra non ferens, volenſque ſtrenuos animos Petri omninò compeſcere (fit enim in cauſa iuſta etiam iraſcibilis impetus) facilem hunc exhibuit modum, quo Petrum à defenſione revocaret, eam tam ſibi facilem proponendo, vt ſi vellet, duodecim ſtatim Angelorum legiones adeſſent. Non ergo inconiungibilia videntur, Chriſtum, & Dei Filium poſſe rogare Patrem, & Petrum, vt purum hominem interea ad humana media confugere.

11 Obijcitur quintò: D. Petrus id non fecit ex ardentiſsima fide, & Magiſtri ſui amore vehementi: ergo aliquatenus inordinatè proceſit. Probo antecedens. Si tantus extitiſſet amor, & fides; non tàm citò fuiſſet in tepididatem, & negationem prolapſus: ergo id ex amore, & fide non fecit. Antecedens patet, Nam tanta vehementia, & ardor non tam citò decreſcunt, & in contraria mutantur. Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem nego etiam antecedens cum probatione ſubiuncta, & rem explico. Iam pridem Apoſtolus denotaverat, ſe nimium de ſuo amore confidere, & cæteris ſe ardore præferre: ***Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo; & ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor.*** Cumque Dominus has, (alioqui bonæ mentis) quaſi iactantiùs comminatione prophetica repreſſiſſet, dum dixit: ***Priuſquam Gallus cantet ter me negabis,*** decrevit propter altos fines ſuos, & propter vniverſale, & canonicum dogma humilitatis toti Eccleſiæ exhibendum, Petri negationem, lapſumque permittere: qui cum iuxta Chriſtum Dominum, & prope eius perſonam vix poſſet contingere; eo quod tantopere illum amaret, ac redamaretur; duravit æſtus amoris, quantum præſentia Magiſtri, imò, & cum fiebat avulſio, plus amor æſtuavit. Verum comprehenſo iam Domino, hic amor cœpit ita deferveſcere, vt Petrus ſequeretur eum à longè, prout narrat textus, quouſque tandem abſente influxu Magiſtri, prævalente occaſione, & Deo ſic providente, ille lapſus evenit, qui tantam doctrinam peperit poſteritati. En quomodo, & quare fuit amor vehemens, quomodoque, & quare refriguit.

12 Obijcitur ſextò: D. Petrus ibi, cum temeritate proceſit: ergo peccavit. Probo antecedens primò. Vnus vel alter gladiolo tantum cinctus, non niſi temerè aggreditur armatam totam cohortem; ſed eiuſmodi erat, quæ veniebat ad comprehendendum Chriſtum Dominum: ergo, &c. Probo ſecundò. D. Petrus in eo facto Chriſtum Dominum magis militum furiæ expoſuit: ergo cum temeritate proceſit. Reſpondeo negando antecedens. Ad cuius primam probationem, diſtinguo

an-

antecedens, dum aggreditur, ſeu percutit in defenſionem innocentiæ, nego antecedens, dum dolore percitus, ipſe vltrò contra plurimos manus conſerit; concedo antecedens, & permiſſa minori, nego conſequentiam. Igitur temeritas ſemper inconſiderationem importat, & ſubreptionem: Quare hanc à D. Petro relegamus: numquam enim eſt temeritas zelus ille, qui vitam ponit pro Chriſto, vt eum liberet, vel cum ipſo vult vitam profundere; quod eſt martyrium ſubire; & hoc eſt, quod tunc Petrus præſtitit. Videbat enim armatam iniquitatem contra ſe, & Chriſtum irrumpere; Et quidem ſi Chriſto, qui toties, vt homo ſe geſſerat, placebat humanitùs liberari, media ipſe apponebat; eo enim dimicante, poterat fugere, præſertim nocte, vt alij diſcipuli fugerunt. *Et omnes relicto eo fugerunt.* Conſulebat ergo Petrus ſic Chriſto, & cunctis, nam contra omnes diſcipulos impetus factus fuerat, vt patet ex illis verbis. *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Quod ſi Domino liberari humanitus non placeret; ipſe iam fideliter adimplebat illud quod dixerat: *& ſi oportuerit, me mori tecum, non te negabo.* Permiſi autem minorem; quia non ſolum Petrus, ſed reliqui enim gladium portabant. Dum dixerunt Domine, *ſi percutimus in gladio?* Non enim intellexerant illud, *ſatis eſt*, quod dixerat Chriſtus offerentibus duos gladios in ſententia Maldon; & Barrad. Ad ſecundam probationem nego antecedens per ſe loquendo; licèt per accidens potuiſſet aliquis militum furorem in Dominum exercere. Ratio eſt, quia Petrus obviam procedens ad percutiendum, retrorſum vias relinquebat tutas ad fugiendum, nec novum erat, Chriſtum fugere dum oporteret. Et inſuper ſolus Petrus, qui reſiſtebat, per ſe, & contra ſe milites irritabat; non pro Chriſto agno manſueto, *tanquam agnus ad occiſionem.* Conſidera ergo quantum abſit, quod Petrus temerè proceſſiſſet, ex alio caſu ſimili D. Petri. ſcilicèt, dum de eo veniente ſuper aquas ſic dicit Hieronym. 14. in Math. *Eodem igitur fidei ardore, quo ſemper tunc quoque cæteris tacentibus, credit, ſe poſſe facere per voluntatem Magiſtri, quod ille poterat per naturam.* Sic idem in percuſione Malchi contigiſſe, cur neges?

13 Obijciuntur ſeptimò: Verba D. Hieronymi in Mat. 14. ſuperius tracta vbi planè ſic dicit: *In omnibus locis ardentiſsimæ fidei invenitur Petrus; volentem ad paſsionem pergere, prohibet, & licet erret in ſenſu, non tamen errat in affectu, nolens eum mori, quem filium Dei fuerat paulo antea confeſſus.* Ergo licèt affectus Petri in noſtro caſu excuſabilis eſſet; non tamen ſenſus eſſet, & factum. Reſpondeo D. Hieronym. hæc loquutum fuiſſe, dum Petrus dixit: *Domine iube me ad te venire ſuper aquas*; & in noſtro caſu idem repetit compendioſius, dum dixit Petrum *hoc feciſſe eodem mentis ardore, quo cætera*; ſed licèt hunc mentis ardorem Hieronym. in omnibus factis Petri recenſeat, vt facit loco citato in obiectione; nihilominus non dixit Hieronym. in noſtro caſu, Apoſtolum erraſſe in ſenſu. Vnde non fit argumentum contra nos. Et licèt ſuperius dixerimus, Petrum non voluiſſe impedire Chriſti paſsionem, ſed tantummodò optaviſſe, à Filio Dei ſpeciem mortis removere; non tamen ideò habemus etiam in hac re Hieronymum contrariùm: Ipſe enim quoad rei veritatem penè idem nobiſcum pronuntiat dicens voce Petri, & Chriſti Math. 16. *non poteſt fieri, neque recipiunt aures meæ, vt Dei Filius occidendus ſit; vade retro poſt me, hoc eſt, ſequere ſententiam meam*: & ſupra dicit, *id accidiſſe amantis affectu, & optantis.* Quod potius, quam prohibere, & impedire paſsionem, eſt amorem, & fidelitatem oſtentare. Sed quidquid de hoc ſit Hie-

ro-

ronym. in noſtro caſu huius quæſtionis, & affectum commendat, & factum non damnat.

14 Obijcitur octavo, D. Aug. lib. 22. contra Fauſtum cap. 70. vbi expendens in percuſione Moyſis, & Petri aliqua eſſe vitia, & impetus, quæ oſtendunt naturam illam feracem eſſe virtutis, ſi excoleretur, planè fatetur D. Petrum in hoc facinore peccaviſſe. Reſpondeo ſententiam D. Aug. eſſe dubiam, tum, quia licèt clarè ibi dicat, Petrum peccaſſe, vt re ipſa dicit; tamen in quæſtionibus novi, & veterit Teſtamenti clarè pronuntiat Petrum in illa prima percuſione non deliquiſſe; cohibitum tamen fuiſſe, ne repercuteret; tunc quia licèt poſſet allegari pro trahendo Auguſtino in affirmativam ſententiam, quòd ſcripta contra Fauſtum proculdubio ſunt Auguſtini; ſcripta verò illarum quæſtionum veteris, & novi Teſtamenti, non item; tamen recompenſari argumentum poteſt ad trahendum illum pro negativa ſententia, quia in citatis quæſtionibus rem diſputat ex profeſſo, & in libris contra Fauſtum tranſeunter. Hæc dixi in gratiam Sanctorum PP. quibus ſemper reverentiam exhibere fas eſt; ſed repete ſuperiora, vnde ſumes Authoritates SS. PP. & punctum rationum.

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

MISERICORDIAM AUTEM MEAM NON AUFERAM ab eo. 2. Reg. cap. 7. verſ. 15.

ARTICULUS

UTRUM SALOMON FUERIT SALUTEM æternam conſequutus?

NOTABILIA.

AD perſpicuam huius quæſtionis reſolutionem, ea ſunt præmittenda, quæ de peccato Salomonis liquidò excerpi poſſunt, vt de eius pœnitentia poſtmodùm diſſeramus. Quarè ſuppono primò. Non vnicum, ſed multiplex fuiſſe peccatum Salomonis: Nam primò duxit vxores alienigenas Mohabitas, Ammonitas, Amorræas, & Thyrias contra legem Exod. 34. prout de vtriſquè meminerunt SEPTUAGINTA, & Ioſephus. Secundò peccavit in numerò contra legem Deut. 17. habuit enim vſquè ad mil-

mille inter Reginas, & concubinas, ad quem numerum, & libidinem non videbatur conceſsio pertingere. Tertiò ædificavit fana pro Idolis, nimirum, pro Aſtarte, Camos, & Moloch. Dijs Sydoniorum, Mohabitarum, & Ammonitarum, & quidem in Monte Oliveti, & prope Sacratiſsimum Templum. Quartò hos Deos impuriſsimos ipſe adoravit, licèt ſolùm fuerit, vt mulierculis placeret, vt videntur ſentire D. Aug. Baſil. Lucifer. Greg. Bern. & Theodor. &c. apud Serarium Opuſc. 2. Quintò ſcandalizavit Populum perverſo exemplo, depravando non paucos, quos itidem pecuniarum exactionibus contorquebat, vt ſaturabiliùs vxorijs petitionibus ſatisfaceret. Quibus adijci poſſet, quod voluerit Jeroboam interficere, eò quod ex Ahia Propheta intellexerit ſuper decem Tribus Regnaturum. Item quod à Deo monitus converſionem procraſtinaverit, & alia ex Ioſepho, Lirano, & Abulenſi.

2 Suppono ſecundò: Cor Salomonis depravatum fuiſſe, cum eſſet ſenex, vt Scriptura ipſa teſtatur: vt autem hæc ſenectus expendi poſsit, obſervandum eſt, annos aliquot vixiſſe poſt lapſum, iuxta bella poſtmodum contra eum excitata, quos ſenos eſſe putant Rabbini. Cum autem ſceleribus ſe adſtrinxit Salomon quadraginta, & ſex annos habebat, vt cum D. Clemente Romano, D. Ignatio, Hieron. Eupolèmo Gentili, & Rabbinis omnibus notavit noſter Serarius Opuſc. 2. Licèt enim ætas huiuſmodi abſolutè non eſſet nuncupanda ſenectus, nihilominus reſpectivè ad flagitia illa propria minoris, & ferventioris ætati, dici ſenectus poteſt: quemadmodum diceremus de homine vergente ad quinquagenarium ſi ſcorto ſerviret, *hic homo laſcivire modò incœpit in ſenectute*, præſertim, ſi antè eam ætatem caſtè vixerit, & poſt eam nimis vixerit luxuriosè.

3 Suppono tertiò: Non deeſſe fines altiſsimos, vt ex hoc lapſu bonum eliceret ipſe Deus iuxta dicta Auguſt. in Enchirid. cap. 11. Primò, videlicet, nè maior putaretur hominibus, qui à Deo ſic ornatus fuerat, vt re ipſa nonnulli Iudæi Chriſtum eſſe crediderunt, vt inquit D. Amb. & Rupertus lib. 7. de Glorificatione Trinitatis cap. 1. Secundò, vt ſalutaris cunctis timor inijceretur, dum tantum virum, tantiſquè circumſeptum gratijs corruere animadverterent. Tertiò, vt fugiamus delicias, otium, res fecundas, ſapientiam huiuſmundi, quippè, in quibus lapſus abſconduntur ſic miſerandi. De quibus peraptè ad mores philoſophantur Aug. Hier. Greg. atquè Bernard. apud Serarium vbi ſupra; quibus pro maiori claritate ſuppoſitis.

4 In hac quæſtione, quæ vetus, & digniſsimum certamen eſt, duplex verſatur extremè oppoſita ſententia. Prima aſſerit Salomonem fuiſſe damnatum, quam tenet Cyprian. Epiſt. 7. S. Greg. Magn. lib. 2. Moralium cap. 2. D. Proſp. part. 2. de Prædict. cap. 27. Theod. ad Rom. 11. Eucher. 4. Reg. 23. Angelomus, & Beda quæſt. 29. in Libros Regum, & ſuper Iſaiam 2. Rabbanus, & Gloſſa 4. Reg. cap. 23. Sozomenus initio hiſtoriæ in Epiſt. ad Theodoſ. Addo in Chronic. ætate 4. ad finem. Ioannes Cognatus de Proſperitate, & exilio Salom. cap. 18. Mart. Cantapetrenſis lib. 10. Hypotepoſeon. Regul. 25. Vega in Trid. lib. 12. cap. 2. Bellarm. tom. 1. lib. 1. de Verbo Dei cap. 6. Pererius in Epiſt. ad Rom. cap. 8. diſp. 27. Maldon. in Mathæum cap. 2. num. 8. Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit, Salomonem ſalvum eſſe. Quam tenet D. Hieron. Eccleſiaſt. cap. 1. ad Jovinian. lib. 2. in cap. 11. Danielis, & in Ezechiel cap. 43. & alibi clariſsimè D. Amb. 1. & 2. Apologia pro Davide

cap.

cap. 3. & in Pſalm. 118. Octonario 2. & Prooemio in Lucam. Hilarius in Pſal. 52. Epiphan. Hereſi 42. Cyrillus Hieroſolymitanus Cathec. 2. Irenæus lib. 4. cap. 45. Bachiarius Coevus D. Aug. Epiſt. de Recipiendis lapſis, quæ habetur tom. 1. Bibliothecæ. Tichonius in Reg. 3. de Promiſsis, & Lege: qui licèt fuerit Donatiſta, authoritatem habet in ſuis Regulis apud D. Aug. D. Thom. lib. 3. de Regin. princip. cap. 8. Vincentius Bellov. in Specul. Hiſtorial. cap. 84. D. Bonav. in Prooemio Eccleſiaſt. vbi Dionyſius citat Gloſſam, & Albinum, ſeu Alcuinum dicentes talem Librum eſſe Salomonis Pœnitentis. Petrus Comeſt. 2. Reg. 7. Burgens 2. Reg. 7. Ioannes Maior Math. 1. Alvar. Pelag. lib. 2. de Planctu Eccleſiæ cap. 45. Valentia, Ludovic. Sotomaior, Damianus Hortulanus, & Delrius Præfation. in Cantic. Ioannes Arboreus lib. 17. Theoſophiæ cap. 7. Ludovicus Vivald. part. 2. Georgius Venet. tom. 5. ſuorum problematum ſectione 1. Geneb. Chronolog. & in Seder-holam Hebræorum. Petrus de Natalibus, Sanctotiſius in Math. 1. Lopez Epiſt. ad Conc. tom. 3. Fer. 6. Domin. 3. Quadrageſimæ. Titelman. Tota Hebræorum Schola, & Serarius Opuſc. 2. & tandèm fusè Pater Pineda de rebus Salomonis. Tertia inſuper hic venit referenda ſententia, quæ nec damnationi, nec ſaluti Salomonis adhæret, ſed vel neutri parti adhæret, ſeu vtriquè, eam probabilitate donando. Hanc viam ſequuntur ex PP. Aug. Tertul. Baſil. Niſen. Iſidor. Bernard. Rupert. Cyrillus Alex. Chryſoſtom. & ex Authoribus Gerſon, Ioſephus, Suidas, Lira, Abulenſis, D. Antonin. Hugo de S. Victore, Fevard. Barrad. Janſen. Carthuſ. Mirandulanus Ioan. Qui omnes apud Pinedam noſtrum de rebus Salomonis videri poſſunt, tum quoad citationes, nè prolixam arithmeticam necterem numerorum: tum quoad diſcuſionem, & examen modi neutrius, quem ſequuntur hi Authores, quos etiam dubios, intereſt commemoraſſe nedum ob plenitudinem eruditionis in hac re; ſed vt dum quis fortè horum Patrum nobis obijciatur, ſciamus poſſe eius mentem repelli, vt dubiam, quamquam alicubi fortaſſe verba appareant clariſsima, ſi cum alijs non connectuntur, aut comparentur. Hic tamen notandum eſt authoritatem librorum Granatenſium ad hanc rem iam eſſe nullam: quippè, ſublata eſt ab Innocentio XII. per Bullam, quæ in noviſsimo Expurgatorio Inquiſitionis an. 1707. reperitur ab verbum.

5 His prælibatis cenſeo, Salomonem ſalvatum fuiſſe, eò quod ſuorum criminum egerit pœnitentiam, ac ſub eà deceſſerit. In cuius probationem, ea ſeligemus ab authoritate, & ratione, quæ rem magis fulciunt ex plurimis, quæ à Doctiſsimis viris circumferuntur. Probo ergo concluſionem primò argumentis ab Scriptura petitis. Primùm deſumitur ex loco percelebri Proverb. vbi deſcribens Salomon cap. 24. vineam viri ſtulti, & ruinam maceriæ, ſubdit: *Quod cum vidiſſem, poſſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam: vſquequò piger dormies? Vſquequò de ſomno conſurges?* Quem locum verbis clarioribus tradunt SEPTUAGINTA ſic pronuntiantes, *Tamquam ager vir imprudens, & tamquam vinea homo egens ſenſu, ſi dimiſſeris eum, deſertus fiet, & ſilveſcit totus, & ſit derelictus, ſepes autem Lapidum eius defodientur, noviſsimè ego egi pœnitentiam.* Ex quo ſic. Salomon noviſsimè pœnitentiam egit: ergo ſalvus factus eſt. Probo antecedens. Ipſe loquitur de ſe ipſo, nulla verba aptiora ad explicandum ſtatum ſui incultum, horridum, & ſilveſcentem: ergo non eſt cur hæc loquutio violenter detorqueatur in alium, quando ipſi ſic congruit.

Con-

6 Confirmatur. Ex triplici Textu, & coniectura, relatis a SEPTUAGINTA in eodem cap. 24. quæ tamen in vulgata inveniuntur, cap. 30. Primò. Quòd nunquàm dicit satis amor mulieris. Secundò. Quòd Salomon dicit se stultissimum virorum, & quod non novit scientiam Sanctorum. Tertiò. Quòd rogat Salomon, antequàm moriatur repelli à se vanitatem, mendacitatem, atquè divitias, quæ sanè ipsi fuerunt fomentum iniquitatis. Vndè sic. Hæc omnia mirè quadrant, congruntquè Salomoni sinceriſsimè pœnitenti. Ergo, si ipse scripsit hunc Librum, & tanta multiplicat indicia pœnitendi, cur ipsum pœnituisse non crediderimus, ac de se esse loquutum, dum dixit, *noviſsimè pœnitentiam egi.*

7 Secundus locus summitur ex 3. Reg. 11. 43. *Dormivit Salomon cum Patribus suis.* Ex quò sic argumentor. *Apponi ad Patres suos*, seu dormire cum Patribus suis eandem ipsorum Patrum fidem testatur: sed ita dicitur de Solomone: ergo mortuus est sub eadem fide, qua David, & Patres eius, scilicèt, sub Religione vera Dei. Maior constat ex Regula D. Amb. lib. 1. de Cain, & Abel, cap. 2. vbi ait, *intelligi enim datur, quod Patrum fuerit ſimilis fide.* Confirmatur hæc argumentatio ex verbis Bacharij sic de Salomone loquentis: *Sepultum illum inter Regum Iſraelitarum Corpora ſcriptura commendat, quod tamen alibi peccatoribus Regibus abrogatum eſſe cognoſcimus, qui vſque in finem vitæ ſuæ in perverſitate manſerunt.*

8 Tertius locus est secundum Paralip. cap. 11. vers. 17. vbi dicitur in laudem Roboam ambulasse cum populo in vijs David, & Salomonis annis tantum tribus. Vndè sic, Salomonis viæ fuerunt similes vijs David quoad terminum earum: sed vias suas rectè clausit David: ergo, & Salomon. Maior probatur ex illis verbis; nam phrasis ambulandi in vijs alicuius iam defuncti semper debet sumi pro vijs quoad finem, & terminum: nam vita illa, quæ vivitur, sed revocatur, non est simpliciter illa via, quam ambulavit ille, qui vixit. Benè autem dicitur de defuncto aliquo ambulasse in via illa, per quam pervenit ad finem.

9 Quartus locus est 2. Reg. 7. 14. „Ego ero ei in Patrem, & ipse erit „ mihi in filium, qui si iniquè aliquid „ gesserit, arguam eum in virga viro„ rum, & in plagis Filiorum hominum, „ misericordiam autem meam non au„ feram ab eo, sicut abstuli à Saul. Quæ verba iuxta D. Hieronym. Eucher. Rupert. 3. Reg. 1. & Abulens. 2. Reg. quæst. 9. ad litteram dicta sunt Salomoni; ex quibus sic argumentor. Per hæc verba promittitur Salomoni à Deo. *Primò* Filiatio ipsius. *Secundò*, quòd in criminibus benigniter increpabitur. *Tertiò* demum, quòd misericordia ab eo, non auferetur; sed tot, ac tantæ expressiones, & notæ firmissimi amoris Dei, atque perpetui malè cohærent cum æterna perditione: ergo Salomon salutem æternam est consequutus.

10 Probo secundam conclusionem authoritate SS. PP. quorum primus est D. Hieronymus, qui super Ezechielem cap. 43. dicit: *Non ſolum templi cultores, & ædituí, ſed & ipſe fabricator eius Salomon peccaverit, & offenderit Deum, licèt poſteà egerit pœnitentiam, ſcribens proverbia, in quibus ait, noviſsimè ergo egi pœnitentiam.* Secundus D. Ambros. Apolog. 2. pro David cap. 3. *Si Salomon lapſus eſt, tu primus potes eſſe Sanctorum? Ergo ſi erraverunt iuſti, erraverunt tanquam homines, ſed peccatum ſuum tanquam iuſti agnoverunt.* Tertius Hilarius in Psal. 52. *Et ne per Aaron, David, & Salomonem, ac pleroſque alios iſtius bonitatis Dei exempla percurram, quibus increpitis de mutationum offenſis ob fidei tamen meritum adfuit venia proclivis.* Quartus Epiphan. Hæresi 42. contra Marcionistas, vbi erroris

condemnat Marcionem, eo quod damnaret Salomonem. Quintus Cyrillus Hyeroſolim. Chathec. 2. qui inter pœnitentes numerat Salomonem. Irenæus lib. 4. cap. 45. ait: *Salomoni cum veteribus Patriarchis Chriſtum attuliſſe ſalutem præeunte reprehenſione peccatorum eius ex ipſa increpatione ſcripturarum.* Huc accedit, hanc ſalutem Salomonis fuiſſe in primitiva Eccleſia frequentem, ac prævulgatam. Sextus denique Bachiarius tom. 1. Bibliothecæ. Veterum Patrum: *Salomon ille mirabilis, qui vinculis libidinis illaqueatus, etiam Sacrilegij errore ſe polluit: qui per Prophetam culpam erroris agnovit, nunquid miſericordiæ Cœleſtis extorris fuit?* Ergo ex SS. PP. poſitivum argumentum conficitur pro ſalute Salomonis.

11 Probatur tertiò concluſio ratiocinatione complexa ex bono, & non ignobili numero congruentiarum. Prima, quam vrget D. Bonav. quia licèt nonnulli impij homines quandoquè Prophetaverint, vt Balaam, & Caiphas; nihilominus ſine exemplo eſt, quod aliquis Sacrorum voluminum author æternam incurrerit perditionem; quomodò enim via ad veritatem ex eo manere poſſet, qui totam cucurrit ſemitam perditionis? Sed Salomon ex potiſsimis ſcriptoribus eſt Sacrorum Voluminum: quis ergo eum tam dire mancipaverit perditioni? Secunda: quia Salomon ſemper fuit percelebris figura, & typus Chriſti Domini, & quamquam vir alioqui prolapſus, ſed reſipiſcens, etiam in ſuo peccato allegoriam benè adumbrare poſſet; tamen, repugnat quod homo à Deo derelictus, & traditus perditioni, ſit figura Innocentiæ. Huc accedit, quòd ipſum nomen Salomonis ipſi Filio Dei adaptetur, vt contendunt P.P. in Pſalm. 71. & quod ipſe Salomon per Prophetam à Domino nomen ſuſcepit *Iedidia* id eſt, *amabilis Domino* nuncupatur. Incongruens ergo eſt tanta electio cum irrevocabili perditione. Vndè ſuper Ezechielem 12. Hieronym. de Sedecia loquutus ſubijcit. *Nequè enim Rex impius in figuram poteſt præcedere illius, qui totius pietatis exemplum eſt.* Tertia: quia & Libri extant ipſius, in quibus ad ſe reverſus vias omnes perditiſsimas deteſtatur; ſcripſit enim iuxta Cyrillum Hieron. Bachiar. & alios Proverbia poſt pœnitentiam, vbi inexhauſto lumine diſsipat parabolis ſapientiſsimis cunctas tenebras perditionis, ac demùm ſe fatetur Pœnitentem, atquè morigerum, vt ſuprà ponderabamus; ſcripſit iuxta Pinedam poſt peccata etiam cantica, in quibus priora veſtigia ſua erratica divinizat; ſcripſit demum poſt lapſum, vt tradunt Hebræi, & recipiunt Hieronym. Albinus, Bonav. Dionyſ. Carthuſ. Hugo Card. D. Thom. Vincentius, Gloſſ. & RR. ferè omnes, ſcripſit, inquam, celebrem illum librum Eccleſiaſtæ, vbi quanta eſſe poteſt, animadvertitur peccatoris amariſsimi recognitio. In quo quidem libro vix aliquid perpetravit, quod ibi non defleat, non carpat, non damnet, ac deteſtetur. Nam 1. cap. Scientiæ curioſitatem accuſat. in 2. avaritiam, in 3. ædificiorum luxum, voluptates, atquè licentiam, 4. 5. & 6. ſubverſionem Iudicij, & dominationis: cap. 7. mulieroſitatem, cap. 5. & 12. Pròvidentiæ oblivionem, atquè Idolatriam, ac denique ſenectutis incommoda recenſendo, veri Dei timorem, atque Religionem inſculpit. Ex quibus omnibus ſtatim argumentor interrogando. Hæccinè verè pœnitenti non quadrant? Perditio nè cohæret in typo cum vniverſaliſsima Redemptione? Scriba, & fons doctrinæ ſalientis in vitam æternam, & ad hæc à Domino deſtinatus, ibit ad orcum? Abſit; præſertim cum totidem ſint argumenta ſuffragratura, quæ hucuſquè retulimus, & ex quibus fit hęc reflexa, & efficaciſsima ponderatio.

ratio. Si perſonam Salomonis inſpicimus, ipſa Deo eſt prædilecta inter omnes, inſigniquè typo, charactère, & gratiarum turbà illuſtrata. Si officium, ipſe cunctas vias doctrinæ revelat poſteritati. Si Scripturam movemus, plura converſionem eius ſubindicant, & interdum apertiſsimè pronuntiaverunt. Si obſervamus traditiones de ſalute ipſius, teſtantur vetus traditio Hebræorum, & clamor primitivæ Eccleſiæ. Si Patres volvimus favent plurimi, & DD. agmen immenſum. Si congruentias expendimus, cunctæ ſaluti conſonant, & damnationi repugnant. Si demùm aprehenſionem conſulimus, niſi in eius æternà ſalute non quieſcit: ergo ipſum eſſe ſalvum ita cuncta conclamant, vt videatur hinc deduci argumentum potius quam opinabile, neceſſarium.

12 Objcitur primò: Argumentum, quod eſt Achiles adverſariorum, continenturquè in illis verbis Reg. 4. cap. 23. verſ. 23. vbi dicitur de Ioſia: „ Excelſa quoquè, quæ „ erant in Ieruſalem, ad dexteram „ montis offenſionis, quæ ædificave„ rat Salomon Rex Iſrael Aſtharoth „ Idolo Sydoniorum, & Chamos of„ fenſioni Moab, & Melchom abomi„ nationi filiorum Amon, polluit Rex, „ & contrivit Statuas, & ſuccidit lu„ cos, replevitquè loca eorum oſsibus „ mortuorum. Ex quibus verbis ſic inſtituitur argumentum. Si Salomon pœnituiſſet, ipſe abſtuliſſet excelſa, quæ erexerat, idolaquè comminuiſſet: ſed non fecit: ergo non pœnituit. Maior eſt certa: pœnitere enim non eſt dolere dumtaxàt interiùs; ſed reliquias, effectuſquè peccati, quæ cum peccato ſemper perſeverant, cuiuſmodi ſunt fana, & idola, prorſus evertere. Minor etiam conſtat; quia vt conſtat ex illis verbis, excelſa Salomonis, ipſo defuncto, temporibus Ioſiæ perſeverabant. Hæc eſt objectio, & contrariorum potiſsimum argumentum, cui plurimis vijs occurrendum eſt, tum ad oſtendendam eius inefficaciam, ſi ipſa labora: tum ad revincendam, ſeu diſsipandam efficaciam, quà gaudere poteſt, atquè videtur: tum vt melius inſideat animæ hæc Salomonis pœnitentia, ſi hoc vnicum adverſariorum fundamentum via multiplici declinatur.

13 In primis hoc argumentum duplici enervatur inſtantia. Prima. Ezechias fuit Rex Sanctus, & vt talis laudatus 4. Reg. 18. Et Eccle. 48. ſed vt probat Abulenſ. 4. Reg. 18. quæſt. 10. ipſi culpæ non vertitur excelſa Salomonis adhuc extantia non evertiſſe: ergo quia eiuſmodi erant, vel in circunſtantijs erant, in quibus non evertere illa, culpa non eſſet. Cur ergo non dicemus ſimiliter de Salomone? Secunda. Manaſſes altaria quoquè Idolorum erexit, quæ vſquè ad Ioſiæ tempora permanſerunt, & quæ pariter Ioſias ipſe deſtruxit cum excelſis ædificatis à Salomone. Sed nihilominus hic Rex pœnitenti, atquè fœlici exitu vitam finivit: ergo ſimiliter potuit & Salomon. Ecce inſtantiam duplicem in quibus, & ex quibus roborandæ ſunt ſolutiones mox ſequuturæ; quarum vnaquæque ſemper ad has præfatas inſtantias opportunè reaſcendet.

14 Prima ſolutio eſt. Diſtinguo maiorem, abſtuliſſet in affectu efficaci, concedo maiorem: in effectu, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Ad probationem dico, ſeu diſtinguo. Dum fieri poteſt, concedo; dum non poteſt, nego. Sunt enim aliqua peccata, quæ cum ab vno fieri poſſunt; ab ipſo tolli non poſſunt; v. gr. qui accendit ſegetes, & igne accenſo iam cohibere non poteſt: Qui diſcordiam gimnit, & cohibere poſteà ſimultates non poteſt. Qui peccat inducendo relaxationem, & poſteà ruinam non poteſt re-

parare. Non ſecus Salomon Idolatriam induxit, & deſertionem veri Dei, iuxta illud 2. Paralip. 24. v. 17. & 18. *Et dereliquerunt Templum Domini Dei Patrum ſuorum, ſervierentque lucis, & ſcuptilibus.* Tota ergo Ieruſalem gente Mohabitide, Ammonitide, Idumæa, Cætea, Tyria, &c. habitabatur, dominantibus tot fœminis alienigenis, cui infinitus numerus deſerviret: necnon Principes Populi auſcultarent. Cum ergo tantas radices, & tam patulas egerit Idolatria, quomodò ad reſipiſcientiam Salomonis iam ſenis, cadentiſquè, nec potentiſsimi in Populos ob eius vitia, ſiſteretur tam citò ille torrens iniquitatis? Quinimó forſitàn habitus ludibrio fuit, ita vt ruinam reparare non poſſet.

15 Secunda ſolutio cum Abulenſ. 4. Reg. quæſt. 21. & cum Dionyſio, & quæ veroſimilior eſt, ſic ſe habet. Reſpondeo diſtinguo maiorem. Abſtuliſſet excelſa, & comminuiſſet, quod ſatis erat ad abrumpendum vſum Idolatriæ, concedo maiorem. Omninò, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Quamquàm enim Salomon templa deſtruxerit, Idolatriamquè ipſe vivens abolverit, & exterminaverit; nihilominus ruinas, parietinas, & fundamenta fortè reliquit, vt plerumquè fit, cum ædificium aliquod magnum evertitur; quæ ſemper nomen Salomonis retinuerunt: ipſoquè Salomone iam defuncto, cum quaſi per vices Idolatria ipſa renaſceretur; inibi, vbi ab ipſo Salomone everſa fuerant, reparabantur altaria, & collocabantar Idola: Vndè tempore Amonis potuit talis excelſorum reparatio contingere antè Ioſiam. Ezechias autem cum ruinas tantùm videret, & excelſa proſtrata nihil tentavit: Ioſias verò vt tandèm latibulum Idolatriæ concideret, cuncta funditùs evetri curavit. Favet huic ſolutioni, & cogitationi, quod 2. Paralip. legitur, cap. 33. ſcilicèt, *Manaſſem abſtuliſſe Deos alienos, & ſimulacrum de domo Domini, aras quoquè, quas fecerat in monte domus Domini, & Ieruſalem*, & nihilominus nepos eius Ioſias 4. Reg. 23. 12. altaria, quæ fecerat Manaſſes in duobus atrijs Templi Domini deſtruxit. Quod autem Amon reædificaverit excelſa ſuadetur illis verbis 4. Reg. 21. 21. *Servivit immunditijs, quibus ſervierat Pater eius, & adoravit eas.*

16 Obijcitur ſecundo: Moris eſt Scripturarum celebri crimini pœnitentiam ſubnectere, vt in Davide, & Manaſſe: ſed ſolemne fuit crimen Salomonis, & eius pœnitentia non commemoratur: ergo non fuit: neqnè proindè ſalutem æternam conſequutus. Reſpondeo primò, negando minorem, ſatis enim conſtat de pœnitentia Salomonis tùm exercitè toto Libro Eccleſiaſtæ, in quo ſeſe totum graphicè deteſtatur: tum ſignatè Libro Proverb. dum dicit, *ego noviſsimè pœnitentiam egi.* Reſpondeo ſecundò, diſtinguo maiorem. Subnectere pœnitentiam, vbi narrat peccatum præcisè, nego maiorem. Multa enim in Scriptura narrantur peccata, cui pœnitentia non ſubiungitur; v. g. Primorum Parentum, Patriarcharum vendentium Ioſeph, &c. Subnectere pœnitentiam in aliquo Sacro volumine, permitto maiorem, & diſtinguo minorem. Et eius pœnitentia non commemoratur in Sacris Biblijs extantibus, permitto minorem; in Codicibus, qui perierint, nego minorem. Cum enim vſquè ad ferè viginti volumina deſiderentur, & per Natham Prophetam, Addon Videntem, Ahiamqud Silonitem Salomonis geſta ſint tradita Monumentis; nihil plus veriſimile, quàm, ibi extremam eius pœnitentiam ad longum eſſe deſcriptam: quæ tamen ſcripta interierunt, Deo ſic diſponente, quemadmodum perijt illa oratio Manaſſe, quæ exaudita narratur, & ſcripta per Pro-

phet

phetam Hozai 2. Paralip. 33. 19. Reſpondeo *tertiò*, diſtinguo, *ſæpè*, concedo maiorem. *Semper*, nego maiorem, & permiſſa minori, nego conſequentiam. Ait enim Aug. contra mendacium ad Conſentium, cap. 10. *In Scripturis vera aliquando tacentur, non mentiendo, ſed tacendo.* Et quidem in ſilenda pœnitentia Salomonis non mediocritèr timor Dei radicatur in homine, dùm videt, etiam Dei dilectiſſimum, dum effrænis prolabitur, non conſtare iterùm ad cor eſſe converſum. Dici autem non poteſt omnium electorum peccantium pœnitentiam in Scriptura ſubnecti: quod vt eliciat noſter Pineda laborat ſummopere recenſendo perſonas illas, quæ vulgò circumferuntur; v. g. Noe, Loth, Primos Parentes, Patriarchas venditores Ioſeph, Betſabe, Sanſon, &c. & quamquàm in nonnullis excuſat, circumloquitur, tentat ſemitas, fatigatur; non eſt cur id laboris aſſumat poſtquàm tandèm in Iuda, de cuius fœmore eſt Chriſtus Dominus, pœnitentiam nullam, in Patriarchis merè temporalem, in Adam, & Eva arguitivam, & leviſsimè inſignuatam attingit. Vndè ſi in Scripturis volumus cuilibet crimini electorum hominum pœnitentiam ab ipſis in re factam ſubnecti; quomodò, quæſo, Primorum Parentum pœnitentiam tota Sacra volumina non proclamant? Cur ad pœnitentiam illorum indicandam inveniuntur duntaxàt illa ſuboſcura, & lonquinqua verbula pœnitendi. Sap. 10. 1. *Hæc illum, qui primò formatus eſt, eduxit à delicto ſuo*: Scripturarum ergo conſuetudines niſu dumtaxàt noſtro non inducamus. Concludoquè cum verbis Bacharij, *An forſitàn dicas, nunquam eum in Canone lego pœnituiſſe, nequè miſericordiam conſequutum, audi ergo frater: pœnitentia eius, quæ non inſcribitur publicis legibus, fortaſsè à Deo acceptabilior iudicatur, qui non ad faciem populi, ſed in ſecreto conſcientiæ, teſte Deo, pœnituit. Veniam autem conſequutum eſſe agnoſcimus, &c.*

17 Obijcitur tertiò: Salomon pœnitentiam non egit: ergo ſalutem æternam non eſt conſequutus. Probo antecedens, ex illis verbis Hierem. 18. verſ. 8. *Si pœnitentiam egerit à malo ſuo, quod loquutus ſum, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, vt facerem ei, & ſubito loquar de gente, & de Regno, vt ædificem, & plantem illum.* Vbi Deus pollicetur, ſi quis pœnituerit, pœnitere circa diſpoſitionem Regni eius: Sed Deum non pœnituit, vt conſtat 3. Reg. 11. 11. *Diſrumpens, ſcindam Regnum tuum*: & revera diviſum eſt: ergo nequè pœnituit Salomon. Hoc argumentum ita promovet eruditè Pineda de rebus Salomonis lib. 8. cap. 1. num. 30. Sed non video, quomodò tale argumentum valeat conſurgere: non enim illa Verba Hieremiæ ſunt Salomoni, qui plurimis annis vixit antè Hieremiam. Item Textus inquit, *Si pœnitentiam egerit gens iſta à malo ſuo*: non ergo vni Salomoni Hieremias, ſed cuncto Populo Iudaico ſuas minas intentat: ergo argumentum prima fronte efficax, & ſpecioſum penitùs evaneſcit. Si verò inſiſtas, quod revera Regnum diviſum eſt Salomonis, id non diffiteor: Id tamen refero, vel ad alta conſilia Dei, vel ad ſupplicium ipſarum tribuum diviſarum, vel tandèm in pœnam ipſius Salomonis, etſi remiſſa eſſet culpa; non ſecùs ac David plectitur morte infantuli remiſſo iam adulterio: non ſecùs ac Ezechias, etiam poſt pœnitentiam mortem opetijt: non ſecùs ac Roboan licèt humiliatus non evaſit ſervitutem Ægypti dicente Deo 2. Paralip. 2. 7. *Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos, daboquè eis pauxillum auxilij, verumtamèn ſervient ei.* Deus enim abſolvit, & plectit, mortificat, & vivificat, prout ipſe novit.

18 Obijcitur quartò: Nihilo melior

melior Saule videtur esse Salomone erga Deum: sed de Saule damnato invalescit sententia: ergo sic debet esse de Salomone. Maior constat, quia tam restitit Salomon divinis comminationibus, quam restitit Saul: & sicut hic Davidem ad necem persequutus est, sic ad necem quoque Salomon Ieroboamum persequebatur 3. Reg. 11. Respondeo, distinguo maiorem. Toto decursu, & fine vitæ perpenso nego maiorem, quoad gravitatem peccandi, omitto maiorem, & permissa minori, nego consequentiam. Non enim pro Saule ea nobis suppetunt argumenta, & plura, & valida, quæ suprà evincunt, Salomonem benè obijse: Vndè ad quæcumque argumenta inducentia comparationem alterius cum Salomone, per eosdem terminos exhibenda est responsio: quamquam enim Salomonis peccatum plurimum fuerit, & pessimum, hic nos peccata, nec appendimus, nec trutinamus, sed vniversa, quæ ipse commisserit per pœnitentiam deleta esse contendimus.

19 Obijcitur quinto, illa verba 3. Reg. cap. 11. vers. 4. *Fecit Salomon, quod non placuerat coram Domino, & non adimplevit, vt sequeretur Dominum, sicut David Pater eius.* Ex quibus sic. Adimplere in sequendo Deum, est perseverare finaliter: ergo Salomon non perseveravit finaliter. Respondeo negando antecedens. Ea enim verba solum dicunt, quod superiora, scilicèt: *non erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David Patris sui.* David enim quamquam lapsus ex fragilitate nonnumquam; cor habuit perfectum in confessione coram Domino, quippè, etiam cum deliquit, nullum alium Deum, ac Dominum agnoscebat; Salomon verò cor eius ad Idola declinavit.

20 Obijcitur sexto, D. Paulus ad Hebræos 11. commemorat Patres Veteris Testamenti, qui salutem æternam sunt consequuti, subdens vers. 32. *Deficiet me tempus narrantem de Gedeon, Barac, Lampson, Ieptè, David, Samuel, & Prophetis, &c.* Sed non memorat Salomonem: ergo salvus factus non est. In primis argumentum hoc est negativum, & argumentum negativum ab authoritate in bona dialectica est nullum. Deinde instatur in Rege Ezechia, & Iosia, instarique potest in alijs non ibi commemoratis. Constat ergo D. Paulum ibi summatim aliquos attigisse, non omnes, ex illis verbus, *tempus me deficeret*: subtexuit ergo aliquos de Iudicibus, alium de Regibus, alium de Prophetis, & statim conticuit; exactum catalogum nolens ibi contexere.

21 Obijcitur septimo, ratio illa Sepulchri Salomonis cum Patribus suis nulla est ad probandam ipsius religionem: ergo ex hac parte saltem claudicat hæc sententia. Probo antecedens de Roboam 3. Reg. 14. 31. dicitur *dormijsse cum Patribus suis, &c.* Idem de Amasia 2. Paralip. 21. Idem de Abia 2. Paralip. 25. sed hi omnes impij sunt, & à Domino recesserunt: ergo illa ratio est nulla. Respondeo, negando antecedens: sufficit enim, vt ea sit probabilis, quod sit D. Ambros. loco citato, neque in argumentis historicis vniversalitas tam rigida est, ac in Scholasticis; in his enim vniversalitas temporis debet verificari per *semper*, in illis autem sufficit per plerumque: vndè esto in prædictis Regibus fefellerit regula; de alijs pluribus in quibus invenitur vires colligit ad probandum. Præterquamquod si quis in aliquo illorum trium Regum deprehendat argumenta resipiscentiæ, poterit eorum salutem regula D. Ambros. fulcire, dum certam alicuius non ostenderit damnationem. Ad cuius argumenti calcem observandum est, probationes Biblicas sæpè esse com-

ple-

plexas, vt nimirum ex multis ratiocinationibus, quarum nulla convincat, coaleſcat probatio, quæ inclinet aſſenſum ad opinandum; vndè non benè impetitur vna ratio, niſi argumentum omnes exarmet, ac divaricet. In Scholaſticis autem, cum procedat opinio non ex inclinatione aſſenſus quaſi primo aprehenſivi, ſed ex meritis ratiocinij, vix aliquando conglobatio rationum, quarum vrget nulla, ſibi Scholaſticam probabilitatem adiſcit.

22 Obijcitur octavò. Si Salomon pœnituiſſet, ſibi narrari debet Pœnitentia, vbi ſacer ſcriptor ex profeſſo incumbit in laudes Salomonis: Sed ibi non narratur: ergo non fuit. Maior videtur certa; quia nemo applicatus ad laudandum alterum, prætermittit laudem præcipuam, & quaſi capitalem cæterarum, cuiuſmodi eſt pœnitentia finalis illius, qui ſolemne, & ſtupendum ſcandalum dedit. Minor conſtat ex cap. 47. Eccli. vbi inter alios viros glorioſos in generationibus ſuis incumbit Eccleſiaſticus in laudes Salomonis. Reſpondeo, diſtinguo maiorem; eo modo, quo dat operam laudi, concedo maiorem; valdè ſigillatim, & in particulari, nego maiorem, & diſtinguo minorem, non narratur ſigillatim, & expreſsè, concedo; tranſeunter, commemoratoriè, & confusè; nego minorem, & conſequentiam, vt patet ex illis verbis, quæ ſubduntur ad peccata Salomonis brebiſsimè, & obſcurè inſinuata, ait enim: *Deus autem non derelinquet miſericordiam ſuam, & non corrumpet, nec delebit opera ſua, neque perdet à ſtirpe nepotes electi ſui, & ſemen eius, qui diligit Dominum.* Quæ ſi conſiderantur, ferè tàm clare de Miſericordia Dei erga Salomonem loquuntur, quàm priùs loquutus fuerat de peccatis.

QUÆS-

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

CORDIS EIUS PARTICULAM, SI SUPER CARBONES ponas, fumus eius extricat omne genus Dœmoniorum. Tobiæ cap. 6. verſ. 8.

ARTICULUS

QUA VIRTUTE HIC FUMUS DEPULERIT Aſmodæum naturali nè, an ſupernaturali?

NOTABILIA.

1

T ſolidior ſit in hac re interpretatio, & reſolutio, brevem Hiſtoriæ ſummam oportet præmittere, quæ ſic ſe habet. Tobias ſenior morti iam proximus decrevit mittere iuniorem Tobiam filium ſuum ad Gabellum cognatum vtriuſque, vt ab eo recuperaret pecuniæ ſummam, ante ſibi mutuò collatam. Pro itinere ergò totius conficiendo, conductum comitem peregrinationis ei voluit adiungere, qui, Deo ſic diſponente, propter merita ipſorum, fuit Sanctus Angelus Raphael ſpecie Iuvenis ſimulatus. Igitur arrepto itinere, & lavante ſe Tobia ad aquas fluminis, ecce immanis piſcis ad eum devoraturus accedit; ille verò ad Raphaelem clamans iuſtus eſt non timere; ſed apprehendere branchiam piſcis, & foràs exportatum exenterare, felque eius, & cordis particulam ad medicamenta vtiliter aſſervare, ſcilicèt ad pellendos Dœmones cum fumo particulæ, & ſanandos oculos cum felle. His peractis, cum vellet ducere vxorem quamdam Saram, cuius ad nuptias ne vnus quidem acceſſerat de ſeptem viris, quos iam deſponſatos Aſmodæus quidam Diabolus ſuffocaverat: accenſa eſt tandem particula iecoris, qua fumigante, diſparuit Aſmodæus vltra non reverſurus, quem videlicèt in deſerto ſuperioris Ægypti Raphael Archangelus relegavit. Poſt hæc Tobias vxoratus iam, & cum comite ſuo domum reverſus, Patrem cæcitate ſua adhuc lavorantem invenit, quem tamen Raphael miniſterio fellis repoſiti protinus liberavit. Agnita ergo perſona Cœleſti, & beneficijs altiſsimis revelatis, diſparuit Raphael, & cuncti obſtupentes gratias Deo ampliſsimas retulerunt. Hæc eſt hiſtoria vnde naſçitur ratio dubitandi: vi-

videtur enim, cuncta hæc non niſi miraculosè, & ſupernaturaliter acciditſe; aliunde autem videtur, illa verba Raphaelis: *Cordis particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum* naturalem effectum denotare. In quibus ſtando veritati, & veracitati loquentis profectò apparet medicinalis aliqua naturalis, & occulta virtus in tali fumo pro Dæmonibus expellendis: & potiori titulo ſic poteſt Philoſophari de felle, in quo minus in eſt difficultatis pro aptitudine naturali ad reddendum lumen oculorum cæcitate perculſum.

2 Multiplex in hac re verſatur ſententia. Prima non veretur aſſerere, virtutem talis fumi ad expellendos Dæmones fuiſſe prorſus naturalem. Hanc ſuſtinent aliqui, quos nec nominat, nec improbat Dionyſius Carthuſianus ad cap. 6. Tobiæ. Idem tenet Petrus Gregorius lib. 34. Syntagmat. Iuris cap. 22. Bartholomæus Faius in ſuo Energumeno, Guillelmus Pariſienſis lib. de Vniverſit. Franciſcus Georgius tom. 6. Problemat. 119. Ioannes Brabus, Camiſius Medicus Conimbricenſis lib. 1. de Medendis Corporum malis. Grillandus apud Euſebium Nieremberg part. 1. Curioſæ Philoſophiæ lib. 1. cap. 47. Hieronymus Mengus in Flagello Dæmonum cap. 3. & inclinat Pereira in Geneſ. cap. 24. Qui omnes loqui cenſendi ſunt de virtute quibuſdam rebus naturalibus inſita, quà directè in ipſos Dæmones quidquam agere poſint. Secunda ſententia eſt Theologorum Scholaſticorum plurimorum, qui denegantes rebus corporeis virtutem naturalem directam, quà agere poſint in res ſpirituales, cuiuſmodi ſunt Angeli; fatentur tamen virtutem aliquam indirectam agentem contra diſpoſitiones illas, ſub quibus, & in quibus Dæmones confoventur, & operantur, quibus diſſipatis, & eorum operatio impeditur, & præſentia diſparet: agit ergo hæc virtus tamquam removens prohibens, ſcilicèt quàtenus removet id, quod prohibet tranquillitatem humani ſpiritus, ne à Dæmonibus infeſtetur. Hanc indirectam virtutem tenent Theologi plures cum Div. Thom. apud, & cum Patre Gaſpare Sanchez in cap. 6. Tobiæ verſic. 8. Eam etiam tenet Ioannes à Matre Dei in Iſagoge Prælud. 1. digreſſ. 4. ſect. 4. qui videri poteſt citans Raphaelem de la Torre 2.2. quæſt. 90. artic. 1. diſputat. 17. & Div. Thom. 1. part. quæſt. 115. artic. 5. & quæſt. 96. artic. 2. Tertia ſententia opinatur, virtutem illam fuiſſe mixtam ex naturali, & ſupernaturali. Ita Antonius Homen Carmelita apud Mouram de Incarnatione ſect. 1. cap. 3. num. 1. Serarius ad cap. 8. Tobiæ quæſt. 3. & quidam ingenioſus Recentior noſter in manuſcriptis. Quarta ſingularis ſententia tribuit tali fumo ſolum efficaciam moralem, quà Angelus permotus Dæmonem expulit. Hanc tenet Moura de Incarnatione ſect. 1. cap. 5. num. 10. Quinta ſententia etiam ſingularis eſt Patris Tyræi de Dæmoniacis part. 3. cap. 48. aientis num. 22. talem fumum non virtutem fuiſſe expulſivam, ſed ſignum temporis, quo Dæmon fuerat expellendus. Pro qua ſtare etiam videntur Abulenſis 1. Reg. cap. 16. quæſt. 46. & Gloſſ. Ordin. Sexta, & vltima ſententia ait, virtutem talis fumi fuiſſe ſupernaturalem, divinituſque impreſſam, vt per modum inſtrumenti Dæmones fugaret. Ita Levinus Lemnius Medicus de Occultis naturæ miraculis, Valleſius de Sacra Philoſophia cap. 8. Loyerius de Spectris lib. 8. cap. 1. Mauden ad cap. 6. Tobiæ ſect. 7.

3 Concluſio noſtra ſit cum quinta ſententia, cum qua aſſerimus, illæſa veritate Sacræ Hiſtoriæ *talem fumum nullam habuiſſe veram virtutem Dæmones*

expellendi ; ſed ad ſummum ipſum, & eius cremationem fuiſſe datum ſignum, ſub quo Dæmonis expulſio erat manifeſtanda. Probatur primo authoritate noſtra concluſio. Et quidem primo ex Verſionibus, & in primis ex ipſa Vulgata : nam in paſsiva voce ait verſ. 19. eiuſdem capitis : *Ipſa autem nocte incenſo iecore piſcis fugabitur Dæmonium.* Et quamquam activè etiam dicat in noſtro textu, quod fumus *extricat omne genus Dæmoniorum*, hæc locutio eiuſmodi eſt, vt adhuc in rigore Scholaſtico ſalva perſiſtat, licèt fumus nullam virtutem habeat ad Dæmones expellendos, quod ſic patet : quando enim duo aliqua coniunguntur vſuali locutione dici ſolet vnum ex alio provenire, & quaſi ad invicem ſibi cauſalitatem vſurpant. Et ſic frequens eſt in Scholaſticis, quod particula *vt*, quæ veram cauſam finalem importare videtur, intelligenda veniat, ſecluſo omni influxu finis, & cum ſola coniunctione contenta ſit, veluti intelligenda venit in illo textu, dum de Iuda proditore dicitur : *Dequo prævaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum.* Ly enim *vt* non tam finalem cauſam, quam eventum ſignificat. Ita ergo, & coniunctio, quæ intervenire ſolet inter occaſionem, & rem occaſionatam, inter ſignum & rem ſignatam, facit aliquando, vt id, quod mera occaſio eſt, ſeu merum ſignum arrogent ſibi vocem efficientis: non ſecus ac ſi interficeretur Petrus dato ſigno Tibicinis verè diceretur familiari locutione *Tuba nobis abſtulit Petrum.* Et de eo, qui ſtrangulandus eſſet propè ſtruem lignorum iam fumigantem, vt ſtatim à morte combureretur, verè dici poſſet locutione familiari : *Fumus lignorum eum interfecit*, quamquàm funè ſolum, vel ferro faiſſet ſtrangulatus. Sic etiam dum D. Bernardus dicit quod *originale raſit petra circumciſionis.* Debet intelligi per modum *ſigni* in bona ſententia. Non ſecus accidit in noſtro caſu : ſtatuerat enim Angelus expulſionem Dæmonis fieri ab ipſo piſcis iecore fumigante, vt patet tum ex verbis verſ. 19. relatis, tum ex illis, quæ ſunt in cap. 8. verſ. 2. & 3. *Poſuitque eam ſuper carbones vivos. Tum Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & religavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* Hic enim erat vbi debebat dicere. *Poſuit eam ſuper carbones vivos, & fumus Iecoris Dæmonium fugavit.* Dicit autem *poſuit ſuper carbones vivos, & Raphael apprehendit, ac religavit.* Igitur quia iecur cremabatur, & Raphael erat, qui expellebat effectivè ; licèt occaſionaliter per modum ſigni, & in veritate ſufficienti pro familiari ſermone, & colloquio (cuiuſmodi erat ille) fumus quoque dici poſſet extricare, & expellere.

4 Secundo ex Verſione SEPTUAGINTA aiente cap. 6. *Et dixit ei : cor, & iecur, ſi quem turbaverit Dæmonium, vel Spiritus malignus, hæc oportet ſuffire coram homine, vel mulière, & non vltra turbabitur. Fel autem vnge hominem, qui habet albugines in oculo, & ſanabitur.* Ex quibus verbis ſic argumentor : hæc verba præcisè dicunt expulſionem paſsivam Dæmonis ad præſentiam fumigationis ; ſed hoc non poſtulat neceſſariò ponere in iecore virtutem effectivam ad expellendum : ergo poni non debet. Si dicas, quod cap. 8. dicit quod Dæmon *olfecit odorem, & fugit*, reſpondeo, ea verba à fortiori debere intelligi metaphoricè, & figuratè, ne errorem contineant tribuendi Angelo ſenſum adoratus : cumque verba ſic dicant : *Quando autem olfecit Dæmonium odorem, fugit, &c.* denotant tempus fugæ alligatum eſſe ad odorem, quem tamen olfeciſſe Dæmonem dicit : quia ſignum fumi, & odoris iam datum eſſet ; *ſub odorari* autem, & *videre pro noſcere, & percipere* ſæpè ponitur.

Pro-

5 Probatur ſecundò auctoritate Patrum, & interpretum. Primò Divi Auguſtini de Civit. Dei lib. 1. cap. 6. ait, quod ſicut animalia cibis, ita ſpiritus trahuntur ſignis per res corporales: ergo quotieſcumquè videmus eos per aliquas res corporales trahi, pellive, ſatius eſt aſſerere, id fieri per modum ſigni, quam veræ efficientiæ, & impreſsionis vnius in aliud. Quod & de mente Divi Thomæ, & plurium Theologorum ſatis eſſe exiſtimo. Secundò ex Gloſſa ordinaria, quæ magnæ eſt auctoritatis, & in qua tota Bibliorum volumina digniſsimè, ſolemniterquè in Eccleſia exponuntur. Ait ergo ſic: „ Quia ſecundum fidem no„ ſtram, & etiam Philoſophorum do„ ctrinam, Angeli ſunt ſubſtantiæ ſim„ pliciter intellectuales; ideò nulla „ corporalis creatura poteſt in eis fa„ cere aliquam impreſsionem: propter „ quod fumus iſte non expulerit Dœ„ monem, ſed figuravit eius expulſio„ nem: quia, ſicut dictum eſt facta, An„ geli circa Tobiam fuerunt figuralia in „ multis: & ideò fumus ille ex igne „ procedens ſignificavit virtutem ora„ tionis Tobiæ Iunioris, & Saræ, cu„ ius merito Angelus Raphael expulit „ Dœmonem à Sara. Vndè non dici„ tur cap. 8. quod fumus ille Dœmo„ nem expulerit; ſed quod Angelus „ Raphael ipſum aprehendit, & reli„ gavit in ſuperioribus Ægypti. Ecce noſtram concluſionem, imò & probationem adiunctam. Tertiò ex Patre Gaſpare Sanchez ſuper hunc locum aiente num. 35. *Quamvis illum non tàm fumus expulerit, quàm Angelus; ſed, vt verba indicant Angeli, aliquid fumus ille contulit ad Dœmonis fugam, quo ſenſu diximus ſupra.* Senſus autem ſupra traditus eſt, quod fumus per quamdam quaſi conſecrationem, & elevationem ſpiritualem ſortiretur talem effectum; ad quod non requiritur, quod elevatio ſit illa Scholaſtica, & Philoſophica, iuxta quam in ſententia Patris Suarez quælibet res creata habet virtutem inadęquatam, & potentiam obedentialem ad quodvis; ſed ſummitur pro quodam quaſi conſortio rei ſpiritualis, miniſterio cuius obtineretur effectus; licet res creata nullà gauderet activitate adhuc inadęquata; ſed contenta eſſet quaſi ſola præſentialitate, & munere ſigni. Vndè concludit, dicens: „ Sic credo ex piſcis corde, „ & iecore vaporatum fumum non „ virtute, quam habuit à natura; ſed „ quam accepit à novorum coniugum „ oratione, & ab Angeli ſuperiori „ quodam miniſterio infirmatas eſſe „ Dœmonis vires, & ad deſertum vſ„ que Ægypti fuiſſe fugatum. Vbi nota duo. Primùm, quod eodem modo, quo ait hic Author, Dœmonem fuiſſe expulſum per fumum, ait fuiſſe religatum ad ſuperiora Ægypti; cum tamen hoc vltimum planè conſtet ex Textu à fumo ſolum occaſionaliter, ab Angelo verò effectivè præſtitum fuiſſe. Nota ſecundò conducentiam iecoris fumigantis ad fugandum Dœmonem explicari ab hoc Authore non tàm per Phyſicam virtutem, quàm per Myſticam conſiderationem piſcis illius, in quo ſivè Chriſtus, ſivè homo, ſivè Diabolus veniat intelligendus. Ex quibus omnibus, & fuſioribus verbis eiuſdem Authoris poteſt intelligi quantum hic Author videatur ſtare pro nobis, qui, licet luſtralem aquam, cæreos, ramoſquè benedictos in comparationem adducat, cuncta ſalvantur ſine virtute Phyſica illarum rerum ad Sacros effectus; ſed quaſi merè ſint res, quibus alligentur preces Eccleſiæ, quibus effectus ſpirituales impetrantur.

6 Quartò ex celeberrimo Abulenſi 1. Reg. cap. 16. quæſt. 46. ſic aiente: „ Aliter poteſt dici, quod „ fumus iecoris piſcis nihil proficiebat „ ad excludendum Dœmonem à viro, „ vel à fœmina; ſed illud fuit factum „ pre-

„ precibus Tobiæ, quia ipſe cum Sara „ vxore ſua prima nocte vacaverunt „ orationibus non dantes operam li- „ bidini, ideò exaudivit Deus illos, „ & non permiſit Dœmonem nocere „ eis; quod autem non fuerit hoc fa- „ ctum virtute fumi iecoris apparet „ quia Tobiæ cap. 8. dicitur, quod „ Raphael religavit Dœmonem in de- „ ſerto ſuperioris Ægypti: ergo non „ fumus. Ecce verba clariſsima huius Authoris toto terrarum Orbe percelebris, & qui nobis etiam in argumentorum ſolutione non eſt defuturus.

7 Probatur tertiò concluſio à ratione ſic: talis fumus non expulit Dœmonem virtute ſupernaturali; ſed nequè naturali: ergo nulla. Probo maiorem, poſteà probaturus minorem: in primis non virtute ſupernaturali in ſe, quæ in rebus naturalibus nulla datur; ſed deinde non virtute ſua, quaſi ſupernaturalizata per elevationem ſuperioris virtutis: ergo non virtute ſupernaturali. Probo minorem: ſolum admittitur à Theologis virtus inadæquata ad aliquem effectum in conſortio alicuius ſuperioris principij, quando in effectu relucet aliqua formalitas, quæ cadat ſub activitatem, & Sphæram talis rei; ſed res adæquatè ſpiritualis, cuiuſmodi eſt Angelus, omninò eſt extra Sphæram activitatis rei corporeæ, vt fatetur commune placitum Theologorum: ergo talis fumus adhuc inadæquatè non poterat conflare vnum ſpirituale, vel ſupernaturale principium cum alia virtute altiori ad talem operationem. Maior eſt clara ad Tractatum *de Viſione Dei*, vbi Theologi plures ideò tribuunt intellectui virtutem inadæquatam partialem partialitate cauſæ ad viſionem Beatificam, quippè vident in tali viſione, etſi indiviſibili relucere quaſdam formalitates, ſcilicèt eſſe *ſpiritualem*, & *vitalem*, quæ non ſubterfugiunt activitatem intellectus humani.

8 Probo iam minorem, quam promiſi probare: in exponendo Textu, in quo Deus vult oſtendere, & facere oſtenſionem ſuæ virtutis, & particularis providentiæ ſuper vias Iuſtorum, non debemus adſcribere prodigioſos effectus alicui virtuti merè naturali: præſertim, ſi ea denegetur ferè ab Vniverſo agmine Theologorum, & à pauculis ægrè admodum ſubſtineatur; ſed virtus naturalis adæquata, immediata, & directa rei corporeæ ad expellendos Dœmones eſt huiuſmodi, vt conſtat ex Gaſpare Sanchez, vbi ſupra cum Div. Thom. & ex Abulenſi in quæſt. antecedentibus ad citatam; & inſuper virtus indirecta ad expellendum Dœmonem, qualis frequenter conceditur non ſufficit ad Textus expoſitionem: ergo nulla virtus naturalis nequè directa, nequè indirecta dabatur in fumo iecoris ad Dœmonem expellendum. Maior ſyllogiſmi tam clara eſt, vt haberi debeat tamquam Regula benè dogmatica ad exponendas Sacras Scripturas: quippè homines Heterodoxi eò ſæpè declinant, vt à fide, miraculis, & ſupernaturalibus eventibus multum abhorreant, & vias naturales, & Philoſophicas inſectentur: quapropter quoties Divina virtus videtur velle micare in aliquibus Textibus (cuiuſmodi eſt hic Textus Tobiæ) non inſiſtendum eſt nobis in virtute merè naturali; præſertim cum à probatioribus Theologis denegatur: id enim potiùs eſt indulgere humanis, quam commendare Divina. Minor verò quoad primam partem ibi conſtat; quoad ſecundam autem conſtat ex Textu, vbi dicitur, quod *fumus expellit omne genus Dæmoniorum ſivè à viro, ſivè à muliere.* Et quidem ita, vt nunquam revertatur ad illos: cum ergo virtus indirecta expellendi ſita eſſet in everſione diſpoſitionum, humorum, & qualitatum, quibus Dæmon indigeret ad ibi permanendum, & operandum;

dum; clarè videtur, quod in tanta varietate hominum, & mulierum, in tot generibus Dœmoniorum, in tanta varietate, & iugi motu qualitatum, & impreſsionum, & in tanto dominio, quo pollent Dœmones ad ſic, vel aliter corpora immutanda, incredibile eſt (niſi deſuper virtus vlla detineat) quin humores humani ſortirentur iterum eamdem illam diſpoſitionem, qua indigeret Diabolus ad redeundum: vndè virtus duntaxat indirecta vniverſam totius Textus enarrationem comprobare non ſufficit.

9 Obijcitur primò: ex collatione Verſionum reſultat, talem fumum proprio influxu Dœmonem expuliſſe: ergo media aliqua virtute naturali, vel ſupernaturali. Probatur antecedens: nam Verſio Septuaginta, & Complutenſis legunt ſic: *Quando olfecit Dœmonium odorem fugit.* Et Tigurina ſic: *Suffitum fecit, cuius odore percepto Cacodæmon aufugit.* Sed modus, quo poteſt fumus præſtare verum influxum, eſt per ſenſum odoratus: ergo talis fumus iuxta Verſiones habuit verum influxum. Conſequentia ſatis eſt clara: nam Verſiones huiuſmodi, licet non ſint authenticæ; ſunt tamen maximæ auctoritatis ad explicationem difficiliùm locorum. Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: Dœmon olfecit *locutione Metaphorica*, concedo maiorem; *propria, & rigoroſa perceptione per ſenſum odoratus*, nego maiorem, imò & ſuppoſitum, & diſtinguo minorem: *in ſuppoſito ſenſitivo*, concedo minorem; *in ſuppoſito ſenſuum experte*, nego minorem, & conſequentiam, cuius inſertam probationem prorſus admittimus. Itaquè, vt ſupra tetigimus, fateri debemus tales locutiones Verſionum debere ſumi Metaphoricè, & impropriè, ſi ſtamus Regulis Scripturæ, iuxta quas ad Metaphoram recurrendum eſt, quotieſcumquè res propriè ſignificata per vocem non convenit ſubiecto, niſi abſurdè, quemadmodum, dum dicitur Chriſtus eſſe petra, vitis, &c. ſic, cum abſurdum ſit ponere in Angelo ſenſum odoratus, nequimus de ipſo vnquam interpretari, quod *olfaciat*, niſi locutio fiat per translationem, quatenus quævis perceptio Diaboli illius fumigationis odoratio nuncuparetur. Vbi notabis, quod tanta eſt proprietas, quà ſuffitui tribuitur Dœmonis expulſio, vt nequeat cum veritate Catholica retineri, niſi ad Metaphoram, imitationem, & propinquitatem cum humanis eventibus convertamur. Patet ergo quod ex ipſo nimio rigore verborum, qui in Dœmonem adaptari non poteſt, nulla talis fumi actiuitas vera convincitur.

10 Obijcitur ſecundò: per eamdem vim, qua iecur piſcis combuſtum Dœmonem expellebat, fel eiuſdem piſcis detergebat albugines oculorum; ſed influxus fellis ad detergendas albugines eſt naturalis, & manifeſtè explicatur ab ipſo Textu: ergo vel fumus vi naturali pepulit Dœmonem; vel fel non habuit talem virtutem naturalem, quod dici non poteſt propter ſequentia. Minor patet ex Valeſio in Philoſophia Sacra cap. 42. qui cum Galeno, & Plinio putat talem fellis virtutem fuiſſe naturalem. Et etiam dicitur in Textu, quod *fel valet ad vngendum oculos, & ſanabuntur* in quibus verbis medicinalis declaratur influxus. Maior videtur certa: cum enim vtrumquè ab Angelo pararetur æquali diſpoſitione ad *medicamenta vtiliter*; eodem modo videtur de vtriuſquè virtute, & ab Angelo fuiſſe pronuntiatum, & fore etiam à nobis intelligendum. Reſpondeo primò permiſſa maiori, negando minorem, ad cuius probationem in primis dico, albugines inveteratas non potuiſſe diſcuti naturaliter ab oculis ſenioris Tobię intra dimidiam horam: qua propter viſus ei per fel non niſi mira-

cu-

culosè fuit reſtitutus; licèt enim non velim pernegare aliquam virtutem in amaritudine fellis ad talem effectum; nihilominus, cum (in omni ſenſu) videam tantum fellis eſſe in hoc mundo, & tam pauculas albugines modo detergi, negare certè velim, etſi propter tales Authores per negare non auſim. Et licet de ſenſu Myſtico, ſeu Hierogliphico loquatur Pater Gaſpar Sanchez num. 41. non gravamur tamen cum eius verbis primam ſuperiorem ſolutionem fulcire: ait enim ſic: *Neque aliter de felle ſentiendum, quam de corde, ac iecore, quæ impoſita fuere prunario.* Præterquamquod dici poſſet, quod cum fama huius Divinæ Providentiæ in Tobia per nationes excultiſsimas percrebuiſſet (non ſecus ac Sacræ litteræ in Platonicos, & alios Philoſophos ſunt derivatæ) pervenire potuit ad Græcos Medicos, & Philoſophos, qui rem quantumvis Divina ope, adhibendam cenſerent, ac prædicarent: non ſecus ac in vita Sancti Blaſij legimus, quemdam Medicum haud ignarum illius ſanitatis, quæ per Sanctum Blaſium in gutture impetrabatur, quoties tranſverſa ſpina vexaret, præſcripſiſſe hoc remedium: *Blaſius tibi dicit: aut aſcende, aut deſcende.* Igitur quemadmodum hoc præſcriptum medicinale eſt, & tamen non ſine virtute Divina perficiendum; ſic licèt fel ad oculos miraculosè fuiſſet adhibitum, potuit deinceps inſtar medicaminis naturalis ſolemniter vſurpari. Sed, ſi hæc non placeant, reſpondeo ſecundò negando maiorem, vel diſtinguendo claritatis gratia: *ſervata proportione* inter vtramquè virtutem, concedo maiorem; *ſine tali proportione*, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: nam Angelus de longè diverſis non niſi diverſimodè erat loquuturus quoad rem; etſi quoad ſpeciem videretur eodem modo de vtroque locutus. Itaque cum activitas rei corporeæ ad ſpiritualem nulla ſit, vt tetigimus; rei autem corporeæ ad corpoream multa eſſe poſsit; hinc eſt quòd Angelus circa expulſionem Dœmonis per iecoris fumum intelligi debet non niſi *occaſionaliter*, & *moraliter*, atque *per modum ſigni* fuiſſe locutum; de felle autem cum natura ſua deterſivum ſit, haberetquè cum effectu præſtito proportionem agentis ad paſſum, quæ Sanctum Angelum latere non potuit; inde eſt quod de virtute fellis aliter debeat intelligi, vt ſcilicèt vel adæquatam vim ad naturaliter obtinendum effectum habuerit, vel ſaltem inadæquatam ad obtinendum illum per elevationem, & miraculosè quoadmodum, ſcilicèt quoad temporis brevitatem; & in hoc incumbit Valleſius cum ita concludit: *Permiſſu tamen Dei evenit, qui virum Sanctiſtimum morbo tanto probare voluit: deindè medicamen idoneum cum ſibi placitum eſt, revelabit, & in maiorem ſui gloriam auxit vires medicamenti.*

11 Obijcitur tertiò: ſi talis fumus præcisè concurrit tamquam ſignum, ad cuius præſentiam Dœmon expelleretur, non differret virtus eius ad Dœmonem expellendum ab illa, qua annulus, vel quidpiam ſimile ex pacto Diaboli valeat ad præſtandos Magicos effectus; ſed hoc dici non poteſt: ergo aliquid verè virtutis naturalis, vel ſupernaturalis dabatur in fumo. Maior conſtat: nam in pacto Diaboli aſſumuntur à Magis res penitus improportionatæ, & nulla gaudentes virtute ad tales effectus. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: *quoad intrinſeca virtutis* in vtroquè caſu, concedo maiorem; *quoad modum operandi*, nego maiorem, & conceſſa minori ſub data explicatione, nego conſequentiam; licet enim verum ſit quod vtrobiquè in rebus vſurpatis ad aliquem effectum, nulla inſit vera virtus ad illum; nihilominus notabile intercedit diſcrimen in modo operandi: qui legitimus,

mus, & ſanus eſt, dum iuſſu Dei perficitur; vanus verò, atque nugatorius, cum vſurpatur à Dœmone: hic enim per omne nefas illudit hominibus dum vanis rebus ſe immiſcet, vt in eis vel expreſsè, vel tacitè ipſe colatur, & adoretur. Cum autem virtute Dei res adhibentur ad aliquem effectum, ad quem nulla vera gaudent virtute, ideò eſt, quia Deus vtitur iure ſuo ſe occultandi, cum velit, quouſque accedente tempore reveletur, vt accidit in noſtro caſu: quare licèt vtrobique deſit naturalis virtus, non poteſt abſolutè concedi aliqua ſimilitudo de Diabolicis, & fallacibus operationibus ad ſupernaturales, atque Divinas, niſi in ea generaliſsima ratione, quod ſcilicèt vtrobique res quoad ſpeciem humanitus tranſigatur, latente hic Divina virtute; ibi verò Diabolica.

12 Obijcitur quartò: non congruit cum Hiſtoria Textus, quod fumus omni virtute caruerit ad Dœmonem expellendum: ergo ita non accidit. Probatur antecedens: ſi fumus iecoris impertinenter ſe habuiſſet, non eſſet ita diligenter ſervandus, atque portandus: potuiſſet enim Angelus fumo cuiuslibet rei alterius Dœmonem expuliſſe; ſed Hiſtoria narrat, tale iecur aſſervatum fuiſſe diligenter, & longo itinere comportatum: ergo noſtra explicatio cum Hiſtoria non congruit. Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem nego maiorem, & conceſſa inſerta probatione, nego conſequentiam. Neque inficior, potuiſſe Deum re alia combuſta per miniſterium Raphaelis Dœmonem expuliſſe; ſed puto, congruentiorem fuiſſe in caſu noſtro iecur, & cor accenſum: tum propter hyeroglyphicas intelligentias, quibus apta erat illa materia, & quæ videri poſſunt apud Gaſparem Sanctium, & alios: tum quia ad oſtentandam virtutem ſupernaturalem trahi ſolet in miniſterio illa res, quæ pro nata occaſione, ſe obtulerit; v. gr. cum Chriſtus Dominus cum limo terræ abſtulit cæcitatem: cumque ſupernaturalis cuſtodia, quam gerebat Angelus in Tobiam exordiretur à piſce; ex inde auſpicato providit in omnibus, quibus tota eius legatio pœnitus clauderetur. Præterquamquod ipſa diligentia in aſſervando, & portando, mentem Tobiæ pulſabat, vt totius peregrinationis prodigia attentus obſervaret, divinamque providentiam ibi latentem odoraretur, & adoraret.

13 Obijcitur quintò: ſi res ita ſe habuit, Raphael commiſsit ſuperſtitionem, atque mendacium; ſed neutrum dici poteſt: ergo fumus habuit aliquam virtutem. Probatur minor: tum de ſuperſtitione: quia vſus fuit rebus naturaliter improportionatis: tum de mendacio: quia dixit: *Cor eius extricat omne genus Dæmoniorum.* Cum tamen re vera in corde nulla virtus ineſſet. Reſpondeo negando maiorem, & eius probationem quoad primam partem ſic diſtinguendo: *Vſus eſt rebus improportionatis cum periculo de eo quod Dæmon ſe immiſceret in ipſis*, nego antecedens; *vt ſe rite occultaret*, ſubdiſtinguo: *Improportionatis quoad virtutem Phyſicam*, concedo; *quoad Moralem, & Myſticam.* Nego antecedens: quoties enim res improportionatæ Phyſicè adhibentur myſteriosè non ſine aliquo vſu, & prætextu ad aliquem effectum, & ſine periculo invocandi Dæmonem adhuc implicitè, nulla ſuperſtitio relinquitur, & ita accidit in noſtro caſu, in quo Raphael, Deo ſic diſponente, volebat occultari. Audi Toſtatum vbi ſupra: „ Reſpondendum, quod hoc fecit, vt „ ſe occultaret: nam Raphael, cum eſ„ ſet Angelus in forma viri videbatur, „ nec volebat ſe manifeſtare, vſque „ quo omnia facta eſſent: & quia To„ bias noverat, quod Deus ſuffoca„ verat omnes Saræ viros, nollet du„ cere eam vxorem, niſi daretur ſibi

„ ſe-

„ ſecuritas, quod non ſuffocaretur à „ Dęmone; potuiſſet autem eam da- „ re Raphael, ſi dixiſſet, quod ipſe re- „ ligaret Dœmonem, ſicut fecit; ſic „ tamen proderet ſe: poſſuit ergo aliud, „ per quod occultaretur, dicens, quod „ fumus iecoris illius piſcis effugabat „ Dęmonem, & ſic non cognovit eum „ Tobias.

14 Ad ſecundam partem probationis de mendacio ſimiliter cum eodem Anteſignano: Reſpondendum eſt, quod Angelus non intellexit abſolutè, quod iecur piſcis combuſtum Dęmones extricaret; ſed locutus eſt ſpiritualiter in Tobia dicens: *Cordis eius particulam, ſi ſuper carbones ponis, fumus eius extricat omne genus Dœmoniorum, ſivè à viro, ſivè à muliere. Et ſic verum eſt quod quando Tobias poneret iecur, ſivè cor ſuper carbones, Dœmon effugaretur* (Ecce paſsivam intelligentiam verborum) *non tamen virtute carbonum, vel fumi cordis; ſed orationum Tobiæ, & Angeli Dœmonium religantis: ſic ergo Raphael mendacium hic non expreſsit; veritatem tamen ſubticuit, ſicut fecit ſupra Samuel.* En quomodo in virtute ſenſus ſpiritualis, & intelligentiæ illorum potius in voce paſsiva, quam activa ſalvat Abulenſis Angelum à mendacio. Multò ergo magis ſalvus erit adiungendo interpretationem noſtram, quam initio probationum debimus, ſcilicèt illam locutionem ſumendam eſſe familiariter; non Philoſophicè: & in ſenſu familiari amplius ſe extendit, ſiquidem non ſolum influxus phyſicus; ſed mera occaſio, vel ſignificatio, vel concomitantia ſufficiunt ad pronuntiandum: *Hoc facit illud*, vt ſupra latius: verba ergo Textus illa: *Cor eius extricat omne genus Dœmoniorum, ſivè à viro; ſivè à muliere, ita vt vltra non revertatur ad eos*, ſic reddenda ſunt: *Quando hoc iecur cremabitur, pelletur à viro, ſeu muliere Diabolus quicumque ille ſit ſine reddeundi poteſtate.* Quæ omnia verè per miniſterium Angeli contigerunt.

15 Obijcitur ſextò: Textus dicit, quod fumus iecoris, & fel erant neceſſaria ad medicamenta vtiliter; ſed ſine vlla virtute in ipſis reſidente medicinalis operatio ſalvari non poteſt; ergo vera virtus reperiebatur in ipſis. Reſpondeo diſtinguendo maiorem; ſumendo ly *medicamenta* pro effectu, & ſanitate morborum, ſeu locutione tropica, concedo maiorem; ſumendo *medicamenta* ex parte cauſæ, & in plana, & propria locutione, nego maiorem, & diſtinguo minorem: quoad effectum, ſcilicèt morbi ſanitatem, nego minorem; quoad virtutem rigoroſè medicinalem, concedo minorem, & nego conſequentiam: quiſnam enim prohibet vocari *medicamenta vtiliter* ſigna, vel actiones quaslibet adhibitas ægrotanti, & ad pellendum morbum de ſe invalidas, quæ morbum tamen virtute Divina depellerent? Quamquam enim ipſæ medicinales certè non fuiſſent; v. gr. contactus, aut exſuflatio; nihilominus medicamenta iure optimo vocantur ea, quibus adhibitis, ſanatur infirmus; quare in noſtro caſu cum fumante iecore fœmina energumena ſanaretur, (etſi fuiſſet in virtute Angeli religantis) ideò talis fumus non ſine fundamento potuit appellari medicamentum, quàtenus media ipſius exhibitione, etſi abſque vlla virtute ipſius fumi; tamen Saræ ad præſentiam ipſius Medicus Omnipotens medebatur.

16 Obijcitur ſeptimò: Piſcis ille Tobiæ iuxta communiorem ſententiam fuit Callionymus, ſivè Vranoſcopus, vt tenet à Matre Dei Prælud. 1. ſect. 1. digreſſ. 4. ſed de tali Piſce credendum eſt habuiſſe virtutem naturalem in fumo iecoris ad Dęmonem expellendum: ergo illam habuit. Probatur minor: hic piſcis iuxta Plinium lib. 32. cap. 7. & Galenum lib. 10. de Simplicium Medicamentorum Facultatibus, habebat fel, quod nativa vi erat oculorum

albuginibus ſalutare; ſed non videtur dicendum, quod Raphael loquendo de felle ſanativa oculorum, loqueretur de virtute naturali; ſecùs verò dum loquebatur de fumo iecoris Dæmonem expulſuro: ergo talis piſcis pollebat vera virtute in iecore ad talem effectum. Minor videtur certa: nam ſub eodem tractu orationis idem ſenſus contineri credendus eſt. Reſpondeo permittendo maiorem (quia ipſam negat Malvenda, cum quo illam poſſem negare) negando minorem, ad cuius probationem, permiſſa maiori, ſivè conceſſa, nego minorem, dicoque ad eius probationem ſubiunctam, quòd benè poteſt accidere, & paſsim accidit in Sacris Biblijs, quòd ſub eodem tractu orationis contineatur diverſus ſenſus iam proprius, iam Metaphoricus, provt enuntiationes cum omni veritate debeant intelligi: hæc enim eſt Regula expreſſa Sanctorum in expoſitione Scripturæ, vt quoties veritas de proprio rigore verborum non naſcitur, ad Tropum, vel allegoriam confugiamus; accidit autem in noſtro Textu, quod etiam contingit in alijs, quòd nimirùm, vt ſuprà dicebamus, in virtute fellis ad albugines diſcutiendas adſit proportio; deſit verò iuxta Theologos in iecore, vel quavis re corporea directa virtus ad Dæmonem expellendum; cum tamen indirecta implexa ſit explicatu, & perperam cum Hiſtoria cohæreat. Reſpondeo ſecundò, quòd etiam iuxta Plinium ſanitas albuginum, quæ per ſpatium dimidiæ horæ accidit in Tobia non omninò naturaliter accidiſſet: ſiquidem ipſe Plinius infra ſubdit hæc verba: *Inungi ter oportet intermiſsis diebus.* Et quę ibi tradit legi oportebit, vt res meliùs accomodetur. Vltra quæ poteſt repeti quod tetigimus, ſcilicèt hoc medicamentum fellis pro detergendis albuginibus oculorum fortè de Hiſtoria Tobiæ ad Hiſtoriam Plinij fuiſſe derivatum: ſiquidem Princeps Medicinę Hipocrates in toto lib. 6o. in quo de remedijs oculorum pertractat nullam huius medicamenti mentionem fecit, quod ipſum latuiſſe dici vix poteſt; ſi de naturali, & medicinali virtute ſermo eſt.

17 Obijcitur octavò: quoties cum virtute naturali ſalvari poteſt aliquis effectus in Scriptura narratus, tamquam naturalitèr eveniens, potiùs virtuti naturali tribuendus eſt; ſed modus, quo Raphael prædixit Tobiæ liberationes, fuit tamquam vi naturæ, & medicaminum obtinendas; & deinde ſatis conſtat de naturali virtute tàm ab auctoritate, quàm à ratione: ergo virtuti naturali pro felle, & iecore ſtandum eſt. Maior videtur clara, ne Sacræ Hiſtoriæ miracula intrudamus ad libi um; minor verò quoad primam partem cum pateat ex Textu, & ipſa ſimilitudine Raphaelis, patere etiam videtur quoad ſecundam: tum ab auctoritate, quæ de non paucis Authoribus relata eſt in prima ſententia: tum à ratione: quia anima verè ſpiritualis verè patitur à materiali corpore, iuxta illud; *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* Secundò: quia tortura Dœmonum ab igne corporeo non eſt cur miraculoſis elevationibus alligetur; cum Deus ab initio deſtinans ignem pro ſpiritibus contorquendis, non credendus eſt minus proportionaſſe torturam, quam non niſi elevatione obtineret. Tertiò: quia Angelus veras facit impreſsiones in corporalia, veluti qui movet Sphæras: ergo, & eas pati poteſt à corporalibus: vbi enim ſphæra actionis datur; dari quoque debet ſphæra reactionis. Quartò: quia Deus, qui ſpiritualia, & corporalia diſcrevit non ita incommunicabilia conſtituit, vt in ipſo homine nexu mirifico vtrumque non copulaverit: ergo, &c. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: *quoties* poteſt *abſolutè*, & *quomodocumque*, nego maiorem; quo-

ties poteſt per ritam expoſitionem ſcripturarum, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: ſed conſtat de naturali virtute ab auctoritate, & ratione per ritam, & ratam expoſitionem ſcripturarum, nego minorem; conſtat aliquomodo, & potiùs Philoſophicè, quam Theologicè, concedo minorem, & nego conſequentiam. Igitur in rita expoſitione ſcripturarum vix deſeri poteſt illa ſententia circa hanc vel illam virtutem rei naturalis ad aliquem effectum, in quam ferè vniverſi Theologi, Patres, Interpretes, & Doctores vnà conſpirant; licèt pauculi, neque tamen principaliſsimi refragentur: & quidem maximè cum ſtat pro operatione Divina: præſtat enim ſemper in exponendis Scripturis tritas ſemitas veſtigare, per quas ire ſolet veritas, & redire; non autem ambulare vias difficiles, & acclives, in quibus vix poteſt veritas ſubſtineri. Propterea licèt probatiunculis, quibus argumentum conabatur Philoſophari non ſim infenſus; nihilominus modò Theologorum agmen lubens amplector, vt pede ſemper inoffenſo diſcurram; licèt fumo iecoris virtutem illam indirectam, in qua explicanda multum laborat Ioannes à Matre Dei, non concedo, quidquid ſit de virtute indirectè Dœmonum expulſiva, quæ tribui ſolet rebus corporeis, cuiuſmodi ſunt ruta, Hypericon, cornua, & ſimilia.

18 Obijcitur nonò: talis expoſitio, & explicatio textus eſt contra Sanctos Patres: ergo ſubſtineri non poteſt. Probatur antecedens: omnes Sancti Patres, vel penè omnes, qui hoc punctum attingunt, aſſerunt, vel ſupponunt, expulſionem Dœmonis fuiſſe virtute iecoris factam: ergo noſtra expoſitio cum Sanctis Patribus non congruit. Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo antecedens: aſſerunt, & ſupponunt ſub eodem tenore, quo dicitur in textu, concedo antecedens; ſub difficultatis examine, & controverſia, nego antecedens, & conſequentiam: præterquamquod enim nobiſcum ſunt S. Auguſtinus, & Thomas, Patres principaliſsimi in difficultatibus attingendis, inſuper dici non poteſt in aliqua difficultate circa textum Sacræ Scripturæ Patres eſſe contrarios, niſi de illis ſint, qui rem diſcutiunt, controvertunt, & librant: ſunt enim plurima de contentis in Sacra pagina, per quæ Sancti Patres tranquillo pede tranſcurrunt à tenore affirmationis, & negationis, quæ in ipſo textu invenitur, non recedentes: quare nonnullæ controverſiæ, quæ poſt illos rigoroſiùs admodum diſcutiuntur, licèt reſolvantur contra id, quod Sancti Patres ſpecie tenus aſſerebant à tenore textus non recedentes, non tam dicendæ ſunt *contra* Sanctos Patres, quam *præter* illos, qui nimirum alijs controverſijs intenti, alias poſteritati indagandas reliquère; quod valdè notandum eſt pro aliquibus controverſijs, in quibus opponi ſolet, quod contra Sanctos Patres promoveatur aſſumptum.

19 Obijcitur decimò: ſaltem in tali fumo concedenda videtur virtus inſtrumentalis; ſed hæc naturalis eſt inſtrumento, cui ineſt: ergo talis fumus omni omninò virtute naturali non eſt ſpoliandus. Maior videtur certatum, vt aliquomodo ſalventur verba textus dicentis, *fumum* iecoris concurriſſe: tum quia illud, miniſterio cuius quidpiam expellitur, inſtrumentum dicitur expulſionis. Reſpondeo negando maiorem de inſtrumento ſtrictè tali, licèt poſsit concedi de inſtrumento largè ſumpto. Cuius ratio eſt: quia virtus inſtrumenti propriè talis eſt mere actualis pendens à motione principalis agentis; verba autem Textus ſi quid ſignificant, innuunt virtutem habitualitèr permanentem, cuiuſmodi

in

in alijs medicinis ſolemus dicere, dari virtutem ad hoc vel illud, &c. quare nunquam verba Textus ſalvantur provt ſalvari deberent: & hinc reſponſio patet ad primam probationem maioris; poteſt autem dici, talem fumum iecoris fuiſſe inſtrumentum largè ſumptum, quàtenus, ipſo intercedente talis expulſio Dœmonis agebatur; licèt re vera talis fumi nulla impreſsio neque permanens, neque tranſiens daretur, quòd erat neceſſarium, vt vera ipſius virtus interveniret; eſſe autem id, miniſterio cuius obtineretur talis effectus, contentum eſt cum ratione præſentialitatis ſigni, occaſionis, &c. quæ omnia dum adhibentur, quaſi miniſterialitèr deſerviunt; & ſi non inſtrumentalitèr; & hinc patet reſponſio ad ſecundam probationem maioris, & ſolutionem integram argumenti.

20 Obijcitur vndecimò cum Serario per hæc verba: „ Quis Dioſcorides, „ Plinius, aut Mathiolus inſitam herbæ „ vim aliter enuntiet? Quibus alijs ver„ bis, quæ natura ſuggerit medicamen„ ta, eloquantur Theophraſtus, Hypo„ crates, & Galenus? Sed proprius ſumenda ſunt verba Sacræ Scripturæ, quam horum Authorum: ergo talis textus eſt intelligendus de virtute vere medicinali, ſicuti prædictorum ſcripta intelliguntur. Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: proprius, id eſt *rigoroſiùs*, *tenatiùs*, & *obſervantiùs* quoad retinendam veritatem ipſius, concedo minorem; proprius, id eſt *contrapoſitè ad ſenſus tropicos*, *allegoricos*, *ſeu figurativos*, nego minorem, & conſequentiam. Itaque quoad illum effectum obtinendum, qui in noſtro textu enarratur, quando videlicet tale iecur combureretur, minus addubitare licet, quam circa illa verba, ſeu medicamina, quæ à relatis Authoribus præſcribuntur. Modus autem, quo verba ſumenda ſunt, an propriè, an per tropum aliquem, vti in familiari ſermone, exponendus eſt à Theologis, & Interpretibus, penès quos depoſuit Divinus Spiritus illud Donum, quod appellatur *Interpretatio Sermonum*: cum ergo Authores de rebus naturalibus, & medicis differentes, res non attingant, niſi prout ſecundum ſuam ſubſtantiam, & qualitates Phyſicas ad hoc, vel illud valent, vel ſecus: ideò in proprio rigore Phyſicæ virtutis ipſi ſunt ſemper intelligendi. Econtrà verò cum Sacra Scriptura (præſertim ibi vbi myſterioſa, & altiora enarrat) Sermonibus tropicis, allegoricis, & ſpiritualibus abundet, Theologorum, & interpretum eſt ſenſus verborum vbique taxare: vnde propter cuncta, quæ in hac quæſtione tradidimus, illi locutioni Raphaelis de fumo iecoris nulla naturalis virtus tribuitur, licèt eam videantur ipſa verba circumſonare.

21 Poſtremò in hoc loco quæſtionis æquum eſt, vt, quandoquidem in ea citatur Valeſius in Philoſophia Sacra; de quo in mea Palæſtra Scholaſtica pag. 412. dixi aliquando in Sacra impegiſſe, & ad pietatem non leviter offendiſſe; clariùs, & ſuaviori phraſi hic apperiam quid ibidicam. Abſit enim, vt tantum hominem verè magnum, & ſanè pium ego poſtulem impietatis: quod ſi id ſonant illæ phraſes; ſtatim eas hic volo eſſe reſciſas. Igitur, nè putaretur ex ima parte, quòd in Sacris Biblijs res Philoſophicæ, quas ipſe ſuſcipit explanandas, nullam littem relinquant; & ex alia, nè anſa daretur hominibus heterodoxis, (vt ſupra tetigi n. 8.) ad inficiandum miracula, & tribuendum illa virtuti naturali; monendum duxi, quod in hoc opere Valleſij loca quędam ſunt à S. Tribunali Inquiſitionis expuncta; v. gr. de ſuſcitatione pueri per Eliſæum, &c. licèt eum non lego communicantem errori expuncto.

***

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS AD ILLA VERBA.

GRATIA, ET PAX AB EO, QUI EST, ET QUI ERAT, & qui venturus est, & à septem spiritibus, qui in conspectu Throni sunt. Apoc. cap. 1. v. 4.

ARTICULUS

QUI NIMIRUM PER HOS SEPTEM SPIRITUS *designentur?*

NOTABILIA.

1 QUADRUPLEX huius loci expositio quadruplicem partitur sententiam: quarum prima aït, hos septem spiritus esse septem dona Spiritus Sancti, in ipsisque ipsum Spiritum Sanctum authorem pacis significari. Hæc prisca, & communis est Patrum sententia, quam sequuntur Victorinus, Primasius, Ambrosius, Beda, Haymo, Rupertus, Ansbertus in hunc locum apud Pererium Apoc. 1. disp. 7. Secunda sententia per hos septem spiritus intelligit Angelos; non verò determinatos, sed pro more scripturarum indefinitos quoad numerum, eo quod septenarius numerus in scripturis multitudinem significet, vt passim tradunt interpretes, & copiosius Fabius Paulinus in libro, quem scripsit de septenario. Hanc sententiam tenet Nicolaus de Lyra in hunc locum. Tertia sententia est aliorum, quos supresso nomine citat Pererius arbitrantium per hos septem Angelos significari septem illos præsides Ecclesiarum quibus Ioannes scripsit septem Epistolas in eodem libro Commemoratas. Quarta demum sententia sustinet per hos septem spiritus septem primarios Angelos designari dignitate inter cæteros excellentes, quibus hominum præcipua cura sit demandata: hanc tenet Divus Irenæus, & Epiphanius apud Andræam Cæsariensem in hunc locum: & videntur tenere ipse Andreas, & Arethas apud Pererium loco citato in responsione ad primam obiectionem. Item Divus Clemens Alexandrin. lib. 6. Stromatum, quos sequuntur Gaspar Sanchez, P. Ulloa Decad. 1. num. 57. Pererius, Cornelius, Ribera, Viegas, Sà, Menochius, & Lorinus ex nostris cum Sylveira, Ioanne de la Haye ex alienis.

Qui-

2 Quibus ſententijs præmiſsis iudico non eſſe importunum notare adverſus Hæreticos cavillantes myſticas quaſdam interpretationes PP. quod cum ſenſus litteralis multis adminiculis hiſtoriarum eluceſcat; necnon procedente tempore, amplius detegatur, & pateſiat; nihil mirum eſt, imo ſuſpiciendum maximè, quod SS. PP. qui prius illis temporibus extiterunt, ii quorundam textuum litteralem ſenſum non erant perfectè conſequuti; ad myſticos, planos, pios, & in doctrina non fallentes ſenſus converterentur. Quòd ſi & ipſos in hac re imitati fuiſſent Hæretici; neque proprio cerebro ita fidiſſent; tàm prodigioſa deliria non fabricaſſent. Hæc obſervatio in hac quæſtione inſeritur oportunè: quippè vbi Veteres PP. myſtice de Spiritu Sancto interpretati ſunt: nondum enim eò temporis ſeptem Archangelorum cultus, & hiſtoria ſatis conſtabant: quo poſito.

3 Sit mea concluſio cum quarta ſententia, cum qua dico, per hos ſeptem ſpiritus ſignificare ſeptem primarios Angelos dignores cæteris, & magis in adminiſtratorio munere principales. Probo primò hanc concluſionem authoritate SS. PP. primò ex D. Clemente Alexand. loco citat. aiente. *Septem quidem ſunt, quorum eſt maxima poten ia, primogeniti Angelorum, Principes, & per quos Deus omnibus hominibus proviaet: ideòque oculi Dei, & Chriſti aicunt r.* Secundò ex D. Irenæo iuxta verba Andreæ Cæſarienſis loco citato ſic loquentis. *Magnus Irenæus ſeptem Angelos cæteris excellentiores initio eſſe conditos à Deo ſcriptum reliquit.* Ergo, &c.

4 Probo ſecundò à ratione in ipſis Scripturis fundata, & ex earum optima cohærentia deſumpta. Illa interpretatio, quam exhibuimus, præterquamquòd litteraliter, & ſtrictior eſt; congruit multùm cum plurimis textibus Scripturæ, necnon cum teſtatiſſimis AA. & Hiſtorijs. Sed cæteræ interpretationes non congruent; imò nonnulla devorant difficilia: ergo cæteris noſtra eſt præferenda. Diſcurſus tenet, probando præmiſſas: quarum probo primò maiorem, poſteà probaturus minorem. Multi textus ſunt Scripturæ, in quorum alijs ſeptem Angeli, Miniſtrique Dei promptiſsimè memorantur: In alijs verò ſeptem itidem Miniſtri Regum paratiſsimi referuntur: ergo multifariam interpretatio noſtra conſonat Scripturis. Probo antecedens recenſendo primos textus; ſcilicèt Apoc. 8. verſ. 1. *Vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei & datæ ſunt illis ſeptem tubæ.* Apoc. 15. verſ. 1. *Et vidi aliud ſignum in Cœlo magnum, & mirabile, Angelos ſeptem habentes plagas ſeptem.* De quibus item fit memoratio, verſ. 6. & 5. & cap. 16. verſ. 1. & cap. 17. verſ. 1. Item Zachariæ cap. 4. verſ. 1. vbi dicitur. *Septem ſunt iſti oculi Domini, qui diſcurrunt in vniverſam terram.* Et Apoc. 5. *Et oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſsi in omnem terram.* Vbi notandum eſt per *oculos*, Miniſtros intelligi, tùm, vt inibi conſtat, tùm ex Auionio de Regno Perſarum, libro 1. Henchio, Suyda, Ariſt. 3. Polit. Xenophonte libro 8. Cyropediæ, &c. Et recenſendo ſecundos primo. Namque Eſdræ, cap. 7. verſ. 14. dicitur, *à facie enim Regis; & ſeptem conſiliatorum miſſus eſt.* Et Eſther 1. verſ. 14. dicitur, *erant autem primi, & proximi ſeptem Duces Perſarum, adque Medorum,* & verſ. 10. *præcepit ſeptem Eunuchis qui in conſpectu eius miniſtrabant:* ergo interpretatio noſtra conſonat plurimis textibus Scripturæ.

5 Probo in eadem maiore quod interpretatio noſtra conſonat AA. teſtatiſsimis, & Hiſtorijs. Nam AA. ſunt benè noti, vt Salmeron, Galatinus, Fontanacus, Clement. Alex.

B.

B. Amadæo in ſua Apocalypſi, & Chronica B. Mariæ Angelorum Romæ. Sed penes hos inveniuntur nomina ipſorum, ſcilicèt, *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*, *Salatiel*, *Vriel*, *Iehudiel*, *Barachiel*, item ad quos pertineant Choros, nimirum *Seraphim* eſſe. Deinde per totam Italiam horum propagatus eſt cultus Venetijs, Neapoli, atque in Sicilia, vbi templum habent ipſis conſecratum. Demùm Romæ per Summos Pontifices Pium Quartum, & Gregorium XIII. ideò B. Mariæ cum his ſeptem Angelis ſtipatæ fuerunt ædes inſtauratæ, & privilegijs decoratæ ad communemque venerationem expoſitæ: ergo conſonat noſtra interpretatio authoribus teſtatiſsimis, & hiſtorijs.

6 Probo iam minorem, quam promiſi probare, ſcilicèt, quod cæteræ ſententiæ non congruant. Et in primis non congruit interpretatio de Spiritu Sancto, *Nam Spiritus Sanctus non in conſpectu throni Dei eſt, ſed Deus ipſe, & in ipſo throno.* Neque prætereà congruit de ſeptem Epiſcopis Eccleſiarum; quomodo enim ſunt in conſpectu throni quaſi in dignitate, & triumpho illi, quorum alius in charitate friguerat, alius Deum ad vomitum provocabat, alius demùm Nicolaitis favebat? Probo autem latius, neque congruere interpretationem de ſeptem donis Spiritus Sancti, quæ magis veriſimilis eſt, & magis recepta. Primò non congruit bonæ Theologiæ dicere gratiam, & pacem à ſeptem donis Spiritus Sancti provenire. Hæc enim loquutio eſt valdè præpoſtera, cum potiùs horum donorum per modum naturæ ſit gratia, fundamentum, & radix. Secundò quia dona Spiritus Sancti non ſimpliciter appellantur *ſpiritus*; ſed ſemper cum adiecto, ſcilicèt, *ſpiritus ſapientiæ*; *ſpiritus timoris*, *&c.* Tertiò quia ſeptem donis Spiritus Sancti illa verba, *qui in conſpectu throni ſant* malè adaptantur: Tum quia *ſtare* vt infrà de eis dicitur non accidentibus, ſed tantum convenit ſubſtantiæ ſubſiſtenti: Tum quia ſi propterea ipſum Spiritum Sanctum ibi velis intelligi; talia verba minus aptantur: Stare enim in conſpectu throni Dei, eſt eſſe Dei Miniſtros ad obſequium ſemper paratos. Patet ex Tobia cap. 12. verſ. 15. *Ego enim ſum Raphael Angelus, ex ſeptem, qui aſſtamus ante Dominum.* Et ex 1. Reg. cap. 16. dicente Saule *ſtet David in conſpectu meo: invenit enim gratiam in oculis meis.* Itemque ex Zacharia cap. 3. & 6. & Apoc. 8. Ergo de primò ad vltimum cæteræ interpretationes vix congruunt; & noſtra eſt congruentior. Vbi obiter notabis pro more noſtro ſcribendi, nos ſæpè ſæpiùs vnam rationem probativam conſuere de plurimis, quas alij ſparſim tradunt, contextam: eò videlicet fine, vt ſic fundamentum totius concluſionis preſſiùs teneatur, & ramificatæ propoſitiones plures, quæ circumferuntur, ſurſùm aſcendant vſque ad truncum, cui inhæreant; vt ipſi quoque noſter propugnator inhæreat, & quaſi clavem habeat, ne in theatro poſsit concludi.

7 Iam obijces primò: iuxta regulas Scripturæ optimè fit interpretatio vnius textus Scripturæ per alium. Sed ſic procedunt, qui de ſeptem donis Spiritus Sancti hunc textum intelligunt: Ergo hæc eſt melior. Minor patet, ſumitur enim interpretatio ex Iſaia 11. aiente; *Requieſcet ſuper illum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & ſpiritus timoris Domini.* Reſpondeo diſtinguo maiorem. Rectè ſervato tenore textùs, qui interpretandus ſuſcipitur; concedo maiorem: Inferendo vim alijs verbis textùs illius propter alia accomodanda nego maiorem, & diſtincta per hos terminos minori, nego conſequentiam. Dico igitur, optimum genus interpretan-

tandi eſſe ſi textus aliquis, qui omnibus perpenſis manet obſcurus, ex alio lumen accipit, & in eo ſenſu dicimus in Decadibus Regularum id genus interpretationis eſſe optimum; non tamen, ſi propter ſervanda nonnulla verba, vel numerum loco interpretationis offendiculum ſubnaſcatur, vt re ipſa contingit, ſi propterea, quod apud Iſaiæ ſeptem Spiritus numerantur, eoſdem in Apoc. 1. relatos eſſe exiſtimemus; vt conſtitit in probatione noſtræ concluſionis, præſertim ad minoris probationem, vbi offendicula pondera vimus. Neque noſtra interpretatio deſinit ex alijs textibus fieri; imò, & ex plurimis ſit & valde appoſitis inter ſe, & vicinis ad ſeſe invicem colluſtrandos.

8 Obijcitur ſecundo: profecto minus congruum eſt, quod in præcanda pace, Sanctiſsima Trinitas, vel Deus ipſe, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, vna cum ſeptem Angelis numeretur: ergo noſtra interpretatio indecentiam dicit. Reſpondeo cum Andræa Ceſarienſe, & Aretha. Diſtinguo antecedens, *ſi tamquam paris poteſtatis numerarentur cum Deo minus congruum eſſet, imò, & Blaſphæmum*, concedo antecedens, *ſi veluti primarij miniſtri ibidem numerentur ad maieſtatem throni ſignificandam.* Nego antecedens, & conſequentiam. Solet enim, cum throni, ac Tribunalis cuiuſpiam Maieſtas deſcribitur, & ab eo aliquid deprecamur vno tractu ea omnia, quę ibi poteſtatem, ac Maieſtatem referunt commemorari: inter quæ principaliores famuli ſemper cum ſuo Domino recenſentur: non quod ipſi ſint quoque Domini; ſed quod vix à nobis, niſi per ipſos adſtantes Maieſtas ipſa Dominorum apprehenditur. Vnde, & Paul. 1. ad Thimoth. 1. ait, *teſtor* (inquit) *coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis Angelis.*

9 Obijcitur tertiò: abſurdum eſt, gratiam, & pacem ab Angelis poſtulare quoquo modo: ergo interpretatio noſtra non congruit. Probo antecedens ex Pſal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Qui ipſarum eſt ſolus largitor: ergo abſurdum eſt petere ab alio. Reſpondeo primò cum Pererio, negando antecedens; ad cuius probationem diſtinguo antecedens: ipſarum eſt ſolus largitor *deſpoticus*, & *principalis*, concedo antecedens: *deprecatorius*, & *inſtrumentalis*, nego antecedens, ſuppoſitum, & conſequentiam. Cum enim Angeli ſint ex Paulo ad Hebræos 1. *Adminiſtratorij Spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*; quid mirum eſt, eos, qui hanc volunt capere hæreditatem, hos Angelos ſibi precibus demereri? Et negavi ſuppoſitum; quia Deus nullo modo eſt largitor, deprecatorius, aut inſtrumentalis. Reſpondeo ſecundò, diſtinguo antecedens: Gratiam, & pacem *Sanctificantem*, concedo antecedens, vel permitto: gratiam, & pacem *ſumptam pro bona venia*, nego antecedens, & conſequentiam. Itaque quando datur venia loquendi, vel ſtylus rumpit ſalutationem, moris eſt dicere, *ſi inveni gratiam in oculis tuis, &c. Gratia vobis, & pax à Deo, &c.* vt in Epiſtolis Paulis; item vſitata phraſis eſt, *pace tua dicam*; item *venia tua*, quæ quidem venia, & copia dicendi in magnis theatris etiam coram Regibus, & perſonis primis poſtulatur ab vniverſo conſeſſu: & in hoc ſenſu ab Angelis etiam rumpendi ſermonem licentia dabatur. Non verò in primo ſtrictè theologico.

10 Obijcitur quartò: Ieſu-Chriſto Domino nihil poteſt in Sacris Scripturis prænominari, ideſt nullus ſpiritus, niſi Spiritus Sanctus; ſed in Textu dicitur *à Septem Spiritibus, & à Ieſu-Chriſto, qui eſt fidelis teſtis*: Ergo in illis Septem Spiritibus, Spiritus Sanctus, cum ſuis Septem Donis eſt legitimè intelligendus. Reſpondeo diſtinguendo maiorem. *Secundum ordinem dignitatis*; concedo maiorem, *ſecundum ordinem nar-*

rationis, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Planum, & de fide eſt, ordine dignitatis in Scripturis Chriſto Domino nullum præponi Spiritum; imò attenta Chriſti Divinitate, nec ipſum Spiritum Sanctum: Omnes enim Tres Perſonæ ſunt prorſus æquales. Sed non minus planum eſt, quod ordine narrationis in Scripturis quiſpiam Chriſto præponi poteſt, ideſt, de alio aliquo loqui prius: quia nimirum ſic videatur ea ipſa narratio poſtulare: Cum enim hæc habeat multa, quæ poſtmodum de Chriſto ſubiungat in ordinem ad ſalutationem faciendam, & abſolvendam, prius Angelos nominavit, eo quod Chriſto poſtmodùm nominato multa continenter adnecteret. Vel ſi malis dicito, Ioannem ad homines pro humano more loquutum, Spiritus etiam creatos prænominaſſe, vt de inviſibilibus ad viſibilia, non quidem niſi ordinatè deſcenderet.

11 Obijcitur quintò: Septem principalium Angelorum nominatio, & cultus res eſt ſuperſtitioni multum obnoxia; imò, & quæ amuletis, & ſuperſtitionibus ſuffragatur: ergo talis interpretatio ſana non eſt. Antecedens patet, tum generaliter ex D. Iulio Bartholoccio in ſua Bibliotheca Rabbinica, & P. Athanaſio Kirkerio in ſuo OEdipo Ægyptiaco, qui de Angelorum nominibus compoſita plura ſatanica ſuperſtitionis inſtrumenta congerunt, & execrantur. Tum in particulari quoad numerum ſeptenarium, & invocationem Septem Angelorum ex quodam ſcutulo argenteo ad me delato Hebraicis Characteribus pleno antè, & retrò, in quo hæc Septem Angelorum nomina conſpiciuntur, ideſt *Raphael*, *Gabriel*, *Samuel*, *Michael*, *Sadaquiel*, *Oniel*, *Kaphatſiel*. Sed hic permixta ſunt ſana nomina obſcuris, & cæteri characteres redolent amuletum: ergo vſus horum nominum, & Septem Angelorum parum tutus eſſe videtur. Reſpondeo diſtinguendo antecedens. *Eorum Archangelorum, quos nominavimus cum Salmerone, Galatino, &c.* nego antecedens *aliorum incognitorum*, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Itaque nefas reputo, ſuperſtitioni obnoxium putare cultum illum, qui per Italiam protegente, & fovente ipſo Romano Pontifice exhibetur: Cuiuſmodi eſt ille, qui pro nominatis illis Septem à nobis Angelis exhibetur. Sed ſimiliter apertè fateor, præter hos Septem Angelos bonos præcipuos, de quibus integrum volumen compoſuit nuperus noſter Author P. Serrano Philipinarum Procurator Generalis, vbi mira eruditione rem verſat: Cæteros nomine incognitos ſuperſtitionibus ſcatere; vel ſaltem rem eſſe expoſitam: Eo quòd Cacodæmones ſub his larvis ſe contegant. Ad probationem de ſcutulo ad me propter interpretationem delato, dico, me in ſuis clauſulis deprehendiſſe nonnulla, quæ reddolent amuletum: Sunt enim quaſi adprecationes incolumitatis: V. gr. *ſuper ſcutum: in omnibus, quæ faciat proſperabitur: invenire gratiam coram oculis Domini, &c.* Cum tamen hæ clauſulæ quid in ſe malum non habeant, ſicut neque illa nomina interpretata, inde eſt, me tale ſcutulum in ruinoſo quodam muro repertum, non magnifeciſſe; licèt, & clauſulæ, & locus, vbi inventus eſt potius pro alicuius militis amuleto conſpirent: Inde ergo contra nos nihil concluditur, qui ſolum ſupra nominatos, & publico donatos cultu Archangelos reveremur.

(?)

QUÆS-

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ET STELLÆ DE COELO CECIDERUNT SUPER terram. Apoc. cap. 6. verſ. 13.

ARTICULUS

PROPRIE NE, AN METAPHORICE HIC STELlarum caſus ſit accipiendus?

NOTABILIA.

1 SUPPONO primò id, quod communiter, & plauſibiliter Theologi cum Philoſophis, & Mathematicis ſentiunt de Stellarum magnitudine, quòd nimirum, præterquamquod quindecim illæ, quæ vocantur primæ magnitudinis, ſuperant centies, & ſepties terreſtris Orbis magnitudinem; quælibet inſuper Stellarum, quæ notabiliter viſibilis eſt, totam terræ, molem excedit. Hoc placitum iam eſt receptiſsimum, &, vt inquit Pereira, videtur eſſe quaſi perfrictæ frontis huic refragari: quamquam non negaverim, poſſe forſitan tractu temporis argumenta aperiri, quæ rem aliter ſuadeant: neſcio enim quo certè modo cunctarum controverſiarum Magiſter ſit tempus.

2 Suppono ſecundò verbum *cadere* adiunctum ſyderibus, vel Stellis iuxta acceptiones priſcorum, & phraſim vſitatam loquendi, non ſignificare ita rigoroſum caſum Stellarum, vt de Cœlo ipſo dimoveantur, aut ſeparentur. Conſtat hoc ex eò quod hęc phraſis fuit olim communiſsima, præſertim inter Poetas, dixit enim Virgilius 2. Æneidos: *Nox humida Cœlo præcipitat, ſuadentque cadentia ſydera ſomnos.* Propertius: *Ipſaque in Occeanum ſydera lapſa cadunt.* Apud Turnebum lib. 6. Adverſ. cap. 2. & idem Poeta lib. 8. *primiſque cadentibus Aſtris, &c.* Dicenturque iam cadere in Occeanum, iam cadere in terram, prout fuerint Orizontes, & iuxta limites Hemiſphærij reſpectivè ad locum, vnde, quaſi cadere videntur Stellæ. Nec prætereundum eſt, quòd notavit Cerda, & mihi placet etiam cum Homero, Odiſſea 12. *Quando autem tertia pars noctis erat, & Aſtra inclinaverunt*, ſcilicèt, quod exactà medià nocte Aſtra dicuntur cadere, & labi. Suppono tertiò D. Aug. &

alios PP. apud Cornel. cum Alcaz. in Apoc. intelligere hunc locum myſticè, vel quatenus in fine mundi multi Iuſti, qui quaſi Stellæ fulgebant in Cœlo Eccleſiæ, inde cadent deturbati à tempeſtate Antichriſti, & perſecutione eius. Sed Nos in ſenſu litterali rem diſputamus, neque enim totus contextus videtur cum ſolo ſenſu myſtico eſſe contentus.

3 His ſuppoſitis, quamquàm rei difficultas in varios dicendi modos diſtrahit AA. duæ tamen ſunt circa quæſitum noſtrum capitaliores ſententiæ. Quarum prima aſſerit, Stellas in fine mundi, verè, & propriè vſque ad terram eſſe caſuras. Hanc tenent expreſsè, & reſolutiſsimè Ioan. Maldon. ita hærens litteræ, vt placitum Philoſophicum, & Mathematicum non magni faciat, vt tueatur rigorem illius ſententiæ, & ſentire videtur cum S. Ioan. Chryſoſt. & Euthim. apud ipſum citatis. Secunda verò ſententia hunc caſſum Stellarum, non niſi methaphoricè intelligendum eſſe arbitratur. Hanc ſubſtinet D. Hier. Ianſ. Caiet. Ribera, Cornel. & Pererius, quos in hunc locum, vel in Lucam 21. luſtrare licebit. Ex AA. verò huius ſecundæ ſententiæ aliter, & aliter metaphoram componunt, & meditantur. Alij enim, vt Hieron. Ianſ. Caiet. & Ribera exiſtimant, hunc caſum Stellarum eſſe *à fulgurando, & lucendo*, non ſecùs, ac Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum. Alij verò, vt Pererius, & Cornel. ad ignita meteora confugiunt, quæ maximam Stellarum ſimilitudinem referentia tunc temporis copioſiùs gignentur in ſuprema aeris regione, quæ Cœlum paſsim nuncupatur, vt quando dicitur *ignem de Cœlo, & fulmen de Cœlo, &c.* Quibus meteoris agitatis, Stellæ quidem quaſi caſuræ videantur. Origenes verò in hac Platonizare non deſinit, ſentiens Stellas, elementariter igneas; proindeque tunc igneas ipſarum partes revocatum iri ad propriam regionem; terreſtres verò deorſum eſſe caſuras.

4 His igitur prælibatis, ſentio cum communiori DD. hunc caſum Stellarum, non propriè, & rigoroſè, ſed methaphoricè accipiendum eſſe: quàtenus videlicèt, Stellæ etiam, & Sol obſcurabuntur, ſuamque amittent lucem, claritatem, & ſplendorem. Probo primò. Ex doctrina Mathematicorum, quia Aſtra lucent de luce Solis: ergo eo obſcurato, planum eſt quoque, Aſtra obſcurari; ſed obſcurari in Aſtris eſt occidere, & cadere, vt in notabilibus præiactum eſt: ergo obſcurato Sole, Aſtra quoque per obſcuritatem occumbent. Probo ſecundò. Et principaliſsimè iuxta Regulas Scripturæ. Textus explicatione difficilis exponendus eſt per alios, vbi res eadem pertractatur; ſed alij textus loquentes de Signis in Sole, Luna, & Stellis, horum Aſtrorum ruinam exponunt per amiſsionem lucis, & terrorem obſcuritatis: ergo noſter textus, & qui habetur Lucæ 21. de caſu Stellarum, intelligendus eſt de eo, ſcilicèt, quòd occident, & occumbent per amiſsionem lucis. Probatur minor; tum ex Iſaìa 13. verſ. 10. *Quoniam Stellæ Cœli, & ſplendor illarum non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo.* Tum ex Ezequiel 32. verſ. 7. *Et nigreſcere faciam Stellas eius, Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum.* Ergo, &c.

5 Probatur tertiò concluſio. Accipere hunc caſum Stellarum in toto rigore, multa claudit abſurda contra Receptas Theologorum, & Philoſophorum Sententias. Nam primò Cœlum, ipſis cadentibus oporteret diſcindi, nec poſſet, vt liber iterum complicari, quemadmodum inquit textus. Secundò: Quia cum Cœlum careat gravitate; Stellæ, quæ partes ſunt

eius,

eius, cadere profecto non possent: Tertiò: Stella de octavo Cœlo prolapsa Septem Cœlos Planetarum perrumperet. Quartò: Tota terra imò neque spatium intra omnem Cœli ambitum, posset cadentes Stellas excipere. Quas omnes probationes more meo sic colligo; vt vnam vim probationis efficiam. Interpretatio illa, quæ litteralis est, & quidem ita, vt alijs textibus idem tractantibus omninò concordet; quæ Receptis Mathematicorum, & Philosophorum placitis morem gerit; quæ Theologorum adhæret opinioni communi, probanda, & tenenda est præ illa, quæ, & magis est singularis, & minus concors cum alijs textibus idem tractantibus, evertitque multa placita per viros Doctos stabilita, & recepta, vt vni sono verborum dumtaxat hærere videatur. Sed sic se habet nostra interpretatio præ adversa, vt de Superioribus constitit: ergo præferenda est, & tenenda.

6 Obijcitur primò: licèt *cadere Stellas* ibi intelligi posset pro *occidendo*, vel retrahendo splendore, vt dicitur apud Ioel 2. 10. & 3. 15. *Sol, & Luna obtenebrati sunt*; *& Stellæ retraxerunt splendorem suum*; tamen non verificatur textus, qui dicit de illis, *ceciderunt super terram*. Ergo interpretatio nostra recta non est: probo antecedens. Quia dum Sol occidit, vel eclypsatur amittit lucem, vel retrahit illuminationem; at non cadit super terram: ergo dicendum est de Stellis similiter. Respondeo nego antecedens, & similiter antecedens probationis: Et pro solutione explicanda advertendum est: quomodo *cadere*, & *occidere* promiscuè vsurpantur, vt dicitur apud Plautum in Rud. *Et alia signa de Cœlo in terram occidunt* pro *cadunt*; item *cadere animo, & vigore* pro *paulatim occidere, sivè mori*. Cuiusmodi plures phrases ad invenire non est difficile; præsertim applicando verbum *cadere* rebus Spiritosis; v. gr. *cadere animo, cadere viribus, cadere fulgore, & luce*, hoc est *languescere, emori, restingui, & occidere*; quæ quidem omnia de rebus luminosis vsurpantur; ideòque dicitur *lux intercadens*, id est *tremula*, *lux moritur*, & similia, quæ quisque notaverit; quare non infrequens, & insolita est hæc acceptio verbi *cadere* dum ad Stellas applicatur, quasi *cadere* idem sit, ac *occidere*. Nec vrget argumentum illa particula *super terram*, mens enim nostra præoccupata iam, hac frequenti phrasi cadendi in terram vsurpata in Scripturis, sæpè sæpius; v. gr. *granum frumenti cadens in terram*: *aliud cecidit in terram bonam*, & similia, statim illud verbum *cadendi super terram* aprehendit idem, & eodem modo significare; licèt applicetur Stellis; atque vt videas, quam planum sensum interpretatio nostra conficiat; sic audi textum: *Et Stellæ Cœli occiderunt super terram*; (dico *Cœli*, quia ita est in Græco, & illud verbum *de Cœlo* non parum favet æquivocationi.) Nunc autem quis dicat, de Astris non esse vsitatum modum loquendi, *occidere super terram*, *obscurari super terram*, sicut dicitur *cadere super terram*, & de Sole, quod *oritur super iustos, & iniustos*: item de Sole, & Luna dicitur Genes. 1. *vt lucerent super terram*. Vnde dicere, quod *Stellæ obscurantur, & occident super terram*, nihil aliud est, quam dicere, quòd cessant ab expendendo *super terram* splendore illo, quo prius illam illuminabant. Neque insolitum est de Sole dicere, dum occumbit, quod *cadit super oceanum*, quando nimirum à nautis videtur occumbere: hoc ergo eodem modo dum Stellæ occidant, obscurari dici poterunt *super terram*. Claudo ergo solutiones cum verbis Caietani dicentis: *Quando dicitur, & Stellæ cadent de Cœlo, contextus ipse, & coniunctio Stellarum cum Sole, & Luna, cogit nos intelligere, Dominum loquutum esse de veris Stellis, quæ*

sunt in Cœlo; sed ego casum earum intelligo esse casum, non à loco, sed à lucendo, ita vt, sicut Sol obscurabitur, & Luna non illuminabit; ita, & Stellæ non lucebunt nobis, & hoc methaphoricè vocatur cadere de Cœlo. Quamobrem id, quod dicit noſtrer textus ſcilicèt: *Stellæ de Cœlo ceciderunt ſuper terram* perinde eſt, quaſi dixerit *profunda nox cecidit ſuper terram*, quæ cohærere videntur cum illis verbis, *Sol obſcurabitur*; non enim erat exigua comminatio, quód horà (meridianà; v. gr.) Stellæ ita quaſi in terram procumberent, vt ſolent tempore profundi ſoporis.

7 Obijcitur ſecundò: Verba Scripturæ intelligenda ſunt in toto rigore ſemper, ac poſsint ſine inconvenienti iuxta Aug. Sed hic nullum eſt inconveniens, vel aſsigna illud: ergo de proprio caſu veniunt intelligenda. Reſpondeo diſtinguo maiorem, *in rigore litterari*: concedo maiorem, *Grammaticaliter*, nego maiorem, & minorem: cum enim ſenſus litteralis inveniatur, vt manifeſtum eſt apud interpretes, & conſtat, ex Decadibus Regularum tàm in verbis propriè ſumptis, quàm in verbis aliqua translatione vſurpatis; non deſinunt accipi in rigore in Scriptura verba illa, quæ methaphoricè deſumuntur. Et iuxta ipſum Aug. etiam cavendum eſt, ne ſumantur propriè loquutiones translatæ; ſicut ne ſumantur translatè loquutiones propriæ. Ad methaphoricam autem acceptionem cogit nos inconveniens de abſurdis inde ſequutis, & ponderatis.

8 Obijcitur tertiò: Ex Maldonat. præſtat credere Evangelio, quam Ariſtoteli, & Mathematicis; ſed primum dicit Stellas caſuras, & ſecundi id negant propter earum magnitudinem: ergo Stellæ verè cadent de Cœlo. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: *In his in quibus conciliari non poſſunt.* Concedo maiorem: *Si placitum Philoſophicum minimè Evangelio repugnat.* Nego maiorem, & diſtinguo minorem. *Et poſſunt componi iuxta noſtram viam interpretandi* concedo minorem, *& non poſſunt* nego minorem, & conſequentiam. Quæ enim aptior via interpretandi Evangelium, quam illud accomodando cæteris ſcripturis, vti & nos fecimus; quin propterea reſpuamus placita, quæ homines Doctiſsimi receperunt? Imò in ijs Interpretum eſt opus, & labor, elegantia, & nitor.

9 Obijcitur quarto: Eatenus Methaphoricè cadent Stellæ, quàtenus cadent in fine mundi fulgura, & exhalationes terrificæ Stellarum ſimilitudinem referentes; ſed id non ſufficit ad textum verificandum: ergo nec caſus Methaphoricus. Probo minor. Signa Solis, & Lunæ poſita in textu debent intelligi de Sole, & Luna in ſe ipſis: ergo ſimiliter de Stellis, quæ ſunt in firmamento; longè autem diverſum eſt intelligere de meteoris. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: *Caſu cum aliqua Methaphora accepto.* Concedo maiorem: *Cum Methaphora requiſita ad litteram textus*, nego maiorem, & conceſſa minore, nego conſequentiam. Scio igitur plures cum Abulenſi hanc interpretationem amplecti præoccupatos colluvie fulgurum, exhalationum, & fulminum tunc eventura; ſed licèt hæc non negem, quia ante conſummationem omnium, omnia perturbantur; nihilominus vis argumenti plus poſtulat, nimirum, quòd Stellæ in ſe ipſis in tanta commotione, & ruina, aliquid portendant, nam Chriſtus Dominus in Math. 21. Ioan. hic, & Prophetę ſuprà citati eodem tenore loquuntur de ſignis eventuris in Sole, Luna, & Stellis.

QUÆSTIO

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS AD ILLA VERBA.

PATER TUUS PRIMUS PECCAVIT, &c.
Isaiæ cap. 43. vers. 27.

ARTICULUS

UTRUM ABRAHAM ALIQUANDO IDOLATRIÆ crimine pollutus fuerit?

NOTABILIA.

1 NOTO primò. Ratio dubitandi in hac quæstione nascitur ex eo, quod Abraham fuit, & semper appellatur *Pater credentium*, eiusque fides tàm integram omnium sæculorum commendationem acceperit, vt ea semper proponatur veluti regula, & canon omnibus ad credendum. Cum quibus non facilè componi videtur, ipsum Idolatriæ labe fuisse aliquando pollutum. Ex adversa verò parte militant aliqui textus indicantes, primum, sivè primòs Patres populi Hebraici peccavisse, serviviseque Dijs alienis. Unde iam suboritur articulus disputandus: *Num* videlicèt *Abraham Idolàtra fuerit aliquando, necne?*

2 Noto secundò. Vt ratio dubitandi clarescat, verba Iosephi lib. 1. Antiquitatum, qui de Abraham ita scribit. „ Fuit, inquit, Abraham vir Sa-
„ piens, æquè eloquens, & in coniec-
„ tando sagax. Cumque ob virtutem
„ eximiam Sapiens esset præcunctis ha-
„ bitus; ausus est vulgò receptam de
„ Deo opinionem convellere, & in
„ melius vertere. Ergo primus om-
„ nium clarà voce prædicavit vnum
„ esse Deum vniversitatis rerum condi-
„ torem: quæ autem ad fœlicitatem
„ conferunt, ea nobis, non nostris vi-
„ ribus, sed Dei voluntate, ac benig-
„ nitate contingere. Namque ex ter-
„ ræ, ac maris, syderumque obserua-
„ tione argumentabatur, vim esse
„ quamdam, & potestatem, quæ
„ horum omnium curam gerat, om-
„ niaque decenter administret: qua
„ cessante, nihil vtilitatibus nostris
„ serviturum, cum nihil suàpte virtute
„ polleat, sed vniversa omnipotenti
„ ipsius voluntati obsecundent: qua-
„ propter huic vni honorem deberi,
„ huic gratias agi oportere. Quam
„ obrem cum Chaldæi, & Mesopota-
mi-

„ mitæ contra ipſum inſurgerent, con-
„ ſilium ille cepit, inde migrandi: &
„ voluntate, ac favore Dei adiutus,
„ terram Chananæam tenuit, vbi ſedi-
„ bus poſitis, Deo ſtruxit aram, &
„ hoſtias mactavit. In quibus verbis videtur liberare Abraham ab Idolatria, vt ſentit Pereira.

3 Noto tertiò. Verba Philonis etiam valdè conducentia. Sic enim ait. „ Chaldæi valdè exercitati ſcientiâ ſy-
„ derali, omnia tribuentes ſtellarum
„ motibus, à quibus diſpenſari cre-
„ dunt mundi potentias, quæ conſtant
„ ex numeris, eorumque proportioni-
„ bus, venerabantur res iſtas viſibiles,
„ non percipientes inviſibilia, & in-
„ telligibilia: atque ita ex converſio-
„ nibus ſtellarum tàm errantium, quàm
„ inerrantium, & anni in quatuor
„ Tempora diſtincti, ordinati, vici-
„ bus, miròque rerum cœleſtium, ac
„ terreſtrium conſenſu, Mundum ip-
„ ſum exiſtimabant eſſe Deum: pro-
„ phanà ſanè opinione creaturam fa-
„ cientes Creatoris ſimilem. Huic
„ innutritus dogmati Abraham, & per
„ tempus longum Chaldaico imbutus
„ delirio, tamquàm pòſt altum ſom-
„ num, aperto mentis oculo, poſt-
„ quam puram lucem pro denſis tene-
„ bris cœpit intueri, ſecutus eius ſplen-
„ dorem, animadvertit, quod priùs
„ non viderat: præeſſe Mundo quem-
„ dam Aurigam; gubernatoremque,
„ qui ſui operis ſaluti provideat: nec
„ totius modo, ſed eius quoque par-
„ tium omnium curator, tutorque
„ ſit: neque enim in homine mentis
„ iuſſa totum corpus, omneſque ſen-
„ ſus vnanimiter facere: Mundum au-
„ tem omnium opus maximum, atque
„ pulcherrimum, à quo velut partes,
„ cætera pendeant omnia, deſtitutum
„ non eſſe Rectoris ſui providentiâ,
„ per quam & incolumis conſervetur
„ ipſe, & legitimè adminiſtretur. Hactenus Philo.

4 Noto quartò. Quod quamvis Torniellus tom. 1. Annal. anno 2052. conetur excuſare Abraham ab Idolatria; non tamen eſt certum, vt prorſus innocentèr credatur tùnc Idòla coluiſſe: præſertim ſi quadrageſimò octavò anno vitæ ſuæ converſus fuit Abraham ad verum Dei cultum, vt ipſe cum Genebrardo ſentire videtùr. Verba illius ſic ſe habent. *Denique ad illud, quod ait Pererius in calce tom. 2. Super Gen. Si Abraham aliquando ab Idolis ad veri Dei cultum converſus eſſet, non tacuiſſet Scriptura Sacra tàm præclarum divinæ bonitatis exemplum: reſponderi poſſet, ipſum Abrahamum, ſi quandoque Idola coluit, ſimplici quadam ignoratione id feciſſe, vt puta maiorum exempla ſequutus, & penè ab incunabulis à Parentibus ita èdoctus; nunquàm verò adverſus veri Dei cultores, ſiqui tunc eſſent, diſceptaſſe; ſed ſtatim ac divino illuſtratus lumine, Dei cognitionem accepit, relictis Idolis, Deum vērùm deinceps ex toto corde ſemper coluiſſe. Sufficere autem, quòd in ſacris libris præclariora huiuſcemodi divinæ bonitatis exempla habeantur, puta Pauli, Manaſſes, & Aliorum, in quibus multò evidentius, quàm in Abrahamo conſpicitur accidiſſe, quod ſcriptum eſt ad Rom. cap. 5. verſ. 20. Vbi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* Huc vſque Torniellus, cuius verba licèt concludere minimè valent, quod fuerit innocens Idolatria in Abraham; tamen ad rem diſcutiendam ſimul cum verbis Philonis, & Ioſephi, aliquam lucem ſunt allatura.

5 His ergo iam prælibatis duplex verſatur in hac quæſtione ſententia, quarum prima aſſerit, Abrahamum nunquam Idolatriam ſectatum fuiſſe. Quam defendunt Chryſoſtom. Homil. 36. in Geneſ. citanturque Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei, cap. 12. & Div. Hieronym. cum Ioſepho lib. 1. Antiquitat. cap. 8. & Suida verbo *Abraham*, tenentque eam Abulenſ.

Ca-

Caietan. Cornel. in Geneſ. cap. 11. Pererius tom. 2. in Geneſ. quæſt. vltim. Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit, Abraham aliquando coluiſſe Idòla, quam ſententiam tenent aliqui Hebræorum, quos citat, & ſequitur Serarius in Ioſue cap. vltim. ſect. 2. & alij, quos citat, & ſequitur Genebrardus in Chronologia anno 2049. Arias Mont. in Ioſue cap. vltim. & ibi Andræas Maſius, Alphonſus de Mendoza Quæſt. 7. expoſitiva, & in hanc magis inclinat Torniellus in Annalib. tom. 1. anno 2052. vbi ad argumenta contraria reſpondet. Ex Patribus, & antiquis citantur Auguſtin. loco ſuprà citato, Clemnes Romanus lib. 1. Recognit. S. Ephrem Serm. 2. de Pœnitent. Phylo in lib. de Migratione Abrahæ, & Cedrenus in Compendio Hiſtoriæ. Vt autem animadvertere liceat, quantum vnuſquiſque præoccupetur ſua ſententia, quàmque diverſa ſint hominum iudicia; audi Andræam Maſium ſtantem pro Idolatria Abraham: *Neque enim, inquit, eos audire poſſum, qui magno conatu Abrahamum ab hoc turpiſsimo ſcelere vindicare neſcio quibus argutijs ſtudent.* Rurſuſque audi Pereiram ſtantem pro innocentia Abrahami: *Hæc ſententia, inquit, vt longè probabilior non ſolum mihi ſemper magis placuit; ſed ita meo in animo penitus inſedit, vt eà nullis auctoritatibus, nulliſque argumentis evelli poſsit.* Ecce duos viros planè doctiſsimos tàm diversè diverſa ſentientes.

6 Nos autem calculum noſtrum adiungimus huic poſtremæ ſententiæ, cum qua ſentimus, Abrahamum, priuſquam à Deo vocaretur, more patrio Idòla coluiſſe. Quam concluſionem probo primò auctoritate Scripturarum, & quidem primò ex præſenti textu Iſaiæ 43. vbi dicitur: *Pater tuus primus peccavit.* Vnde arguo ſic cum interpretibus præſertim cum Gaſpare Sanchez ibi. Nomine Patris intelligitur Abraham: tum quia in ipſo Iſai. 51. dicitur: *Attendite ad Abraham Patrem veſtrum*, & in Evangelio ſæpè nominatur *Pater* Abraham: tum proptèr ſignum circumciſionis, quo ipſe ab alijs diſtinctus eſt. *Nunc ſic*; ſed peccatum Abraham congruentiùs ponitur in idolatria ſimplici, & ignoranti animo exercita, quàm in aliqua dubitatione poſt eius primam fidem admiſſa, vt cum alijs ſentire videtur Hieronymus, qui talem dubitationem ei adſcribunt: ergo coluit Idòla. Minor videtur certa: tum quia minus conſulere eſt fidei Abraham, eam ſemel acceptam ponere nutabundam, quàm ipſum, priuſquam vocaretur, innocenter quodammodò idolatraſſe; præſertim cum huic opinioni priſcorum, & recentiorum pars magna ſubſcribat: tum quia conformiùs eſt item intelligere hunc textum cum textu Ioſue cap. 24. qui iam ſubiungitur: ergo, &c. Probo ſecundò ex Scriptura ex textu Ioſue 24. vbi dicitur verſic. 2. *Trans flumen habitaverunt Patres veſtri ab initio Thare Pater Abraham, & Nachor, ſervieruntque Dijs alienis.* Ex quo textu ſic argumentor. Hic textus recenſet nominatim veros Patres Populi Hebraici, ſcilicèt Thare, Abraham, & Nachor; ſed in in his omnibus ait, quod ſervierunt Dijs alienis: ergo ipſa ſacra pagina ponit Abraham aliquando idolatram. Minor patet: quia, vt patet ex contextu, directè loquitur ipſe textus de ipſo Abraham; ſiquidem ſtatim convertit ſermonem ad ipſum, vocando eum *Patrem veſtrum Abraham*, quod non feciſſet, ſi duntaxat ſermo eſſet de Thare; & Abraham, & Nachor ſolum fuiſſent commemorati tranſeunter. Itaque licèt ſint in Genitivo quantum ad oſtendendam deſcendentiam ex Thare; ſunt tamen in Nominativo quatenùs ſub illo plurali *Patres veſtri* implicitè comprehenduntur. Hanc probationem ita pono, vt non in ea vim faciam, ex

ex qua aſſumptum concludam : eſt enim via probabiliſsima ex Serario, & Abulenſi in Ioſue , quod Nachor ibi memoratus , non fuit ille filius Tharè, ſed fuit Nachòr Pater Abraham: iuxta quam viam ſolus Tharè, & Nachòr probantur ſerviviſſe Dijs alienis. Sed eam probationem ſubnecto ſub ea probabilitate cum qua eam circumferunt Doctores, prout facit Andræas Maſius, de quo ait Pererius, *qui ætate noſtra Commentarios edidit in Librum Ioſue non minus ſanè catholicos, & pios, quam eruditos, & diſſertos.* Maſius autem per Nachòr ibi intelligit eum , qui fuit filius Tharè , dicens: *Nominatim autem ponitur ante oculos Tharè, & duo eius filij Abraham, & Nachòr: quod ex his vniverſa Populi Hebræi ſtirps eſſet prognata , namque à Nachòr maternum genus dnxit per Rebeccam, Liam, & Rachelem.* Quam intelligentiam quoque , vt valdè probabilem, amplectitur ipſe Pererius in Gen. lib. 16. num. 259. Neque nos illam , niſi vt probabilem cum tantis AA. vſurpamus.

7 Probo ſecundò Concluſionem ex SS. PP. Clemente lib. 1. Recognitionum aiente: *Angelus aſsiſtens ei plenius eum de his, quæ ſentire cœpit edocuit.* Secundò ex Auguſtino aiente: *Vna igitur Thare domus, de qua natus eſt Abraham, in qua vnius veri Dei cultus, & quantum credibile eſt, in qua iam ſola Hebræa lingua remanſerat, quamvis, & ipſe ſit iam manifeſtior Dei populus in Ægypto, ita in Meſopotamia ſervijſſe Dijs alienis Ieſu narrante refertur.* Ex S. Ephrem Serm. 2. de Pœnitent. *Abraham primò erat gentilis.* Ex Philone: *Mundum Caldæi exiſtimabant eſſe Deum. Huic innutritus dogmati Abraham , & per tempus longum Chaldaico imbutus delirio, tanquam poſt altum ſomnum aperto mentis oculo, poſtquam puram lucem pro denſis tenebris cœpit intueri , ſequutus eius ſplendorem, animadvertit quod prius non viderat.* Ex quibus omnibus duo poſteriores loquuntur apertè ; ex prioribus verò Clemens ſatis indicat, Abrahamum prius alitèr ſentientem paulatim de Deo benè ſentire cœpiſſe. Auguſtinus autem dum loquitur de Thare planè loquitur de ipſo cum tota ſua domo inquiens , ſerviviſſe Dijs alienis: ergo auctoritate SS. & Antiquorum conſtat etiam Abrahamum Idolatriæ aliquando deditum fuiſſe.

8 Tertiò probatur hoc diſcurſu deducto ex ſuperioribus. Deus tàm per Iſaiam , quàm per Ioſue refert Iudæis beneficia ipſis collata eò maiora quò Patres ſuos , etiam alieno cultui deditos ad , veram Dei cognitionem tanto honore traduxit : commemorans exactè illos Patres , per quos vniverſum genus Iſrael fuit propagatum Paternum quidem ab Abraham , & Maternum à Nachor , ex quo Rebecca, Lia , & Rachel deſcendunt ; ſed hoc beneficium non rectè commemoraretur præſertim in plurali apud Ioſue , niſi quatenùs etiam Abraham , & Nachòr ab ipſo veluti Idolatra referrentur : ergo ita tenendum eſt. Confirmatur primò : quia fæpènumero in Scripturis refertur beneficium factum ab Abrahamo de eò , quod Deus illud eduxerit de Vr Chaldæorum , id eſt de Patria ſua Idolatra ; ſed non ita videretur tantum , ac tàm neceſſarium fuiſſe huiuſmodi beneficium , ſi Abraham inter Idolatras verus Dei cultor extitiſſet ; & quidem tàm audax vt Patrem quoque ſuum obiurgaret ſuper Idòlis , ſicuti tradidit Ioſephus : ergo erat Idolatra , quando eductus eſt.

9 Objicies primò : Sanctos Patres faventes oppoſitæ ſententiæ , quorum primus eſt Auguſtinus , qui loco citato ſupra ait : „ Sicut per aquarum Diluvium vna domus Noè remanſerat „ ad reparationem generis humani ; ſic „ in Diluvio multarum ſuperſtitionum „ per vniverſum mundum vna remanſe-

„ ſe-

„ ſerat domus Thare, in qua cuſtodi-
„ ta eſt plantatio Civitatis. Sed plan-
tatio Civitatis in domo Thare manifeſte dicitur de Abraham: ergo cuſtoditus eſt à Diluvio ſuperſtitionum. Confirmatur ex eodem ibidem cap. 13. dicente, Nachorem non exijſſe ex Chaldæa cum Fratre, & Patre: quia fortaſsè *à pietate paterna, & fraterna deſciverat, & ſuperſtitioni adhæſerat*: ergo Pater eius Thare, & Frater eius Abraham pio cultui incumbebant; non verò ſuperſtitioſo. Secundus eſt Divus Chryſoſtomus Homil. 36. in Geneſ. dicens: *Quia non prima ætate ſecutus errorem paternum, ſed pietatem divini cultus ſervavit, ideò ſupernam viſionem ſtatim obtinuit adhuc in Chaldæa exiſtens.* Reſpondeo, quòd quamquam Div. Auguſtinus in illis capitibus videatur certè ſenſiſſe, domum Thare cultus veri Dei fuiſſe tenacem; vnde concludit dicens: *Vnde manifeſtum eſt, domum Thare perſecutionem paſſam fuiſſe à Chaldæis pro vera pietate, qua vnus, & verus ab eis colebatur Deus.* Nihilominus cum ſuprà meminerit cum Ioſue, quòd ipſe Thare ſervierit Dijs alienis, & in ordine ad hoc ſumatur Thare pro tota ſua domo, vt ſumitur in ordine ad conſervationem pietatis, & plantationem Civitatis Dei in ipſa; vel conciliandus eſt ita, vt ſentiat, quòd in Diluvio ſuperſtitionum cuſtodita eſt domus Thare; non quidem ita, vt eam nunquam ſuperſtitio tetigerit; ſed quàtenus prælecta eſt, vt in ea verus Dei cultus, & Civitas plantaretur, quæ plantatio fieret per vocationem Abraham; & Nachor poſt hanc vocationem à fraterna, paternaque pietate deſciverit. Vel ſi ita conciliari non poteſt, relinquamus ancipitem. Si verò nec-dum quieſcas; ſed malis, eum eſſe pro tua ſententia ita clarum, vt & Chryſoſtomum; reſpondeo primò, quod etiam noſtra ſententia habet Sanctos Patres Clementem, & Æphrem in Patronos, vt ſuprà retulimus. Secundò; authoritatem Sanctorum Patrum præſertim aliqua ex parte confuſſam non facere argumentum convincens, quandò ex adverſa parte Sacra Pagina militare videtur, vt ſuprà nos in relatis textibus propugnavimus.

10 Obijcies ſecundò: illa verba Iudith 5. verſ. 6. *Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt: hic primum in Meſopotamia habitavit: quoniam noluerunt ſequi Deos Patrum ſuorum, qui erant in terra Chaldæorum.* Sed dereliquiſſe patriam ſuam nè colerent falſos Deos probat, more patrio non incidiſſe in idolatriam: ergo etiam ignoranter non coluit Idòla. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: noluerunt ſequi Deos patrum ſuorum; *poſtquam notitia veri Dei eis ſatis illuxit*, concedo maiorem; noluerunt ſequi, id eſt *nunquam amplexi ſunt* Deos Patrum ſuorum, nego maiorem; & diſtinguo minorem: nè primum colerent falſos Deos, concedo minorem; nè colerent poſt agnitam eorumdem falſitatem, nego minorem, & conſequentiam. Itaque licèt primitùs domus Thare patrio more ſerviviſſet Dijs alienis; poſteà tamen, luce Dei irradiante, decrevit deſerere patriam ſuam, & Deos priſtinos, vt patet ex illis verbis, quæ ſubiunxit Achior in eodem capite ſic loquutus: *Deſerentes cæremonias patrum ſuorum, quæ in multitudine Deorum erant, vnum Deum Cœli colerent.* Cumque iuxta D. Stephanum Act. cap. 7. Abraham vocatus fuerit in Meſopotamia (quæ ex peritis Geographis Chaldæa etiam eſt, vtpotè collocata inter Euphratem, & Tigrim, vt cenſet Abulenſis) rurſuſque dicatur de Abraham cap. 11. ad Hebræos: *Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem acceperus erat in hæreditatem.* Videtur certè inferri ex Sacra pagina, quod in Meſopotamia, quæ claudit Vr Chaldæorum, domus Thare fuit idolatra: ſiquidem ibi illuſtratus fuit

Abraham à Deo priuſquam eſſet in Haram in Meſopotamia iuxta D. Stephanum.

11 Obijcies tertiò Suidam in verbo *Abraham* ſic ſcribentem: *Cumque cultus imaginum cœptus à Sarum vſque ad Thare Patrem eius viguiſſet; Abraham natus annos quatuordecim Dei cognitione illuſtratus Patrem his verbis compellavit:* Quid ſeducis homines per cultum imaginum lucri causa? Non eſt alius Deus niſi Cœleſtis totius mundi opifex? *Itaque, cum videret homines creaturæ cultum deferentes, vnum ipſe Deum animo religioſo exquirebat. Tandem illi Deus apparuit, & de terra ſua exire iuſsit.* Sed, ſi illuſtratus fuit tenera ætate, tempus non habuit ad idolatrandum: ergo non fuit aliquando idolatra. Reſpondeo primò negando maiorem: nulla enim eſt authoritas Suidæ, vt propter ipſam intelligentia Sacræ Paginæ violentiam patiatur; præſertim cum definire, tàm reſolutè ætatem, & tempus illuſtrationis Dei, loquendo de tot retro ſæculis, & tàm audacter obiurgare patrem ſuum in ætate tàm tenera inueriſimilia videantur, niſi poſt manifeſtam Dei apparitionem ipſi factam; & tamen dicit Suidas, quod Abraham poſteà exquirebat Deum animo religioſo, & quod tandem illi Deus apparuit. Reſpondeo ſecundò, quod Suidas nihil aliud vult dicere quam Ioſephus, ſcilicèt quod Abraham ſagaciter de Creaturis Deum vnicum obſervabat; atque ſuo modo magis perſcrutabatur, & inquirebat, licèt interèa Dijs alienis ſerviret: eo quod eiuſmodi veritatem planè non fuiſſet adeptus: cuius quidem animum tàm religiosè initiatum Deus tandem ſua apparitione complevit, vt in poſtremis verbis ille ſignificat.

12 Obijcies quartò: Thare, iuxta Auguſtinum lib. 16. de Civitate Dei cap. 13. & Philonem lib. de Somnis, idòla non coluit: ergo neque Abraham ductu ipſius. Antecedens patet: tum ex Auguſtino ſuprà citato, vbi ponit perſecutionem Thare propter cultum veri Dei: tum ex Philone aiente: *Thare autem deſignat virum cupidum, & avidum virtutis fructus carpendi.* Reſpondeo negando aſſumptum: textus enim ille Ioſue 24. relatus etiam invitos revocat à tali ſententia, vt de ſe fatetur ipſe Pereira tom. 2. diſp. 16. vbi, licèt conetur componere, quòd Thare in Chaldæa purus fuerit ab idolatria, & in Haram corruptus, id perſuaſu eſt difficile; præſertim propter meras coniecturas: qui enim in Vr Chaldæorum tanto zelo cultus veri Dei ardebat, quomodo poſt declinatam ſuperſtitionem ita refriguit? De Auguſtino igitur iam ſuprà reſpondimus; de Philone verò inibi conſtat, totum ſe convertiſſe ad allegorias, de quibus pro littera non paſsim, & ſemper ſumitur argumentum. Eſt ergo certum ex Ioſue, & traditione Hebræorum, & Epiphanio de Hæreſibus ſub initium, & Chryſoſtom. Homil. 31. in Geneſ. quod Thare fuit idolatra.

13 Obijcies quintò: illa verba Iudæorum Ioannis 8. verſ. 41. *Nos ex fornicatione non ſumus nati: vnum Patrem habemus Deum.* Ex quibus argitur ſic: Iudæi in his verbis dicunt, ſe non eſſe natos de idolatria; ſed paulo ante dixerant, ſe eſſe filios Abraham: ergo Abraham non fuit idolatra. Maior patet: quia in lege veteri pro fornicatione intelligitur idolatria. Reſpondeo primò ex ore Iudæorum etiam in Scripturis non ſumitur argumentum neceſſarium in teſtimonio, cum ſæpè ſit mendax. Reſpondeo ſecundò diſtinguendo maiorem: ſe non eſſe natos de idolatria *proximè*, concedo maiorem; *remotè*, nego maiorem, & conſequentiam: quia Abraham erat remotiſsimus pater ipſorum. Reſpondeo tertiò negando maiorem, ad cuius probationem dico cum Torniello, ſolum dici ſpiritualem fornicationem illam

lam idolatriam, qua homines ſemel Deo adhærentes ab illo deſciſcunt; Abraham autem fidelis ſemper à ſua vocatione permanſit.

14 Obijcies ſextò: Si Abraham aliquando fuiſſet idolatra, talem converſionem Scriptura Sacra non reticuiſſet; ſed nullibi fit de ea commemoratio: ergo nunquam coluit idola. Maior patet ex converſione Pauli, Manaſſes, & Magdalenæ relatis, de quibus dicitur ad Romanos 5. *Vbi abundavit delictum, ſuperabundavit, & gratia.* Reſpondeo primò cum Maſio aiente. „ An non pro admirabili beneficio to„ties commemorat, atque inculcat „ animis noſtris Sacra Hiſtoria, quòd „ illum quaſi manu arreptum è pa„tria, atque idolatrarum conſortio ex„traxerit? Nam Iudęi, qui fabulam de „ Vr Chaldæorum hoc eſt igne quam „ Abrahamus noluerit Patrijs ritibus „ adorare commenti ſunt, refelli non „ merentur, cum ſit certiſsimum Vr „ loci nomen eſſe. Ecce commemorationem beneficij toties repetitam in Scripturis. Præterquamquod reſpondeo ſecundò, quod ſufficeret in his commemorata fuiſſe præclariora illa exempla ad oſtendendas divinæ bonitatis divitias. Reſpondeo tertiò negando maiorem: nulla enim eſt, neque appellari debet converſio celebris illa, per quam quis ad fidem venit de puriſsima ſimplicitate ignorantiæ: vel enim in ea (iuxta illud: *Pater tuus primus peccavit*) ſolum peccatum communiſsimum, & nullius obſtinationis interceſsit; vel certè nullum peccatum formale, ſed ſolum materiale, ſi vera ſunt quæ ſuprà de Abrahamo Philoſophati ſumus. De qua doctrina exhibenda eſt ſolutio alijs textibus, in quibus Abraham commendatur; v. gr. Eccleſ. 44. verſ. *Non eſt inventus ſimilis illi in gloria, qui conſervaret legem excelſi* Hebræos 11. *fide, qui vocatur Abraham* 4. ad Romanos, & ad Galatas cap. 3. *Abraham pater credentium.* Geneſ. 24. *Dominus in cunctis benedixerat ei.* Et iuxta verſionem Syram: *Non fuit macula in Gloria eius.* Qui quidem omnes textus non obſtant quominus Abraham prius innocenter, & patrio more, & quaſi innocens, & ignorans idòla coluerit: poſtquam enim fide vocatus fuit, pater credentium, & conſervans legem excelſi, quam acceperat non habuit alium ſimilem in electione tanta, vt eſſet nimirum Pater omnium credentium: qua propter Deus in cunctis benedixit ei, & gloriam tantam nulla etiam poſtmodum labecula maculavit.

15 Ad calcem nota primò, quod ſi Eſdræ 2. cap. 9. dicitur, Deum eduxiſſe Abraham *de igne* Chaldæorum; duæ à P. Ulloa opportunæ adhibentur interpretationes quas fundat, & protegit doctrina, & exemplis Decad. 2. à num. 60. Prima eſt, vulgare quidem eſſe in Scriptura nomen proprium loci; aut perſonæ per ſui ſignificationem exponere; v. gr. *Vox in Ramà audita eſt*, ideſt, *vox in excelſo audita eſt*, & *de Vr* Chaldæorum ideſt *de igne* Chaldæorum. Secunda eſt, quod in Scriptura *per ignem* tribulationes intelligantur: ex quibus certum eſt fuiſſe eductum Abrahamum, qui inter gentes idolatras verſabatur.

16 Nota ſecundò: vnam fuiſſe vocationem Abrahami, vt defendit Cornelius: quapropter omnis idolatria commiſſa ab Abrahamo à fortiori erat antequam vocaretur: proindeque prout à nobis eſt explicata. Cum verò obijcitur illa, quæ videtur vocatio ſecunda cap. 12. Geneſ. intelligenda ſunt verba illa per prolepſim ſcilicèt *dixi* pro *dixerat* præſertim in Hebræo idiomate in quo tempora, quæ vocantur *pluſquam perfecta* deficiunt. Referri ergo debet tota illa apparientia vocationis ſecundæ ad primam, quæ contigerat in Meſopotamia. Claudit autem

Mesopotamia terram Chaldæorum, vt tradit Morenus in suo Diccionario Historico; & etiam innui videtur Iudith 5.

17 Nota tertiò: ea verba ex Tyrino in Commentarijs in Genes. cap. 12. quæ has superiores duas notatiunculas nostras sub vno tractu concernere admodum videbuntur. Ait ergo. „ Hæc tertia apparitio (*loquitur de ea „ quæ est cap.* 12.) & promisio facta est „ Abraham non in Charan (vrbe Me- „ sopotamiæ, vulgò dicta Charræ, vbi „ Crasus cladem accepit) sed in Cha- „ naanitide iam existenti, vt in Chro- „ nico probavi cap. 15. Primò ergo „ Deus apparuit Abrahamo in UR „ Chaldæorum Civitate, vt patet Act. „ 7. vers. 2. & Iudith 5. vers. 9. Se- „ cundò apparuit ei in Charan, mor- „ tuo iam Parente, & iussit pergere in „ Chanaanitidem, Genes. 12. vers. 1. „ Porrò Civitas illa Chaldæorum, vn- „ de primum excesit Abraham, voca- „ batur UR, quòd Hebraice ignem sig- „ nificat, quia Caldæi ibi ignem pro „ Deo colebant, sicut & vicini illis „ Persæ solebant in locis, quæ inde *Py- „ rea* dicta, vult Procopius, & alij. „ Hinc iubetur Abraham inde abscede- „ re, scilicèt, ad declinandum idola- „ triam, & forsan etiam persequutio- „ nem ea ipsa de causa à Chaldæis ex- „ citatam. Nam, vt demus Abraha- „ mum in pueritia sua prava paren- „ tum quorumdam, & cognatorum „ instructione idola quoque coluisse, vt „ de Patre illius *Thare*, & fratre *Nachor* „ constare videtur; verisimile tamen „ est, meliore mox avorum institutio- „ ne (nam, *& Sem*, *& Sale*, *& Heber*, „ & multi alij pij, ac constantes viri „ etiam tùm supererant) vel privata „ Astrorum consideratione creatura- „ rumque (vt vult Phylo) & peculia- „ ri instinctu Dei ad veram illius fidem, „ cultumque traductum, multa hoc no- „ mine tàm ab amicis, quàm hostibus „ pati coactum, forsan etiam supplicij „ ignis (quod Hebræi tradunt) peri- „ culum adijsse. Cui, vt eriperetur, iu- „ sisse Deum, vt indidem in Chanaani- „ tidem profugeret. Vnde Esdræ 2. „ cap. 9. vers. 7. dicitur Deus *eduxisse „ Abrahamum de igne Caldæorum*. Hucusque Tyrinus: cuius verba prolixè præter morem retuli, eò quod multiplici ex parte doctrinas superiores huius quæstionis enucleent, atque concernant: nisi quòd non videntur, vnicam, vt nos cum Cornelio suprà, Abrahami vocationem admisisse.

(?)

JHS.

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

PRIUSQUAM TE FORMAREM IN VTERO novi te: & antequam exires de vulva sanctificavi te. Ierem. cap. 1. vers. 5.

ARTICULUS.

AN PROPHETA IEREMIAS IN VENTRE Matris fuerit sanctificatus?

NOTABILIA.

1 SUPPONO primò, Deum per volumina Scripturarum loqui hominibus omnium sæculorum: tum quia ipsa Scriptura dicit: *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt*: tùm quia, cum sit verbum Dei, & Dei verbum maneat in æternum; verbum autem quandiù percipitur semper loquatur, signetque mentem loquentis, inde est quod Deus in Scripturis suis cunctis generationibus loquitur. Suppono secundò, verba non esse sicut conceptus mentis in significando: quippè cum conceptus mentis per suam essentiam repræsentet, nunquam potest variare significationem; voces autem ad placitum hominum significantes iuxta diversum eorumdem placitum, & acceptionem diversa significant: Itaquè vox, quæ anteà temporis vnum significabat, nunc temporis potest aliud significare. Et ex hoc tractu temporis provenire solet accommodatio illa, qua voces vltra significata propria subinduunt significata Metaphorica: eo quod hominum placitum proptèr similitudinem vnam compellent nomine alterius. Itemque ex diversa vsurpatione, & variatione vocum in significando (etiam propriè) prout videlicèt pro hoc, vel illo conceptu subsistuuntur, solet enascit illa discrepantia, quæ super intelligendis dogmatis observari potest; & quæ non semel fuit Hæreticis occasio aberrandi. Hinc nascitur quod illa vox *sanctificare*, quæ in temporibus antiquæ legis non causantis gratiam eius infusionem significare non poterat; modo in lege gratiæ pro infusione, vel augmento gratiæ potissimum, & quasi Antonomasticè vsurpetur, ita vt id modo videatur esse huius vocis primum significatum: quare

ſi olim hæc vox, quæ dicitur *ſanctificare*, & Hebraice eſt *Kadàs*, habuit illa ſignificata, quæ referunt Pagninus in Theſauro, & Schilderus in Lexico, ſcilicèt *præparare*, *conſecrare*, *eligere*, *à prophano ſegregare*, *&c.* Fuerunt quidem ſignificata propria, ſed quaſi figurativa alterius ſignificati principalioris poſteà venturi, ſcilicèt *Deo gratum facere*: quippè vox illa per Deum prolata non debet vni tantum eius ſignificato alligari ; ſed ſupponi pronuntiata à Deo loquente cum hominibus in omnibus illis ſignificationibus, quas de humano placito ſit habitura, & principalius, in principaliori: Deus enim, dum loquitur, loquitur cum notione comprehenſiva verborum.

2 Suppono tertiò, poſſe aliqua verba poſt aliqua ſæcula incipere ſignificare hominibus aliquid, quod nondum ipſis manifeſtaverant, niſi in actu primò remoto: quia donec illa verba de humano placitò talem ſignificationem ſuſciperent, non poterant id hominibus manifeſtare ; Deus autem ſciens omnes omninò ſignificationes, quas tales voces, & verba ſuſceptura ſunt vſque ad finem, à principio eas omnes complexus eſt ita, vt cum ſignificat vnam veritatem de præſenti, non deſignat de præterito aliam ſignificaviſſe, neque excludant in futurum aliam ſignificandam: quarum diſcreta notio, & concordantia pertinebit ad Doctores.

3 Suppono quartò id, quod infertur ex dictis, ſcilicèt quod ſi Deus loquitur noſtris temporibus per ſua verba Sacræ Scripturæ ; & ſi verba noſtris temporibus propriè ſignificant in illa ſignificatione, qua modo vſurpantur apud homines, falleret nos Deus, ſi non daretur ex parte rerum illud ſignificatum, quod modo talia verba propriè ſignificant : deberet enim Deus dum vult loqui ſemper hominibus per ſuas Scripturas ; & dum earumdem cuncta, & perpetua ſignificata habenda internoſcit numquam in eis vſurpaviſſe illas, quæ cogerent nos ad intelligendum id, quod neutiquam extitiſſet in re. Cuius rei explicandæ cauſa fingamus, & adaptemus exemplum. Supponamus Regem aliquem præſcium omnium earum ſignificationum, quas per centum annos habiturum eſt idioma Patriæ ſuæ decernere conficere hiſtoriam, quæ omnibus in tali ſæculo victuris ſit loquutura ; & quod in tali hiſtoria habetur huiuſmodi Propoſitio: *Petrus audivit concionem.* Hoc poſito notandum eſt, quod poſt elapſos quadraginta, vel quinquaginta annos vſus, & humanum placitum ita verba immutavit vt *audire* iam ſignificet *ſectari* ; & *concio* iam tractu temporis in malam partem ſumi conſueverit, vt fit in alijs verbis: proindeque *concio* iam tunc ſignificet *congregationem iniquitatis.* Modo mecum attende, & rogo. Si hic Rex ex vna parte noſcebat talia verba tunc temporis hunc ſenſum habitura; & ex alia volebat per talia verba loqui hominibus in illo medio ſæculo victuris, quomodo credi poteſt quod eos non voluerit decipere: ſiquidem apponit eis ſigna ducentia in cognitionem eius, quod non eſt in re, nec in mente eius ? Ita certè videtur. Igitur in tali hypotheſi tenetur, vel ad non deſtinandum ſermones ſuos prædictæ poſteritati, vel ad diſponendum ita ſermones ſuos (quod ſic, vel ita prænoſcit eſſe variandos) vt ſemper vera retineant. Ad hunc ergo modum Deus infinitè ſapiens in noſcendo ſignificationum varietatem, quàm verba humana ſunt habitura: item infinitè ſapiens in vſurpandis combinationibus eorum verborum credendus eſt, dum conficit ſermones cunctæ poſteritati loquuturos, ea verba elegiſſe, & combinaſſe quibuſcum etiam variatis, & aliter ſignificantibus, ſemper verum exprimeret, ac retineret; alioqui etſi

non

non falleretur ; nos tamen fallere videretur. Vbi demùm adverto , quod quando loquor de ſignificato vocum prout de præſenti vſurpetur tàm id pronuntio de ſignificato proprio , ſi id eſt , quod in vſu , & acceptione hominum prævalet , quam de Metaphorico, ſi id ſit quod prævaleat. V. gr. dum dicit Chriſtus : *Ego ſum vitis vera, &c.*

4 Hæc notabilia videbuntur forſitan ne dum extra metas articuli divagari , verum & continere meditationem , neque multis tritam , neque parum difficilem. Ego verò ratus in hoc ſecundo me ſatis clara proponere , & quæ abundè obiectiunculis ſatisfaciant , dico vlterius pro hominibus ita merè Scholaſticis, vt Sphæram Biblicam benè non calleant , eiuſmodi cogitationem , quamquam ſubtilitèr videatur eſſe præciſa ; nihilominus pro ſenſibus , catholiciſque dogmatis retinendis , plurimum habere ſubſidij , & ſoliditatis. Et quidem licèt videatur ad præſentem articulum huiuſcemodi doctrina non attinere , falſum eſt , ſi nimirum difficiliùs punctum huius articuli ſuſtineatur , nimirum quod ex textu thematis non ſolum poſſumus, ſed cogimur , debemuſque aſſerere, Ieremiam in vtero Matris fuiſſe ſanctificatum : quarè Pater Chriſtophorus de Caſtro , qui totum Ieremiam doctiſsimè diſcutit opportunè ait: „ Alte„ rum , quod duximus præmittendum „ hoc eſt. Nos hic non diſputare „ vtrum Ieremias ſic fuerit in Matris „ vtero ſanctificatus , vt à culpa origi„ nis fuerit ibi expurgatus , vt Ioan„ nes Baptiſta : qua in re nec Sancto „ Ieremiæ honorem hunc adimere vo„ lumus , nec ſuam Sanctis Patribus „ auctoritatem ; ſed tantum vtrum hic „ locus indubiè nobis id tradat , an „ diverſum aliud ? Hoc enim interpre„ tis munus eſt. Cum igitur ad viden„ dum : an indubiè nobis tradat hic locus talem ſanctificationem Ieremiæ plurimum conducant ſuppoſitiones factæ , vt ex ſecunda parte noſtræ concluſionis coſtabit , ideò eas præmiſimus , præſertim cum etiam ad articulum directum : num videlicèt re ipſa Ieremias in vtero ſanctificatus fuerit, necne ? non parum vtilitatis ſint allaturæ.

5 His igitur prænotatis , duplex in hac re verſatur ſententia. Prima aſſerit , Ieremiam in vtero ſanctificatum fuiſſe. Hanc defendunt Origenes Homil. 1. in Ieremiam. Athanaſius orat. 4. contra Arianos ad medium. Ambroſius lib. 1. in Lucam cap. 5. Nazianzenus orat. 1. Apologetica verſus finem , & orat. in funere Patris. Cæſarius eius frater Dialogo 3. & 4. Chryſoſtomus ſerm. 1. de Ierem. tom. 1. Hieronymus hic ad Epheſios 1. & infra cap. 23. D. & in 1. caput ad Galatas , & in Apologia contra Rufinum ad Pamachium Littera D. & lib. 1. contra Iovinianum. Ioannes Magentius lib. 1. Dialogi contra Neſtorianos tom. 5. Bibliothecæ Sacræ. Petrus Damianus ſerm. de Sanct. Ioann. Bapt. Bernardus ſerm. de eodem. Commentator in hunc locum Sanct. Thom. Rabbanus , Hugo , Lyra , Dionyſius. Item Sanct. Leo , Suarez 3. part. quæſt. 27. art. 2. diſputat. 3. ſect. 1. Barradas in Lucam 1. verſ. 44. Antonius Fernandez de Viſionibus, viſion. 11. quos affert Cornelius in hunc locum. Item Pater Martinus Delrio in opuſculo verè aureo ſuper Threnos Ieremiæ. Prologom. 2. num. 4. Citarique poteſt Caſtro iuxta verba , quæ ſuprà retulimus.

6 Secunda ſententia negat talem ſanctificationem in vtero Ieremiæ factam fuiſſe. Cuius ſententiæ ſunt plures Patres , & Doctores , licèt paucu-lum differe videantur in interpretatione illius verbi *ſanctificavi* ; immò in vtramque convenire videantur vtri-

que

que vt videre eſt apud Caſtro, qui per otium illos recenſet ſcilicèt Irenæum lib. 5. adverſus Hæreſes cap. 15. Clementem Alexandrinum lib. 1. Pedago. cap. 7. Anaſthaſius Nizenus, tom. 6. Bibliothecæ Patrum quæſt. 59. Auguſt. Epiſt. 57. ad Dardanum quæſt. 2. Theodoretus in hunc locum. Ildephonſus lib. de Perpetua Virginitate Deiparæ. Paraphraſis Chaldæa Rabbi Salomon Abulenſis in Iudices cap. 13. quæſt. 1. Maldonatus in Ioann. verſ. 36. Arias Montanus in Sophoniam 1. Gaſpar Sanchez, & Caſtro in hunc locum, quàtenus aſſerit id ex tali textu indubiè non colligi. Citantur etiam pro hac parte ab ipſo Ianſenius cap. 20. Concordiæ, & Salmeron tom. 2. tractatu 34. & tom. 4. part. 3. tractatu 1. Præter hos omnes favere creduntur huic ſententiæ Chryſoſtomus Homil. 1. in Epiſt. ad Roman. Hieronymus 1. ad Galatas. Bernardus Epiſt. 174. Cum tamen hi pro prima ſententia citati quoque fuerint, in vtramlibet partem poterunt ſuffragari.

7 Sit noſtra Concluſio: ***Ieremias in vtero Matris ſuæ gratiam iuſtificationis accepit: idque videtur neceſſariò dicendum ex vi textûs, circa quem diſputamus.*** Dúas partes habet noſtra concluſio. Probo primam poſteà probaturus ſecundam. Primò ab auctoritate Div. Greg. Nazianz. in Apologetico aientis: „Unius adhuc mentione facta, eius „videlicèt, qui antequam fingeretur, „deſtinatus, & ex vtero ſanctificatus „fuit: Ieremias is eſt: reliquos tranſi„bo. Div. Athanaſ. ſerm. 4. contra Arrianos in medio dicentis: „Per „multi fuere viri ſancti puri omnis „criminis: ſiquidem Ieremias ex vte„ro ſanctificatus fuit. Div. Ambroſ. lib. 1. in Luc. cap. 5. aientis: „Deni„que & alibi vivendi ſubſtantiæ præ„currere ſanctificandi gratiam potui„mus advertere cum dicit Dominus: „Priuſquam te formarem in vtero no„vi te: & priuſquam exires de vulva „Matris ſanctificavi te, &c.

8 Secundò probatur à ratione ex Regula Divi Auguſtini: verba Scripturæ in omni proprietate ſumenda ſunt, niſi aliquod ſequatur abſurdum; ſed illa vox *ſanctificavi* in omni proprietate ſignificat infuſionem gratiæ; & aliunde nullum ſequitur abſurdum de eo quod in tali ſignificatione ſumatur; ergo ita ſumi debet: proindeque Sanctus Ieremias antequam exiret de vulva gratiam iuſtificantem accepit. Tertiò: eàtenus talis vox non ſignificaret ſtrictam iuſtificationem quàtenus in toto illo textu, ſermo eſſet de electione, ſegregatione, & deſtinatione Ieremiæ in Prophetam; ſed textus ipſe vtrumque clara explicatione componit: ergo ita eſt accipiendus. Probo minorem: Textus in prima parte ſignificat ordinem providentiæ, & prædeſtinationis Ieremiæ in Prophetam ab æterno, & antequam veniret ad vulvam Matris; in ſecunda verò ponit ordinem executionis, & quaſi effectum inchoatum talis prædeſtinationis, ſegregando ſibi in executione Ieremiam adhuc in vulva; ſed talis ſegregatio executiva vnicè poteſt intelligi facta per infuſionem gratiæ antequam exiret de vulva: ergo ita debet intelligi. Maior patet ex ipſo textu ſic aiente: *Priuſquam te formarem in vtero novi te.* Ubi dicit Nazianzenus: *Antequam fingeretur deſtinatus.* Ecce in prima parte textus ordinem providentiæ, & prædeſtinationis. Poſteà proſequitur dicens: *Et antequam exires de vulva ſanctificavi te*, quaſi diceret: *Cum ab æterno, & ante formationem tuam prælegiſſem te in Prophetam; in vulva adhuc te exiſtentem conſecravi, ſeu ſacro caractere initiavi.* Probo minorem: tum quia nullum aliud ſignum nobis conſtat impreſſum fuiſſe Ieremiæ in vulva Matris, quo in executione initiaretur ad Prophetiam: tum quia ad talè

mi-

miniſterium; ad quod deſtinabatur Ieremias aptiſsimum executionis initium erat, quod gratia præcox præveniret vas illud, quod portaturum erat nomen Dei coram gentibus. Confirmatur ex Eccleſiaſtico 49. vbi dicitur: *Ieremias à ventre Matris conſecratus Propheta*; ſed ly *conſecratus* non congruè accipitur pro mera deſtinatione decreti; ſed potius pro munditie originalis: ergo ita debet intelligi. Minor patet: quia non videtur ſufficere ad hanc vocem *conſecratus* purus ordo intentivus: potuiſſet enim Cayphas longo ante tempore dici conſecratus eò quod à Deo deſtinatus fuiſſet ad dicendam illam celeberrimam prophetiam: *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, &c.* Tùm quia quomodo poteſt Deus ſibi conſecrare aliquid immundum, infectumque labe peccati; relinquendo illud in tali macula, quàm penes ipſum Deum ſolum erat auferre? Sic autem dicendum eſſet de Ieremia, ſi in ventre Matris ita conſecratus fuiſſet à Deo, vt ab originali non fuiſſet mundus. Confirmatur ſecundò: Ieremias præ alijs Prophetis delectus eſt, vt ſpecialiſsimè pro vrbe, & Populo prophetaret, & in ſumma rerum confuſione ſuſtineret Populum Iudæorum: ergo congruum erat, vt præ alijs quoque Prophetis dono ſpecialiſsimo munieretur, ita vt cum exiret in mundum, ſub eius poteſtate, tenebriſque non caderet; ſed cum gratia Dei adverſus Rectores mundi, poteſtateſque tenebrarum harum poſſet decertare. Vbi pro claritate advertendum eſt, duplicem conſecrationem in executione factam fuiſſe huius Prophetæ. Primam internam, & in vulva Matris, & inchoatam per infuſionem gratiæ ſanctificationis. Secundam externam, & conſumatam, quando ſcilicèt accidit quod memoratur, verſ. 9. *Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum: & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo, &c.*

9 Probo iam ſecundam partem meæ concluſionis, ſcilicèt quod ex vi noſtri textus videtur neceſſariò dicendum, Ieremiam in vtero Matris fuiſſe Sanctificatum. Primò ex ſuperius tacta regula Divi Auguſtini, ſcilicèt quod vox *Sanctificandi* proprijſsimè ſumenda eſt quoties aliquod abſurdum non ſequatur: quemadmodum hic vllum ſequi non video. Secundò: quia ſi Ieremias non fuiſſet in vtero Sanctificatus, Deus in tali textu aliqua ex parte nos falleret: ergo neceſſariò id dici debet. Probo antecedens: Deus nobis verè loquitur omnia verba Scripturarum ſecundum ſenſum proprium, quem ſecum ferunt, niſi reſultet intelligentia prorſus abſurda; ſed in his temporibus, in quibus ita nobis loquitur Deus *Sanctificare aliquem in vtero* propriè eſt à culpa mundare, vel augere gratiam iuxta illud: *Qui Sanctus eſt ſanctificetur adhuc.* Ergo ſi Ieremias ita non fuiſſet ſanctificatus, Deus nobis propria locutione diceret id, quod ex parte rerum non eſſet; ſed hoc eſt fallere: ergo nos falleret. Maior conſtat ex ſuppoſitionibus præmiſsis initio Quæſtionis, & ex doctrina Divi Auguſtini lib. 12. Confeſsionum à cap. 24. & ſequentibus, vbi ait, Deum per verba Scriptoris Canonici nobis loqui omnes omninò ſenſus veros, qui in verbis talibus comprehenduntur, vt fuſiùs ibi videre poteris, & etiam in diſputatione noſtra de æterna ſalute aliquorum, qui in Diluvio perierunt.

10 Obijcitur primò contra primam partem concluſionis: Verbum *Sanctificavi* poſitum in noſtro textu ſignificat conſecrationem Ieremiæ in Prophetam; ſed talis conſecratio non dicit mundationem à peccato originali: ergo nullum datur fundamentum ad id aſſerendum. Maior conſtat ex Eccleſiaſtico cap. 1. verſ. 9. vbi dicitur de Ieremia quod *à ventre Matris conſecratus eſt Propheta.* Minor probatur: con-

ſecratio etiam Sacerdotalis non aufert maculam peccati inhærentis in anima: ergo neque conſecratio in Prophetam, quæ minor eſt, & magis remota. Antecedens patet in conſecratione, & ordinatione tàm Presbyteri, quàm Epiſcopi, quæ totum ſuum effectum ſortitur licèt ordinatus, vel conſecratus ſit in peccato mortali. Confirmatur ex Paraphraſi Caldaica, vbi dicitur: *Antequam venires ad ſæculum præparavi te Prophetam.* Sed hæc præparatio contenta eſt cum Divino Decreto, & electione Ieremiæ in Prophetam: ergo non interceſsit Sanctificatio Ieremiæ in vtero Matris ſumpta pro munditie Originali.

11 Reſpondeo nego minorem, ad probationem eius minoris diſtinguo antecedens: non aufert neque *formaliter*, neque *præſuppoſitivè*, nego antecedens; præcisè *formaliter* concedo, vel permitto antecedens, & nego conſequentiam. Itaque conſecratio Sacerdotalis verè trahit ſecum liberationem à peccato; etſi non formaliter; tamen præſuppoſitivè: nam prærequiritur in peccatore iuſtificatio ad tale Sacramentum: vnde hæc conſecratio abſolutè loquendo importat, & dicit munditiem à peccato; imò, & loquendo de communicatione gratiæ, talis conſecratio formaliter, & per ſe affert augmentum gratiæ in anima, vbi non fuerit obex peccati; in illa verò anima, vbi fuerit obex peccati fortè per accidens poterit primam gratiam cauſare, ſi animam ſatis diſpoſitam inveniat, quemadmodum de Euchariſtia dici ſolet. Ita Conink de Sacram. quæſt. 62. artic. 1. dub. 2. num. 22. Ad confirmationem diſtinguo minorem: niſi darentur verba noſtri textus, concedo minorem; poſitis illis, nego minorem, & conſequentiam: ſiquidem verba noſtri textus habent maiorem authoritatem Vulgatæ, & ſunt pro nobis longè clariora.

12 Obijcitur ſecundò: ſi dicta verba probarent Sanctificationem in vtero reſpectu Ieremiæ, idem dicendum eſſet de Divo Paulo propter illa verba Apoſtoli: *Poſtquam placuit ei, qui me ſegregavit de vtero Matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, vt revelaret filium ſuum in me.* Et idem de Iacob propter illa verba ad Romanos 9. *Antequam nati fuiſſent, Iacob dilexi; Eſau autem odio habui.* Sed propter talia verba dici non poteſt quod Patriarcha Iacob, & Divus Paulus fuerint Sanctificati, ſeu mundati ab originali in ventre Matris eorum: ergo neque de Ieremia. Patet minor de primo: quia odium Eſau contrapoſitum ad amorem Iacob non benè explicatur, vt quid ſpeciale: ſiquidem odium propter originale commune eſt omnibus; ibi autem quemadmodum de dilectione, ſermo eſt de ſpeciali demonſtratione odij, quam melius explicabunt qui de æterna reprobatione, æternaque prædeſtinatione reſpectivè textum interpretentur. Patet de ſecundo: quia, vt conſtat ex Divo Paulo in Epiſtol. vocatio per gratiam fuit in tempore converſionis; ſegregatio autem fuit in vtero; quæ quidem ſegregratio non importat munditiem à peccato originali, ſed quaſi deſtinationem, & prædeſtinationem ad futurum Apoſtolatum: quemadmodum enim de Figulo dicitur, quod alia vaſa ſegregat in honorem, & alia in contumeliam ex illis, quæ in eadem rota formantur, ſic eſt proverbialis forma loquendi *ſegregare ex vtero*: quippè in vtero electa, & reprobata vaſa formantur.

13 Reſpondeo ad argumentum primum concedendo ſequelam, & negando minorem iuxta doctrinam Sancti Ephrem in Oratione de transfiguratione dicentis, Moyſen fuiſſe ſanctificatum in vtero, & Sancti Ambroſij lib. 4. de Fid. cap. 4. idem dicentis de Iacob Patriarcha, & iuxta doctrinam aliorum, qui idem ſentiunt de

San-

Sanſone, Sancto Ioſepho, & Iacobo fratre Domini, vt videre eſt apud Cornelium loco citato. Ad probationes autem dico, & in primis ad primam, quod benè poteſt ſalvari Eſau odio habitus in vtero Matris vnicè propter peccatum originale: quia contrapoſitio illa præcipuè tendit ad demoſtrandum ſpeciale aliquid in Iacob, quod rectè ſalvatur, ſi ita explicetur ille textus: *Iacob dilexi; Eſau autem odio habui; id eſt gratia mea anticipata eſt dilecto meo Iacob; Eſau autem reliqui in ſtatu odij, &c.* In quo ſatis apparet particularitas beneficij, quæ ipſi donabatur præ fratre ſuo: quia deſtinabatur in Patrem populi Dei, & Prophetam de gratia ventura: quare & ipsà fuit opportunè pręventus.

14 Reſpondeo ſecundò negando maiorem: non enim faciunt paritatem relati textus cum textu Ieremiæ, qui loquitur ſub tam expreſſa forma loquendi *Sanctificavi te* vt vix relinquat locum ad aliter interpretandum. Ad textum de Iacob dico, pluſquam ſufficienter ſalvari per id, quod ibi Deus ſe voluerit vtriuſque Figulum figurare, deputando nimirum, quaſi ab officina ſua, & tempore formationis aliud vas in honorem, ſcilicèt Iacob, deſtinando illum ad tot benedictiones poſteà futuras; & aliud vas in contumeliam, ſcilicèt Eſau, deſtinando illum ad perditionem primogenituræ, & benedictionis. Ad ſecundum textum de Divo Paulo dico, ly *ſegregavit me ex vtero* explicari apud Cornelium per hæc verba: *In hunc mundum naſci me fecit, & in lucem edidit.* Ex quibus patens ſenſus eſt: *Poſtquam ille, qui me adduxit in mundum, voluit me vocare per gratiam continuo non acquievi, &c.* Naſci enim quid eſt aliud, niſi ex vtero ſegregari? Vbi notare lubet, quod Cornelius in hunc locum non benè ſibi cohæret cum ijs, quæ adducit ſuper Ieremiam: videtur enim ad interpretationem divinæ prædeſtinationis declinare.

15 Obijcitur tertiò: eàtenus Ieremias in vtero Matris fuiſſet mundatus à culpa, quàtenus Deus nihil poteſt ſibi conſecrare quod ſit immundum; niſi illud mundando pro priori ad conſecrationem; ſed hoc fundamentum eſt nullum: ergo nullum datur. Probatur minor: poterat decretum de iuſtificatione Ieremiæ eſſe in ſigno priori ad conſecrationem Prophetæ, & miſsionem ipſius, & ad decretum eorum; ſed in eò caſu Deus non decerneret conſecrationem, & miſsionem, niſi poſt iuſtificationem, pro priori præcedentem; & aliunde executio vtriuſque decreti, & conſecratio Prophetæ congruentiſsimè ponitur in illis verbis Domini ad Ieremiam: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes.* Quæ verba dicta fuerunt ipſi iam adulto: ergo nullum eſt fundamentum talis præcedentia ad ponendam talem Sanctificationem in vtero. Reſpondeo negando minorem, & ad eius probationem nego minorem quoad ſecundam partem, vel diſtinguo illam claritatis gratia: conſecratio perfecta, & conſummata Prophetæ, concedo minorem; initiatio conſecrationis, nego minorem: debemus enim omnes Scripturas componere, & vnicuique tribuere ea, quæ ſibi poſcere videbuntur: vndè, licèt velimus illud verbum *Sanctificavi* in toto rigore non ſumere, debemus ſaltem retinere verba Eccleſiaſtici dicentis fuiſſe conſecratum in vtero: dicereque proinde, quòd in vtero fuit conſecratio initiata; licèt per poſteriora verba quando miſſus fuit Ieremias, talis conſecratio conſumaretur. Nunc ſic; ſed initium conſecrationis debet pro priori naturæ ſupponere munditiem à peccato, nè Deus conſecrare ſibi dicatur immunda, quin pro priori illa ſanctificet: ergo nedum in ordine decretorum, & intentivo ponenda eſt mundificatio pro priori ad conſecrationem; ſed etiam in ordine executivo iam memo-

rato, qui incœpit in vtero, ita vt inibi ipſiſsimum *conſecrare* fuerit mundificare; vel ſaltem hoc præſupponi ſemper deberet ad illud.

16 Obijcitur quartò pondus authoritatis multorum Patrum, quos pro ſententia nobis contraria retulimus; ſpecialiter autem Sanctum Ildephonſum lib. de Perpet. Virginit. B. V. Mariæ inferentem, Ieremiam in vtero purgatum ab originali non fuiſſe, eò quod dies nativitatis eius fuerit maledicta. Confirmatur: quia celebriores Interpretes id negant, vt ſunt Rabbanus ſequutus Hieronymum, celebris Maldonatus, Arias Montanus, Ianſenius, Salmeronius, Caſtro in Ieremiam ſemper inſignis, Gaſpar Sanchez, & tandem Abulenſis in Iudices cap. 13. quæſt. 17. vbi ait: *Falſiſsimum eſt, quod habeant motivum in Sacra Scriptura ad aſſerendum, Ieremiam fuiſſe à culpa liberum ex vtero Matris.* Sed hic chorus interpretantium certè videtur in his temporibus legem eſſe daturus: ergo cum ipſo nobis eundum eſt. Reſpondeo reponendo plures, & priſcos, & graves Patres, qui, vt ſuprà vidimus, favent noſtræ ſententia: & licèt Cornelius dicat de Beato Ildephonſo, quod id dixerit minus probabiliter, ego id non dico; ſed tamen oſtendo eius verba ſic ſe habentia: „ Vnde etſi Ieremiæ dies, atque Iob maledicta pronuntiatur, „ dies, inquam, nativitatis eorum; ta„ men dies quando inchoata eſt fœlix „ Mariæ nativitas beata pronuntiatur. In quibus certè cuncta ſunt vera; ſed nobis non incommoda: dici enim tales dies maledictas reduci poterit ad proverbiales deprecationes, ſivè imprecationes humanæ miſeriæ; in tempore illius legis in quo quærebantur temporalia, & proſpera; & execrabantur adverſa: commoda verò erant Divo Ildephonſo: ſiquidem dies nativitatis B. Mariæ, neque his proverbialibus vmbris maledictionis aſpergebatur; quod ſi non ad probationem Divo Ildephonſo; ſaltem ipſi in maiorem nitorem ſui argumenti reſultabat. Ad authoritatem Interpretum dicendum eſt; ipſos eſſe quidem nobiliſsimos, & legem daturos, niſi (poſt plures Patres, quibus cum imus) alij quoque nobiliſsimi non exererent caput, vt ſunt Div. Thomas, Pater Franciſcus Suarez, Barradas, Cornelius, & Caſtro, vt ſuprà memini; citarique poſſet Antonius Fernandez de Viſionibus, viſion. 11. vbi ait: *Videturque hic communis Doctorum, & fidelium ſenſus, ita vt de eo iam dubitare non liceat.* Plura de authoritate quis velit?

17 Obijcitur quintò: in textu noſtro ly *Sanctificavi* ſumi debet de præordinatione ab æterno: ergo non de iuſtificatione. Probatur antecedens: illa adverbia *antequàm*, & *priuſquàm* ita ſumenda ſunt in ordine ad præteritum, vt ambiant præteritum æternum, aut infinitum; v. gr. *Antequam Abraham fieret ego ſum.* Ioann. 8. ſed ſi illa verba dant talem amplitudinem non eſt fundamentum ad ponendam Sanctificationem in vtero: ergo, &c. Minor patet: quia ly *Sanctificavi te* venit modificatum à prædictis adverbijs ſecundum latitudinem ſuæ ſignificationis. Maior probatur: quia illa adverbia in ordine ad tempus præteritum ſe habent ſicut adverbium *donec* in ordine ad tempus futurum; ſed adverbium *donec* ſignificat futurum indefinite, vt tradit Hieronymus Math. 1. ſuper illa verba: *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum, &c.* Ergo illa adverbia indefinite ſunt accipienda. Repondeo diſtinguendo antecedens: de præordinatione ſola, nego; de præordinatione ſimul cum iuſtificatione in vtero, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Licèt enim fateamur illam amplitudinem ſignificandi in illis adverbijs; nihilominus, cum verba Eccleſiaſtici planè dicant, ipſum fuiſſe con-

conſecratum in ventre Matris; & iuxta explicationes noſtras optimè intelligatur hoc initium conſecrationis per mundationem ab originali, ita illud defendimus non inficiantes, quod ab æterno præordinatus fuerit Ieremias; addentes tamen, quod in tempore vteri cum iuſtificatione ab originali initium ſuæ conſecrationis accepit: nulla enim in eo præter hanc initiatio conſecrationis apparet in vtero, vel aſsigna in quo alio talis conſecratio in vtero præſtabatur.

18 Obijcitur ſextò: Divus Hieronymus, vel Petrus; v. gr. dicitur ab æterno præordinatus Sacerdos; & tamen ab æterno Sacerdos non fuit: ergo licèt ab æterno præordinatus fuiſſet Ieremias Propheta; potuit fieri eius ſanctificatio poſt nativitatem ipſius. Reſpondeo concedendo totum argumentum; nos autem dicimus, quòd, licèt potuerit poſteà fieri; tamen in vtero Matris facta fuit talis ſanctificatio, initiataque conſecratio Ieremiæ. Ubi nota, quòd quemadmodum homo multis ante annis deſtinatus ad Sacerdotium, & calix multis antea annis deſtinatus ad aram, dicuntur verè deſtinati; ſed non conſecrati vſque dum conſecrantur; ita vt Ieremias dicatur in vtero conſecratus aliquod initium conſecrationis executivum in vtero ponendum eſt, quod aliud eſſe non poteſt, niſi ſanctificatio ab originali.

19 Obijcitur ſeptimò contra ſecundam partem Concluſionis: non poteſt neceſſariò intelligi in aliquo ſenſu ille textus, qui ex neceſsitate ita acceptus poteſt abſurdum inducere; ſed aliquod abſurdum ſequitur, ſi textus noſter neceſſariò accipiendus ſit iuxta noſtram intelligentiam de iuſtificatione Ieremiæ à peccato: ergo ita neceſſariò ſumi non poteſt. Probatur minor: per nos eàtenus ita neceſſariò ſumendus eſt, quàtenus illud verbum *ſanctificavi* nunc temporis ex placito omnium Doctorum ſignificat gratiæ infuſionem, & cum eo verbo nobis nunc etiam Dominus loquitur per textum ſuum; ſed inde ſubnaſci poteſt abſurdum: ergo ex tali ſenſu neceſſariò admiſſo, abſurdum promanat. Probatur minor: multa verba nobis in Scripturis nunc Dominus loquitur, quæ non debent accipi in propietate ſignificationis, quam habent ex communi hominum placitò, eo quod inde manifeſtum ſuboriatur abſurdum: ergo ex tali ratione, & fundamento abſurdum enaſcitur. Antecedens patet: dum Chriſtus in Scripturis ſæpè dicitur *Vitis*, *Agnus*, *Petra*, *Lapis angularis*, & cætera huiuſmodi, quæ, cum in proprietate ſuæ ſignificationis ſignificent inſenſibilia, ſtatim abſurditas naſceretur, quod Chriſtus Dominus verè eſſet huiuſmodi, quo quid abſurdius? Reſpondeo negando minorem, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: ideò, & quia ſubiectum, cui applicatur talè ſignificatum proprium, capax eſt proprietatis illius, concedo maiorem; ſine tali capacitate, nego maiorem, & minorem, & conſequentiam. Ad probationem autem diſtinguo antecedens: quæ non poſſunt intelligi propriè proptèr incapacitatem evidentem ſubiecti ad talia prædicata, concedo antecedens; data capacitate ad ſignificata propria illorum prædicatorum, nego antecedens, & conſequentiam. Igitur in hac re cum omni ſubtilitate, & claritate debet procedi: quare primò tenendum eſt id, quod nos diximus, benè perſpectum, ſcilicèt omnem ſenſum litteralem (non dico omnem proprium) quem habeant verba Sacræ Scripturæ ex placitò hominum currente, loqui Deum nobis in ipſa: ideòque non poſſe ipſi non correſpondere veritatem ex parte obiecti. Cum autem ex notiſsima doctrina Hieronymi, Auguſtini, & interpretum ad tractatum de

Sen-

Sensibus Sacræ Scripturæ, sensus litteralis non minùs inveniatur in Metaphoris, quàm in proprietate verborum, inde est, quod ad dignoscendum quem sensum litteralem nobis nunc loquatur Deus in aliquo textu, videndum est, num verba illius propriam ne, an Metaphoricam inibi vsurpationem sortiantur. Pro quo vlterius sciendum est, placitum quorumcumque hominum in quàcumque ætate, regione, & idiomate eiusmodi esse, vt cuiusvis hominis veracis, & seriò loquentis clausulas ita interpretentur, & acceptas velint, vt quotiescumque prædicatum non repugnat subiecto, credant propriè nuntiari; quoties autem prædicatum subiecto manifestè repugnat ad acceptionem metaphoricam recurratur. V. gr. Si Petrus dicat de Ioanne: *Ioannes est quidam Leo*, & de ipso rudi dicat *Ioannes est brutum*, & de Francisco habente cor pavidum, & vocem exilem dicat: *Franciscus est fœmina*, & sic similitèr. Ex quibus omnibus conficitur, quod in propositionibus Sacræ Scripturæ, quæ sunt huiusmodi; v.gr. *Christus est Leo, Agnus, Lapis, &c.* placitum perpetuum hominum est circà huiusmodi orationes, vt quoties apud ipsos retineatur proprietas significandi in illis vocibus, quæ applicantur; v.gr. *Leo, Lapis, &c.* propositio veridici hominis; imò veracissimi Dei, qui semper nobis loquitur vera ad metaphoricam veniat intelligentiam: quare non subsistit intentatum absurdum; præsertim cum in talibus prædicationibus, & textibus nulla fuerit facta mutatio significationis ab exordio Scripturarum hucusque. Rogabis quid si deinceps fiat talis mutatio in aliqua voce per hominum placita? Respondeo exempli causa in hoc dicto Christi Domini: *Ego sum vitis.* Si ly *vitis* per placitum hominum significet fortitudinem, propriè intelligenda est propositio; si significet *colubrum*, metaphoricè sumenda est, ita vt retineat veritatem in plurimis medicinalibus, & moralibus, quæ in colubro reperientur. Si verò vrgeas casum, in quo humanum placitum hanc vocem *vitis* vsurparet propriè ad significandum *Diabolum*, vel *mendacium*, dico id fieri minimè posse (præsertim apud receptores Scripturarum) & erit hoc vnum ex impossibilibus non antecedenter; sed consequentèr, vt postèà attingemus.

20 Objcitur octavò: iuxta superiores doctrinas Deus semper in Scripturis loquetur sensu litterali, & in quibusvis temporibus habebit significationem litteræ; sed hoc videtur negare locum Allegorijs: ergo subvertit sensus Scripturarum. Probo minorem: infiniti textus veteris Testamenti tunc verificabantur ad litteram, & in lege gratiæ salvantur per allegoriam; V. gr. de esu agni Paschalis, de transitu Iordanis, de solemni expiatione, de eiectione Ancillæ, & filio eius; retentione verò Sarræ, & filij eius, quæ sunt per *allegoriam dicta*, vt inquit Paulus; sed, si tales textus semper habent etiam nunc sensum litteralem currentem, & verum, hic sensus litteralis debebit nunc prævalere quibusvis allegorijs: ergo his nullus locus relinqui videtur. Respondeo distinguendo maiorem: in quibusvis temporibus habebunt sensum litteralem, præcisè in quibusvis, concedo maiorem; in quibusvis, & pro quibusvis, subdistinguo: eundem determinate, nego maiorem; eundem, vel diversum, concedo maiorem, & negata minori sub eàdem explicatione terminorum respectivè, nego consequentiam. Ad probationem distinguo minorem: si semper habent præcisè, nego minorem; si habent semper, & pro semper subdistinguo: eundem determinatè sensum, quem prius habuere, permitto minorem; diversum sensum litteralem, nego minorem, & consequentiam. Itaque sciendum est

non

non omnes textus; immò pauciſsimos, ſeù vnum, vel alterum eſſe, qui ex aliqua voce, vel vocibus componatur, quæ tractu ſæculorum aliam propriam ſignificationem induerit, & priſcam deſeruerit: itaque rari textus ſunt illi, qui habeant poſteà ſenſum litteralem diverſum ab eo, quem habuerunt à principio. Vel ergo textus, qui claudunt allegorias ſunt primi ordinis nullum ſenſum litteralem præter primum, vel primos habentes, vel ſecundi, ſcilicèt qui tractu temporum alium ſenſum litteralem nacti ſunt? De vtriſque conabor me explicare clariſsimè. In textibus primi ordinis ſtatim patet ceſſare argumentum: quamquam enim ſemper ſervent ſenſum litteralem, quem prius habuere; cum tamen hic non verificetur, niſi reſtrictè ad illa priora tempora pro quibus prolati ſunt, ſemper manent verificabiles in temporibus poſterioribus omnes illæ allegoriæ, quæ ſuprà ſenſum litteralem primitivum erant fundatæ, & huiuſmodi ſunt textus obiecti: quo ſatis diſſolvitur argumentum. Si verò textus ſint ſecundi ordinis, in quibus novus ſenſus litteralis verus aperitur, dico, hunc ſenſum litteralem minimè evertere allegoriam, ſed cum ipſis peramice componi. Cuius ratio eſt: quia allegorica intelligentia (ſivè anagogica, aut moralis) fundabatur ſuprà ſenſum litteralem primitivum illorum verborum, qui, cum non deſinat permanere, licèt alius ſenſus litteralis poſteà verificetur, conſequentèr allegoriæ ſuprà ipſum fundatæ integræ permanebunt. Quis autem prævalere debeat ſenſus, allegoricus ne; an litteralis novus de præſenti? Reſpondeo, ambos ſibi ſuam intelligentiam ſervaturos, atque cum non opponantur, vnuſquiſque prævalebit circa rem, cui ſubſerviat; abſolutè autem loquendo ille dici poterit prævalere, qui veritati magis dogmaticę, & iuxta ſenſum Eccleſię ſuffragetur. Unde, ni fallor, manent cuncta expedita, quæ de ſenſibus tàm litterali, quàm miſtico videbantur noſtra explicatione turbari.

21 Obijcitur nonò: Si noſtra Concluſio, & doctrina eſſet vera placitum merè humanum concurreret principaliſsimè ad dandum novum ſenſum litteralem alicui, vel aliquibus textibus Sacræ Scripturæ; ſed in hoc multiplex continetur abſurdum: ergo dici non poteſt. Probo minorem: ſequeretur primò: quod dari poſſet in Scriptura aliquando textus continens hæreſim, vel blasfemiam. V. gr. Si verbum *vitis* tranſiret ad ſignificandum Diabolum, vt ſuprà inſinuavi, illa propoſitio: *Ego ſum vitis vera*, quam dixit Chriſtus, haberet hunc ſenſum blasfemum, & horrendum: *Ego ſum Diabolus verus*; quod, etiam execratum, nec dici poteſt, nec audiri. Sequeretur ſecundò: in Scripturis non tàm loqui Deum, quàm homines: ſiquidem vocum ſignificata ab hominum placitò variarentur, & litteralem ſenſum efficerent. Sequeretur tertiò: quod revelatio divina Scripturarum non eſſet locutio adæquatè divina; ſed ſemihumana ex placito humano reſultans; ſed hæc omnia ſunt pluſquam abſurda: ergo ex noſtra doctrina ſequeretur abſurdum. Reſpondeo ad argumentum negando minorem, ad cuius primam probationem reſpondeo negando ſequelam, & probationem: poſtquam enim Spiritus Sanctus talia verba ſelegit, & in ſua volumina compilavit, metaphyſicè impoſsibile eſt ab hominibus ea ita immutari, vt forment eiuſmodi ſenſus planè horrendos, & execrandos. Si autem dicas quid prohibebit hominibus talium vocum ſignificationem ſic immutare? Reſpondeo re ipſa non habere impotentiam antecedentem, vt vocant Theologi; ſed ſolum conſequentem ad ſuppoſitionem contingentem vſurpationis talium vocum,

cum, quas Spiritus Sanctus vſurpavit, & conſecravit; hæc autem impotentia, & impoſsibilitas, licèt conſequens, tàm metaphyſica eſt, & repugnans venire ad actum, ac ſi eſſet antecedens, & innixa legi contradictionis: fundatur enim in Scientia Viſionis prorſus infallibili de omnibus vſibus, & ſignificatis, quæ talia verba eſſent per humanum placitum habitura: quippè Spiritus Sanctus præſcius eorum omnium illa verba vſurpavit, in quibus infallibiliter prævidebat nullum errorem vnquam ex humano placito eſſe ſignificandum. Qui ſanè modus loquendi ſolum poteſt competere infinitæ Sapientiæ, & veracitati, quæ conſtituunt auctoritatem loquentis. Ad ſecundam reſpondeo negando aſſumptum: non enim loqui dicitur ille, qui apponit ſigna manifeſtativa ſine ordinatione illorum ad ſuam mentem, & particularem conceptum manifeſtandum; ſed ille, qui ad mentem ſuam, & particularem conceptum manifeſtandum ſigna ordinat, quæ videt talem conceptum manifeſtatura. Itaque, cum homo nihil faciat pluſquam aliquibus verbis ſolitariè ſumptis ſignificationem aptare: & hoc quidem ſine ordinatione ad ſingularem aliquam mentem ſuam, vel conceptum manifeſtandum, inde eſt, quod talem veritatem poſtmodùm in aliquo textu ſignificatam, & reſultantem homo non loquitur; ſed Deus ipſe, qui à principio ad talem veritatem manifeſtandam ordinavit verba illa, quæ ſciebat de placito humano id eſſe ſignificatura. Unde in Sacris Scripturis etiam poſitâ noſtrâ doctrinâ nuſquam, & nunquam homo, ſed ſemper loquitur Deus; præterquamquod dici poterit verbum *ſanctificavi* non mutaſſe ſignificationem ex placito humano, ſed divino, nimirùm ex lege gratiæ Chriſto Domino, Apoſtolis, Concilijs, & Pontificibus explicata: quo tota ponderata ceſſabit abſurditas. Hinc patet reſponſio ad tertium abſurdum: quippè, cum locutio ſit formaliter appoſitio ſigni ordinata ad manifeſtationem conceptus illius, qui loquitur; licèt homo quaſi inſtrumentaliter concurrat ad aliquam ſignificationem ſigni; cum tamen illud faciat immemor, & inſcius illius conceptûs particularis, quem talis vox eſt ſignificatura, inde eſt, ibi neque inadæquatè hominem loqui; ſed vnicè, & adæquatè loqui Deum in Scripturis Sanctis: quia ipſe eſt, qui ab initio ex intentione manifeſtandi aliquam veritatem apponit ſigna, quæ ſuo tempore talem veritatem ſignificabunt; licèt eorum temporalis ſignificatio humano arbitrio, & placito relinquatur. Quod ſatis claro pateſcet exemplo. Iubeat Reſpublica ſignum vendendi triticum eſſe ſaccum appenſum: tum casùs Petrus talem ſaccum appendens omninò, & adæquatè loquitur, ſe vendere triticum, licèt illius ſigni ſignificatio ab alio ſit poſita. Sic ſimiliter Deus eſt, qui in ſuis Scripturis adæquatè loquitur, licèt ſignificatio vocum ab humano placito dependeat.

22 Obijcitur decimò: per nos ille textus noſter habet duplicem ſenſum litteralem: ergo per talem textum non cogimur ad vnum. Reſpondeo, quod, licet conſequentia clariſsima eſſe videatur, eſt tamen falſa: nam ſi habet duplicem ſenſum cogimur ad vtrumque: cum enim Scriptura non poſsit in aliquo textu claudere ſenſus oppoſitos, & in omnibus loquatur nobis veritatem, tenemur omnibus aſſentiri. Unde ad formam argumenti diſtinguendum eſt antecedens: habet duplicem ſenſum oppoſitum, & incomponibilem, nego antecedens; vtrumque verum, & componibilem, concedo antecedens, & nego conſequentiam.

23 Obijcitur vndecimò: Plures Sancti Patres, & celebres Interpretes te-

tenent, Ieremiam non fuisse in vtero Matris ab originali mundatum; sed absurdum est dicere, eiusmodi viros negare id, ad quod Scriptura nos cogit: ergo textus non cogit nos ad nostram assertionem. Respondeo distinguendo maiorem: ducti primitivà significatione verborum talis textus, & probabilissimà concedo maiorem; damnantes rigorosam significationem, quam etiam videtur habere illud verbum *Sanctificavi*, nego maiorem, & distinguo minorem: negare in sensu vnico, & manifesto, concedo minorem; negare in sensu secundo, solum probabiliter tali, nego minorem, & consequentiam. Nos enim in nostro textu conamur ostendere, dari talem sensum litteralem præter primitivum ex hoc syllogismo perfecto: „ Infinito sapiens, & verax, & „ nobis semper loquens in Scripturis „ per omnem veram, & propriam sig„ nificationem in verbis suis repertam „ nobis loquitur sine falsitate; sed ver„ bum *Sanctificavi*, in præsentiarum „ propriè sumptum significat infusio„ nem gratiæ: ergo Deus infinite sa„ piens, & verax hanc nobis dicit de „ Ieremia in vtero Matris sine falsitate. Hoc ergo sensu præstabi ito dicimus consequenter, licèt solum probabiliter, nos cogi ad illum; licèt primitivo sensui non repugnemus.

24 Obijcitur duodecimò: si talis textus ad id nos cogeret, nostra sententia esset de fide; sed id non est dicendum, dum tanti viri defendunt contrariam: ergo vera non est. Respondeo ex doctrina Theologorum ad Tractatum de fide primò negando maiorem: quia, cum ad fidem non sufficiat notitia tantum probabilis de existentia revelationis, iuxta propositionem damnatam ab Innocentio Vndecimo, & notitia, quam ego hic propugno de existentia talis sensus litteralis, sivè revelationis nequeat esse ad summum plusquam probabilis, inde est non sufficere ad fidem. Respondeo secundò: esse de fide obiectivè, & in se, concedo maiorem; subiectivè, & quoad nos, nego maiorem, & in hoc sensu explicato, nego minorem, & consequentiam: potest enim aliqua veritas obiectivè, & in se esse revelata, & certò non constare de sufficienti propositione talis revelationis ad credendum illam per fidem, & circa hanc veritatem possunt esse diversi authores, & Patres. Respondeo tertiò iuxta modum, quem propugnavi Toleti: est de fide certò, & indubitatè tali, nego maiorem; de fide dubitatè tali, & cum controversia Doctorum, concedo maiorem, & distinguo minorem: loquendo de fide indubitatè tali, concedo minorem; dubitatè tali, nego minorem, & consequentiam. Fundatur hæc solutio in explicatione illius propositionis damnatæ aientis: *Assensus fidei supernaturalis, & vtilis ad salutem non fiat cum notitia tantum probabili de existentia revelationis, &c.* dico enim, quod hæc propositio solum requirit notitiam plusquam probabilem de existentia revelationis ad illos assensus, qui sine dubio sunt fidei supernaturalis; v. gr. Trinitatis, Incarnationis, & aliorum mysteriorum, quæ sunt proposita ab Ecclesia, vt credantur, & ideò dicit assensus vtiles ad salutem, scilicèt quibus vtimur, vt mediis ad consequendam salutem: quod ideò fecit Summus Pontifex nè summa nostræ fidei paulatim traheretur ad meras opiniones; non verò postulavit maiorem notitiam de existentia revelationis, circa illas veritates, circa quas dabatur opinio inter Doctores num sint sufficienter revelatæ, necne? Dum enim Summus Pontifex procedit, & dicit: *Assensus fidei supernaturalis, & vtilis ad salutem.* Quis dicat, vel quod loquitur de quadam ratione generica in abstracto, & Metaphysicè considerata; vel loqui comprehendendo assen-

ſus fidei, qui fortè non ſunt fidei, eo quod de ipſis fundatè diſputetur inter Doctores. Huc revocare poſſem plura fundamenta huius explicationis, contra quam in Theſibus publicis validè argumentatum fuit; ſed Theſis non fuit expugnata; ea tamen omitto nè Theologia Scholaſtica pluſquam par eſt ſibi vendicet fervorem diſputationis; ſed duntaxat Scripturis Sacris, vt debet cum ſuis poſitionibus, ancilletur.

25 Circa hanc quæſtionem nota primò pro viris peritis Scripturarum, ſententiam noſtram de ſenſu litterali particulari particularem, eſſe certè vtiliſsimam ad tuendum contra Hæreticos, ſenſus illos litterales, quos pro ſtabiliendis dogmatis Eccleſia Sancta Mater vſurpat: eo enim ex capite videntur exſibiliari ab Hæreticis, quòd dicant eos eſſe planè confictos, & à primitiva littera plurimum aberrantes. Contra quos multa promimus, & vindicamus, vt ſenſus litteralis denuò erutus retineatur, & propugnetur: pro quo quaſi clavis totius diſcurſus legendus eſt Auguſtinus lib. 12. Confeſſion. à cap. 20. deinceps.

26 Nota ſecundò pro Tyronibus, qui in Palæſtra pauculas quaſdam diſſerationes Biblicas ſuſtinent, Bibliorum quidem non multum periti, quod ſi hanc noſtram ſententiam de Sanctificatione Ieremiæ in vtero vellint ſuſtinere, ſatius id præſtabunt, ſi ſolum primam partem noſtræ concluſionis cum argumentis correſpondentibus in Theatrum inducant; abſtineant verò à ſecunda parte noſtræ concluſionis, quæ cum ſuppoſitionibus præiactis, & inſurgentibus argumentis tractationem, & litem faciet magis operoſam, atque ſubtilem: & in qua nedum multa de penu Scholaſtico depromenda ſunt; verum cum faciat veluti canonem vniverſalem in Scripturis, poterunt ex vniverſis Biblijs à doctis, & ingenioſis ea argumenta depromi, quibus Tyro ſuccumbat.

27 Nota tertiò: ex P. Martino Delrio (vbi ſuprà) duo. I. Scilicèt illa verba. „ Theodoretus in cap. 1. Ieremiæ ſcribit Verbum *Sanctificavi* poſſe „ capi pro *ſegregavi*: Sed non voluit „ Theodoretus, ſic capi ex vocis primaria ſignificatione; ſed tantum ex „ quadam vocis conſecutione: quia qui „ in vtero Sanctificatus eſt, ille à cæteris pueris ſegregatus eſt peccato „ Originali contaminatis. Quæ non „ obſcurè fovent ſuperiorem noſtrum tenorem interpretandi. II. Quod ſi objiciatur Auguſtinus in Epiſt. ad Dardanum dicens: *Nemo poteſt renaſci, antequam naſcatur.* In primis D. Thomas 3 p. quæſt. 27. art. 2. & Theologi cum eo id explicant de ordinaria regeneratione ad gratiam; cùm tamen ea, quam Ieremiæ adſcribimus, fuiſſet extraordinaria. Atque ita capiendum eſſe eum locum ſuadent abſurda cætero, qui ſubſequatura, nempè, neque Ioannem Baptiſtam, & quod plus eſt, neque Deiparam ipſam fuiſſe Sanctificatam, priuſquam naſceretur. Quæ ambo in pietate D. Auguſtini putamus abſurda. Deinde Scholaſticè dici poteſt, *quod nemo renaſci poteſt, antequam naſcatur*, loquendo de eodem genere nativitatis; non autem diverſo, ſcilicèt *renaſci ſpiritualiter*, priuſquam *temporaliter*. Imò & dici poſſet, Ieremiam prius habuiſſe veluti nativitatem ſpiritualem, ſcilicèt, conſiſtentem in creatione, & infuſione animæ; poſteà verò per ſpiritualem infuſionem gratiæ fuiſſe etiam in ipſa vulvà renatum.

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS AD ILLA VERBA.

COR EIUS AB HUMANO COMMUTETUR; ET COR feræ detur ei. Daniel cap. 4. verſ. 13.

ARTICULUS

AN NABUCHODONOSOR SALTEM QUOAD *figuram externam in feram ſit commutatus?*

NOTABILIA.

1 SUPPONO primò contra Originem, & eius Aſſeclas, non eſſe parabolam, ſed hiſtoriam, & realem eventum quidquid in cap. 4. Danielis dicitur de ſomnio Nabuchodonoſoris, eiuſque Regno, licèt interdum locutiones Metaphoricæ permiſceantur. Quam ſuppoſitionem amplectuntur Interpretes tàm noſtri, quàm Hebræi, inter quos multi Patres, vt Tertullianus de Pœnitentia cap. 12. & de Patientia cap. 13. Cyprianus de Opere, & Eleemoſinis. Chryſoſtomus in Pſalm. 95. Gregorius, lib. 5. Moral cap. 6. & plures alij cum Hieronymo, qui cò putat eſſe hiſtoriam, quia eodem filo ſunt deſcripta, quo ſuperiora, quæ hiſtoriæ fidem merentur. Et inſuper ipſe Daniel cap. 5. verſ. 22. increpat Balthaſarem, & de vera ipſius Patris hiſtoria eum redarguit. Quo poſito vlterior quæſtio deſcendit: *An ipſe Rex verè cor ferinum habuerit*; vel *in feram ſaltem exteriùs ſit commutatus?*

2 Suppono ſecundò, plures eſſe tranſmutationes alias fabuloſas, quarum Circe erat opifex, & in Ovidiana Metamorphoſi plura narrantur; alias phantaſticas, quarum Authores ſunt Magi, & Benefici: alias phyſicas, de quibus Ariſtoteles de Hiſtoria Animalium lib. 5. cap. 15. & Plinius lib. 11. cap. 22. alias dœmum ope Divina, vt commutatio vxoris Loth, & converſiones illæ præſtitæ apud Ægyptios. De huiuſmodi vltima commutatione diſquirimus, eius enim planè Deus fuit Author.

3 In qua quæſtione variæ ſunt ſententiæ: alia enim aſſerit, interiùs Regem non fuiſſe mutatum; ſed tantummodo ſecundum exteriorem figuram. Pro qua ſententia citantur Doroth. in Synopſi, Epiphan. in vita Danielis, Iuſtinus in Quæſtionibus Ortho-

doxis quæſt. 44. Alia defendit, adhuc converſionem externam ſolum fuiſſe apparentem media quadam proſpectantium immutatione. Pro hac ſtat Michael de Medina lib. 2. de Recta in Deum fide cap. 7. Alia aſſerit, Nabuchodonoſor neque re vera, neque in aliorum exiſtimatione in feram eſſe converſum, ſed ſibi ſoli ita videri, imaginatione ſcilicèt perturbata. Ita Div. Thomas lib. 2. de Regimine Principum cap. 2. & ita ſentiunt penè omnes Interpretes cum Divo Hieronymo, Theodoreto, Gaſpare Sanchez, & Pereira in hunc locum, cum quibus ſit etiam noſtra concluſio.

4 Dico igitur, *Nabuchodonoſorem non figuram exteriorem, neque cor habuiſſe ferinum; ſed duntaxat mores habuiſſe belluinos, & ſenſus.* Quod ſic probo. Quoties vera hiſtoria magis credibilis apparet ſalva Sacri Textus intelligentia, ita accipienda eſt; ſed tota hæc narratio ita intellecta in primis multis fit difficultatibus libera, & credibilis magis; deinde inoffenſa manet tota Sacri Textus clauſula, atque periodus: ergo hæc narratio ſic venit intelligenda. Probo minorem quoad primam partem: nam poſito quòd Nabuchodonoſor ſit verſus in belluam, primò: quid de ipſius anima rationali, quam planè in nihilum redigi opus erat, vt Beſtia foret, vel rationale in irrationale converti, quod vtrumque eſt difficile? Secundò: non eſſet idem numero Rex, qui antea. Tertiò, quod ille iam bellua totò ſeptemnio herbas paſceret, æſtateſque, & hyemes nudus tranſigeret, poſtmodumque ab optimatibus requireretur, ad regnum tam inveriſimile animo prudenti apparet, ac Metamorphoſes Poeticæ, niſi acceptione metaphorica temperentur: ergo narratio ſic intellecta fit difficultatibus libera, & credibilis magis. Probo ſecundam partem minoris, quod ſcilicèt ſalvus ſit Sacer textus: nam hic ſolum poſtulat, vt mentis vſu deperdito, perturbataque phantaſia ſenſus, & cor Nabuchodonoſoris mutaretur, vt ea, quæ belluarum ſunt cogitaret, amaret, vel potius appeteret, ac ſectaretur, fugeretque proinde humana conſortia more ferarum: vnde dicit Textus: *Cum feris pars eius in herba terræ*, id eſt *ipſe habeat cum feris paſcua communia*, quare eſſe ipſe non deſinit. Item *cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Videtur innuere, quod cor ipſius idem pœnitus perſeverans quoad eſſentialia, omnes humanas appetitiones deperderet, atque duntaxat ad ferinas prorſus tranſiret, vt hoc modo bruteſcens dediſceret præſumptionem, quo ſpiritus humanus eum extulerat.

5 Confirmatur: hæc converſio in feram genericè tantum intelligi debet; non verò ſpecificè quoad determinatam aliquam ſpeciem ferarum; ſed ſi hoc modo intelligitur non eſt converſio phyſica, ſed moralis, quàtenus ferino more eſſet victurus: ergo moraliter, & non phyſicè in feram converſus eſt. Minor eſt manifeſta: quippè cum genus, vt tale non detur à parte rei, neque naturaliter, neque ſupernaturaliter fieri poteſt aliqua converſio phyſica in aliquam rationem genericam, vt talem. Probo maiorem: hæc narratio iam effingit Nabuchodonoſorem vt feram, iam vt bobem manſuetum, iam comedentem fœnum, iam plumis, & vnguibus Aquilinis; ſed hæc omnia ita inter ſe contrariantur quoad ſpeciem, & ſolum conveniunt in ratione generica irrationalis: ergo hæc converſio in feram tendit ad exprimendam irrationalitatem ipſius; non verò ad converſionem phyſicam enarrandam.

6 Confirmatur ſecundò ex Regula 59. apud Ruizium, quæ eſt Divi Auguſtini 8. de Geneſ. ad Litter. cap. 2. aientis: „ Si ſecundum litteram, id „ eſt vt littera ſonat, aliqua intelligi piè, „ &

„ & dignè non poſſunt, niſi figuratè,
„ atque enigmatibus iſta credamus; au-
„ ctoritatem habemus Apoſtolicam, à
„ quibus iam multa veteris Teſtamenti
„ ſolvuntur enigmata. Sed converſio hominis in feram prout hic narratur ſolùm minus piè, dignèque ad rationalem animum, totiuſque humanæ naturæ hiſtoriam poteſt accommodari: ergo quoad hanc partem non niſi tropicè ſumenda eſt iſta narratio.

7 Obijcitur primò: Danielis 4. verſ. 33. dicitur: *Et figura mea reverſa eſt ad me.* Sed hæc verè non dicerentur, niſi ſaltem exteriùs Nabuchodonoſor figuram hominis amiſiſſet: ergo illam perdidit. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: & figura mea id eſt ſpecies mea eſſentialitèr ſumpta reverſa eſt ad me, nego maiorem; & figura mea, id eſt ſpecies mea, ſeu apparentia mea reverſa eſt ad me, ſubdiſtinguo: quoad eſſentialia, nego maiorem; quoad accidentalia, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: quoad eſſentialia, & integralia hominis, nego minorem; quoad aliqua accidentalia communia cum feris, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque ſciendum eſt, hoc nomen *figura* propter multiplicem eius vſum, variamque ſignificationem omnium gentium conſenſu poſſe æquivocationis materiam ſuppeditare: dicitur enim *alia eſt figura hominis*; *alia equi*: & tunc figura dicit ſpeciem, vel eſſentiam: itèm alia *eſt figura Gigantis alia Pigmæi*, & tunc figura refertur ad individuationem quoad integralia: item alia eſt *figura pœnitentis*; alia *Epulonis*: alia *fœminæ venuſtæ*, alia *horridæ*: alia *eſt figura Magiſtratus*; alia *Plebeij*: alia *barbati*, & *comati*; alia *imberbis*: ecce quotupliciter, & quam variè figura vſurpatur, quantumque diſtat eius acceptio, ſi nimirum ſumatur quoad ſpeciem in conſideratione phyſica, interveniente, nimirum inter diverſas figuras diſtinctione eſſentiali, ac ſi ſumatur quoad ſpeciem *Grammatice* ſumptam, prout ſcilicèt ſignificat quidquid apparet, & oculis proſpectatur; v. gr. vultus, lineamenta, color, membrorum proportio, habitus, & inſignia. Hoc ergo modo reverſa eſt figura Nabuchodonoſoris ad ſe, ſcilicèt de nudo ad veſtitum, de ruſtico ad Regem, de comato, & piloſo ad tonſum, de exuſtà pelle ad blandam, ac denique de brutali inceſſu ad humanum. Hoc etiam modo dicere poteſt, & etiam dicitur ille, qui ſubito correptus apparuit facie Hypocratica, dum ab inſultu redijt: *Et figura mea reverſa eſt ad me.* Non autem innuunt illa verba, quod figura redijt quoad eſſentialia, & integralia hominis, vti apparet in ijs, quæ ſuprà retulimus.

8 Obijciuntur ſecundò illa verba: *Et alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris ſunt*; ſed hæc ſunt propria beſtiarum, quæ ſic feruntur, & alligantur ad paſcua: ergo Rex in feram converſus eſt. Reſpondeo primò, conceſsis maiore, & minore, negando conſequentiam: quando enim poſteà per Danielem accommodatur Regi illud ſomnium, nulla vinculorum fit mentio, ſed ſolum *cum beſtijs, feriſque erit habitatio tua*: vnde in ſomnio, & decreto Divino intimantur propria ferarum, vt ferini mores ſignificentur; imò ex eo quod Rex non legitur ligatus vinculo ferreo, vrgetur, & fulcitur concluſio noſtra, quod nimirum tota illa converſio non ſit rigore phyſico intelligenda. Reſpondeo ſecundò vel negando maiorem, aut diſtinguendo, accipiendoque vincula ferrea pro alligatione, & permanentia ad ſeptemnium ſub paſcuis herbarum, vt interpretantur nonnulli, vel concedendo cum Gaſpare Sanchez prædicto Regi propter inſaniam forſitan ferocienti, vincula intimata, & iniecta.

Obij-

9 Obijcitur tertiò decantata illa Regula Auguſtini, quod verba Scripturæ cum omni proprietate ſunt accipienda, niſi inconveniens aliquod inde ſequatur; ſed illa verba: *Cor feræ detur ei* propriè ſumpta cum reliquo contextu ſignificant converſionem phyſicam in feram, & ex ea converſione nullum ſequitur inconveniens, ſed potiùs iudiciorum Dei timor valenter incutitur contra elationem humanam: ergo verè in feram converſus eſt. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: *Et hæc Regula eſt cum cæteris Divi Auguſtini accommodanda, & intelligenda*, concedo maiorem; *ſolitariè conſideranda*, nego maiorem, & diſtinguo minorem: *nullum ſequitur inconveniens contra fidem, & dogmata*, concedo minorem; *contra pietatem humanam, & benignam Dei providentiam erga homines*, nego minorem, & conſequentiam. Itaque licèt ſæpè ſæpius viderim hanc Regulam Auguſtini excitare pulverem in Scholis; nihilominus ea, ſi benè obſervetur, & cum cæteris Auguſtini Regulis conferatur, non plus iuris inducit pro ſignificato proprio tenendo in Scriptura, quam figurato: ait enim Divus Auguſtinus 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 5. 10. & 11. *Cavendum eſt nè figuratam locutionem ad litteram accipiamus, nec locutio propria ut figurata accipienda eſt.* Ubi Sanctus Doctor dicit æquo forè iure cavendum propriè intelligere quæ intelligenda ſunt translatitiè, quam è converſo. Nunc autem quid ſuadeat locutionem propriam potiùs eſſe, quam figuratam? Hoc opus, hic labor eſt: in quo multum ponderant opinio Doctorum, & momenta rationum: vbi enim quidpiam eruitur, vel naturæ repugnans, vel pietati animorum abſonum, vel Deo ipſi inſolitum, ad figuratam locutionem eſt recurrendum, vt ipſæ Regulæ Scripturæ paſsim nos admonent, quarum vna eſt illa Auguſtini 8. de Geneſ. ad Litter. Superius attacta, & hæic repetenda.

10 Obijcitur quartò: iuxta nos tota hæc Danielis narratio non eſt parabola, ſed vera hiſtoria: ergo converſio illa Regis in feram non eſt ſumenda tropologicè, ſed propriè, phyſicè, & litteraliter. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, cuius negationis ratio fundatur in duplici Regula Scripturæ: altera Hieronymi in Oſſeam cap. 10. dicentis: *Hanc habet conſuetudinem ſermo Divinus, vt per Tropologiam, & Metaphoram Hiſtoriæ exprimat veritatem.* Altera Auguſtini 9. de Geneſ. ad Litter. cap. 31. *Propter vnius verbi translationem, non totus locus figuratè accipiendus eſt.* Unde duo naſcuntur reſponſioni valdè opportuna. Primum quod Tropologia, & Metaphora huius converſionis in feram non deſtruit, ſed explicat veritatem Hiſtoriæ. Secundò quod accipiendo translatitie illud verbum *cor feræ* ſana manet Hiſtoria, & ſana quoque noſtra huius converſionis intelligentia.

11 Obijcitur quintò intendendo aſſumptum extremè oppoſitum cum obiectionibus præcedentibus, ſcilicèt Nabuchodonoſorem non ſolum non fuiſſe converſum in feram phyſicè ſecundum ſubſtantiam, figuramvè exteriorem; ſed neque quoad mores belluinos, & ſenſus, quod vltimum eſt aſſertum noſtrum, atque concluſio. Contra quam hac via ſic conficitur argumentum: etſi Nabuchodonoſor humanam ſervaverit eſſentiam, atque figuram; tamen quòd ipſe ſenſu bruteſceret, cum feris habitaſſet, herbas depaſceret, atque per ſeptem annos ferino more victitans poſtmodum requiriretur ad Regnum, res erat tàm inſolita, & ſtupenda, cunctiſque nationibus admiranda, vt non videretur à Chaldæis Hiſtoricis prætermittenda; ſed de illa apud huiuſmodi Hiſtoricos nulla fit mentio: ergo potius quam Hiſtoria cenſenda eſt eſſe vna ex para-

bo-

bolis, quas Scriptura Sacra frequentèr vſurpat. Reſpondeo primò diſtinguendo minorem: nulla fit mentio *clara, & authentica*, concedo minorem; *manca, & confuſſa*, vt vetuſtiſsimarum rerum eſſe ſolet, nego minorem: apud Euſebium enim lib. 2. de Præparat. Evangel. hæc reperiuntur: „ Alphæus de „ Aſſyrijs, & Nabuchodonoſor hoc „ modo ſcribit: Megaſtenes inquit vir „ priſcus Nabuchodonoſorem Hercule „ robuſtiorem dicit fuiſſe, vniverſam- „ que Lybiam, cæteramque Aſiam vſ- „ que ad Armenos domuiſſe, quem „ Chaldæi dicunt, cum in Regnum „ ſuum redijſſet furore divinitus cap- „ tum magna exclamaſſe voce: Futu- „ ram, ò Babylonij, vobis ego cala- „ mitatem prænuntio, quam nec Be- „ lus ipſe, nec vlla vis Deorum aver- „ tet: veniet Perſa ſemi aſinus, qui „ vobis afferet ſervitutem: his, alijſque „ huiuſmodi dictis ſubito evanuit. Ecce in hoc fragmento Chaldæos loquentes de redditu Nabuchodonoſoris in Regnum ſuum. Ecce illum Divino furore captum commemorantes. Ecce illam vocem *ſemiaſinus* ad Perſam venturum accomodatam. Quæ omnia, vt vides, ad Hiſtoriam Danielis hic relatam non longiſimè reducuntur. Reſpondeo ſecundò negando maiorem: quia fuerunt illa ſæcula illitterata, arteque Typographica deſtituta: quare pauca, quæ Cyri ætatem anteceſſerant conſtant ex monumentis; ſacra verò volumina divinitus per providentiam, humanituſque per diligentiam ſummam ſunt conſervata. Reſpondeo tertiò diſtinguendo minorem: in fragmentis ipſorum, quæ extant, concedo minorem; in operibus integris, nego minorem, & conſequentiam. Cum enim, vt conſtat ex Ioſepho lib. 10. Antiquitat. cap. 11. & lib. 1. contra Apionem Beroſus, & Megaſtenes Hiſtoriographi Chaldæi de Nabuchodonoſore multa prodiderint, pauca admodum ſunt, quæ remanſerunt, & extant. Præterea ad intelligenda arcana Danielis conſulit Div. Hieronym. in Præfatione ad ipſum, quod legantur Suctorius, Hieronymus, Hiſtoricus, Gallinicus Theo Andronicus, & alij, qui tunc temporis legebantur, & quorum vix obſcura modo reperitur memoria: vnde illa Hiſtoria adeò priſca ex defectu Scriptorum non infirmatur.

12 Obijcitur ſextò ad idem aſſumptum: talis narratio fuit Parabolica compoſita ad deteſtationem ſuperbiæ: ergo non fuit vera Hiſtoria. Probatur antecedens: continet plura, quæ magis conficta, atque incredibilia menti videntur, quam vlla Poetica Metamorphoſis, cuiuſmodi ſunt homo factus in belluam perpetua nuditate frigoribus, atque æſtibus patens per multos annos poſt delicatiſsimam nutritionem pabula, & alimenta beſtiarum, & ab hominibus eijci; poſtmodumque ad ſuum Regnum revocari, &c. Sed cuncta hæc ſolum poſſunt per parabolam in doctrinam converti, ac rectificari: ergo illa relatio fuit parabolica. Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem reſpondeo dupliciter: primò, quod ſi attente nationum, & temporum legerentur hiſtoriæ; mirabiliores ſubinde, atque incredibiliores Metamorphoſes Principum miniſtraret veritas, quam imaginatio, & humanum cerebrum. Quis non miretur Dioclecianum Sarculo, oleribus famulantem, & penè infinitas Chataſtrophes Principum, quæ niſi ſeriò conſtarent, ſatius forent ad aniles fabulas revocandæ? Inſuper quæ non erunt veroſimilia de homine, quem Deus vult propter ſuperbiam plectere, & bructificare, quoad ſenſum, & mores? Atque quid credi non poterit de mania? Secundò reſpondeo cuncta relata non eſſe tàm ſtupenda, quàm ponderantur: quid enim nuditas iugis habet admirationis in Regione facilè ca-

calidiſsima ? Quid paſcua beſtiarum, & fuga hominum in homine Divinitus laborante manià, qua ſeſe inſtar feræ cuiuſdam, læſo phantaſmate, arbitraretur ? Nihil profectò eſt tàm commune, quàm homines manià præreptos exactiſsimè perſequi ea omnia, quæ ſuo cerebro concordant, atque obſequuntur. Quæ cum ita ſint in hominibus paſsim deliris ; quid credere nos oportebit de Nabuchodonoſore, qui Divinitus correptus eſt, vt moribus, ac ſenſu bruteſceret quoadvſque ſuæ cognitor ſuperbiæ foret, ac deteſtator.

13 Obijcitur ſeptimò ad idem: ſi hæc fuiſſet vera Hiſtoria, ſequerentur plura, quæ ſuaderi vix poſſunt: ergo eſt parabola hæc converſio. Probatur antecedens: Nam vel toto ſeptenio talè imperium fuit acephalum, id eſt ſine capite ; vel ſi alius ſceptrum tenuit incredibile apparet, tùm quòd is diuturno imperio potitus deturbari iam pateretur : tùm quod Regnicolæ iam de Imperatore proviſi beſtialem hominem revocarent : ergo, &c. Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem nego abſurditatem vtriuſque : nam ſupponendo rem tantam ſic in tota Chaldæa perſonuiſſe, vt omnes vndique Sapientes Imperij cogerentur ad Regem, & quod ipſe Rex ſomnium, & expoſitionem, vt fabuloſam prodiderit, de duobus eſt veroſimile vtrumque : alterum quod toto ſeptemnio ſperantes finem eventùs, ſicut initium iam viderant Optimates, & Magiſtratus Rempublicam adminiſtrarent, iuriſdictione quaſi delegata, non ſecus ac fieret ſi Rex ipſe toto eo tempore gravi morbo decumberet ; imò meliùs : quippè hic incerta erat ſanitas, & in noſtro caſu reſtitutio mentis credebatur certò eventura : alterum eſt ab eiſdem Optimatibus ſuffectum eſſe in Imperio Hevilmerodachum filium Nabuchodonoſoris, ſi nimirum ætate polleret ad gubernandum : credibile enim, & credendum eſt filium, & Optimates in re tàm ſtupenda Nabuchodonoſoris mentem, & manum præoptarent ſtatuto tempore revocatum iri ad Imperium. Cum enim à Deo ipſe mentis ſtupor Nabucho fuiſſet iniectus ; atque tranſacto ſeptemnio mens reſtituenda; non poterant non eſſe perſuaſi, eum ad gubernandum iam non niſi cum mente illuminatiſſima fore venturum.

QUÆSTIO NONA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

PRINCEPS AUTEM PERSARUM RESTITIT MIHI viginti, & vno diebus. Daniel cap. 10. verſ. 13.

ARTICULUS

VTRUM HIC ANGELUS PERSARUM, QUI RESTITIT, Gabrieli fuerit bonus Angelus, necne?

NOTABILIA.

QUÆSTIO hæc ſatis apud Auctores exagitata non deſinit eſſe curioſa, neque deſunt in ea rationis momenta, & auctoritatis, vt vtrimque probabilitas diſputetur; ad eius tamen reſolutionem ſupponendum eſt primò, nomen Principis non ſolum bonis Angelis, ſed interdum malis adaptari, atque in Scriptura attribui, iuxta illa verba: *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*, & iuxta illa verba Pauli ad Epheſios 6. *Adverſus Principes, & poteſtates, adverſus mundi Rectores tenebrarum harum.* Suppono ſecundò, poſſe hanc concertationem intelligi inter bonos Angelos iuxta doctrinam Divi Thomæ 1. part. quæſt. 113. artic. 8. dicentis: *Sic igitur in quantum de contrarijs meritis, & ſibi repugnantibus Divinam conſulunt voluntatem, reſiſtere ſibi invicem dicuntur.* Item Divus Gregorius lib. 17. Moral. cap. 8. aientis: *Rectè ergo dicitur; quòd contra ſe Angeli veniunt: quia ſubiectarum ſibi gentium merita contradicunt.* Item & poſſe intelligi inter bonum, & malum Angelum iuxta illa verba Ruperti lib. 9. de Vict. Verbi, cap. 8. „ Cum invocamus, & Dominus non „ exaudit ſcire debemus Sanctis Ange„ lis orationes, & clamores noſtros „ offerentibus reſiſtere, & contradice„ re malos Angelos habentes in mani„ bus accuſationum iacula, quæ ſunt „ noſtra peccata. Hoc poſito.

2 Duplex in hac re celebris, & probabilis verſatur ſententia. Prima aſſerit, Principem Perſarum fuiſſe Angelum bonum. Quam defendunt Sanct. Gregorius Magnus lib. 17. Moral. cap. 8. Baſilius lib. 3. contra Eunomium, Theodoretus, Div. Thom. quæſt. 113. 1. part. artic. 8. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 11. Valencia 1. tom. diſputat. 8. quæſt. 6. punct. 3. Lyra, & Cartuſianus, &c. Secunda per oppoſitum aſſerit, talem Perſarum Principem malum Angelum extitiſſe.

Hanc tenent Divus Hieronymus in hunc locum, & apertè ad illud cap. 12. *Ecce quasi duo alij stabant*, & ibi similitèr Divus Thomas, vnde saltem hi Doctores habendi non sunt pro adversarijs, vti neque Comestor, & Hugo, qui allatis sententijs, nihil definiunt; stat verò pro hac sententia Casianus collation. 8. cap. 13. & Rupertus lib. 9. de Vict. Verbi Dei. Divus Athanasius quæst. 30. Pater Gaspar Sanchez, qui eam latè fulcit, ac promovet; licèt parti contrariæ morem gerat propter reverentiam Auctorum. Denique citari potest Benedictus Pererius, qui, licèt quasi problematicè, eam tamen vberrima eruditione promovet, atque ab obiectionibus vindicat.

3. Huic sententiæ adhæremus & nos, quam probabimus auctoritate, & ratione, quæ sese invicem suffulciunt, & suffragantur: atque ante omnia præmittenda est auctoritas Divi Hieronymi in hunc locum sic scribentis: „ Videtur mihi Princeps Persarum esse „ Angelus, cui Persis credita est, iuxta illud, quod in cap. 32. Deuteronom. legimus quando dividebat altissimus gentes, & disseminabat Filios „ Adam, statuit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei. Isti „ sunt Principes, de quibus Paulus „ loquitur 1. ad Corinth. cap. 2. sapientiam loquimur inter perfectos, „ quam nullus Principum huius sæculi cognovit, si enim cognovissent „ nunquam Dominum Gloriæ crucifixissent. Ecce iuxta Divum Hieronymum Persarum Angelum de mundi Rectoribus esse, ac de ijs, qui ad crucifixionem Domini concurrerunt. Scio, patrocinium Divi Hieronymi verti nobis in dubium; sed id propulsat noster Sanctius audacter dum pronuntiat, hos esse contortos sensus, & irritos adversariorum conatus: siquidem hæc manifestè indicant, fuisse Angelum malum; & reliqua, quæ nectit Hieronymus bono, aut malo potuerunt convenire.

4. Probo secundò conclusionem ratione, cui suffragatur tota auctoritas Casiani, & Ruperti, quorum verba præmitto, vt postmodum liberius argumentationem conficiam, nervumque totius rationis expendam. Igitur Rupertus de Hieronymo præloquutus sic prosequitur: „ Profectò etsi huius „ Doctoris auctoritas deesset, prudens „ tamen auditor Principes illos Angelos malos intelligere non dubitaret, „ scilicèt contra quos bonis Principibus præliandum erat, qui contradicebant precibus Sanctorum hominum, & legationi Sanctorum Angelorum. Hucusque Rupertus, Casianus verò collation. 8. cap. 13. sic loquitur: „ Quem Principem Regni Persarum minimè dubitandum est adversariam fuisse potestatem, quæ favebat genti Persarum inimicæ Populo Dei: quippè ad impediendam „ vtilitatem, quam videbat per absolutionem quæstionis, pro qua Daniel ad Deum exoraverat ab Angelo ministrandam lubens semetipsum „ obiecit. Cum quibus Patribus sic efformo argumentum. Adversari causæ Dei, inimicari Populo ipsius, resistere ministris notis altissimis, signa sunt mali Spiritus: ad probandum enim Spiritus si ex Deo sint semper valet illa doctrina ex *fructibus eorum cognoscetis eos*; sed Princeps Persarum inimicabatur Populo Dei protrahens servitutem Israel; adversabatur causæ ipsius Dei, qui Captivitatem Babylonicam tunc finiendam promiserat: resistebat Gabrieli, & Michaeli notissimis Dei ministris, & precibus Danielis viri Sancti: ergo malus erat Spiritus. Et confirmatur: quia Gabriel, & Michael proculdubio favebat Israeli: ergo Princeps Persarum contra nitendo, inimicabatur: ergo erat malus Angelus, qui electo Populo Dei mala rependebat officia.

5. Probatur tertiò conclusio ratio-

tione, quàm auctoritas Divi Athanasij sustentat loco citato, vbi sic loquitur: „ Nec ipsi quidem Angeli inter se vn- „ quam digladiantur, cognoscentes „ mutuæ dilectionis spiritualis vincu- „ lum, neque exaudiretur quidem „ etiam si per deprecationem suam al- „ terius Sancti preces aliquis irritas „ reddere vellet. Hucusque Athanasius. Ex quo sic argumentor: in hoc casu nec decet, nec possunt iuxta Athanasium Angeli boni inter se dissentire: ergo illa pugna fuit inter Gabrielem Angelum bonum, & Principem Persarum Angelum malum. Antecedens à ratione probatur vlterius præocupando solutionem: eàtenus iuxta Divum Thomam quæst. 113. artic. 8. possunt boni Angeli inter se dissentire, quàtenus diversa hominum merita, atque contraria allegant, quovsque ordo Divinæ Sapientiæ, ipsis reveletur; sed in nostro casu non poterat voluntas Dei non esse Principi Persarum iam explorata: ergo in hoc casu, si ambo erant boni non poterant dissentire. Minor constat primò: quia Gabriel exauditus fuit pro Daniele, ad eumque missus, proindeq e ipsi Danieli sua vota donata, & Divina voluntas concessa; sed illicò Gabriel ipsi Angelo Persarum, præsertim si bonus esset, eam manifestasset, non modo durante pugna viginti, & vno diebus, sed annis aliquot, vt tenet Gaspar Sanchez: ergo Principi Persarum erat voluntas Dei iam explorata. Secundò constat: quia tritum erat apud Iudæos habitantes cum Persis quantum temporis Iudæorum captivitati esset definitum: vnde & ipsi Persæ vaticinium Ieremiæ non ignorabant, tempusque transactum, vtpotè quæ omnia erant familiaria colloquijs Iudæorum; sed id est voluntatem Dei Principi Persarum satis esse explorata: ergo ita erat.

6 Contra hanc conclusionem obijcitur primó: Angelus malus tandiu resistere non poterat Angelo bono: ergo vterque erat bonus. Probatur antecedens: Angelus bonus de choro minimo minimus, potentior est Angelo malo de choro Supremo: quippè in ijs prævalet ordo gratiæ ordini naturæ ex Divo Thoma: ergo Angelus malus tandui resistere non poterat Angelo bono. Respondeo distinguendo antecedens: in his, quæ ab ipsis per sese immediatè fiunt, concedo antecedens, & probationem; in his, quæ pendent, ex arbitrio humano, & humanis meritis ad inclinandum Deum, nego antecedens, & consequentiam: si enim liberum arbitrium humanum, medio quo transigenda res est per Angelos concertantes, potiùs sese adiudicat infimo, vt potest, tunc certè infimus prævalebit. Quæ difficultas quia tota perbellè describitur, & evacuatur verbis Ruperti lib. 9. de Vict. Verbi Dei, cap. 6. ea sic accipe: „ Vnde malo Angelo virtus „ pugnandi adversus bonum Angelum „ eique resistendi? Ex hominum vel „ populorum peccatis. Sed quomodo „ boni, & mali Angeli pugnant inter- „ se? Malus pugnat accusando; bonus „ defendendo. In quantum est magna, „ & vera accusatio mali Angeli, in tan- „ tum est tarda, & invalida defensio „ boni. Et postquam expositi quomodo prævaluit Angelus malus, vt nunquam liberarentur decem Tribus Israel de captivitate Assyriorum, subiungit quomodo prævaluit bonus Angelus, vt tribus Iuda Babylonica captivitate liberaretur contra resistentiam Principis Persarum, quam hoc modo describit: „ Similiter „ malus Angelus, qui aderat Persis, & „ vocatur hoc loco Princeps Regni Per- „ sarum, vehementer obsistebat, nè tri- „ bus Iudà à captivitate liberaretur; hoc „ autem faciebat quatuor modis: pri- „ mum instigando, & inducendo Iudæos „ ad gravissima scelera, quo liberatione „ ex captivitate apud Deum indignio- „ res efficerentur: tum dissuadendo

„ Iudæis redditum in Patriam exage-
„ rando bona, quæ in captivitate cer-
„ tè poſsidebant,& amplificando mala,
„ atque incommoda, quæ in redditu
„ perpeſſuri erant; contra verò mi-
„ nuendo bona, quæ ex redditu in Pa-
„ triam ſperare poterant: tum alienan-
„ do animum Cyri Regis à Iudæis, vt
„ reverſis in Iudæam minimè faveret,
„ & eos, qui apud ipſum remanſerant,
„ nullo modo dimitteret, ſuadens id
„ maiorem in modum incolumitati
„ tranquilitati, ſecuritati, & diuturni-
„ tati imperij ſui expedire:tum graviſsi-
„ mam coram Deo accuſationem affe-
„ rebat Iudæorum exponens eorum
„ ſcelera, propter quæ ſecundum Le-
„ gem Divinæ iuſtitiæ nullo modo li-
„ berari deberent. Hactenus Rupertus. Et certè conſtat apud Eſdram lib. 1. cap. 4. quantum Artaxerxem induxerint Populi, vt parentis ſui Cyri edictum revocaret, quo Iudæis Civitatis, ac templi molitio permittebatur. Rogabis primò: quid Angelo malo cum detentione Iudæorum? Primo depreſſum habere apud Perſas, & Babilonios, vt nomen Dei vileſceret inter ſordes captivitatis, & flagitiorum. Secundò vt Iudæos cœno vitiorum mergeret, neque dominaretur ſolum Gentilibus ſed dilecto Populo Iſrael iuxa verba Gregorij lib. 36. Moral cap. 7. *Iam quidem fluvium abſorbuit; ſed adhuc Iordam ſitit.* Rogabis ſecundò quamdiu duravit hæc pugna? Duravit autem, inquit Sanchez, ad multos annos, ad tempus nempè Darij filij Hiſtaſpis; aut etiam fortaſſe ad annum vigeſimum alterius Artaxerxis, qui ad inſtaurandam Civitatem Nehemiam dimiſit Eſdras lib. 2. cap. 2. Non ſecus ac tota vita noſtra duorum Angelorum durat conflictus pro anima vniuſcuiuſque ſalvanda, vel decipienda.

7 Obijcitur ſecundò: Angelus,qui reſtitit Gabrieli erat Princeps Regni Perſarum: ergo erat bonus. Probatur conſequentia: Cuſtodia Regnorum non poterat demandari Angelis malis, nè eſſet in pernitiem ipſorum, oveſque committere Lupis: ergo, &c. Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, ad cuius probationem diſtinguo antecedens: demandari ab ipſo Deo, concedo antecedens; à Diabolo Principe huius ſæculi, & vltrò ab ipſis Populis ſibi adſciſci, nego antecedens, & conſequentiam. Itaque iam vidimus in primò notabili, malos Angelos Principes nuncupari: quo poſito quid prohibet, tum quod ipſi homines à Deo derelicti ob ſuas improbitates Dæmonibus ſubijciantur, atque hi in ipſis tyrannicè dominentur, cuius dominationis ſpecimen non raro accidit in hominibus ſe Diabolo devoventibus etiam conſignatà Scripturà? Tum quod Diabolus Princeps ſæculi aliquos ſpiritus de principalibus delapſos præficiat Provincijs ad reſiſtendum Principalibus bonis, quemadmodum privato homini privatus malus Angelus deſignatur, vt tenet hic copioſus numerus Patrum, atque Doctorum apud Sanchez hoc loco, & Maldonatum Math. 18?

8 Obijcitur tertiò cum Theodoreto, & Sanct. Greg. lib. 17. Moral. cap. 8. Angelus Perſarum reſiſtens liberationi Tribus Iudæ conſulebat bono Iudæorum: ergo erat Angelus bonus. Probatur antecedens: nam videns eorum flagitia, & intemperantias ſatagebat potius temporalitèr plecti ſubiectione, & ærumnis, vt vexati reſipiſcerent, atque acciperent intellectum; ſed hæc omnia benè erant Iudæis: ergo, &c. Reſpondeo primò negando antecedens, ad cuius probationem nego maiorem, quæ continet aſſumptum planè voluntarium, & innixum coniecturæ apparenti: quis enim non videat Gabrielem Archangelum; imò & Deum ipſum de ſalute Iudæorum eſſe magis ſolicitos, quam erat

Per-

Perſarum Princeps? Hoc certè inficiabitur nemo; & nihilominus tàm Gabriel, quàm Michael, & ipſe Deus, qui promiſerat libertatem, & promiſsis ſtat, Captivitatem Populi liberare intendebant, quod certè non intendiſſent, ſi eorum religioni, ac moribus crederent obſuturum. Reſpondeo ſecundò, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: quamquam enim bonum eſt reprendere ſupplicium peccantibus, in opus iuſtitiæ; nihilominus benè poterat malus Angelus coram Deo accuſare, & aggravare crimina in odium commitentium; cum è contra Gabriel Deum provocaret ad miſſerendum. Itaque lib. 3. Reg. cap. vlt. ſeſe obtulit ſpiritus malus coram Domino, vt eius voluntatem faceret decipiendo Achab. *Et ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Iob cap. 1. verſ. 6. præſentatur Satan Domino, vt Iobum exerceat. Denique apud Zachariam cap. 3. numeratur ſpiritus malus accuſans Ieſum Sacerdotem filium Ioſedec coram Deo Angelo contranitente: ergo quod aliquid ex iuſto motivo appendatur, ac ponderetur, non tollit quominus id prætendi poſsit per Angelum malum.

9 Obijcitur quartò: Si Princeps Perſarum eſſet Angelus malus potiùs concurreret ad abigendos Iudæos de Perſide, & Babylonia: ergo fuit Angelus bonus. Probatur antecedens: ex Iudæorum colloquijs, & contubernio vera religio, verumque nomen Dei Perſis, ac Babylonijs paulatim adhæreſcebat, eoſque de errore Gentilico revocabat; ſed id Spiritui nequam placere non poterat: ergo potiùs concurreret ad dimittendum Hebræos, quam reſiſteret libertati. Reſpondetur negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: ita vt plus religio Gentilica Iudæos corrumperet, quam religio Iudaica Perſas converteret, concedo maiorem; è converſo, nego maiorem, & diſtincta minori ſub eiſdem terminis, nego conſequentiam. Quamquam enim religio vera Iudæorum, verbaque ſaniſsima Scripturarum nonnullis proculdubio eſſent cauſa ſalutis; nihilominus longè plus corrumpebantur Iudæi à Gentilibus: quare vt meminerunt Div. Hieronymus, & Theodoret. erant eorum mores profligatiſsimi, dignioreſque novis ſervitutibus mancipari. Quodque gentilitas eorum corda excæcaret erat plus veriſimile tum ob exceſſum multitudinis totius Perſidis, & Babyloniæ reſpectu paucorum Iudæorum: tum propter abiectionem illam, ſub qua miſeri, & ipſorum genus, quod putabatur ignobile, contemptui erant: tum denique quia non multum zeli ipſis inerat circà Patriam, ac Religionem, quando poſt edictum Cyri in Perſide, atque Chaldæa, ibi remanſerant privatis commodis ſtudentes: vnde, ſi abſque lege, rectaque ratione vivebant, aptiores erant, vt eos inibi malus Angelus ſervare voluiſſet, quò, ludibrio ſemper haberetur inter Gentiles Iudæorum religio, Deus, & nomen: quandoquidem vita eorum cum impietate gentilica corruebat, & concordabat.

10 Obijcitur quintò: Princeps, qui reſtitit dimiſsioni Iudæorum fuit Artaxerxes, qui, abſente Cyro, dominabatur: ergo non Angelus malus. Antecedens probatur: quia ipſe ductus proprijs commodis, & conſilijs peſsimis, nedum nolebat, Iudæos abire; ſed neque promoveri opus Civitatis, & templi, quod, iubente Cyro, iam erat inceptum: ergo hic erat, qui veriſsimè reſiſtebat. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: qui reſtitit humanitus, ac ſenſibiliter, concedo antecedens; ſpiritualiter per ſpiritua-

lia

lia nequitiæ, vt inquit Apoſtolus, nego antecedens, & conſequentiam: licèt enim, vt ſuprà tetegimus cum Ruperto, voluntas Artaxerxis liberationem huiuſmodi moraretur; attamen, quidquid dicat vnus, vel alter Rabbinus, tota hæc concertatio relata à Daniele non ſiſtit merè in eventu hiſtorico temporalitèr, ac ſenſibilitèr tranſacto; ſed vlterius divinitus afflatus Angelorum concertationem deſcribit, vt ſentit penè tota turba Doctorum; neque alitèr videtur Textus cohærere, niſi Angeli ambo ſint, qui vtrimque decertant. Præterquamquod ibi commemoratur adventus Principis Græcorum, qui à fortiori Angelus eſſe debebat, cum nullus Græcorum Princeps tunc in Perſide inveniretur.

11 Ad Principem ergo Græcorum cum venerimus de ipſo ſimilitèr pronuntiamus malum fuiſſe: non ſolum, quia Principi Perſarum opem tulerit: non enim bonus eſt, qui in malo malum adiuvat; ſed quia de vtroque ſpeciatim teſtantur Divus Thomas, & Divus Hieronymus eſſe malos, dum eos indignos ſciſcitatione pronuntiant, quod certè non facerent, ſi bonos eſſe ſentirent. Igitur ſuper illa verba Daniel. 12. *Et ecce quaſi duo alij ſtabant*, ita Div. Hieronymus fatetur: *Non interrogat, neque putat, ſciſcitatione eſſe condignos Angelos Perſarum, atque Græcorum. Hunc autem* (Gabrielem) *eſſe Angelum clementiſsimum, qui orationes Danielis in conſpectu Dei obtulerat.* Ubi præterquamquod ambos indignos ſciſcitatione pronuntiat; illa Anthiteſis, ſeu contrapoſitio: *Hunc autem clementiſsimum* dum loquitur de Gabriele oſtendit ſicut in hunc laude, in priores invehi vituperio, quod eſt argumentum, hunc bonum; illos verò apud Hieronymum Angelos improbos extitiſſe.

(§)

QUÆS-

† JHS

QUÆSTIO DEZIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

SED DICO: NUMQUID NON AUDIERUNT? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Ad Rom. cap. 10. verſ. 18.

ARTICULUS.

AN EVANGELIUM TEMPORE APOSTOLORUM toto terrarum Orbe ſit divulgatum?

NOTABILIA.

1 IN hoc textu præſuponi debet varia illa, quæ recenſeri ſolet interpretatio. Alij enim dicunt cum Chryſoſt. ea verba: *Nunquid non audierunt*, referri ad Judæos: alij verò cum Pererio volunt referri ad Gentiles; ſed præter hoc, ſciendum eſt verba ſequentia, *in omnem terram, &c.* reperiri in Pſalm. 18. vbi ſecundum litteralem ſenſum de corporibus cœleſtibus eſt manifeſta loquutio, quatenus videlicèt ſuo lumine & motu Authoris ſui vim, atque providentiam circumquàque notificent. Hinc præfata verba Divus Paulus aſſumpſit, in quo, licèt nonnulli autument; prædictum ſenſum litteralem retineri, & ad hunc finem explicationem parent; nihilominus cum textus ipſe aut myſticè, aut accommodatè potiùs à Div. Paulo vſurpari videatur; vt ſuo tempore prædicationem Evangelij, vbique gentium factam fuiſſe oſtendat (quod & viri non ignobiles ſunt opinati) ideò nobis hęc quæſtio diſputatu non iniucunda ſuboritur.

2 In qua quidem triplicem diſtinguo ſententiam. Prima aſſerit, quod textus Div. Pauli prima fronte videtur aſſerere, ſcilicèt Apoſtolorum tempore toto terrarum Orbe prædicatum iam fuiſſe Evangelium. Hanc tenet Chryſoſt. Euthimius, Theophil. Lyranus in cap. 24. Mathæi adiungique poſſunt Hilarius in can. 25. in Math. & Hieronymus quatenus ſuper Mathæum autumat ſuo tempore Evangelium per vniverſum mundum iam reſonaſſe. Secunda ſententia aſſerit per oppoſitum, tempore Apoſtolorum per omnes mundi plagas diſſeminatum

non

non fuisse Evangelium. Hanc tenet Origen. tract. 28. in Mathæum S. Aug. de Bonitate Ecclesiæ Catholicæ cap. 17. & de Natura, & Gratia cap. 2. D. Anselmus de Promulgatione Evangelij in hunc locum, cui etiam videtur adhærere Pererius ad Rom. cap. 10. disp. 4. Tertia sententia est S. Thomæ qui pro rei compositione sic partitur, atque distinguit; ait enim: tempore Apostolorum famam Evangelij ad omnes plagas perveniſſe ex relatione, & notitia; *pervenire* tamen cum receptione, fidei, & fundatione Ecclesiarum proximè ante consummationem mundi esse eventurum. *Pervenire* verò ad singulos homines, neque impletum putat, neque necessariò adimplendum. Hanc sententiam sequitur Abulensis in Mathæum 24.

3 Sequor secundam sententiam quam Caietanus quoque Math. 24. videtur amplecti: quam sic probo primò capitali fundamento desumpto ex illis verbis Mathæi, ibi: *Et prædicabitur hoc Evangelium in vniverſo Orbe, & tunc veniet conſummatio.* Ex quibus sic argumentor. Consummatio est finis mundi; sed hic venturus est, cum Evangelium prædicatum sit in vniverso mundo: ergo tempore Apostolorum ita prædicatum non erat.

4 Probo secundò ex PP. primò ex Origine: *Propè conſummationem ſæculi Evangelium, quod priùs non fuerat prædicatum in toto mundo, prædicabitur; multi enim non ſolum Barbarorum, ſed etiam noſtrarum gentium vſque nunc non audierunt chriſtianitatis verbum*; & posteà, *non dum prædicatum eſt Evangelium Dei in toto mundo; fertur enim, nondum esse prædicatum apud omnes Æthiopes, neque Seres, neque Britannos, neque Germanos, qui ſunt circa Occeanum, neque apud Dacos, neque Sarmatas, neque Scytas. Siquis temerè dicere vult, prædicatum iam eſſe Evangelium in toto Orbe in teſtimonium omnibus gentibus; conſequenter dicere poterit, iam finem veniſſe.* Secundò ex Augustino, Epist. 89. ad Hesichium. *Quod putas iam per Apoſtolos ipſos, prædicatum fuiſſe in toto mundo Evangelium, non ita eſſe certis documentis probavi: ſunt enim apud nos Barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nunquam prædicatum eſſe Evangelium ex his, qui ducuntur inde captivi, & Romanorum ſervitijs iam miſcentur, quotidie nobis addiſcere in promptu eſt.* Ergo, &c.

5 Probo tertiò argumentis historiæ. Primò: Quia ad Indos Occidentales Evangelium nunquam pervenerat, quousque Hispani eos sub egerunt: ergo tempore Apostolorum in toto terrarum Orbe Evangelium non fuit divulgatum. Antecedens patet: Tum quia nullum firmum fundamentum id probat, vt constabit ex solutione quarti argumenti: Tum quia neque Strabo, Pomponius Mela, Ptolomæus, & Plinius nobiles Geographi hanc Orbis partem cognitam prodidere. Secundò: Quia ex Historia Ecclesiastica constat per inductionem nullum Apostolorum in hoc Occidentali mundo ab Hispanis reperto prædicasse. Nam B. Petrus prædicavit in Iudæa, Anthiochia, Galatia, Cappadocia, Ponto, Asia, Bitinnia, & Romæ. Paulus in Italia, & Hispania, & de Hierosolima, vsque ad Illyricum. Iacobus Maior in Iudæa, & Hispania. Ioannes in Iudæa, & Asia Minori. Andræas in Achaia, Thracia, Epyro, & in Scytia Europæ. Philippus in Scytia, & Phrygia. Iacobus in Ierusalem. Bartholomæus in India Citeriori, & in Maiori Armenia. Mathæus in Æthiopia. Simon in Mesopotamia. Iudas in Ægypto, & in Perside simul cum Simone. Mathias in Æthiopia Interiori. Barnabas in Syria, & in Europa, & Asia, & Cypro. Denique Thomas apud Parthos, Medos, Persas, Brachamanes, Hircanos, Bactros, & Indos,

Indos, ſcilicèt Orientales, non Occiduos, & Americanos ab Hiſpanis ſubijectos.

6 Obijcies primò: Div. Paulus planè recitat de prædicatione Evangelij illa verba: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*; ſed niſi ita eſſet, Apoſtolus non dixiſſet, nè falſitatis arguere tur: ergo ita fuit. Confirmatur primò ex eodem Paulo ad Coloſſenſes 1. verſ. 23. *prædicatum eſt in vniverſa creatura quæ ſub Cœlo eſt.* Confirmatur ſecundò ex eodem capite verſ. 6. *Et in vniverſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit.* Ergo, &c. Reſpondeo diſtinguendo minorem *in aliquo vero ſenſu, & in Scriptura vſitato*, concedo minorem *niſi id ita eſſet in ſenſu riguroſo omninò*, nego minorem, & conſequentiam: reſpondeoque ſub eadem doctrina ad confirmationem, dicendo videlicèt Apoſtolum in illis verbis, vel textibus loquutum fuiſſe tropicè, & figuratè, vſum hyporbole, & ſinedoche, quibus totum pro maiori parte, vel præcipua ſupponit, itaut ſenſus ſit *in plurimas, & præcipuas mundi plagas, præſertim tunc temporis cognitas, Evangelium fuiſſe diſſeminatum*; quo quidem ſenſu dicitur Lucę ſecundò, vniverſus Orbis, qui iuſſu Auguſti deſcribebatur, & Actorum 2. *Ex omni natione quæ ſub Cœlo eſt*, gentes quæ in die Pentecoſtes fuerant congregatę. Vel, ſi vis in rigoroſa vniverſalitate verba eſſe accipienda dicito, ab vtroque Scriptore Sacro Davide, & Paulo fuiſſe prophetice pronuntiatum, dicendo *quaſi de præterito* rem eventuram veluti etiam David dixit tot annis ante Chriſtum prophetans de ipſo; *foderunt manus meas, & pedes meos*, Pſalm. 21.

7 Obijcies ſecundò ex Div. Thoma: ſi verba Div. Pauli in rigore litterali non ſumuntur; invalida erat Apoſtoli argumentatio ad intentum. Sed nefas eſt hoc dicere: ergo in rigore litterali accipienda ſunt: probo maiorem, intentum Pauli erat reddere inexcuſabiles Iudæos, & gentes quibus perſuadebat, oſtendens totum Orbem recepiſſe Evangelium. Sed ſi intelligerentur verba eius virtualitèr de futuro, non de pręſenti, argumentum eſſet invalidum: ergo vt ſit efficax ſummi debent, vt vniverſalia de præſenti. Reſpondeo nego maiorem, ad cuius probationem diſtinguo maiorem. Totum Orbem, *mathematicè ſumptum* nego maiorem (imò & totus mundus mathematicè ſumptus erat tempore Ptolomæi, & ſine America computabatur.) *vulgari ſermone acceptum.* Concedo maiorem, & diſtinguo minorem, & non de pręſenti, neque *in vulgari modo loquendi* concedo minorem: in *mathematico rigore* nego minorem, & conſequentiam. Quis enim dicat ad increpationem ſuaſoriam per viam exempli requiri Mathematicum, vel Scholaſticum rigorem? Sufficit porrò communis, & vulgaris modus loquendi, præſertim in Epiſtolis ad Populos inſtitutis, quę, non niſi prout res vulgò circumferuntur, intelligunt: Itaque dum dictum fuit de Chriſto: *Ecce totus mundus abit poſt eum* quis poſtulet ad veritatem neminem de viventibus non abijſſe? Quare ſicut provocans ad pœnitentiam ſic optimè argumentaretur *tota Ninive pœnitentiam egit*, ergo *& tu reſipiſce*: quamquam familiæ pauculæ ignobiles, & ſuburbanæ non pœnituiſſent; ſic provocans ad fidem Paulus rectè argumentabatur dicens: *Vniverſus Orbis Evangelium accepit: ergo & vos accipite*; licèt nonnulli Populi tunc temporis latentes, & remoti necdum accepiſſent.

8 Obijcies tertiò: nullum eſſe fundamentum nè accipiantur omninò propriè illa verba; &, ſi accipiantur, nullum ſequitur inconveniens: ergo, &c. Conſequentia pater ex regula

S. Auguſtini quod verba Scripturæ in toto rigore ſumenda ſunt, ſi inconveniens non vrgeat. Antecedens probatur: quia verba Mathæi de prędicatione Evangelij *antequam veniat conſummatio* à DD. intelliguntur de excidio Ieruſalem, quod tunc proximè evenit. Item quod alicubi nullum apparet Evangelij veſtigium, non convincit: potuit enim ibi longè ante diffundi, & poſteà cunctis in peius ruentibus memoria eius penitùs aboleri. Reſpondeo diſtinguo antecedens quoad fundamentum *nullum datur efficax ad convincendum*; concedo antecedens: *probabile ad perſuadendum* nego antecedens, & conſequentiam. Ad cuius probationem ex regula Auguſt. Dico hunc Doct. habere aliam regulam apud Ruizium Benedictum in qua ait; *Tam cavendum eſſe accipere figuratè, quæ propriè dicta ſunt, quam propriè, quæ figuratè*: Unde ex hac regula nihil concluditur, ſed ad fundamenta deſcendendum eſt, vt potiùs figuratè, vel potiùs propriè ſumantur. Fundamentum ergo non eſt convincens; eſt tamen probabile collectum ex vtraque parte, videlicèt ex interpretatione DD. intelligentium illam conſummationem pro fine mundi: cumquo amplius cohæret, quod Evangelium per vniverſum tunc eſſet prædicatum; & ex capite Hiſtoriarum, vbi in aliquibus regionibus conſtat, nullum extitiſſe veſtigium. Quod autem prius Evangelium promulgatum fuerit, & fortè poſt memoria abolita ſit; eſt divinari, & reducitur ad *fortè*, & debilem conjecturam. Neque deſinit eſſe inconveniens fateri ignaros mundi Originem, & Auguſtinum referentes partes, in quibus necdum fuerat prædicatum. De interpretatione verò non diſputamus, vtrum ſit probabilior; ſed vtraque recepta, rem diſcutimus, & nos ſemper cum illis PP. & argumento negativo Geographorum, & Hiſtoria rem prorſus reſolvimus.

9 Obijcies quartò contra probationem ex Hiſtoria. Nam in Hiſtoria Chilenſi per Patrem Ildephonſum de Ovalle lib. 8. cap. 1. & 12. datur traditio de Evangelio prædicato per S. Thomam, & memoratur quędam Crux inventa in Civitate Cuzco, antequam Hiſpani illuc perveniſſent. Ergo etiam ad Indos Occidentales Evangelium pervenit tempore Apoſtolorum. Confirmatur: Nam in vita Patris Antonij de Montoya Viri Illuſtris noſtræ Societatis videtur etiam eiuſdem prædicationis veſtigium reperiri. Ad hoc argumentum, reſpondeo: me accurate legiſſe inibi talem Hiſtoriam, & ex ea non poſſe ſummi traditionem firmam, præſertim cum ſit de prędicatione S. Thomæ; quia ſijbi aliquid dicitur, videtur potiùs cum aliqua æquivocatione mutuatum ab ipſis Indis de prædicatione S. Thomæ, tàm conſtanti in Indis Orientalibus. Tum quia omninò verbalis, & quaſi vaga erat Indis talis qualiſcumque notitia ſine loco, ſine tempore, ſine vllo ſigno aut veſtigio relicto. Tum quia eam notitiam veriſimile eſt hauſiſſe de Luſitanis fretum Magallanicum pertranſeuntibus, qui inſtructiſsimi erant de prædicatione S. Thomę in Oriente. Et pro hoc facit ipſa Hiſtoria dum inſinuat, quod Batavos paulo poſt tale fretum penetrantes ſalutarunt indigenę cum nomine IESU, quod ipſa Hiſtoria ſuſpicatur, non ab alijs, quam ab ipſis priùs edoctum. Tum quia dicitur, quod prædicavit ipſis homo albus, quaſi eſſent nigri, quod potiùs Div. Thomæ prædicanti in Oriente inter Abiſsinos, & Ethiopes adaptatur. Quoad Crucem verò factam in quadro, non reſultat etiam argumentum vrgens: Tum quia ipſa erat in ſe pretioſa ex laſpide Chriſtalino proindeque digna ſervatù; ne-

neque inventa eſt exaltata; vt ſic potiùs teſtaretur fidem, & cultum; nam antequam Chriſtus Dominus pateretur, ſecuti inveniebantur quædam prętioſa in modum circuli, vel trianguli poterant inveniri in modum crucis. Tum quia licèt admitteretur, vt veſtigium ſacrum, potuit longè poſt prædicationem Apoſtolorum hac, vel illa via illuc perveniſſe, vel per Luſitanos, vel perquoſdam alios. Non ſecus ac ego vidi in manibus Patris Ioſephi Raimundi Arjo, Miſsionarij Chinenſis tranſcriptionem Sinicam cujuſdam lapidis inventi apud Sinaſcum cruce erecta, & proteſtatione ſinicè facta ſed Syriacè ſubſcripta, quam (ferebatur) illuc eam induxiſſe Neſtorianos quoſdam. Quamobrem cum ipſemet Author Hiſtorię loco citato cap. 2. in fine omnia ſuprà dicta conjecturas appellet; neque inde eliciatur quidpiam firmum; relinquimus ſuam fidem tali Hiſtoriæ; ſed cum hæc non firmo aliquo fundamento innixa ſit; non evertit noſtram rationem, quæ procedit de prædicatione ſatis fundata. Ad confirmationem dico brevitèr, me ſemel, & iterum, evoluiſſe, atque lectitaſſe, & non inerter vitam Patris Montoya naturalem Pervani Regni Typis mandatum per Patrem Andrade Matriti anno 1666. & talem prædicationem tempore Apoſtolorum non reperiſſe, quin potiùs pag. 288. ait, Patrem Montoya *prædicaviſſe Evangelium, vbi nunquam fuerat obauditum.* Quòd potiùs eſt pro ſententia noſtra. Vltimòque licèt ſuperiora evincerent, quòd Evangelium in Peruano, Chilenſi, Paraguano Regno inſonuiſſet; tamen tum pro reliqua America; tum pro plagis ſuprà à PP. commemoratis ſatis firma permaneret noſtra ſententia.

***

DECAS IV.

QUÆSTIO PRIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

IACOB AUTEM GENUIT IOSEPH VIRUM MARIÆ. Mathæi cap. 1. verſ. 16.

ARTICULUS

AN CHRISTUS DOMINUS BEATISSIMAQUE Virgo Maria ex Davide originem duxerint per Salomonem?

NOTABILIA.

1 AD expeditionem huius quæſtionis, quæ circumquaque difficultatibus ſepta eſt, præmittenda eſt primò concordia Evangeliſtarum Lucæ, & Mathæi, quorum primus dicit, Ioſephum filium Heli; ſecundus autem filium Iacob: Quamquam enim perdoctus Suarez, & Cornelius num. 36. & Franciſcus Lucas approbet illam interpretationem, quà apud Lucam non videantur recenſeri maiores Ioſeph, ſed maiores Chriſti propter connexionem diverſam illius *qui* relativi; nihilominus violenta eſt huiuſmodi interpretatio apud Maldonatum in tota hac re peritiſsimum. Ex tribus igitur modis quibus Auguſtinus apud Maldonatum hanc concordiam ſtabilire conatur, illum ſeligo, quod nimirum *Ioſeph fuerit filius naturalis Iacob, & filius legalis Heli.* Cum enim ambo fuerint fratres vterini ex eàdem, ſcilicèt matre, prius nuptà Matath, ex quo ſuſcepit Heli, poſtmodum verò Mathan, ex quo ſuſcepit Iacob; accidit, vt Heli ſine liberis decente, Iacob ad eius vxorem ingrederetur ex lege Deuteronomij 25. 5. Quare Ioſeph fuit filius naturalis Iacob, qui eum genuerat, & filius legalis Heli, cuius ſemen de vxore ſua ſuſcitaverat frater eius Iacob ex præſcripto legis. Hæc interpretatio ab ipſis Chriſti cognatis accepta, vt ait Africanus in Epiſtola ad Ariſtidem à priſcis Patribus recepta eſt. Sic Iuſtinus ad Orthodoxos quæſtione 66. Euſeb. lib. 1. Hiſtoriæ cap. 7. Hie-

Hieronymus in Commentarijs in hunc locum. Amb. lib. 3. in Lucam. Eucherius quæſt. 3. in Math. Dam. lib. 4. de Fide cap. 15. Beda in Luc. cap. 10. Theophil. in Luc. cap. 3. Aug. lib. 2. Retract. cap. 7. Et eam noviſsimè fulcit, & illuſtrat Illuſtriſsimus D.D. Marcellinus Siuri, Epiſcopus Cordubenſ. in ſuo præclaro opere in Evangel. tract. 3. cap. 6. & 7.

2 Triplex ergo in quæſito noſtro poteſt ac debet obſervari ſententia. Alia eſt Iudæorum (ſi fortè ita dici poteſt) Gentilium, & Hæreticorum quæ aſſerit B. V. Mariam ſolum fuiſſe ex Tribu Levi, quam cum perfidis Iudæis ſuſtinuerunt Iulian. Celſus, Fauſtus atque Porphirius. Secunda ſententia aſſerit B. V. Mariam ortum ducere ex David per Nathan: quam defendunt Caietanus, Janſenius, Dion. Cartuſ. Arias Mont. Palatius, & alij Expoſitores Mathæi 1. & Lucæ 3. Galatinus lib. 7. cap. 12. Driedo lib. 3. de Dogmat. cap. 5. pag. 4. in fine. Ioannes Lucidus lib. 7. de Emendatione temporum cap. 1. Can. 11. de locis cap. 5. Soto in 4. diſt. 3. quæſt. 2. art. 1. Caniſius lib. 4. de Deipara, cap. 3. Alex. lib. 1. Harmoniæ, cap. 16. Suarez de Vita Chriſti, diſp. 2. ſect. 3. & Daniel Papebrochius die 19. Martij. Tertia ſententia defendit B. V. Mariam, ſicut & Ioſeph per Salomonem, lineamque Paternam ex Davide originem ducere, quam defendunt Irenæus, lib. 3. cap. 18. Tertull. lib. contra Iudæos. Athan. in Epiſtola ad Epictetum, adverſus Hæreticos. Amb. lib. 2. de Pœnitentia, cap. 8. & lib. 3. Comment. in Lucam. Aug. in QQ. in lib. Iud. quæſt. 47. & in quæſtion. ex Novo Teſtamento, quæſt. 86. & lib. 23. contra Fauſtum cap. 3. & 4. Hieron. hoc loco. Niſſenus in Oratione de Sancta Chriſti Nativitate. Iuvencus Poeta. Euther. in quæſt. in Novum Teſtam. Dam. lib. de Fide 4. cap. 15. Barrad. tom. 1. lib. 5. cap. 3. Mald. Mathæi 1. Siuri, qui plures in hoc puncto refert Authores.

3 Concluſio noſtra ſit cum tertia ſententia iuxta quam aſſerimus, *B. V. Mariam quoad lineam Paternam per Salomonem ex Davide originem ducere.* Quod ſic probo. B. V. Maria quoad lineam Paternam fuit ex eàdem Tribu, & familia cum Ioſepho eius Sponſo, cum ipſoque gradu conſanguinitatis valdè propinqua; ſed Sanctus Ioſephus quoad lineam Paternam à Davide originem ducit per Salomonem: ergo, & B. V. Maria. Minor conſtat ex tota ſerie generationis quam texit Mathæus cap. 1. Vbi de viro in virum recenſet generationes ab Abraham vſque ad Ioſephum virum B. V. Mariæ. Probo maiorem ad cuius probationem præmittenda eſt illa lex Numerorum 36. verſ. 6. 7. & 8. *Omnes enim viri ducent vxores de Tribu, & cognatione ſua: & cuncta fœminæ de eadem cognatione maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familijs.* Itemque Hæbraicè ſic habetur. *Omnis filia hæres hæreditatis ex Tribubus filiorum Iſrael vni ex familia Tribus Patris ſui erit in vxorem, vt poſſideant filij Iſrael vnuſquiſque hæreditatem Patrum ſuorum.* Ex quibus omnibus ad probandam maiorem ſic inſtituitur argumentum. B. V. Maria ritè fuit Deſponſata Ioſepho iuxta omnem ritum legis: ſed lex relata poſcebat, primò, quòd Sponſus eſſet ex eadem Tribu, & cognatione ſua; ſecundò, quòd & de familia Patris ſui, quòd eſt convenire in linea Paterna; tertiò, quòd per talia matrimonia permaneret hæreditas in familijs, iuxta quòd filia hæres debebat nubere propinquiori: ergo ſi B. V. Maria hæres erat; quoad lineam Paternam ex eadem Tribu, & cognatione cum eius Sponſo eſt reputanda. Tunc ſic: ſed fuit hæres ſuorum Parentum: quippè nullos fratres habuit, vt traditio fert,

&

& Scriptura ſuo ſilentio confirmat: ergo de primò ad vltimum Maria, & Ioſeph quoad lineam Paternam ex Davide veniebant per Salomonem. In quo quidem ſolum quæſtio eſſe poterat, ſuppoſitò, vt ſupponi debet, Mariam ex Davide deſcendere ex varijs Teſtibus Scripturæ, Mathæi 1. *Liber Generationis Ieſu-Chriſti Filij David*, & Lucæ 1. *Et dabit illi Dominus ſedem David Patris ſui*: & capite ſecundò dicitur: Ioſeph, & Mariam aſcendiſſe ex Galilæa, vt deſcriberentur eo *quòd eſſent ex familia David*. Item ad Rom. 1. verſ. 3. *ex ſemine David ſecundum carnem*; quæ omnia Chriſto convenire non poſſunt propter Ioſephum, ex quo non venit ſecundum carnem: neque propriè filius David diceretur, ſed putativè: ergo, &c.

4 Contra hanc ergo concluſionem obijcitur primò ex Suarez; Maria deſcendit à David per Nathan: ergo non per Salomonem. Probo antecedens Lucæ 1. in illis verbis: *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, & putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, &c.* traditur Genealogia Mariæ, & non Ioſephi; ſed hæc fuit per Nathan: ergo, &c. Probo maiorem primò: Quia alioqui Genealogia Mariæ in Evangelio ſubticeretur; cum tamen Iudith profapia non reticeatur. Secundò: Quia illud qui relativum refertur ad Chriſtum, & non ad Ioſephum: ergo Chriſti, & Mariæ Genealogia deſcribitur: Antecedens patet tum in Textu Græco vbi non fit narratio per relativa, ſed per genitivos, ſcilicèt, *ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph TOU HAI ideſt Heli*, in genitivo: tum quia ibi ſermo exprofeſſo erat de Chriſto, & non de Ioſepho. Reſpondetur negando antecedens ad cuius probationem nego maiorem, & huius primam probationem: In Genealogia enim S. Ioſephi includebatur Genealogia Mariæ. Undè ait Maldonatus: *Evangeliſtæ contenti fuerunt Ioſeph Genealogiam demonſtraſſe, quam certum, aut notum erat, eandem eſſe Mariæ.* Ad ſecundam probationem nego illam interpretationem de qua ait idem Mald. *illam ſubtilitatem probare non queo*; quare ſi huic viro non probatur, neque antiquiſsimis Patribus probatam fuiſſe; nec mihi ſequendam cenſeo. Quod autem inibi ſit ſermo de Chriſto non tollit quominùs recenſeretur Genealogia Ioſephi; licet enim Sanctus Ioſephus non genuerit Chriſtum; huius enarratio Genealogiæ non poterat non ad Hiſtoriam Chriſti declarandam optimè convenire. De exemplaribus Græcis, in primis dico: non eſſe antenonenda Vulgatis ad dirimendas quæſtiones, præterquamquod omnes genitivi cadentes ſupra Ioſephum perinde ſunt, ac totidem relativa; imò & propterea claritatis gratia, Vulgatus Interpres relativa interiecit.

5 Obijcitur ſecundò B. V. Maria erat ex Tribu Levi: ergo non ex Tribu David per Salomonem. Probatur antecedens: Quia erat cognata Eliſabethæ, quæ erat de Tribu Levi. Reſpondetur negando antecedens ad cuius probationem dico cum Auguſtino quæſt 47. in Libros Iudicum, potuiſſe aliquem ex Tribu Iuda, & familia Davidis duxiſſe aliquam vxorem, ex Tribu Levi; vndè B. V. Maria originem traheret; v. gr. ſi Sancta Anna eiuſmodi fuerit: quo facilè propinquitas cum Eliſabetha intercedebat: vel è contra ſi Mater Eliſabethæ fuiſſet ex Tribu Iuda. Undè ipſi cum Deipara adveniret cognatio, licet Pater eius eſſet ex Tribu Levi. Et ſic videtur tradetur Torniellus ann. 4037. Dicens, quod *Sobè* de Tribu Iudà fuit Mater Eliſabethæ, & quòd ea nupſit alij Sacerdoti: vndè dicta eſt de filiabus Aaron. Replicabis non poterant ſummi vxores de aliena Tribu. Reſpondeo:

Vxo-

Uxores hæredes ſuorum Parentum concedo, ne hæreditas in alienam Tribum tranſiret : *Uxores non hæredes* nego. Quod autem licerent hæc coniugia patet ex coniugijs inter David de Tribu Iuda, & Michol de Tribu Beniamin 1. Reg. 9. in Joiada de Tribu Levi, qui duxit filiam Joram Regis de Tribu Iuda, 2. Paralip. 22. 11. & in vndecim Tribubus iurantibus, ſe non daturos ſuas filias Tribui Beniamin propter Scelus in Levitam commiſſum Iudic. 21. ergo quia antè eas nuptui tradere poterant ; quæ doctrina eſt plurium Authorum apud Cornel. num. 36. & etiam eſt Toſtati, quem non benè citat Cornelius.

6 Obijcitur tertiò illa verba Ieremiæ 22. *Non ſedebit vir de ſemine eius* (Ieconiæ) *ſuper ſolium David.* Sed ſi Chriſtus cum Maria ex Davide venirent per Salomonem, id eſſet falſum: ergo, &c. Probo minorem : Chriſtus ſedit ſuper ſolium David ; & tamen venit ex ſemine Ieconiæ : ergo, &c. Reſpondeo diſtinguo maiorem : Non ſedebit ſuper ſolium *humanitus* traditum, & *humanitus* occupatum concedo maiorem : *divinitus* traditum, & *divinitus* occupatum nego maiorem, & minorem. Cum enim Chriſtus ſederit ſuper ſolium David non *humanitus* iuxta illud : *Regnum meum non eſt de hoc mundo* ; ſed divinitus tanquam Rex æternus, penes quem illud dominium altiſsimum reſidebat ; inde eſt hoc argumentum etiam floci haberi ab ipſo obijciente, vel commemorante, qui eſt Doct. Eximius.

7 Obijcitur quartò : Sanctus Ioſeph deſcendit ex David per Nathan: ergo & B. V. Maria. Probatur antecedens. Lucæ 3. ponitur ſic Genealogia S. Ioſeph. *Ioſeph qui fuit Heli, qui fuit Mathath, qui fuit Levi, qui fuit Nathan, &c.* ergo venit ex Davide per Nathan. Reſpondetur primò cum Lyra, & Torniello : Diſtinguo antecedens. Per Nathan filium adoptivum Davidis concedo antecedens. Naturalem nego ſuppoſitum. Ita defendit Torniellus anno 4051. imò & Beauxamis idem tradit ex Lyra. Hic autem aſcenſus vſque ad Nathan fit quatenus D. Lucas ad Legales Parentes quandoque deflectit : vt ipſe Torniellus ibidem adfert. Undè reſpondetur ſecundò diſtinguo antecedens per Heli *Patrem eius legalem* concedo antecedens per Iacob *Patrem Ioſeph naturalem* nego antecedens, & conſequentiam. Quippè iuxta doctrinam notabilis iam præmiſſi, & SS. PP. inibi ſuffragantes; Heli ſolum erat Pater legalis S. Ioſeph; Pater autem naturalis erat Iacob. Quod verò Mathæus recenſeat Genealogiam naturalem, Lucas verò Genealogiam ſecundum legem, præter commune, & vetuſtiſsimum placitum, patet quod primus ſemper vſus eſt verbo *genuit* ſecundus autem nullibi. Patet autem quantum verbum illud naturalem generationem exprimat : præterquamquod veriſimile eſt quod Lucas veniens ad Generationes Ioſeph poſt Patres eius naturales expoſitos à Mathæo; non niſi legales, vel (vt melius dicam) Patris legalis progenitores commemorare voluiſſet.

8 Obijcitur quintò : Filius legalis debebat inſigniri nomine Patris legalis ex Deuter. 25. *Et primogenitum ex ea filium nomine eius appellabit* : ergo Sanctus Ioſeph non erat filius legalis Heli. Reſpondeo primò diſtinguo antecedens : Et verba legis erant ex *præcepto* nego antecedens. Ex *conſilio* concedo antecedens, & nego conſequentiam. Et eſt reſponſio Auguſt. q. 46. lib. q. in Deuteron. & lib. 2. Retract. cap. 12. filius enim Ruth, neque appellatus eſt Booz, vt Pater eius naturalis, nec Mahalon, vt Pater eius legalis, ſed Obed. Reſpondeo ſecundo, diſtinguo antecedens. Nomine primò, & quaſi *recto* nego antecedens.

dens. Nomine notativo, & *obliquo* concedo antecedens, & nego conſequentiam. Cum enim finis eſſet ſuſcitatio ſeminis fratris vel propinqui ; ea nominis ſignificatio erat ſatis, quæ ſufficeret ad demonſtrandum ; quomodo in eo filio ſemen Patris eius ſuſcitabatur. Ad hoc autem ſufficiebat, imò & magis ſignificabat appellare primogenitum ſub obliquo nomine illius, cui ſemen fuerat ſuſcitatum ; v.gr. vt dicit Evang. Luc. 3. Ioſeph qui *fuit Heli* ; per illam enim appoſitionem obliqui, *qui fuit Heli* ; qui genitivus eſt poſſeſsionis ſatis ſignificatur, & indigitatur, illum Ioſephum eſſe quaſi poſſeſsionem Heli, iuxta illam loquutionem Evæ ; dum dixit : *poſſedi hominem per Deum.* Etiam in Evangelio dicitur *Iudas Iacobi* ad indigitandum : & inter Hiſpanos vulgare eſt ita plurimos nominari : v. gr. *Juan de Juana, Juan de Diego.* Undè ex prædicto loco D. Lucæ, tàm longe abeſt, vt S. Ioſeph non poſsit eſſe filius legalis Heli, quinimò inde plus videatur corroborari.

9 Obijcitur ſextò: ſuſtineri non poteſt D. Lucam in ſua Genealogia S. Ioſephi expoſuiſſe Generationem, ſeu Genealogiam legalem : ergo vel corruit concluſio, vel doctrina eam ſuſtentans. Probo antecedens in ea Genealogia ponuntur Salathiel, & Zorobabel. Sed hi recenſentur, & ſunt Patres naturales iuxta Genealogiam Mathei : ergo Genealogia Lucæ non eſt mere legalis : maior conſtat ex illis verbis Lucæ 3. *Qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel.* Et minor ex illis Mathæi 1. *Iechonias autem genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel, &c.* ergo. Reſpondeo negando antecedens ad cuius probationem diſtinguo maiorem. Ponuntur Salathiel, & Zorobabel diverſi ab eis quos recenſet Mathæus concedo maiorem. Ijdem nego maiorem : & ſimiliter diſtincta minori, nego conſequentiam. Itaque quamquàm ſint eiuſdem nominis illi duo progenitores naturales, & legales planum videtur eſſe diverſos in ipſis generationibus : Nam Salathiel relatus à Luca habet Patrem Neri, & relatus à Mathęo habet Patrem Ieconiam. Præterea Zorobabel Lucæ habet filium Reſa. Zorobabel autem Mathæi habet filium Abiud ; quod diſcrimen eſt certè ſatis vt diſtinguatur. Ità apud Torniellium in Genealogia Chriſti. Reſpondetur ſecundò, nego antecedens ad probationem, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam, licèt enim vnus idemque Pater eſſe non poſsit legalis, & naturalis, benè tamen avus, & ſic avavi, & proavi ; ſi enim exempli gratia Salomone ne ſine liberis decedente, Nathan frater eius ad Salomonis vxorem fuiſſet ingreſſus, filius qui ei naſceretur, eſſet Nepos, tum naturalis, tum legalis Davidis ; quamquàm fuiſſet ſolum filius naturalis Nathan, & legalis Salomonis.

10 Obijcitur ſeptimò : Vt Heli fuiſſet Pater legalis S. Ioſephi debebant Iacob, & Heli fuiſſe fratres, ſed non fuerunt : ergo Heli non fuit Pater legalis. Probo minorem : Pater Iacob fuit Nathan, vt conſtat Mathæi 1. Sed Pater Heli fuit Mathath, vt conſtat Lucæ 3. ergo Iacob, & Heli fratres non fuerunt. Reſpondeo diſtinguo minorem : *non fuerunt fratres vterini, ideſt ex eadem Matre*, nego minorem. *ex eodem Patre* concedo minorem, & nego conſequentiam. *Ieſcha* enim vt vult Abulenſis, vel *Heſta* vt vult Maldonatus prior nupſit Mathath, ex quo ſuſcepit Heli ; mortuo verò Mathath fuit Matham data in matrimonium, ex quo tum Iacob, tum procreavit Ioachim Patrem B. V. Mariæ, ex quo reſultat Heli, Iacob, & Ioachim vterinos fuiſſe fratres. Cumque S. Ioſeph eſſet filius Iacob, & B. V. Maria filia

Ioa-

Ioachim ſequitur, hos coniuges ſacratiſsimos fuiſſe conſobrinos: quò optimè ſalvatur gradus ille maior propinquitatis, qui à nobis ſuprà in ratione concluſionis poſtulabatur ad ineunda matrimonia iuxta legem.

11 Obijcitur octavò replicando contra ſuperiora: non poterat Iacob ſuſcitare ſemen Heli, niſi eſſet frater ex Patre: ergo S. Ioſeph non erat filius legalis Heli. Probo antecedens primò, quia lex per verbum *Sabam* ſolùm ſignificabat fratrem germanum, ideſt ex Patre, & Matre. Secundò, quia ſuſcitare ſemen fratri ſuo, videtur intelligendum de ſemine paterno, quod eſt quod traducitur in generationibus. Reſpondeo nego antecedens: & eius primam probationem propter multa. Primò propter authoritatem SS. PP. qui nobiſcum ſunt in notabili huius quæſtionis: ſunt enim multi celebres, & antiqui. Secundò, quia dummodo eſſet intrà eandem Tribum non modo vterinus; verum etiam ſemen poterat ſuſcitare propinquus: vt patet Ruth. 4. *Ruth quoque Moabitidem*, quæ vxor *defuncti fuit, debes accipere, vt ſuſcites nomen propinqui tui in hæreditate ſua.* Tertiò, quia nomen Hebræum *Sabam* non germanum fratrem præcisè ſignificat; ſed Levirum, & fratrem ex Matre tantum, vt dicit Barradas tom. 1. lib. 5. cap. 30. Quod ex inde patet: quia idem verbum in fœmineà acceptione *Sebama* ſignificat vxorem fratris defuncti; & tamen neque reſpectu fratris defuncti, neque illius, qui ſuſcitaturus eſt ſemen, poteſt eſſe germana: quare verbum talem germanitatem non ſignificat, ſed multò generalius, dummodo intra eandem Tribum. Ad ſecundam probationem dico: *Ly ſuſcitare ſemen fratri ſuo, intelligi debet non de ſuſcitatione phyſica*, quoad ſemen fratris, ſed morali, & ſubſtitutiva, vt nimirùm defuncto fratri germen aliquod pro hæreditate ſua relinqueretur; quod quidem ſemen, & germen certè à propinquiori erat reſuſcitandum, ſivè germanus eſſet frater, ſivè vterinus, ſivè propinquus. Quare ſubdo cum Barradas nonnulla, quæ his, & ſuperioribus lucem ſunt allatura. Ait ergo loco citato, *præcipiebat igitur lex, vt appellaretur nomine Patris legalis filius legalis, hoc eſt, vt diceretur eius filius; eſtque ſenſus verborum legis, filium primogenitum nomine defuncti appellabit; hoc eſt appellabit filium defuncti. Hic ſenſus ex libro Ruth, cap. 4. confirmatur. Vbi inquit Booz. Teſtes eſtis, quod egò Ruth vxorem Maalon in coniugem ſumpſerim, vt ſuſcitem nomen Defuncti in hereditate ſua, ne vocabulum eius de familia ſua à fratribus, & Populo deleatur; itaque quamvis filius appellatus ſit Obed, non delectum eſt ex Populo vocabulum defuncti, quia Obed filius defuncti Maalonis dicebatur, & ideò permanet nomen eius, (hoc eſt memoria.) Nomen defuncti (ait Aug.) Quod dictum eſt ad hoc lex valere præcepit, vt eius filius diceretur; non ad hoc, vt quod ille vocaretur.* Hæc Barradas num. 8. loci citati, in quo plura pro hac re, copioſa ſua eruditione pertractat.

12 Ad calcem hic iubet cum verbis Maldonati expedire difficultatem illam de tàm diverſa ſeriè progenitorum in Genealogia Mathæi, & Lucæ, ait ergo in Mathęum cap. 2. *Mathæum naturales, Lucam, legales Patres recenſere, non quòd omnes, quos Lucas commemorat legales ſint, id enim abſurdum profectò mihi videtur; ſed quòd Mathæus Iacob, qui naturalis; Lucas Heli, qui legalis Ioſephi Pater erat, maiores memoret.*

13 Obijcitur nonò: Ex ſententia quam promovet Pater Papebrochius; quod ſcilicèt, Ieſus venerit de David per Nathan, eò quòd Heli fuerit Pater naturalis Ioſeph, & D. Lucas recenſeat generationem naturalem; Mathæus verò legalem. Quod aſſumptum multipliciter ſuadetur: Primò, quia illa

verba *qui fuit Heli* denotant generationem naturalem Heli reſpectu S. Ioſephi, vt patet ex eo, quod in reliquis omnibus vſque ad Adam, vbi ſimilis forma ſervatur loquendi, generatio naturalis ponitur: ergo ſimilitèr in Heli reſpectu Ioſeph. Reſpondeo negando aſſumptum, & probationem, quia licèt plures generationes naturales ibi ponantur; non tamen omnes, vt conſtat, ex eo quòd Heli, qui dicitur fuiſſe *Mathath*, ſeu *Melchi*, non fuit filius, ſed gener vt cenſet Corn. & Burgenſis in num. 36. & Salathiel, qui dicitur fuiſſe *Neri* adoptione fuit filius eius vt tradit Lyra. Itemque Torniellius ait, Lucam ideò vſum fuiſſe illo modo loquendi, *qui fuit, &c.* quia cogebatur in progenitoribus commemorare plures legales, & inſuper ipſe Nathan defenditur ab ipſo Torniellio filius adoptivus David; naturalis verò Vriæ habitus ante adulterium Berſabeè, prout ſuprà tactum eſt. Undè cum ruat aſſumptum de eo, quòd omnes generationes vſque ad Heli ſunt naturales; & aliunde traditio de ipſis cognatis Chriſti orta, & per SS. PP. accepta det ſolum generationem legalem Heli; ruit prorſus argumentum, pro quo probabis aſſumptum. Secundò: Si Lucas loqueretur de legali generatione, nominaret Patres legales, vbi darentur: quod tamen non facit in Booz, & Obed. Nam hic habuit Patrem Maalon ſecundum legem. Reſpondeò cum Maldonato, & Abulenſi, ideò dici Lucam ſequi generationem legalem Ioſephi, quia per Patrem eius legalem pergit aſcendendo per progenitores, ſivè aliqui ſint legales, ſivè non, præſertim quando commodiùs datur Pater naturalis clarus, per quem fiat aſcenſus, vt patet in caſu Booz: Non quia omnes deberent eſſe legales: & hoc tetigimus ſuprà ante hanc nonam obiectionem.

14 Obijcitur decimò ad idem aſſumptum. Congruentius eſt S. Mathæum ſcribentem Iudæis legis peritis texere generationem legalem; Lucam verò ſcribentem Gentilibus ſcribere naturalem pertingendo vſque ad ipſum Deum. Ergo, &c. Reſpondeo nego antecedens: Quippè ipſis Iudæis debebat potiùs manifeſtari, quod Chriſtus naturaliter eſſet ex familia David. *Lucas ergo* (ait Maldon.) *cum Mathæum vidiſſet Chriſti originis à Davide per Salomonem ductum diligenter explicaſſe, voluit eiuſdem originem per Nathan ipſe deducere, vt pateret mediis omnibus, filium eſſe Davidis.* Præterquamquod cùm conſtet Mathæum loqui, & narrare hanc deſcendentiam ante omnia; & ante Conceptionem Chriſti, & ſemper per verbum *genuit* quæ omnia non præſtat Lucas, qui poſt trigeſimum annum Chriſti, quaſi obiter Cathalogum generationis texit, & cum modo loquendi valdè amplè vſurpabili, ſcilicèt, *qui fuit Heli, qui fuit Mathath, ſeu Melchi, &c.* congruentiùs eſt, (imò, & rationi magis conſentaneum) PP. & opinioni receptæ adhærere, dicendo, Mathæum narraviſſe generationem naturalem; Lucam verò legalem, quidquid ſit de probabilitate ſententiæ, quam neque ſequimur, neque improbamus. REPLICABIS Mathæus aliquando deficit in ordine naturalis generationis: commemorando potiùs ex iure ſucceſsionis: ergo non proſequitur generationem naturalem. Reſpondeo nego antecedens: Nam vel hoc dicitur propter illos tres Reges Ochoziam, Ioam, & Amaſiam prætermiſſos poſt Ioràm? & hoc non officit ordini generationis naturalis; nam verè dicitur, de avis, & proavis *genuiſſe* ſuos Nepotes, vt latè Abul. Mathæi primò, vel dicitur propter Salathiel; quia, nimirum, hic non fuerit filius naturalis Iechoniæ propter comminationem factam Hieremiæ 22.

& ſuprà iam tactam? Et ad hoc dico ſimiliter cum Abulenſi, ſterilitatem de qua ibi fiebat comminatio Iechoniæ non eſſe ſterilitatem naturæ, ſed in ſolio David, quatenus tale ſolium finiretur, ipſo per captivitatem adducto. Et licèt Zorobabel filius Salathielis poſteà de captivitate cum aliqua poteſtate redierit; nihilominus non fuit eiuſmodi, vt ſolium Davidis regeneraret, ac reſtabiliret.

15 Obijcitur vndecimò ad idem aſſumptum. Optimè componitur Genealogia Chriſti, ſi S. Ioſeph, & Ioachimus ſint fratres, & B. V. MARIA neptis, vel *Sobrina* S. Ioſephi: ſed hoc naſcitur, ſi Heli ſit Pater naturalis Ioſephi, & non legalis: ergo, &c. Probo maiorem: Nam tota linea, & Genealogia Chriſti recta, & continuata ducetur vſque ad Adam per avos, & proavos, ſine vllo collaterali: & ècontra, ſi aliquis alius præter Heli ſit Pater naturalis Ioſephi; ſemper inter Progenitores Chriſti recenſebitur aliquis, qui per lineam rectam non ſit avus, aut proavus Chriſti: ergo meliori modo conſulitur Genealogiæ Chriſti ponendo Heli Patrem naturalem Ioſephi, & hunc, & S. Ioachimum eſſe fratres. Reſpondeo nego aſſumptum, cum probationibus, & dicendo ex Lyra, Maldonato, Burgenſi, & Cornelio: non omnes Progenitores aſsignatos à Divo Luca fuiſſe per lineam rectam avos, & proavos, vt vidimus in Mathath, & Neri: Hoc poſito tota argumentationis machina ruit, dum etiam in tali generatione deprehenduntur aliqui, qui non ſint per lineam rectam avi, & proavi Chriſti. Si verò inſiſtas dicendo, illos etiam fuiſſe Patres naturales, ſed negari ab Authoribus relatis propter diſcrepantiam cum Genealogia Mathæi. Reſpondeo ab ipſis laudabiliſsimè fieri, & non niſi ex optimo genere interpretandi: quæ enim interpretatio melior Genealogiæ, quam ipſam ducere ex temporibus Chriſti, ex cognatis eius, ex conſenſu PP. ex receptione Eccleſiæ, & ex copioſo agmine primorum Interpretum? Hanc ergo retinere benemereri eſt in Eccleſia, & re litteraria. Quamquàm ipſe non reſpuo meditationem contrariam, quam Pater Papebrochius ex Poſsino, Beſoño, Cancelloto, ſuffragantibus alijs in campum induxit, & mirificè propugnavit quæ, quantumvis ad tuendum ſe ſit fortiſsimè communita; nihilominus ad oppugnandum nos non video quomodo prævalere nunc poſsit. Semper autem pro laude eſſe debet ijs Viris Catholicis, & Doctiſsimis, quod circumquaque pulſent, & effodiant puteos varios ſanæ doctrinæ, vt nonnullæ oves per vias incredulitatis errantes faciliùs ad caulam Domini revocentur.

16 Obijcitur duodecimò: Iacob Pater S. Ioſephi fuit etiam Pater S. Ioachimi: ergo hi fuerunt germani fratres, & B. V. Maria fuit S. Ioſepho neptis ex fratre. Probo antecedens, Pater S. Ioachimi iuxta S. Ioann. Damaſc. lib. 4. de Fide, cap. 15. fuit quidam Barpanther, ideſt Pantheris filius. Sed Iacob fuit Pantheris filius iuxta S. Epiphanium Hæreſi 78. Ergo Iacob fuit Pater S. Ioſephi, & S. Ioachimi. Ad hoc argumentum reſpondeo ex ijs, quæ doctè expendit Illuſtriſsimus Siuri in Evangel. tract. 10. cap. 2. num. 14. negando maiorem, ad cuius probationem dico, quod poſtquam in ſuis locis conſului vtrumque S. Patrem Damaſcenum, & Epiphanium, nil certè quod rem ſuadeat, potui colligere, niſi quod potiùs hi PP. collati ſuper hac re mutuò ſe exarment: ait enim Damaſcenus Ioſephum à Salomone veniſſe medio Iacob, & à Nathan medio Panthere: quomodo ergo in vnum coeant Iacob, & Panther, vt videtur velle Epiphanius? Imò, ſi Iacob, & Panther eſt idem, vt expreſsè cognominatum ait fuiſſe Iacob Div. Epi-

Epiphanius : ergo Pater S. Ioachim (qui in hac opinione eſt Iacob) nequit eſſe Barpanther, vt tenet D. Ioannes Damaſc. ſed Panther ipſe. Non ergo concordant. Præter quæ potiùs ex D. Epiphanio probatur S. Ioachim non fuiſſe filium Iacob, cuius dicit filios fuiſſe Ioſephum, & Cleopam: & ita ſe explicat. *Hi ambo à Panthere appellato gignuntur*: vbi per ly *ambo*, quod eſt poſitivè *Duale*, tertius ab eodem Panthere, ſeu Iacob genitus videtur excluſus. Ad quæ adijci poteſt ex Siuri, hanc D. Epiphanij enarrationem ponentem, S. Ioſephum veniſſe ad nuptias cum B. V. Maria poſt alios plures filios ex alia ſuſceptos, & octuagenarium non vltrò videri ſuſceptam.

17 Ad calcem obſerva primò, quod ſi non admittuntur illi Barpanther, & Panther, quos textus Sacer non adfert; clarior propinquitas optata reſultat inter Ioſephum, & Mariam, vt num. 10. conſtitit ex Maldonato. Si verò admittuntur, vel indeciſſa, aut laxa relinquenda eſt hæc propinquitas cum Suario, & Siurio, tract. 10. cap. 2. num. 18. Vel, cùm hoc nomen *Panther* Venaticum quidpiam Græcè ſignificet à voce *Pantheron* retis venatici quoddam genus ſignificante; poterit conjectari Matham venationi fortè datum, *Pantherem* inde dictum: & exinde Iacob Pantherem etiam, vel filium Pantheris cognominatum. Cui meditationi favet, tùm quòd talis Panther nomine Hebraico carere non poterat, tùm quod à S. Epiphanio dicitur *cognominatus* Panther; non *nominatus*. Cuncta hæc accipe, & libra, & concorda, vt malis. Obſerva II. Quod quamvis P. Papebrochius pro confirmanda ſua ſententia inſinuat, Ezechiam non potuiſſe eſſe filium naturalem Achaz; nihilominus præcipuè inſiſtit in Chronologia, quæ quantum fallat tùm in ſecundo tomo per otium, tùm in quæſtione de Cainan hic tetigimus notantes ex Bonfrerio quàm amandanda ſit omnis Chronologia propter retinendum textum cuiuſmodi hic eſt illud *genuit*. Obſerva III. ad idem aſſumptum. Quod licèt citari ſoleat Pſalm. 88. ad teſtandum Davidem agnoviſſe promiſſiones factas Poſteris Salomonis verſas ad poſteros Nathan *Commutationem Chriſti tui, &c.* Satis ipſe Pſalmus id non eſſe convincit: quomodo enim David ibi tàm querulus circa Promiſsiones ſibi factas, quandoquidem ſibi in Nathane reſervabantur? Obſerva IV. Quod licèt in dubium tentetur revocari Africanus, eò quod apud Nicephorum lib. 1. c. 11. ſic dicere videatur: *Cæterum ſivè, ita ſeù aliter res ſe habeat; dilucidiorem expoſitionem alius quiſquam non invenerit.* Nihilominus non ita eſt: tum quia apud Euſebium vbi à maiori antiquitate rei plus facit fidem, potiùs ſic habet: *Hæc autem non nobis ad ſubitum reperta, aut abſque vllis Authoribus commentata ſunt, ſed ipſi hæc Salvatoris noſtri ſecundum carnem propinqui, ſeù ſtudio tantè ſeminis demoſtrandi, ſivè edocendi quæ ſecundum veritatem geſta ſunt tradiderunt.* Et non habet talia verba vlteriora. Tum quia talia verba vlteriora potiùs mihi videntur eſſe Nicephori, ſivè ex ſtilo, ad quem cuncta verba fluunt, vt quiſque noverit: ſivè quia antequam veniat ad illa verba interſecat Africani verba: de quo poſteà dicit fuiſſe proſequutum ſub hac expreſsione *adhunc modum*. Ubi oſtenditur non verbatim eum inſerere, ſed ſub eloquenti, & Hiſtorica libertate, quæ tractus perſonarum miſcet: ſivè quia non cohæret poſterior dubietas cum firmitate priori, ſi ponatur in Africano; benè verò in Nicephoro. Cum enim ipſe in id tamquam in verisimilius, & congruentius inclinaſſet, rei natura poſcebat, vt ipſe ſubiungeret periodo reflexiva, quid ſibi eà de re probandum, improbandumvè videretur. Cum quibus, de hac quæſtione ſit ſatis.

QUÆSTIO

JHS.

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

CUM ESSET DESPONSATA MATER IESU MARIA
Ioſeph. Mathæi 1. verſ. 18.

ARTICULUS.

AN INTER BB. VIRGINEM MARIAM, & S. Ioſephum intervenerit verum Matrimonium?

NOTABILIA.

1 QUÆSTIO hæc iam ita vniverſalem omnium D. D. reſolutionem accipit, vt ſolum videatur opus eſſe diſſerere de modo, quo ab alterutra parte difficultates ſunt ſuperandæ; quàm diſputare in vtram libet. Nihilominùs more, quo oportuerit procedentes nonnulla præmittemus, quæ lucem afferant, viamque diſputationis ſternant. Igitur præmitto primò hiſtoriam illam, quam multi PP. narrant de deſponſatione B. Virginis Mariæ; poſtquam enim à primis annis vixit in Templo Soli Deo vacans, & *forma virtutis effecta*, vt ait Amb. lib. 29. *de Virg.* Tandem ad nubiles annos B. Virgo pervenit, ſub quibus, cum de more inter alias retinere non poſſet, nec Sacrum illud Corpus alicui viro ad vſum tradere Sacerdotes auderent; illud iniere conſilium divina inſpiratione commoti, vt nomine deſponſationis Ioſepho ex eadem Tribu, & familia ad ipſius virginitatem cuſtodiendam perapto tradderent. Ita Greg. Niſſen. Homil. de Chriſti Nativitate. Damaſcen. lib. 4. de Fide, cap. 15. Nizephor. ex Evodio lib. 1. cap. 7. lib. 2. cap. 3. Andræas Cretenſis Oratione de Dormitione Virg. Simeon Metaphraſt. Orat. de Ortu Virg. quod etiam indicant Origenes, & Theophilact. & alij AA. apud Suarez de Vita Chriſti, diſp. 7. Quæ quidem hiſtoria cum tradatur à PP. Damaſc. Greg. Niſ. Origene, Hieronymo, Theophilacto, Nizephoro, Cedreno, & tan vltrò ſuſcipiatur à P. Suario de Vita Chriſti, diſput. 7. pene eiſdem Verbis, ac Nos tradimus; videtur ſolum hic poſtulari, quod explicemus primò: *An Deus vellet credi, eam concepiſſe ex illo, quem oſtendebat futurum Cuſtodem eius Virginitatis?* Cui reſpondetur in eo nullum prorſus eſſe inconveniens, reſpectu vulgi, & Populi, qui de tali Cuſtodia Virginitatis Sacerdotibus

tibus inſpiratà, tunc foret ignarus. Secundò: *Quomodo Sacerdotes ex tali Inſpiratione de Cuſtodia Virginitatis Puellam deſponſantes non ſcandalizarentur, dum eam viderent vtero tumeſcentem?* Cui etiam facile reſpondetur: Sacerdotes prædictos (non ſecus, ac S. Ioſephum) tactos fuiſſe, vel profundiſsimà reverentià, & humillimo ſtupore myſterij alicuius, ſaltem in confuſſo ibi latentis: vel ſi Deus voluit eos tantiſper exercere, tangi potuiſſe quadam confuſa ſuſpicione, non ſecus ac Sanctum Ioſephum AA. plurimi probabiliter zelotypià quodammodo tactum fuiſſe, pronuntiant.

2 Præmitto ſecundo, BB. Virginem Mariam ante Annuntiationem Incarnationis emiſsiſſe Votum perpetuum Virginitatis: quæ ſententia inconcuſſa eſt Catholicorum Theologorum omnium, & ex qua noſtræ controverſiæ, diſputationiſque præſentis difficultas enaſcitur.

3 Præmitto tertiò rationem dubitandi noſtræ quæſtionis ex duplici præcedenti notabili ſuboriri: primò enim difficultas apparet ad reſolvendum ex primo notabili iuxta illud enim non videtur, inter Ioſephum, & Mariam matrimonium verum interceſiſſe; imò neque rigoroſa ſponſalia; ſed quaſi nudum pactum de Cuſtodia Perſonæ, & Virginitatis, mutuamque cohabitationem vtriuſque Ioſephi fidelitati commiſſam: quæ longè diſtant à vinculo matrimonij. Secundò apparet difficultas ad reſolvendum ex ſecundo notabili Votum enim perpetuum Virginitatis excludit prolis generationem, ad quam matrimonium eſt inſtitutum. Quare videtur hoc locum habere non poſſe in ea, quæ perpetuum habet prolis impedimentum; non ſecus ac impedimentum impotentiæ dirimit matrimonium.

4 Præmitto quartò, tria poſſe in Matrimonio conſiderari. Primum eſt vinculum matrimonij, quod mutuo coniuguum conſenſu perficitur, quo ſibi adinvicem tradunt ius, & poteſtatem in corpora, vt conſtat ex Nicolao Papa in cap. *Sufficiet* 27. quæſt. 2. Secundum eſt mutua, & familiariſsima cohabitatio cum mutuo animorum nexu, & benevolentia; cuiuſmodi paſsim invenitur inter fratres, atque veros amicos. Tertium tandem eſt carnalis copula, ſeu vſus matrimonij, quam non eſſe de eſſentia illius tradunt omnes Theologi in 4. diſtinct. 30. & rectè tractat. Vvaldens 2. tom. de Sacramentis, cap. 130. & colligitur ex præcedenti cap. *Sufficiet*, ex Concilio Florentino, atque Tridentino, ſeſsione 24. vbi diſtinguit matrimonium ratum à conſumato, ſupponendo primum eſſe verum matrimonium. Inſuper inſentit communis traditio, atque conſenſus Eccleſiæ: ſubditque Suarez noſter explicationem, inquiens, quòd ſicut in rebus, quæ vſu non conſumuntur, dominium ſeparari poteſt ab vſu; ita in matrimonio poteſt intervenire traditio dominij in corpus coniugis abſque vſu copulæ, conſiſtente ratione matrimonij in tali traditione dominij: vt colligitur ex D. Paulo 1. ad Corinth. cap. 7. ſic aiente: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, &c.*

5 His omnibus præmiſsis ad ſententias accedimus. Circa quas relinquo Æſtium, qui matrimonium anteà ſolubile, & à Conceptione Chriſti *conſummatum* (ſeclusà copulà) illud appellat. Et Bivarium, qui è contra illud à tali Conceptione ſolutum putat. Hi enim Authores exorbitant à via communi, & ab Illuſtriſsimo Siuri optimè confutantur, tract. 8. cap. 4. Hic Author verè Doctiſsimus in lucem prodijt poſt meas elucubrationes prælo paratas. Cui viro dum conſentio non ſine fœnore diſcipulus fio. Quoad partem negantem verum matrimonium inter S. Ioſephum, & Mariam, ſolium invenio

Iu-

Iulianum Pelag. contra Aug. de hac re differentem; itidemque Vviclephum asserentes sine concubitu matrimonium non dari, quos nedum erraticos, sed viros hic errantes agnoveris: ad hos accedunt ex Catholicis Michael de Medina lib. 5. de Sacrorum hominum continentia, cap. 61. & 64. Gratianus 27. quæst. 2. Canone, *quod autem*, & Can. *instítutum*, quorum neuter, sine aliqua mixtione erroris videtur in hac re fuisse oppinatus. De primo enim noster Vazquez disp. 125. tom. 2 in 3. part. cap. 3. num. 28. & 25. errasse ostendit, dum dixit consummationem ad verum matrimonium requiri. De secundo verò ostendit, non legisse damnationem Concilij Constantiensis contra Vviclephum: in quo eum supponit aliquo modo hallucinatum. Qui quidem AA. Patronos sibi affingunt varios PP. Originem, Hieronym. Cirill. Hierosolimit. Cyprian. Chrysostom. & Epiphanium, quorum verba producunt; sed quæ congruentiam explicationis, seu congruentissimam explicationem suscipiunt, vt posteà videbimus. Cuius tententiæ AA. ita produxi, vt non sit admiranda censura, quà AA. partis oppositæ hanc solent inurere, sivè improbabilitatis, sivè temeritatis ea sit: à quibus ego semper lubens abstineo non enim mihi arridet offendicula censurarum.

6 Pro affirmativa sententia, præter illos, quos primo notabili recensuimus, de re nostra satis subobscurè loquutos, reliquorum omnium Catholicorum Theologorum agmen stat, sivè Scholasticorum cum D. Thom. 3. part. quæst. 2. art. 2. Et Magistro Sent. in 4. dist. 30. cap. 3. sivè Sacrorum Interpretum, cum Abulens. Maldonat. Barradas, & Salmeron in cap. 1. Mathæi, sivè Moralium cum Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 28. num. 1. quos omnes locupletissima sua eruditione fovet, & sequitur P. Ioannes Bollandus in Actis SS. sivè totius Sacræ Historiæ plenissima Cornucopia in Vita S. Iosephi die decima nona Martij; sed inter hos omnes observandum est discrimen, sub quo alij ita tuentur suam tententiam, vt iudicent probabiliter posse defendi contrariam: sic P. Canisius in Mariali lib. 5. cap. 5. Medina lib. 5. de Sacrorum hominum continentia cap. 64. Enrique Enriquez de Matrim. lib. 11. cap. 5. Alij suam putant esse de Fide, contrariam verò erroneam, & hæreticam; ita Suarez de Vita Christi, disp. 7 sect. 1. Martinus Perez disput. 13. sect. 8. Gobat tract. 10. num. 397. meus Magister P. Ioannes Marin. tom. 1. de Matrimonio Disput. Dedicatoria, sect. 4. Alij demum contrariam sententiam solum inurunt notà temeritatis, quàtenus oppinari videatur contra Torrentem DD. ita Sanchez loco citato, & P. Vazquez in 3. part. tom. 2. disp. 125. cap. 3.

7 Est ergo sententia, & conclusio nostra à tanto DD. agmine non recedens, proindeque affirmans B. Virginem Mariam verum, ac proprium matrimonium ratum cum Iosepho contraxisse. Quam conclusionem sic probo vnico, sed multicipiti fundamento in hunc modum. Verum matrimonium ratum inter hos Sacros coniunges consonat Scripturijs; corroboratur ratione firmissima, fulcitur Patribus, & DD. ac denique confirmatur congruentijs: ergo dicendum est tale verum matrimonium intercessisse. Consequentia pater. Quis enim neget, cui tanta hæc sufragantur? Probo antecedens per partes, & in primis primam, quod scilicèt hæc veritas consonet Scripturæ: quod sic probo primò. Nam B. Virgo dicitur Desponsata Iosepho; sed ly *Desponsata* verum matrimonium ratum significat: ergo tale matrimonium consonat Scripturæ. Maior constat ex Luca 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem Desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph*; & ex Math.

Math. 1. *Cum esset Desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Minor patet primò quia bi *Desponsata*, idem est, ac dicere: *Vxorem*, iuxta illa verba Lucæ 2. *Ascendit Ioseph in Bethlem, vt profiteretur cum Maria Desponsata sibi vxore.* Secundò quia poterant ambo coniuges convenire, iuxta illa verba Mathæi, *antequam convenirent*; sed id non possent nisi contracto vinculo matrimonij: ergo, &c. Tertiò ex illis verbis eiusdem textus, *Ioseph autem vir eius, &c.* Sed vir dicitur correlativè ad vxorem, præsertim cum hic dicatur *vir eius*: ergo, &c. Quartò quia Ioseph voluit occultè dimittere eam, quam adverterat gravidatam; sed dimissio propriè est solius vxoris; quæ enim est mere Sponsa necdum est accepta, & quod acceptum non est, dimitti non potest: ergo, &c. Quintò: quia illa verba *desponderi*, & *nubere* quoad Latinos, sicut & illa. *Mnesteneèsthai*, & *Gamàn*, apud Græcos, promiscuè vsurpantur vnum pro alio, & ita in familiaribus colloquijs sæpè solet contingere, & in Sacris Litteris non rarò: ergo, &c.

8 Probo iam secundam partem, quod scilicèt validis rationibus hoc matrimonium persuadeatur: quarum prima ex dictis proximè conficitur in hunc modum. B. Virgo Maria iuxta omnes verè contraxit Sponsalia cum D. Iosepho: ergo & verum matrimonium. Probo consequentiam. Contractus Sponsalium claudit mutuam promissionem vtriusque Sponsi de ineundo vero matrimonio inter habiles ad contrahendum; sed de neutro ex illis dicendum est, extitisse infidelem, aut inhabilem, atque alterum fefellisse: ergo si B. Virgo contraxit Sponsalia, verum quoque cum D. Iosepho matrimonium contraxit. Secundò quia in Evangelio D. Iosephus Pater Christi appellatur, eò quòd sic putaretur; sed certè ita putari non poterat, nisi verum matrimonium inter ipsum, & B. Virginem intercederet: Quomodo enim ignorari poterat apud cæteros, an sola Sponsalia, an verum matrimonium interveniret? Ergo erat vera vxor.

9 Probo demum tertiam, & quartam partem simul: producendo enim PP. Fautores nostræ sententiæ, statim cum illis veniunt congruentiæ illæ, quibuscum conclusionem nostram illustrant. Igitur quamquam antiquiores PP. hanc sententiam tradiderunt obviam, vt sæpè fit, & paucis, dum res non venit in arenam; primus assertor vindex, & expressus antesignanus huius sententiæ est D. Aug. lib. 23. contra Faustum, cap. 8. & lib. 1. de Nuptijs, & concupisc. cap. 11. & lib. 5. contra Iulianum super hac re cap. 9. vbi ait: *Coniux vocatur ex prima fide Desponsationis, omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, & Sacramentum; prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem quia nullum adulterium: Sacramentum quia nullum divortium. Solus ibi concubitus nuptialis non fuit.* Et de consensu Evangelist. *Sed Virgo peperit Christum; hoc enim exemplo magnificè declaratur, fidelibus coniugatis, etiam servatà pari consensu continentià posse permanere, vocarique coniugium; non permixto Corporis Sexu.* S. Ambros. in Lucam: *Non te moveat, quod frequenter Mariam Scriptura vocat coniugem: non enim Virginitatis ereptio; sed coniugij testificatio nuptiarumque celebratio, declaratur. Habuit tamen illud matrimonium, etiam secundam perfectionem quantum ad prolis educationem.* Post Augustinum eam ex professo explicat Hugo de S. Vict. lib. de Mariæ Virginitate perpetua. Iam ergo producamus congruentias cum quibus PP. plurimos producemus. *PRIMA ERGO CONGRUENTIA* ad probandum inter B. Viginem Mariam, & Iosephum verum matrimonium interfisse, est nimirum, vt B. Virgo ab omni infa-

miæ,

miæ nota, & ſuſpicione in vniverſum, ſivè nota fornicationis liberaretur; ſicut enim ſuſpicioni patet hoc, quod eſt videre meram Sponſam vterò tumeſcentem; ita à ſuſpicione eſt immune, videre ſic tumeſcentes vxores. Huius congruentiæ ſunt Patroni Origen. Homil. in diverſos ad illa verba; *Ioſeph autem vir eius, &c.* Baſil. Homil. de Humana *Chriſti* generatione, longè à principio, Hieron. in illud Mathæi. *Cum eſſet deſponſata.* Chryſoſt. homil. 4. in Math. Imperfectus apud Chryſoſtomum, homil. 1. in Math. in illud: *cum eſſet deſponſata.* Ambroſ. lib. de Inſtitut. Virginum, cap. 6. parùm à principio. Et lib. 2. in Lucam, in principio. Bernard. ſermone 2. de Laudibus Virginis Matris ſuper; *Miſſus eſt*, column. 6. non longè à principio. Rupertus de Victoria Verbi Dei, tom. 2. cap. 19. in fine. SECUNDA CONGRUENTIA, qua ſuadetur initum verum matrimonium eſt; *vt partus eius celaretur Diabolo, cum crederet, non de Virgine, ſed de vxore generatum*: Sicque conficitur. Pariente, quæ verè erat vxor, nulla dœmoni injiciebatur ſuſpicio Meſsiæ, quem ex Prophetis poterat iam præſtolari: ergo partus eius cum verò matrimonio Diabolo celabatur. Antecedens, conſtat, vel probatur ſic. Eatenùs poſſet ſuſpicari, quatenùs ipſe vi ſua poterat cognoſcere, illam vxorem Virginem eſſe; ſed hoc non ſufficiebat: ergo, &c. Probo minorem ex doctrina Theolog. aſſerentium Angelum non cognoſcere ſimul omnia, quæ poteſt adhuc naturalitèr cognoſcere; ſed vi applicationis ſuæ ad cognoſcendum, hoc potiùs quàm illud cognoſcere; ſed videns B. Virginem Mariam vxoratam, potiùs de alijs Virginibus ſibi timeret, quam de B. Virgine Maria: ergo etſi vi naturali poſſet Virginitatem eius cognoſcere, ad id tamen non applicaretur. Hanc congruentiam tradunt, & fulciunt, ex S. Ignatio Martyre, Hieronym. in illud Mathæi 1. *Cum eſſet deſponſata.* Origen. homil. 6. in Lucam, Baſilius, Ambroſ. Chryſoſt. Bernard. locis ſuprà citat. & Damaſc. lib. 4. de Fide, cap. 15. in medio, & eam vindicant Vazquez, Aldrete, & Morales, apud Siuri, tract. 8. cap. 1. num. 7. CONGRUENTIA TERTIA eſt: vt *per generationem Ioſeph origo Mariæ monſtraretur.* Et conficitur ſic. Ex Hieronymo, & Damaſceno locis citatis conſtat, non eſſe moris Hebræorum generationes per fœminas texere, ſed per Maritos, ſeù Patres; ſed Maritus B. Virginis Mariæ debebat eſſe ex eàdem Tribu, & familiâ: ergo ſi nuberet, promptus narratu erat generationum ordo vſque ad Mariam, videlicèt Progenitores S. Ioſephi recenſendo, vt re ipſa præſtiterunt Evangeliſtæ. Huc faciunt Verba Divi Thomę 3. part. quæſt. 19. artic. 1. in Corp. ibi: *Conſuetudo etiam nos inſtruit Scripturarum, quæ ſemper Viri originem quærit.* Cumque ad hunc Solem pervenerim, ex eo reliquas congruentias ſubtexam.

10 QUARTA eſt, nè *videlicet, Chriſtus Dominus tamquam illegitimè natus ab infidelibus abijceretur*: Unde Ambroſ. lib. 2. in Luc. cap. 1. tom. 5. *Quid Iudæis, quid Herodi poteſt adſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſequuti?* QUINTA CONGRUENTIA eſt: *ad tutelam Pueri nati, & vt à Ioſepho nutriretur*: Quo enim S. Ioſephus iure hæc officia præſtaret, niſi quatenùs communitèr eius Pater putaretur; imò, & propterea ad id ipſe videretur adſtructus? SEXTA CONGRUENTIA eſt; *vt tantæ Virgini miniſterium exhiberetur*: Cum enim Parentibus, fratribuſque careret, nulli tutiori viæ committi, ac credi poterat, vt ei famularetur, quàm titulo matrimonij, quo interveniente vinculo, ſuſpicio cuncta ceſſabat. SEPTIMA CONGRUENTIA eſt, vt inquit Ambroſ. loco citat.

Vt locupletior teſtis pudoris adhibeatur Maritus, qui poſſet, & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, ſi non agnoſceret Sacramentum: Atque vt magis B. Virgo de ſua virginitate crederetur: Si enim innupta concepiſſet, poterat quis audiens illam de Spiritu Sancto concepiſſe, dicere *mentitur ad celandum crimen*; nupta verò facilius credi debet; dum dicit, ſe Virginem de Deo concepiſſe; non enim erat cur negaret factum, dum habebat Maritum. OCTAVA CONGRUENTIA eſt, ex Ambroſ. ibidem: *Ne Virginibus ſiniſtrà opinione viventibus, velamen excuſationis relinqueretur, ſcilicèt quod infamata quoque Mater Domini videretur.* NONA CONGRUENTIA eſt, *propter allegoriam ad Eccleſiam, quæ Virgo eſt, & tamen deſponſata eſt vni viro.* Sic Div. Auguſt. tom. 6. de Virginitate cap. 12. ante medium. DECIMA, ET ULTIMA CONGRUENTIA eſt, *vt Virgo B. Virginum, nuptarumque eſſet exemplar, eàque matrimonium honoraretur.* Ergo de primò ad vltimum aſſertio noſtra Patrum agmine, & congruentiarum turba fulcitur; ſed vt conſtat in relatione ſententiarum ſuffragantur omnes claſſes Theologorum: ergo Concluſio eſt, quæ Patribus, Doctoribus, congruentijſque multiplicibus corroboratur.

11 Obijcitur primò: Origen. Homil. 1. in diverſos ſuper illud, *inventa eſt.* Aiens; *quippe de licentia maritali, licèt eam non contingeret, futuræ tamen, vt putabatur, vxoris omnia noverat.* Et Tertullian. lib. de Velandis Virginibus, cap. 6. aiente: *B. Virginem quia deſponſatam, quodammodo nuptam eſſe.* Ex quibus ſic arguitur. Quæ eſt *quodammodo* dumtaxat nupta, & quæ futura eſt vxor, verè vxor non eſt: ergo B. Virgo Maria non erat vxor. Reſpondeo conceſſo antecedenti. Diſtinguo conſequens, non erat vxor *quando inventa eſt habens in vtero*, permitto conſequens, (& dixi *permitto*, quia & infra, & alibi abſolutè nego in hac Decad. quæſt. 4.) non erat *vxor vera ullo tempore*, nego conſequentiam. Unde tàm longè abeſt; quod per huiuſmodi teſtimonia noſtrum aſſumptum improbetur; quinimò corroboratur: Nos enim modò ſolum defendimus verum matrimonium inter hos Sanctos Coniuges interceſſiſſe: Et quid niſi hoc ſignificat, ly *futuræ vxoris* Originis. Ly *quodammodo nupta* Tertulliani? Nam ſponſalia inchoant nuptias, & in ijs tandem deſinunt. Ac denique quid ly *futuræ, vt putabatur vxoris* Orig? Quippe ly *putabatur* non ſignificat dubitationem circa eventum, ſed famam ipſius. Inſuper ly *futuræ* non ſignificat purè futuræ, & non præſentis vxoris; ſed quæ & præſens erat vxor, & erat futura: quaſi quis de ſua vxore diceret: *Hæc mea vxor ſemper eſt mihi futura.* Et eſt interprætatio, quæ congruit Origeni, vt patebit legenti, & ſimilitèr Hieronymo, qui ſumpſit de Origene.

12 Obijcitur ſecundò: Ambroſ. Epiſt. 79. & lib. 2. in Luc. & lib. 2. de Inſtitut. Virg. cap. 6. & 7. & Chryſoſt. homil. 5. in Mathæum aientes commendatam fuiſſe Mariam Ioanni Diſcipulo, & non Ioſepho, vt removeretur opinio coniugij: ergo fuit exiſtimatio, & non realitas coniugij. Reſpondeo nego aſſumptum, cum P. Vazquez, vel diſtinguo: *coniugij conſumati*: concedo; *rati*; nego. Nam illi SS. PP. dicunt Chriſtum neutiquam Diſcipulo Matrem commendaturum fuiſſe, ſi vel ab ipſo Ioſepho vnquam cognita, vel aliquando foret carnalitèr cognoſcenda. Reſpondeo ſecundò: Exiſtimantes fortè tunc Ioſephum viventem, concedo antecedens, re ipſa vivente S. Ioſepho tempore mortis Chriſti, nego antecedens, cum S. Epiphanio hæreſi 78. part. 5.

13 Obijcitur tertiò: Hilarius can.

can. 1. in Math. *Mater Christi potius, quia id erat; non vxor Ioseph est nuncupata, quia id non erat.* Et Cyprian. serm. de Passione: *Neque vltra Pater Christi æstimaretur, qui eatenùs vicem Patris, & coniugis tenuerat*: ergo neque Maria fuit vxor, neque Ioseph tandem fuit coniux. Respondeo distinguo consequens, sumpta *vxore, & coniuge* pro duobus in carne vna; concedo consequentiam: id enim præstatur à carnali copula, quam nunquam habuerunt. Sumpta *vxore, & coniuge*, pro duobus mutuo animarum consensu ad castum connubium, & vinculum colligatis: nego consequentiam, & ideò dixit posteà ipse Cyprianus: *Quia in Spiritu actum erat coniunctionis illud mysterium.* Et ita intelligendus est Div. Epiphan. hæres. 78. part. 3. dum ait: *De Sponsa inquit Maria, & non nupta: nupta, id est, carnaliter cognita.* Et Bernard. super: *Missus est.* column. 7. dum dicit: *Non vir simpliciter, sed vir eius dictus est, meritò appellatur, quod necessariò putabatur.* Vir, id est *Maritus*, qui carnalem copulam significare videtur, iuxta illud August. serm. 13. de Tempore. *Virgo sine viro gravidatur, & viri nesciam sermo Dei maritat.*

14 Objicitur quartò: Cyril. Hierosol. Cathech. 12. aiens: *Mariam propter solam desponsationem vxorem Iosephi vocatam fuisse.* Chrysostom. homil. 4. in Math. aiens: *Evangelistam nomine coniugis sponsam intellexisse.* Hieronym. suprà Math. 1. *Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum; sed recordare consuetudinis Scripturæ, quod sponsi viri, & sponsæ vocentur vxores.* S. Gregor. homil. 26. in Evang. *Sic quippè habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad eius nuptias non pervenit.* Chrysolog. serm. 175. *Iosephus ille Maritus solo nomine; conscientia sponsus.* Demùm Gregor. Nissen. in die natalis Christ. column. 6. *Quomodo sine viro Mater ero? Ioseph sponsum novi, sed virum non cognosco.* Item *quæ coniunctio sponsalia non est egressa.* Ex quibus omnibus sic arguitur. Divus Iosephus à PP. planè sponsus conceditur, contrapositè ad coniugium, Maritum, &c. ergo verum matrimonium non intervenit. Respondeo distinguo antecedens: Sponsus contrapositè ad coniugium, sivè Maritum *prout dicunt carnalem copulam*; concedo antecedens, *prout dicunt matrimonium ratum, & vinculum castissimum animorum, & corporum*, nego antecedens. Et in hoc sensu ait Nissenus. *Quod hæc coniunctio sponsalia non est egressa*, certè enim videtur, nunquam sponsorum terminos transiliri, dum ad copulam non acceditur: hic enim terminus *sponsus, & sponsa* nescio quomodo semper resonant castitatem: Unde Sancti PP. hos semper vsurpant, & refugiunt cæteros *Mariti, coniugis, viri, cogniti, seu cognoscere virum*, in quibus phrasibus carnis mixtio datur intelligi, cum tamen ipsi, vt in his patet, iam desponsationem pro coniungio summi velint; iam coniugem pro sponsa, patet hanc vocem, *sponsa*, seù *desponsatio* verum vinculum, & matrimonium posse comprehendere, vbi tamen prærrogativa effulserit castitatis. Unde dicit Ambros. *Virgo desponsata viro, coniugis nomen accipit; non enim defloratio Virginis facit coniugium, sed pactio coniugalis.* Et confirmatur ex eo, quod Iacob vocabat vxorem suam Rachel sibi desponsatam; dum tamen eam nondum tetigerat.

15 Objicitur quintò: Augustin. contra Faustum 19. cap. 26. *Matrimonium quippè, ex hoc appellatum est, quòd non ob aliud debeat fœmina nubere, quam, vt Mater efficiatur*: ergo coniunctio Iosephi, & Mariæ non erat matrimonium. Respondeo primò, distinguo antecedens, cum Vazquez, quod non ob aliud, id est non *ob solam concupiscentiam*; concedo antecedens, id enim

ibi intenderat Auguſt. *ob aliud abſolutè*, nego antecedens, & conſequentiam. Reſpondeo ſecundò; diſtinguo antecedens, matrimonium, *quoad eſſentiam*, nego antecedens; quoad vſum, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Salva enim in Ioſeph, & Maria matrimonij perſeverabat eſſentia. Reſpondeo tertiò, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; quia Mater facta eſt Maria in matrimonio, & ſi non per viri copulam; benè verò per Sancti Spiritus obumbrationem altiſsimam.

16 Obijcitur ſextò: Ex Medina loco ſuprà citato illa antiphona ad Magnif. olim ab Eccleſia vſurp. *Beata Mater, & innupta Virgo*: ergo nuptias nunquam celebravit. Reſpondeo primò, nego conſequentiam; quia licèt olim hæc antiphona ſic fuerit vſurpata, nihilominus ipſam poſtea emendavit Eccleſia dicens: *Beata Mater, & intacta Virgo*, ne quis propter illam matrimonium abfuiſſe ſuſpicaretur. Reſpondeo ſecundò, diſtinguo antecedens: Si per ly *innupta* intelligas *incorrupta*, concedo antecedens: Ita Auguſt. ſerm. 13. de Tempore: *Mater facta, ſed incorrupta*. Si intelligas *nuptui non tradita*, nego antecedens, & conſequentiam. Et quidem eodem ſenſu ſuprà intelleximus plures PP. refugere vocem nuptiarum, ne in his fideles copulam intelligerent.

17 Obijcitur ſeptimò: Illud capitale argumentum, quod certè ſufficit, vt hanc quæſtionem reddat implexam, & inſtruitur ſic. Votum caſtitatis non diſpenſatum impedit matrimonium; ſed Virgo Maria ante matrimonium illud emiſſerat, & ab eo nunquam diſpenſationem accepit: ergo matrimonium celebrare non potuit. Maior conſtat ex Iure canonico 27. quæſt. 1. *Voventibus Virginitatem non ſolum nubere, ſed etiam velle nubere damnabile eſt.* Minor quoad primam partem conſtat ex Commun. Theologor. quos ſequitur Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 7. ſect. 1. Et ſecunda pars negatur à nemine, nec negari poteſt. Confirmatur. B. Virgo tradens poteſtatem corporis ſui S. Ioſepho, conſenſum ſaltem implicitum præſtabat ad copulam; ſed id etiam videtur dedecere B. Virginem: ergo matrimonium non celebravit.

18 Vt huic argumento ſatisfaciam nonnulla prius obſervanda ſunt, quibus tota vis vberiùs, expeditiùſque ſolvi poſsit. Primò igitur obſervandum eſt, quod obſervavit P. Vazquez, ſcilicèt tale votum, merè iure naturali, tunc poſſe impedire matrimonium, ſcilicèt ratione periculi proximi in mutua vtriuſque ſexùs cohabitatione: neque enim ille Canon Gratiani tunc temporis exiſtebat; imò neque modò ipſe multum vrget, niſi vlteriori iure ſuffulciretur: quippè decretum Gratiani nullam vim iuris potuit hactenùs obtinere: quare votum illud, Virginem B. potuit impedire ſolùm ratione periculi, quod, cum deficeret, voti impedimentum protinùs deficiebat: Sed quia ſacratiſsima tutela caſtitatis in tali cohabitatione ſolùm videtur ex ſpeciali Dei aſsiſtentia, vel mutua vtriſque coniugis promiſsione conſtare: ideò obſervandum eſt ſecundò B. Ioſephum voviſſe etiam caſtitatem, vt inſinuat Auguſt. lib. de S. Virg. cap. 4. vbi dicit: *Deſponſata eſt viro iuſto, non violenter ablaturo, ſed potius cuſtodituro, quod ipſa tam voverat.* Ita tradit Gerſon, 3. part. ſermone de Nativit. conſilio 2. alphab. 59. lit. *V. Vovit Maria Virginitatem, vovit, & ipſe Ioſeph.* Hieronym. contra Helvid. ait circa finem. *Ioſephum Virginem fuiſſe per Mariam, vt ex Virginali coniugio, Virgo filius naſceretur.* Item conſtat ex revelat. Beatæ Brigittæ, Votum emiſiſſe dum certior factus eſt de voto Mariæ, & ex revelationibus Venerab. Matris Mariæ de Agreda cap. 22. & not. 36.

19 Obſervandum eſt tertiò B. Virg. Ma-

Mariam *cuius*, ait Niſen. *Deo dicatam, & conſecratam carnem, veluti quoddam Sanctum donarium intactum ſervari oportebat.* Deſuper à Deo illuſtratam fuiſſe de Virginitate, quam voverat ſemper integra permanſura, ita D. Anſelm. in Lucam 1. *Certiſsimè ſciebat, nunquam virum cognituram.* Quod idem videtur ſentire, Niſen. Ambroſ. Beda, Bernar. Auguſt. &c. vt inquit P. Marin. & confirmatur ex revelat Sanctæ Brigittæ, lib. 7. cap. 25 cui ſic loquuta eſt B. Virgo Maria: *Pro certiſsimo ſcire debes, quod Ioſeph antequam Deſponſavit me, intellexit in Spiritu Sancto, me voviſſe Virginitatem Deo meo, immaculatamque eſſe cogitatione, verbo, & opere: qui ea intentione Deſponſavit me, vt ſerviret mihi habendo me pro domina ſua, ego etiam ſcivi in Spiritu Sancto certiſsimè, quod Virginitas mea perpetuò permaneret illæſa, licèt ex occulta Dei diſpenſatione viro Deſponſabar.* Item in lib. de Nativitat. B. Virginis, quæ ex Hebræo tranſtulit D. Hieronym. & reperitur in 9. tom. ipſius, conſtat, Sacerdotes Divina revelatione accepiſſe à Domino, Ioſephum eſſe virum illum, cui tantæ Virginis Caſtitas eſſet abſque diſcrimine commendanda: Quapropter D. Bonavent. in 4. diſtinct. 28. quæſt. 6. ait: certò noviſſe B. Virginem Mariam, ſe nunquam violaturam Votum in matrimonio per vſum illius, vel à revelatione Spiritus Sancti, vel etiam ex relatione Ioſephi; cui ſuffragatur P. Vazquez nonnullis DD. ſtipatus.

20 His obſervatis, ad argumentum. Reſpondeo diſtinguo maiorem: *Niſi adſit ſpecialis revelatio, & ſingulariſsima ſecuritas de conſervatione caſtitatis in vinculo.* Concedo maiorem, *ſi adſit*, nego, & diſtinguo minorem: *Et habuit deſuper ſpecialem ſecuritatem caſtitatis nunquam violandæ.* Concedo minorem: *Et non habuit*, nego minorem, & conſequentiam. Itaque B. V. Maria poſtquam Votum Caſtitatis emiſit; proculdubio fuit deſuper illuſtrata, vel manifeſta revelatione, vel inſpiratione fortiſsima, & inſolita, vt nuptias non reformidaret, neque Corporis ſui corruptelam in eis pertimeſceret. Et licèt aſſentiam AA. aientibus, ex revelatione Ioſephi, mutuoque Caſtitatis propoſito ad invicem patefacto, Virginitatem ſemper illæſam inter ſe habendam potuiſſe repromitti; nihilominus id ad nuptias ſatis eſſe non crederem, niſi divinitus lumen aliquod affulgeret, vel manifeſta revelatione, vel fortiſsimo, & inſolito impetu, & illapſu in ambos coniuges, vel tandem ex conſilio, ac decreto longis precibus parto per Pontifices, & Sacerdotes, totamque Synagogam; quod inſtar ſingularis luminis haberetur: non ſecus ac inſolitum quidpiam decerni modo poterit per concilia, aut per S. Pontificem. Ratio eſt, quia niſi aliquid horum adeſſet, & res eſſet merè humanitus tranſigenda; vix tanta probitas coniugum poſſet cunctorum oculos de intemerata cohabitatione certificare; adſtante verò deſuper hac certitudine in vtroque coniuge, & Synagoga, non poterat certè matrimonium impedire Votum illud, quod poterat cohærere cum vinculo, nec reddere illicitum: quia tunc non erat ex iure Eccleſiaſtico impedimentum Voti, vt eſt modò: vndè modò tale matrimonium eſſet illicitum; licèt adhuc ſub conditione, nec petendi, nec reddendi, teneatur validum à pluribus DD. cum P. Marin. diſput. dedicat. tom. 1. de Matrim.

21 Obijcitur octavò, cum replica B. V. Maria non poterat celebrare matrimonium cum tali Voto, & revelatione illud non violandi: ergo tale matrimonium non contraxit. Probo antecedens, vel contraxit abſolutè, vel conditionatè, ſub mutua conditione nec petendi, nec reddendi debitum, ſed neque abſolutè, neque con-

conditionatè: ergo, &c. PROBO PRIMAM PART. minoris posteà secundam probaturus. B. Virgo in illis circunstantijs de nunquam futura copula carnali, non poterat tradere Iosepho absolutè dominium sui Corporis; sed hoc est de essentia matrimonij: ergo non poterat absolutè celebrare. Minor est TT. & maior ex communi cum Scholasticis, aientibus, ad verum matrimonium necessarium esse aliquem consensum in copulam carnalem; sed cum revelatione de tali copula nunquam futura, impossibile esset seriò consentire in tradendo corpus ad copulam: ergo B. V. Maria cum illo Voto, & revelatione non poterat verè tradere Iosepho dominium sui corporis. PROBO SECUNDAM PARTEM minoris, scilicèt, quod non potuit celebrare conditionatè sub conditione non petendi debitum, nec redendi ex parte vtriusque. Contratus celebratus sub conditione contra substantiam illius, est nullus; sed talis conditio nunquam habendi vsum coniugalem, est contra substantiam matrimonij: ergo, &c. Probo minorem. Matrimonium secum trahit obligationem redendi debitum, & hanc imbibit in ipso contractu de corporibus inito: ergo conditio de nunquam habendo vsu coniugali est contra substantiam matrimonij.

22 Ecce argumentum biceps, & anceps, quippè ex vtràque parte non modicum penetrat, atque assertionem nostram discindit. Respondeo igitur negando antecedens, & ad eius probationem, nego minorem quoad vtramque partem. Ad cuius primæ partis probationem, nego maiorem, & ad huius probationem distinguo maiorem iuxta TT. Scholasticos ad verum matrimonium requiritur aliquis consensus, *Implicitus, radicalis, remotus, in causa, in relatione transcendentali, ac denique, qui habeat pro termino volito ipsam traditionem corporis, & translationem iuris ad ipsum.* Concedo maiorem: *Consensus expressus, effectivus, formalis, & qui habeat pro termino volito ipsam copulam.* Nego maiorem, & minorem. Igitur sciendum est, TT. Scholasticos hunc consensum, quem putant necessarium ad copulam, variè explicari pro varietate ingeniorum, semper, vt vidimus quærendo terminos illos suaviores, quibus longè removeatur affectus ad copulam, & referendo actum voluntatis ad mutuam corporis traditionem, in quibus cum Hurtado, & P. Marin dicant multum laborari denomine; ego profecto in re tanta solum de modo loquendi laborare non vellem. Video ergo Angelicum Magistrum in 4. dist. 28. quæst. vnica sic aientem: *Virgo implicitè consentit in copulam, at copula nunquam fuit in proposito, erat enim à Deo certificata, nunquam subsequi debere.* Sed cum difficultas ipsa semper repullulet nimirum: *Quomodo quis implicitè consentiat in copulam, quam expressè excludit, dissentit, & aduersatur?* Huic occurrit ingeniosissimus noster Vazquez, vt rem, sua ingeniositate componat; & explicat, quomodo quis possit transferre in alterum ius ad aliquem vsum, impediendo omnem vsum talis rei.

23 Duobus igitur modis, ait hic Author, posse impediri vsum alicuius rei; vel ex virtute iustitiæ, ita vt siquis ea vtatur, peccet contra iustitiam; vel ex alia virtute, ita vt vsus illius non sit peccatum contra iustitiam, sed contra vllam aliam virtutem. *Priori modo* putat esse prorsus impossibile transferri dominium, vsu semper impedito; quia inane, fruſtraneumque esset taledominum, cuius vsus per ipsam iustitiam impediretur. *Posteriori modo* existimat, posse transferri; v. gr. si intes duos coniuges tradatur ius corporum vsu semper impedito, non ex iustitia, sed & fidelitate per mutuam promissionem, vel ex religione per votum; tunc enim talis translatio dominij non est fru-

fruſtranea; ſed habet verum effectum, ſcilicèt quod coniux frangens promiſſionem, non committeret iniuſtitiam, ſed ſolum peccaret contra fidelitatem, aut religionem. Id explicat; tum in omnibus Religioſis, qui olim habebant dominium ſuorum bonorum, vſu in Voto paupertatis ſemper interdicto: tum in noſtris Religioſis Societatis Ieſu, qui modo ſic habent poſt Vota biennij, quippè in his omnibus; etiam ſi daretur vſus rei tamquam propriæ, peccatum eſſet contra Votum, non autem contra iuſtitiam, quaſi diſponeret de non ſuo. Ex dictis igitur, & huius Authoris meditatione ſubtili, vela colligo, & ſolutionem claudo, qua dico: B. V. Mariam ſolum implicitè, remotè, & radicalter in copulam carnalem conſenſiſſe; expreſsè ſimul in copulam diſſentiendo, quàtenus ſcilicèt, cum ibi vſus coniugalis interdiceretur ex Voto, non ex iuſtitia; poterat fieri translatio iuris in corpora, quod vocant Theologi *implicitè conſenſiſſe*, ſimul averſando in perpetuum copulam coniugalem ex affectu Virginitatis, & Religioſo Voto erga Deum. De quibus cum ex cognatione doctrinæ fieri ſtatim gradus poſsit ad videndum, quomodo conditio copulæ nunquam futuræ, ſit, necne, contra ſubſtantiam matrimonij ad ſecundæ partis reſponſionem tranſibimus.

24 Ad ſecundam partem, illius minoris nego minorem, ad cuius probationem diſtinguo antecedens obligationem reddendi debitum, *quoties iuſtè petatur*: concedo antecedens, quando *petatur iniuſtè*, vel vt melius loquar *illicitè*, nego antecedens, & conſequentiam. Itaque quamquam non neſciam AA. plures cum D. Tho. putare, nullum eſſe contractum huiuſmodi conditione appoſita; cæterum cum pluribus alijs, ſcilicèt Abulenſ. Suarez, Rebello Coninx, Hurtado, Caſtro Palao, Dicaſtillo, Gobat, & alijs, ſentio valere tale matrimonium ſub tali conditione, quoties debitum ſolum illicitè, & contra Votum poſsit peti, cuius ratio eſt à priori in eo ſita, quod copula carnalis non eſt de eſſentia matrimonij, vt in notabilibus ſupponimus ex Theologis, & Concilijs, quare ſicut contracto matrimonio vterque coniux poteſt communi conſenſu vovere caſtitatem, & ingredi Religionem, vt conſtat in Iure Canonico ex toto titulo *de converſione coniugatorum*; ita quamvis ea conditio apponatur ad contrahendum, & exprimatur; non videtur obeſſe; tum quia ex Salmantic. tom. 9. de Matrim. cap. 3. quæſt. 3. cum Caiet. & Dicaſtillo, item cum Claudio Fraſen, & Torchio Scotiſtis, ad matrimonium chriſtianum non eſt neceſſarius vllus conſenſus in copulam carnalem: quia qualis qualis conſenſus radicalis in copulam importatus in mutua corporum traditione ſuapte natura ſuam ferre videtur hanc conditionem imbibitam: *Niſi voverimus ambo à copula abſtinere.* Tum à priori, quia non eſt contra ſubſtantiam contractus illa conditio, quæ intactam relinquit eſſentiam matrimonij; cumque in rebus, quæ vſu non conſumuntur, vſus diſtinguatur à dominio; licèt conditio appoſita ſit contra vſum, non eſt contra dominium, in quo conſiſtit eſſentia matrimonij, in mutua ſcilicèt traditione dominij ſuper corpus alterius, vſus verò planè accidentalis eſt. Quidem abſolutè matrimonio contracto, poteſt, vel ex Voto, vel ex alia cauſa nunquam dari inter coniuges: tum ab effectibus, & everſione fundamenti contrarij; quia contrahens cum tali conditione *nunquam habendi copulam*, adhuc ſibi habet effectus, qui de eſſentia matrimonij naſcuntur. Primò eſſe inhabilem ad contrahendum cum altera. Secundò eſſe adulterum, ſi alteri conmiſceatur: Et denique. Tertiò non eſſe fornicarium ſi accedat ad propriam. Vnde quamquam

quàm videatur matrimonium includere obligationem reddendi debitum, eſt reddendi debitum licitè petitum, id eſt, ceſsione iuris non interveniente: dum enim hæc ceſsio iuris ſemel intervenerit in ordine ad copulam, ſe mutua promiſsione, & Voto obſtringendo; & aliunde vſus iuris ab ipſo iure ſeparabilis ſit, non eſt cur eſſentia matrimonij includat obligationem ad reddendum debitum coniugi per nefas, & infideliter petenti.

25 Sed replicabis primò, conditio impediendi prolem eſt contra ſubſtantiam matrimonij, ſed æquè vitatur proles per excluſionem omnis copulæ: ergo hæc conditio eſt contra ſubſtantiam matrimonij: Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Vitandi *purè negativè*, & per non vſum: nego maiorem, *poſitivè in ipſo vſu* coniugali concedo maiorem, & diſtinguo minorem, æque *negativè* concedo minorem; *poſitivè*, nego minorem, & conſequentiam: Hanc ſolutionem tradit P. Vazquez, & proculdubio contra naturam contractus eſt, & contra ius naturæ, ſe obligare ad fruſtrandum medium ſuapte natura ordinatum ad finem talis contractus (licèt finis poſsibilis ſit ſolum ſecundarius) quippè cum vſus coniugij ſit medium ad talem finem; apponere tale medium ſolum, vt fruſtetur ſuo fine, vt faciebat Onam, nè ſuſcitaret ſemen fratris ſui; talis contractus eſt contra id, quod ius naturæ reclamat. Non ſic ſe habet impeditio prolis merè negativè, per non vſum, propter ſeparabilitatem repetitam vſus coniugalis ab ipſo iure. Quare, vt purius loquamur, dicendum eſt, vtrumque coniugem per votum caſtitatis prius initum, quo ſe obſtrinxerunt, nè debitum redderent, non ceſſiſſe ius ad copulam, hoc enim ſemper remanet in vtroque, reſpectu alterius; ſed copulam ceſſiſſe: proindeque ius non ceſſerunt, ſed illud mutua voluntate impediverunt quoad vſum. *Replicabis* ſecundò impedimentum dirimens impotentiæ, ideò dirimit matrimonium, quia alter coniux inhabilis eſt ad copulam; ſed per votum perpetuæ caſtitatis ſit inhabilis ad copulam vterque coniux: ergo conditio talis Voti irritat matrimonium. Reſpondeo diſtinguendo maiorem, *inhabilis quoad poſſe, & eſſe fit*: concedo maiorem, *quoad actum, & accidentaliter*, nego maiorem, & diſtinguo minorem, *ſit inhabilis quoad eſſe, & poſſe*, nego minorem, *quoad actum, & accidentaliter*, concedo minorem, & nego conſequentiam. Nihil enim eſt mirum, quod inhabilitas quoad poſſe copulari, ſivè inhabilitas ad copulam tàm proxima, quàm remota, ſit eſſentialis, & dirimeret matrimonium, nam cum matrimonium ſit traditio corporum *aptorum ad generationem*, vbi non eſſet hæc aptitudo, daretur error in ſubſtantia contractus; inhabilitas verò ad copulam præcisè quoad actum, & proveniens à voluntate libera vniuſcuiuſque, proprie inhabilitas non eſſet, ſed purum exercitium libertatis, cui ſemper quoad vſus ſubiectum eſt dominium aliquod, quod transfertur. Quæ quidem ex ſuperius dictis poterunt roborari.

26 Obijciuntur nonò: illa verba Mathæi 1. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Ex quibus hic. Ioſephus timebat accipere Mariam in coniugem ergo nondum erat coniux, ſed merè Sponſus. Reſpondeo primò concedo totum, ſiſtendo in concluſione noſtra: cum enim in ea non ſignemus tempus matrimonij contracti; poterat Ioſephus eſſe merè Sponſus, dum inventa eſt in vtero habens, & poſtmodum matrimonium celebraſſe; ſed quia ſentimus contrarium. Reſpondeo ſecundò negando antecedens, non enim id verba dicunt, ſed *coniugem tuam.* Aliud enim latinè ſonat: *Accipere in coniugem*; aliud *accipere coniugem*: primum eſt celebrare nup-

nuptias; ſecundum merè eſt. Illam, quę prius coniux erat aſſumere ad manendum, eundum, ruſticandum, &c. Reſpondeo tertiò, diſtinguo antecedens, accipere Mariam, id eſt, ire cum illa iam gravida, concedo antecedens: *Accipere Mariam coniugem tuam*, id eſt, *celebrare nuptias cum illa*: nego antecedens, imò ſuppoſitum. Iam enim erat coniux in ſententia noſtra, & illorum, qui Incarnationem Domini, poſt matrimonium eveniſſe contendunt.

27 Rogabis ad calcem. Sententia contraria eſt ne digna cenſura? Reſpondeo ad cenſuras profectò genius repugnat. Eſt ne temeraria? Reſpondeo relatè ad hæc tempora, in quibus à toto agmine Catholicorum deſeritur, poterit, ſi quis velit, ab eo ſic appellari. Noſtra eſt de fide? Ita Suarez, Siuri, & alij. Reſpondeo ſubſtantialitèr, & in ſe, dic, quod velis, contendendo in Scripturis, ſatis de revelatione conſtare; accidentaliter, & apud nos, res eſt difficilis; niſi ſuſtineas, non opus eſſe certitudine morali de exiſtentia revelationis in aſſenſibus, qui non certò, ſed cum controverſia ſunt de fide, vt publicè, aliquando fuit à Nobis defenſum, abundè explicando propoſitionem illam condemnatam ab Innocentio XI. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem, non ſtat cum notitia tantùm probabili de exiſtentia revelationis.*

JHS.

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

CUM ESSET DESPONSATA MATER IESU MARIA Ioſeph. Mathæi 1. verſ. 18.

ARTICULUS.

QUA ÆTATE ESSET S. IOSEPHUS, CUM duxerit Sponſam eius Mariam?

NOTABILIA.

ACTURI in hac quæſtione de ætate, qua S. Ioſephus digniſsimus Mariæ Sponſus meruerit tantæ Virgini deſponſari; viciſsim huius SS. Virginis ætatem quoque, qua tunc temporis gaudebat, attingere, rationi conſentaneum eſt. Itaque licèt Caietanus probabile iudicet Viginti, & quatuor annis eſſe; certumque putet non minus habuiſſe, quam decem, & novem annos, quando Dominum peperit,

eòquod non niſi firmo,& perfecto corpore aſſumeretur ad concipiendum; nihilominus probabiliùs eſt, ipſam circa complementum anni decimi tertij verſari, cum Ioſepho tradita, & nupta fuit, conceptoque DIVINO VERBO, poſt quatuor menſes ab eius deſponſatione, demùm intra decimum quintum annum ætatis ſuæ Dominum peperiſſe. Quod quidem ex Evodio refert Nicefor. lib. 2. Hiſtoriæ, cap. 3. & eiuſdem ſententiæ ſunt S. Gregor. Niſſenus, Damaſcenus, & alij in præcedentibus quæſtionibus proximè citati pro Hiſtoria Cedreni: necnon Abulenſis Mathæi 2. quæſt. 101. Ioannes Lucidus cum alijs Chronologis, apud, & cum Suarez tom.2. in 3. part. diſp.7. ſect. 3. Hoc præmiſſo: inquirimus non ſcrupulosè, & in rigore Chronologiæ: quotannis eſſet D. Ioſephus cum deſponſaretur Mariæ? Sed loquendo de ætate non prout ſupponit annum Mathematicum, ſed de ætate, prout dividi conſuevit in infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, Iuventutem, virilitatem, & ſenectutem: rogamuſque, qua in ætate verſaretur S. Ioſephus, cum ad has nuptias acceſſerit? Sivè fuerit ſenex, necne? Cuius ratio dubitandi eſt ea, quod ſenex in imaginibus figuratur.

2 In qua quæſtione duplex verſatur ſententia; prima quæ, & AA. & famà percrebuiſſe videtur, inquit. Div. Ioſephum, ad minimum octogenarium fuiſſe, quando SS. Virginem duxit Sponſam. Ita Div. Epiphan. Hæreſi 78. Nicephor. lib.1. Hiſtoriæ,cap. 7. Abulenſ. ſuper Iſaiam 7. & Paradoxo 1. cap.8. & 2.cap.13. Mathæi 1. quæſt. 32. num. 30. quæſt. 31. Gerſon de Nativitate Mariæ, conſideratione tertia. Viguerius in inſtitutionibus cap. 2. parag. 9. Cedrenus in compendio Hiſtoriæ. Secunda ſententia aſſerit, eum octogenarium non fuiſſe; imò nec ſenem, quando deſponſatus eſt Sacræ Virgini, licèt determinata ætas definiri non poſsit. Hanc ſententiam ex profeſſo defendit Eximius D. Suarez tom.2. in 3. part. diſp.7. ſect.3.& pro ea citari poſſunt Gloſſa Ordinaria, Nicolaus de Lyra quatenus, illa verba Iſaiæ 2. *habitabit iuvenis cum Virgine* intelligunt de hoc myſterioſiſsimo matrimonio. Inſuper Caſtro de B. V. cap. 4. num. 10. Salianus, & Torniellus in Annalibus ad ann. 4050. & 4051. & Maior, Viguerius, Celaya, Vrrutigoyti apud, & cum Illuſtriſsim. Siuri tract. 8. num. 44. Huic ſententiæ ſubſcribimus & nos propter congruentiarum robur, & efficaciam.

3 Probatur ergo noſtra concluſio. Quoties ex ſacro textu nihil invtramque partem definitum eſt circa myſterium aliquod, vel Perſonam; ſtandum eſt numero, & ponderi congruentiarum; ſed numerus, ponduſque congruentiarum ſuadent, Divum Ioſephum non ſenem, ſed à ſummum maturæ ætatis virum fuiſſe tempore matrimonij: ergo ita fuit. Maior eſt certa: nam vnus ex locis, ſedibuſque argumentorum in re Hiſtorica eſt pondus, & numerus congruentiarum; non ſecùs ac in philoſophicis argumenta de locis Topicis deſumuntur, & in Theologia, itidem de Theologicis, de quibus Cano ille tàm elegantèr ſcripſit. Minorem probo. Recenſendo congruentias, primò, quia omninò decebat, vt in ætate non eſſet tàm improportionata, atque monſtruoſa diſtantia Octogenarij ad Puellam nondum vicennem: excederet enim per ſexaginta, & quinque annos maritus vxorem: Quod in primis, tollit proportionem connubij, & deinde illuſionem parit in vulgus. Secunda congruentia: quippè niſi Ioſephus eſſet ætate ad generationem idonea, vt proles ex eo credita naſceretur, iuxta illud Lucæ 3. *Et putabatur filius Ioſeph* perperam Mariæ fidelitas, & fama ſer-

va-

varetur illæſſa. Tertia: Quoniam oportebat pro peregrinationibus, & ſuſtentatione familiæ ipſum firmis; non fractis, viribus eſſe. Quarta: Quia aliqui Sancti DD. dicunt S. Ioſephum, & Mariam poſt matrimonium contractum caſtitatem voviſſe, ex quo certè conijci poteſt non ſenex, neque octogenaria ætate ineptus ad copulam. Quinta: Nam de Ioſepho tradunt DD. (& eſt plus receptum, quam quod tradit ſuprà D. Epiphanius in 1. quæſt. huius Dec. Object. 12.) B. Ioſephum vſque ad deſponſationem Virginem perſtitiſſe: quod autem per octoginta annos id præſtiterit, non eſſet veriſimile in eo populo in quo iuvenes citò copulabantur vxoribus. Sexta: Eſt congruentia verborum, dicitur enim, Lucæ 1. *Ad Virginem deſponſatam Viro* non ſeni. Ex quibus ſatis conſtat probatio minoris. Probatur ſecundò argumento negativo ſemper vrgenti: Quia neque ex Hiſtoria Canonica, neque ex Eccleſiaſtica, neque profana datur fundamentum convincens, quod Ioſephus ita ſenex extiterit: ergo nullum eſt.

4 Objicies primò immediatè contra dicta. In re, quæ per Scripturam non definitur, fidem debet facere Hiſtoria Eccleſiaſtica recepta ab Eccleſia, præſertim vbi nullatenus contradicitur: Sed Sanctus Epiphanius, & Nicephorus Hiſtorici ſunt Eccleſiaſtici ab Eccleſia recepti, & commendati; & in hac re à nullis alijs Hiſtoricis repulſi: ergo Div. Ioſephus Octogenarius erat. Reſpondeo diſtinguo maiorem. *Fidem probabilitatis*; concedo maiorem, *abſolutæ definitionis*, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Recepit enim Eccleſia Hiſtoriographos ſuos longè inferiori approbatione, quàm Canonem: in hoc enim nihil vmquam poteſt impugnari, & expungi; in alijs verò, licèt cuncta ſint probabilia ex eorum antiquitate, ac diligentia, & Autoritate, præſertim dum nulla in contrarium ſuppetunt argumenta; tamen dum ſuppetunt, vt in caſu noſtro; poſſunt contraria ipſorum probabilitatem quoque adipiſci: imò, etſi argumenta inſurgentia ſint validiſsima, quibus accedat iudicium Eccleſiæ, nonnulla ex ipſis poterunt faciliùs expungi, quàm de breviario ipſo: de quo tamen aliquid ex punctum eſt. V. gr. Oratio Div. Enrici Imperatoris, pro qua alia fuit ſubſtituta, & Hiſtoria S. Brunonis, &c.

5 Objicies ſecundò: Picturæ antiquę præſertim in rebus ſacris quaſi robur debent traditionis habere: ſed vetuſtis imaginibus S. Ioſephus depictus eſt ſenex: ergo ita eſt credendus. Reſpondeo diſtinguo maiorem *traditionis authenticæ, & Divinæ*: nego maiorem; *mixtæ, & humanæ*, concedo maiorem, & conceſſâ minori, nego conſequentiam. Traditio enim per Imagines, traditio eſt multum inconſtans, & parùm authentica: ad pingendum enim ſæpè concurrunt ad formandum exemplar credulitas vulgi, vota piorum, & phantaſia pingentis, quibus certè non alia fides poteſt correſpondere, quàm varia, & inconſtans; non autem illa quæ Divinis oraculis, traditionibuſque Apoſtolicis debet deferri.

6 Objicies tertiò: S. Ioſeph fuit iuxta Cedrenum, Niſſenum, Damaſcen. Hieronym. electus à Sacerdotibus in coniugem Virginis Mariæ, vt eſſet cuſtos ipſius Virginitatis: ſed ad hanc cuſtodiam ſenilis ætas aptior eſt virili: ergo etiam ſuadet congruentia Divum Ioſephum fuiſſe ſenem, dum pervenit ad nuptias. Reſpondeo diſtinguo maiorem, vt eſſet cuſtos, id eſt *Teſtimonium, & vmbraculum, quo tanta Virginitas ſervaretur, & ſuo tempore innoteſceret*. Concedo maiorem, *vt eſſet cuſtos ipſius adhuc reſpectu ſui*; nego maiorem, & ſub hac diſtinctione, nego minorem, & conſequentiam. Ideò enim di-

citur D. Ioſephus eiuſmodi fuiſſe, vt ipſi in cuſtodiam Mariæ Virginitas crederetur, quia ipſi eam ad connubium tradere, perinde erat ac tradere cuſtodi intergerrimo, quippè, qui ipſe quoque voverat caſtitatem, vt egregiè id firmat Illuſtriſsimus Siuri, tract. 10. cap. 3. non ergo ætas ibi, ſe Donum Dei pro hac cuſtodia deligebatur; alioquin Ioſephi caſtitas non virtuti, ſed impotentiæ perperam tribueretur. Econtra verò ad proportionem connubij ætas quidem obſervabatur, quæ de more aptiſsima videretur. Non autem poteſt definiri, num re ipſa triginta, quadragintavè fuiſſet annorum; ſed tantùm quod vxorem, cadente nimis ſua ætate, non duxerit.

7 Obijcies quartò: S. Ioſephus mortuus eſt poſt duodecimum annum Chriſti: ergo ſenex erat tempore matrimonij: probo antecedens: Nam poſt illam Chriſti ætatem de S. Ioſepho nulla fuit mentio: Sed hæc omiſsio in homine, ita propinquo inveriſimilis eſt: ergo, &c. Reſpondeo hoc argumentum adhuc in linea congruentiæ (quæ debilius ſemper argumentum efformat) eſſe multùm debile: vnde diſtinguo antecedens; immediatè pòſt, nego antecedens; mediatè pòſt, plus minuſvè, concedo antecedens; ad cuius probationem iterum diſtinguo: nulla fit mentio expreſſa: concedo maiorem; tacita nego maiorem, & minorem, & conſequentiam; dum enim Evangeliſta ait, poſt duodecimum Chriſti annum: *Et erat ſubditus illis*, innuit per annos aliquos Chriſtum Dominum ſuis parentibus ſubditum fuiſſe: neque eſt, cur dici non poſsit, ferè vſque ad annos prædicationis Chriſti vixiſſe, B. Mariam, & Chriſtum Dominum ſuis laboribus alendo. Quod ſi de Chriſto Domino à duodecim vſque ad tringinta, tot annorum intercapedo ſilentio obvoluitur; quid ni de annis quoque Ioſephi ſuperviventis taceri potuit?

8 Poſt hæc ſcripta legi Illuſtriſsimum D. Marcellinum Siuri, qui ſuperioribus nedum favet, ſed mirè conſentit ad tract. 10. cap. 6. vbi pro ſua eruditione varias illas opiniones recenſet de morte S. Ioſephi: quas de tanto viro libatas do libens. Igitur Ioſephum ad Paſsionem Domini ſuperviventem exiſtimant Cyprianus, Chryſoſtom. Ambroſ. Auguſt. Arnoldus Carnot. Mortuum autem fuiſſe duodecimo anno Chriſti paulò poſt, volunt Epiphanius, Pererius, atque, vt videtur etiam Baronius ann. 12. num. 9. Sed tempore ipſo prædicationis Chriſti extinctum cenſent aliqui cum Iſolano, Urrutigoyti, quibus conſentire videntur D. Bonav. & Amædeus. Quod autem obierit ante nuptias in Canà Galileæ, & tempus paſsionis tenent Bernard. Hieron. Bernardinus Senenſis. Vincentius Ferrerius, Suarez, Salmeron, Barradas, Caniſius, Toletus, Caſtro, & Morales apud Illuſtriſsimum Siuri: cumquo incertum determinatum mortis eius tempus relinquimus, licèt de paulò poſt Chriſti duodecimum inficiemur. Et hæc quoad antecedens obiectionis ſuperioris. Namque eò tranſmiſſo, negari poteſt conſequentia: quid enim prohibet, quominus licèt mortuus fuiſſet ſtatim à duodecimo Chriſti anno, non moreretur potiùs vir, quam ſenex?

)(?)(

QUÆSTIO

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ANTEQUAM CONVENIRENT INVENTA EST IN vtero habens de Spiritu Sancto. Math. 1. verſ. 18.

ARTICULUS

AN CELEBRATO IAM MATRIMONIO INTER Ioſephum, & Mariam, Verbi Incarnatio contigerit?

NOTABILIA.

1 A LIA, neque inutilis ſuccedit, agitanda quæſtio de Matrimonio B. Virginis quoad eius circunſtantias, poſtquam de ipſius celebratione quoad ſubſtantiam tractatum eſt. Cumque matrimonium includat ſubſtantiam contractus; de qua ſatis egimus independentèr à tempore; & prætereà includat accidentia, quaſdam ſcilicèt ſolemnitates, ſeu publicas cæremonias, cohabitationem viri, & vxoris in eadem domo; de his occurrit ſciſcitandum, num hæc Divini Verbi Incarnationem præceſſerint, ſicut & præceſiſsè videtur ipſa ſubſtantia *matrimonij*? Pro quo clarius explicando ſuppono ſecundò, cum communi PP. ac Theologorum ſententia, matrimonium inter Mariam, & Ioſephum quoad ſubſtantiam fuiſſe contractum ante Chriſti D. Incarnationem: quam ſuppoſitionem optimè confirmavit Orig. Homil. 6. in Luc. & colligit, ex Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem Deſponſatam viro, &c.* Cum enim diſp. antecedenti probaverimus, hanc Deſponſationem pro matrimonio rato eſſe accipiendam; ſequitur, quòd pènè toto pondere diſputationis prælabitæ hæc ſuppoſitio noſtra fulcitur: Ilhic enim authoritates, rationes, atque congruentiæ eò mentem adducunt, vt ſibi perſuadeat, B. Virginem, tempore Conceptionis Divini Verbi iam vero matrimonio fuiſſe coniunctam, nè exiſtimari poſsit de turpitudine concepiſſe. Vnde Illuſtr. Siuri tract. 8. cap. 2. opinionem in contrarium citari ſolitam prorſus exarmat, & merè imaginariam fuiſſe contendit. Accedendo ergo ad circunſtantias accidentales huius matrimonij, quod quæritur eſt: *An tale matrimonium quoad om-*

nes

nes circunſtantias ita iam perfectum extiterit, vt quando B. Virgo D. Verbum concepit, iam in eadem domo, cum Ioſepho habitaret, nihilque de ſolemnitate nuptiarum adhibendam poſt ſupereſſet?

2 In qua quidem quæſtione prima ſententia negat, tale matrimonium ante Incarnationem fuiſſe his accidentibus ſolemnitatis omninò perfectum: quam tenent Caiet. in 3. part. quæſt. 2. art. 1. & 2. Abul. in Mathæi 1. poſt quæſt. 33. cui ſententiæ favere videntur Hieron. & Orig. & Tertul. dum dicunt, B. Virginem tempore Conceptionis quodam modo nuptam, & futuram vxorem: denique D. Amb. citari poteſt, citaturque apud Vazq. lib. de Inſtitutione Virg. cap. 6. in principio. Præter quos citat Illuſtriſsimus Surius, Caſtrum, Salmeronem, Mariamam, Carthagenam, Eſcobar, Melum, atque Baronium. Secunda ſententia quaſi media in medium producitur abſque Patronis apud Suarium, tom. 2. in 3. part. diſp. 7. ſectione 2. aitque tempore Conceptionis Verbi Divini, Ioſephum, & Mariam cohabitaſſe quidem; ſed nedum peracta benedictione nuptiarum. Poteſt tamen citari D. Thom. in 3. part. quæſt. 29. art. 2. Tertia ſententia vtrumque aſſerit, præceſiſſe ad Verbi Incarnationem, ſcilicèt & cohabitationem vtriuſque in eadem domo, & cunctas quæ in matrimonijs vſurpari ſolebant ſolemnitates. Cui ſententiæ favent ex PP. Amb. lib. 2. in Lucam, cap. 1. Chryſ. Homil. 1. Math. Orig. Imperfectus. Hieronymus, Bernard & Rup. citati apud Vazquium tom. 2. in 3. part. diſp. 175. cap. 8. Hanc ſententiam defendit ipſe Vazquez, ibi & quoad primam partem D. Thom. 3. part. quæſt. 29. art. 2. ad 1. Suarez de Vita Chriſti, diſp. 7. ſect. 2. allegans Niſenum, & Epif. item S. Anſel. Titelm. & alij in Math. Quibus ex D. Surio etiam adiungi poſſe videntur Ianſen. Franc. Lucas Brugenſis, Maldon. Barrad. Æſtius, Menochius, & Cornelius. Cum quibus omnibus ſit mea ſententia.

3 Pro qua hanc bimembrem concluſionem ſtatuo, ſcilicèt: *Quando B. Virgo Maria Angelo nuntiante D. Verbum concepit iam in eadem domo cohabitabat Ioſepho, omneſque nuptiarum ſolitæ cæremoniæ intervenerant.* Probatur prima pars, poſteà probaturus ſecundam. In primis Authoritate, tùm eorum PP. quos citavimus pro tertia ſententia, tum eorum omnium, qui cum Orig. dicunt Dominum de Deſponſata concipi voluiſſe, vt Diabolum lateret conceptio ipſius; atque myſterium. Ait ergo, homil. 6. in Luc. ſic: *Ideò Chriſtum natum de Virgine quæ non ſolum ſponſum haberet; ſed etiam, vt Matth. ſcribit, iam viro tradita fuerat; nè virgo vtero tumeſcente turpis appareret, & denique, vt celaretur Diabolo myſterium* tùm ex D. Thom. hic aiente *id magis eſſe conſonum Evangelio propter illa verba voluit occultè dimittere eam: vt enim ait Ambroſ. quam non accepit nemo dimittit, & ideò qui volebat dimittere, fatebatur acceptam*: Id eſt, volebat cohabitationem dimittere, quam habebat in cohabitatione admiſſam. Tum ex Chryſ. *Non dicit Evangeliſta antequam duceretur in domum Sponſi: Etenim intus iam erat, &c.* A ratione autem probatur ex diſcurſu efficaciſsimo D. Thom. Negari non poteſt, quod in hoc myſterioſiſsimo matrimonio conſulebatur famæ BB. Virginis, ſed ita non eſſet ſufficienter proviſum famæ Virginis B. per hoc quod fuit Deſponſata, niſi etiam fuiſſet domi habita: ergo tempore Incarnationis, quo venit Angelus ad Deſponſatam, venit quoque ad Virginem cum Ioſepho iam cohabitantem. Maior eſt. SS. PP. minor ad litteram D. Thomæ: & diſcurſus non claudicat. CONFIRMATUR ex illis Verbis D. Thom. *Conſuetudo enim fuit veteribus, vt ſponſæ in ſponſorum domibus haberentur.* Ergo Angelus veniens ad Deſponſa-

ſatam, venit ad cohabitantem. Rota hic, verba D. Thomæ non intelligi de ſponſis rigoroſè talibus; ſed de ſponſis, id eſt, coniugibus necdum ſolemniter benedictis: non ſecus ac nunc contracto matrimonio fit coniugum habitatio, & poſteà nuptiales ceremoniæ celebrari conſueſcunt. CONFIRMATUR ſecundò. Et explicatur diſcurſus D. Thomæ, ſi Maria, & Ioſeph in eadem domo non cohabitarent; quando facta eſt conceptio; ſemper remaneret aliqua ſuſpicio, ſi non de turpidine ſponſæ, ſaltem de incontinentia, & celeritate concubitus inter ſponſos. Sed candori Marię nonnulla in his macula aſpergebatur: Ergo vt eius famæ provideretur omninò cohabitatio tempore conceptionis videtur non deneganda. Maior patet, quia tumeſcente vterò, & producente fœtum, ſtatim appareret conceptionem ante cohabitationem extitiſſe, proindeque, & quod ſponſus ad ſponſam in aliena domo accedere non erubuiſſet. Ita profecto ſentirent omnes qui ignorabant myſterium.

4 Probo iam ſecundam partem B. V. Maria tum propter ſingulare Votum caſtitatis emiſſum, tum propter eius vitam altiſsimam, tum propter crebra indicia pleniſsima Myſteriorum tradita fuit ex maturo Sacerdotum conſilio, & Spiritu Sancto inſpirante, B. Ioſepho nomine deſponſationis vt eius ſemper Virginitatis cuſtos exiſteret; ſed illa deſponſatio verum matrimonium fuit; & traditio Sacerdotum tàm ſolemnis, & conſultiſsima circa rem plenam myſterij veriſimiliter videtur peccare non poſſe adhuc in minimo ritu nuptiarum: ergo cum ita Deſponſata eſt; omnes peractæ ſunt ceremoniæ nuptiales. Maior eſt hiſtoria. Cedreni, Niſen. Damaſc. Niceph. Andreæ Cretenſis, Metaphraſtis, Orig. & Theophilact. apud Suarez de Vita Chriſti, quos repellere, ſanè convelere eſt magna ex parte Sacras Hiſtorias. Minor quoad primam partem iam conſtat ex præcedenti, diſp. in qua ſubſtituimus nomine *Deſponſationis* venire matrimonium ratum intelligendum: quoad ſecundam verò non parum innoteſcit ipſa meditatione circunſtantiarum. Cur enim in re myſterioſa, in perſona Sanctiſsima, in connubio Angelico, in conſultatione deliberata Sacerdotes ipſi ritum ſacrum, vel minimum prætermitterent? CONFIRMATUR hæc ſecunda pars ex priori. Iuxta ordinatam conſtitutionem matrimonij, conſiderationemque ipſius. Prius eſt, contractum nedum ſubſtantialiter, ſed etiam accidentaliter perfici omnique beneditione conſecrari, quam licentia, & vſus vtriuſque contrahentis; ſed cohabitatio in eadem domo cum mutuis obſequijs, &c. eſt iam licentia quædam vtriuſque contrahentis: ergo prius præceſſerant omnes ceremoniæ; ſed cohabitatio, vt diximus, præceſit D. Incarnationem: Ergo ſimiliter præceſſit nuptiarum cuncta ſolemnitas. CONFIRMATUR ſecundo. Quoties in ſcriptura nil in hac re invenerimus in partem alterutram definitum; ſanius, Sacratius atque perfectius de illa eſt nobis cogitandum atque tenendum; præſertim ſi magis congruat cum PP. traditione, & intento. Sed ſanius, ſacratius atque perfectius eſt omnes ſolemnitates præcedere ad conturbenium: & aliunde melius conſulitur famæ Virginis (quæ eſt traditio PP.) ſi non niſi prius benedicta, de ſuo ſponſo ab hominibus concepiſſe putaretur: ergo re ipſa concepit de Spiritu Sancto poſt nuptiales ceremonias adhibitas.

5 Obijcitur primò contra matrimonium contractum ante Incarnationem. Orig. & Hieron. ſupra citatos in relatione primæ ſententiæ. Orig. videlicet Homil. 6. in Luc. & Hieron. in Luc. ſupra illa verba: *antequam con-*

ve-

venirent dicentes, Mariam futuram vxorem. Item Ambroſ. lib. de Inſtitutione Virg. cap. 6. dum ait *deſponſata enim viro coniugis nomen accepit*. Sed quæ futura eſt vxor nondum eſt vxor, & quæ coniugis nomen accipit, cum ſit deſponſata, necdum eſt coniux: ergo necdum dabatur inter vtrumque connubium, & conſequentèr, nec cohabitatio. Reſpondeo cum ipſiſmet PP. cum Ambroſ. lib. 2. in Luc. in principio, & cap. 6. de Inſtitutione Virginum, Hieronym. in 1. Luc. *cum eſſet deſponſata*, & cum Orig. homil. 1. in diverſos in illud *Ioſeph autem vir eius*: quatenùs ambo aiunt, ideò fuiſſe Mariam Ioſepho traditam, vt ab infamiæ nota eſſet immunis: quæ quidem immunitas non ſalvaretur, niſi tempore Conceptionis D. Verbi nedum ſponſalia; ſed etiam matrimonium verum interveniſſet: Qui PP. cum videntur ſibi adverſari; eos crediderim facili via compoſitos; quatenùs ſcilicèt ſponſalia, & coniugium valdè promiſcuè ad invicem ſoleant vſurpari: quod dicit Hieronym. contra Helvidium eſſe moris Scripturarum; præſertim quando matrimonium eſt ratum: vt latius oſtendimus in ſuperiore quæſtione. Et ly *futura vxor* non eſt quia de præſenti non eſſet, vt apud ipſum Origenem licebit intueri.

6 Obijcies ſecundò: Tertull. cap. 6. *de Velandis Virg.* quatenùs deſponſatam vocat *quodammodo nuptam*. Item Hilarium Can. 1. in Math. 3. Epiph. hæreſi 78. & Baſ. homil. de Nativit. humana, citata apud Mald. necnon, & ab ipſo pro hac ſententia productum. Reſpondeo cum noſtro Vazquez hos PP. perperam allegari: *Tertullianum, quia quodammodo nuptam*, Virginem, opinione hominum; non re ipſa cognitam, & corruptam intelligit, vt patebit legenti ipſum. *Hilarium*, quia non loquitur de tempore Angeli apparentis Ioſepho; ſed poſt partum ait, Mariam opinione vulgi coniugem nuncupatam; deſponſationem autem priorem per præſentis temporis verba intellexit, quæ matrimonium ratum efformant. *Epiphanium* denique, quia in his verbis de *Sponſa Maria non nupta* ly *non nupta* debet *pro non cognita* intelligi. Ad quorum PP. ſanam, & contextualem intelligentiam ſemper prodeſt ſuperioris obiectionis doctrina. Quod ſi aliqui PP. tandem pro ſententia contraria remanſerint, pro noſtra reponimus eos omnes, quos in relatione ſententiarum produximus. Atque ſuppoſito, vt ab initio diximus, contracto matrimonio ante Incarnationem, ad obiectiones immediatas contra cohabitationem, & ceremonias pergamus.

7 Obijcies tertiò: Ex Caiet. ſic obijciente. Quando Angelus apparuit Ioſepho dicens *noli timere accipere Mariam coniugem tuam* erat poſt Verbi Domini Conceptionem; ſed hoc intelligitur de acceptione ad cohabitandum, & cum ſolemnitate nuptiarum: Ergo hæc non præceſſerunt Incarnationem. Probatur minor: Hæc acceptio intelligi non poterat de acceptione Mariæ in matrimonium, tum quia iam verum matrimonium ratum præceſſerat propter rationes datas in hac, & præcedenti quæſtione: tum quia verba non dicunt accipere *in coniugem*, quod eſt accipere, eam, quæ non dum erat coniux, ſed *accipere coniugem*; maximè, cum dicat *coniugem tuam*: Sed de nullo alio poteſt verificari illa acceptio, niſi de ſolemnitate nuptiali, & cohabitatione: ergo, &c. Confirmatur Auct. Div. Anſelmi in Math. 1. ſic exprimentis verba illa *noli timere accipere Mariam* ſcilicèt *nuptiali conventu, & aſſidua cohabitatione*. Item dum exponit illa verba *cum nollet eam traducere* (inquit) *in domum ſuam, & aſſiduam cohabitationem*: Ergo talia verba de tali acceptione intelligenda ſunt. Reſpondeo ne-

nego minorem: Ad cuius probationem, iterum nego minorem: Cum Chryſoſtom. Ambroſ. Theoph. & Euthimio alitèr verba illa exponentibus, & congruentiſsimè: Dicunt per ea monitum fuiſſe Ioſephum, vt non timeret *accipere*, id eſt, *vt non relinqueret continuationem* conſortij cum ſua coniuge: timebat enim, ſivè humanitùs, ſivè divinitùs, cohabitationem cum illa, quam ſine ſui concubitu videbat vtero tumeſcentem. Unde ly *accipere* non eſt de novo accipere, ſed non relinquere, quod aſſumptum erat: Et ita infertur ex verbo dimittere: non enim dimittitur, niſi quod habetur. Ex his patet reſponſio ad confirmationem, & Div. Anſelmi verba priora.

8 Ad ſecundam interpretationem Div. Anſelm. Reſpondeo. Similitèr illa verba, ita non ſuſcipere interpretationem congruentem: Cuius cauſa eſt verbum Latinum *traducere*: eſt enim in Latino idiomatè æquivocum cum ſignificet *ducere de loco in locum*; & etiam ſignificet *infamare*: In qua quidem ſignificatione eſt accipiendum cum Orig. & D. Thom. hic propter determinationem verbi Græci ad ita ſignificandum. Eſt enim verbum *paradigmatiſſai*, quod publicam diffamationem ſignificat. Præter quæ etiam colligitur hoc ſignificatum ex illa Antitheſi *cum nollet eam traducere*; *voluit occultè dimittere*. Occulta enim fuga Ioſephi contraponitur diffamationi, atque accuſationi ſolemni: Et etiam ex illa ratione *cum eſſet Iuſtus*: hæc enim apta non erat ad non accipiendum illam propter ſuſpicionem adulterij: quippè non recipere vxorem adulteram, cuiuſvis hominis eſt. E contra fortaſſe foret, ſi ratio daretur ad recipiendum hoc eſt *qui iuſtus eſt, in charitate* admittit adulteram ſibi vxorem. Senſus ergo eſt quod, cum eſſet Sanctus, nolluit crimen quale apparebat ſpargere in vulgus. Ita Gregor. Chryſ. Aug. Iuſt. Mart. Ambroſ. vel alitèr cum Hieronym. Orig. Baſil. Theophil. & Bern: *Cum Sanctus eſſet; nolebat credere indicijs ad definiendum, ſed tantæ Virginis puritati potiùs ad reverendum, fugaque ſibi conſulere.*

9 Obijcies quartò: Quando B. Virgo redijt de viſitanda Eliſabeth erat poſt Incarnationem. Sed tunc ex Luc. 1. redijt in domum ſuam, & non in domum Ioſephi: Ergo ante Incarnationem in eadem domo non cohabitabant. Reſpondeo nego minorem: & ſuppoſitum contrapoſitionis illius: eadem enim erat domus ſua, quàm domus Ioſephi; ſed ſimpliciter illic narratur reditus in domum ſuam, vt paſsim quiſque pronunciat, dum revertitur ex domo aliena; ſicut paulò inferiùs dicuntur Maria, & Ioſeph redijſſe in Civitatem ſuam, quæ quidem Civitas certè erat vtriuſque.

10 Obijcies quintò: Contra ſecundam partem concluſionis Divum Thom. 3. part. quæſt. 29. art. 2. aientem: *Quamvis tamen eſſet domi habita propter primam deſponſationis fidem; nondum tamen intervenerat ſolemnis celebratio nuptiarum: propter quod etiam nondum carnaliter convenerant*, & infra, *& ideò etiam Angelus dicit, Ioſeph, ne timeas nuptias eius ſolemnitèr celebrare, &c.* Ex quibus manifeſtè concluditur ſententiam Div. Thom. eſſe, quod incarnatum fuit verbum Domini, quando iam ambo coniuges cohabitabant: Siquidem Maria erat Domi habita apud Ioſephum propter primam fidem deſponſationis, & Incarnatio Verbi contigit poſt deſponſationem. Ex alia verò parte, conſtat D. Thomam dicere, quod, quando Angelus apparuit Ioſepho, nondum erant nuptiæ ſolemnitèr celebratæ. Ergo de primò ad vltimum, licèt tempore Incarnationis vterque iam cohabitaret; necdum tamen omnis nuptiarum ſolemnitas intervenerat. Reſpondeo. S. Thom. id dicere propter interpretationem illo-

rum verborum *ne timeas accipere, &c.* intelligendo acceptionem de ſolemnitate nuptiali; ſed non firmitèr, & reſolutoriè; ſiquidem poſteà proſequitur, *alij dicunt* ſubdendo interpretationem aliorum, quod eſt non illi placito firmitèr adhærere, ſed quaſi vtrumque proponere. Deinde cum de intelligentia horum verborum, ſic quaſi problematicè diſputaret; non curavit pondus ſuæ rationis etiam extendere ad ſolemnitatem nuptiarum; ſed pro cohabitatione tantum eam exhibuit; cum autem nos eam viderimus efficacem, & fortem etiam pro præcedentia nuptiarum ſolemnitatis ad Conceptionem Verbi; ideò rationem D. Thom. defendimus, & ex ea vtrumque deducimus. Licèt S. Doct. de ſecundo non curaverit, eò quod, vel aliorum interpretationibus indulſerit, vel non putaverit eſſe quoque de fama B. Virginis Mariæ, non concepiſſe niſi iam ſolemnitèr benedictam. Quæ omnia ſi non arriſerint, dicito, quoad hanc partem nos loqui cum SS. PP. cum Angelico Magiſtro in re præſertim expoſitiva facilè comparandis.

11 Obijcies ſextò: Illa verba Math. 1. *Antequam convenirent inventa eſt* in vtero habens de Spiritu Sancto. Atqui convenire eſt cohabitare ex ſignificatione verè Latina: ergo, &c. Probo minorem: *Ly convenire* nequit ſignificare actum coniugalem, ſivè copulam; alioquin ly *antequam convenirent* ſignificaret poſtmodùm conveniſſe: ergo purè ſignificat cohabitare. Ad hoc argumentum reſpondeo, diſtinguendo minorem, *convenire* eſt cohabitare ex Latina notione vocis permitto minorem: in vſurpatione præſenti, nego minorem, & conſequentiam. Unde, quamvis textus dixiſſet *antequam cohabitarent* nil eſſet probaturus nobis adverſum. Ratio à priori eſt: quia quando in Hiſtorica narratione res aliqua, vel inhoneſta, vel pudibunda recitanda, aut reijcienda eſt (præſertim inter perſonas puriſsimas) parcitur expreſsioni propriæ: & præcurſoria quadam phraſi, quaſi generatim, & fugitivè datur intelligi; relinquendo ipſi contextui vim totam ſignificandi. Unde S. Evangeliſta ad exprimendum ſine copula carnali inveniri conceptum in vtero (in quo erat myſterium) honeſtà phraſi proximæ, atque propinquæ vſurpatione rem ipſam opportunè prævenit: quare, & potuiſſet dicere *antequam cohabitarent*, nempè cohabitatione ibi ad rem intellecta. Non ſecus ac etiam Hiſpanice dici poſſet de duobus coniugibus: *antes de juntarſe ſe velaron.* Ubi per illud verbum *juntarſe* alioqui commune, actus ille, qui ſilentium amat, exprimitur. Quod autem ly *antequam convenirent* valeat *ſine conventione* nitidè explicatur à D. Siuri ex Ianſenio, & Æſtio. Ecquando verò illa particula *antequam* ſignet eventum futurum; quando autem potiùs non futurum per equivalentiam ad *ſine?* potiùs ex rei natura, & contextu ipſo pendebit: vt patet in fœno, de quo Iſaias ait, 37. verſ. 27. *Priuſquam matureſceret, exaruit*: vbi conſtat non ſequutus eventus. Et David ait, Pſalm. 128. verſ. 6. *Priuſquam evellatur exaruit.* Evelli autem benè poteſt poſtquam exaruit; ſed non matureſcere.

12 Obijcies ſeptimò: Conſuetudo erat Hebræis ſponſas poſt matrimonium diu retinere in domibus Parentum, quouſque ſponſis ſolemnitèr traderentur. Ergo ſic accidit cum Ioſepho: proindeque B. V. Maria iam conceperat D. Verbum antequam cohabitaſſet, & fuiſſet ſolemnitèr benedicta. Antecedens traditur à P. Chryſtophoro de Caſtro de B. Virg. cap. 4. & à Carthagena, & Eſcobar ex eodem. Reſpondeo primò negando conſuetudinem: tum ex D. Thoma ſuprà num. 4. potiùs referente contrariam de eò quòd ſponſæ in ſponſorum domibus ha-

haberentur: quod etiam asserunt Chrysost. hom. 4. Bernard. 2. super *Missus est* Sherlogus tom. 2. in cantic. vestig. 4. sect. 2. tùm ex Vazquio disp. 125. num. 96. Respondeo secundò, quòd si talis mos esset inter Hebræos, non ad orphanas quidem, & inopes adolescentulas attineret. Ad calcem nota non deesse, qui pro hac re fulcienda adversus nostram sententiam Bethlemitam faciant S. Iosephum. Sed contra stat Eruditissimus Siuri, qui eum putat incolam Nazarethi. Eum consule.

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

IOSEPH AUTEM VIR EIUS CUM ESSET IUSTUS, &c. Mathæi 1. vers. 19.

ARTICULUS

AN SINE TEMERITATE PROBABILITER defendi possit, S. Iosephum cæteros omnes omninò Sanctos etiam Apostolos dignitate, & meritis antecellere?

NOTABILIA.

1 INCIDIMUS in curiosam quæstionem, piam, & vtilissimam, cum circa tantum virum Virg. tantæ consortem œncomia, & laudes modum desiderent, ac fixam regulam, sub qua sine discrimine erroris possit devotio nostra vagari. Quare & extat Vrbani VIII. decretum eas taxans: Ratio igitur dubitandi, disputandique partim ex ipsis quasi pietatis excursibus, partimque ex huius viri altissimis privilegijs conficitur: quare vt hanc ipsam dubitandi rationem paulò dilutiorem dilutidioremque per consequens propinemus, eam suppositionibus nonnullis partitam dabimus: apparatumque totum ad curiosam hanc indaginem præmittemus.

2 Suppono primò cum nostro Exim. Doct. tom. 2. in 3. part. disp. 8. sect. 2. probabile quidem esse ex Hieronym. receptaque satis sententia S. Iosephum animo, & corpore iam regnare cum Christo, quippè qui defunctus ante Passionem cum multis alijs, Christo resurgente, ad vitam immor-

talem animæ, & corporis cum Priſcis PP. reſurrexerit. Id quidem probabilitèr dici poterit; alia vero privilegia, quæ devotio vniuſcuiuſque penitùs comminiſcitur, & in quibus ſuo more hyperbolico nonnunquam ſine modo Concionatores exorbitant, eiuſmodi quidem ſunt, vt bona mens, & ratio ipſis multùm inhærere non debeat, quippè quæ nullà videt ſcripturà, PP. rationumque momento ſuffulta, etſi ſint, vt fateor pijſsimè cogitata. Quæ tamen omnia diſcretè ſuis loculamentis reponenda pronuntio, ne cuncta ſi permiſceantur, veræ pietati erga hunc virum, quæ ſemper ſolida eſt, derogemus, potiùs quam conſulamus. Huiuſcemodi reputat Suarez illa privilegia, quibus Ioſephus ſanctificatus in vtero matris adſtruitur; omni peccato actuali imò, & fomite liberatus defenditur, vt in Gerſon, Iacoboque Chriſtopolitano licèt animadvertere. Huiuſcemodi quoque putandum eſt quidquid ſcientiæ, aut ſapientiæ, de gratijſque gratis datis ei adſcribatur: Licèt enim Angelicis illuſtrationibus coruſcaverit, reliquiſque gratis ſuo muneri per appoſitis præditus fuerit; nihilominus in iſtiuſmodi donis, & gratijs, tum ab Apoſtolis tum etiam ab alijs, quibus ad vtilitatem Eccleſiæ oportuerit ſuperatum, ſuperabilemvè eſſe non diffitebimur.

3 Suppono ſecundò: Contraria ex parte multa privilegia debere manare S. Ioſepho ex altiſsimis, ſpecialiſsimiſque titulis, quibus in terris meruit à Domino decorari. Primò. Enim reperitur in eo Sponſi Virginis dignitas, quam ſingulari Dei dono, & per diſpenſationem omni ſermone præſtantiorem datam, inquit Damaſc. orat. 3. *de Nativitate* quamque mirificè explicant verba illa Nazianzeni virum Gorgoniæ ſorori ſuæ hoc modo laudantis, orat. 11. *Vultis vno verbo virum deſcribam? Vir illius: neque enim ſcio, quod amplius dicere neceſſe ſit.* Secundò. Eſt in eo dignitas Patris Chriſti ne dum prolata ab ignorantibus myſteriorum; v. g. nonne hic eſt filius Ioſeph? Ioan. 6. Sed etiam à Virgine Sacratiſsima quæ totius erat plena myſterij, Luc. 2. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Quod quidem nomen in ſe grave, altum, & dignum, Patri Æterno (eo modo quo dici poteſt) cum Ioſepho commune, à Matre Spiritu S. pleniſſimà pronuntiatum, quæ certè, tantæ ſignificationis non erat ignara, quomodò poterit Ioſephum non ſummè efferre, & extollere? Ita profectò olim ponderabat Bern. homil. 2. *Super miſſus eſt.* Sic ait: *Quemadmodum enim Ioan. Evang. per ly Ecce filius tuus, à Ieſu moriente prolatum, ſingularem Patris commendationem ſuſcepit, ita illam ſibi debet vendicare Ioſephus Pater IESU, ab altiſsima Virgine nuncupatus.* Tertiò. Exinde rei dignitas cum dignitate nominis quantum poterat iungebatur, licèt enim copula carnalis tam longè abeſſet à tàm caſto connubio; coniunctio animorum erat immenſa, quà (non quidem vna caro) benè enim vnum cor, vnaque voluntas eſſet vtriuſque, ita vt penè dici poſſet de filio: *Si animum reſpiciamus; tàm eſt Ioſephi, quàm Mariæ, ſi verò Corpus, & viſcera, in quibus conceptus eſt; Ioſephi quoque eſt pleno iure, qui de corpore Ioſephi naſcitur*; *mulier* quippè ait Paulus, *corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vir.* Quem modum diſcurrendi D. Siuri illuſtrat, fulcit, & Authoribus locupletat: citans tract. 10. cap. 2. num. 21. Suarium, Viguerium, Toletum, Fonſecam, Cartagenam, Æſtium, Diez, Morales, Tyrinum, Brugenſem, Cornelium, Aldrete, Raynaudum, Ricciolum, Carriere, Munieſſa, Guadalupium, Lobetium, & alios. Erat inſuper Chriſto Ioſephus, ſi non generatione, verus Pater officio: de quo Bernard. homil. 3. *Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & Princi-*

cipem omnis poſſeſsionis ſuæ, Iræn. lib. 4. contra Hære. cap. 40. *In reliqua vniverſa Chriſti educatione gaudens obſequium præſtitit.* Rup. lib. 1. de glor. & honore filij hominis in Mathæum. *Ita innixus eſt huic Beato Ioſepho, vt ipſe fuerit infantulo Pater optimus, cuius ſolatio Paterno puer cum Virgine puerpera ſuſtentaretur.* Tandem, Aug. lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum, cap. 1. *Neque enim propterea, non erat appellandus Ioſeph Pater Chriſti, quia illum non genuerat, quandoquidem rectè Pater, etiam potuit eſſe eius, quem non ex ſua coniuge procreatum, aliunde adoptaſſet.* Ex quibus. Quartò. Reperiebatur in ipſo dignitas ſuperioris, tùm reſpectu Chriſti, vt hominis, Luc. 2. *Et erat ſubditus illis*: voluit enim verbum ſub humana carne ſe, huic regimini ſubieciſſe, vt ex ſuperioribus conſtitit: tum reſpectu Virginis iuxta, Apoſt. 1. ad Chorint. 11. *caput mulieris vir*; licèt enim ex Aug. & Thom. apud Suar. loc. cit. in ijs, quæ tanta myſteria, atque privilegia concernerent, B. Virgo ſub viri non fuerit poteſtate; at in externis, domeſticaque æconomia, familiæque gubernatione ſuo viro ſubijciebatur: quare, & de fuga in Egyptum, ſicut de reditu, de nominiſque *IESU* impoſitione facta eſt notificatio Ioſepho, Math. 1. *Vocabis nomen eius IESUM*: quaſi hæc primò ad ipſum quaſi caput totius familiæ pertinerent. Quintò. Demum reperitur in Ioſepho vinculum amoris elevatiſsimi, quo *IESUM*, & *MARIAM* ſummopere diligebat, ab ipſiſque ſingulari amore diligebatur, tùm propter officia ſponſi dulciſsima; tùm ex gratitudine propter temporalem adminiſtrationem, & regimen; tùm propter morum ſimilitudinem, tàm iucunda cohabitatione partam, ſuaviſsimaque pace fragrantem: Verè dixit Aug. *Ambo lilia*, videlicèt, pro virginalibus nuptijs, & cohabitatione caſtiſsima.

4 Suppono tertiò: Duplicitèr inſtitui poſſe comparationem S. Ioſephi cum cæteris SS. vel quoad dignitatem officij; vel quoad gratiam ſanctificantem; v. g. Inquirendo quoad primam: *An dignitas illa, ad quam tantopere evectus eſt S. Ioſeph, & quam nos ſuprà inſinuavimus excedat ſaltem aliquo titulo vel Præcurſoris, vel Apoſtolicam dignitatem?* Rurſuſque inquirendo, quoad ſecundum *An S. Ioſephus ampliori gratia fuerit à Deo donatus in hac vita, quam cæteri SS. etiam Præcurſorem Baptiſtam, & Apoſtolos comprehendendo.* Circa quæ duo quæſita obſervanda ſunt duo. Primum eſt dignitatem, gratiamque Præcurſoris, & Apoſtolorum, tàm primam obtinuiſſe inter fideles æſtimationem, vt vix ſine ſtomacho audiri queat, ſanctum aliquem (etiam hyperbolicè) his gratię Principibus comparari. De quo rationi noſtræ dubitandi multùm robur accreſcit? Secundùm eſt, ambo hæc quæſita (vtpotè multùm affinia) non deberè ſibi duas partiri quæſtiones, ſed vnà, quaſi duplici, definiti ne debere abſolvi, atque determinari. Cum enim dignitas, quæ Dei eſt commenſuretur cum gratia; ibi, vbi exceſſus ſit dignitatis, fateri quoque poterimus exceſſum, & gratiæ.

5 Propterea in hac re non multùm diſcuſſa, quia nimis critica, tamen duplicem ſententiam extremè oppoſitam deſignabo, in quarum qualibet ſupreſſo nomine citabimus duos manipulos DD. vtrimque militantes, cui præfigamus vnum digniſsimum Corriphæum, qui ſe ſolo ſatis ſit ad probabilizandas partes ſuſceptas. Prima ergò ſententia negativa eſt, inquiens, ſine temeritate non poſſe ſanctum quempiam poſt *IESUM*, & *MARIAM* in gratia, & gloria Apoſtolis comparari. Hanc ſententiam tenet expreſsè D. Thom. in Paul. ad Epheſ. 1. & confirmat ex Apoſt. ad Rom. 8. & gloſſa, ibi,

ibi; & S. Doct. lect. 5. Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit, ſpeciatim loquendo de S. Ioſepho poſſe ſine temeritate, imò ſatis probabiliter dici, hunc nedum dignitate miniſterij; ſed & interiori, etiam ornatu gratię, reliquos omnes etiam Apoſtolos exceſiſſe. Pro hac ſententia militat diſſertiſſimè Exim. Doct. P. Franciſcus Suarez, tom. 2. in 3. part. diſp. 8. ſect. 1. & 2. citans ſupreſſo nomine plurimos tum pro ſe ipſo; tùm pro parte adverſaria; Item Morales lib. 4. tract. 7. num. 22. & D. Siuri tract. 10. cap. 4. Dixi *adverſaria*: nam ambo hi DD. poterunt in concordiam revocari, ſi nimirùm, D. Thom. ſolummodò loqueretur de Sanctis Apoſtolis ſubſequturis. Suarius verò etiam de anterioribus ſermonem inſtituat, vt poſteà videbimus.

6 His poſitis ſit noſtra concluſio in hunc modum: „ Sine temeritate, „ imò & ſatis probabiliter poterit, ſu„ ſtineri, Sanctum Ioſephum dignitate „ quidem quodam modo Apoſtolicam, „ & Præcurſoris excedere; gratià verò „ omnes omninò SS. præter *IESUM*, „ & *MARIAM* ſuperare. Duplici parte conſtat noſtra concluſio, quam ſeorſim probabimus, præmittendo prius capitalem argumentationem quæ complectatur vtramque ſub hac forma. Quoties neque Scriptura, aut PP. neque conſtans reſolutio Eccleſiæ quidpiam habet de huius modi comparatione definitum, poſſunt Summi Theologi (non Theologaſtri, vel Scholares) rem in vtramlibet partem diſputare, ſi rationes adſint ad confirmandum propria, & refutandum adverſa. Sed in vtraque parte propoſita, neque Scriptura, & PP. neque conſtans reſolutio Eccleſiæ habent aliquid definitum; & pro vtraque parte adſunt momenta rationis ad confirmandum propria, & refutandum adverſa: Ergo cum ſummo Theologo, cuiuſmodi eſt Suarez (de quo fama fert, dixiſſe Alexandrum VII. *Suarez eſt Theologus ſuperioris ſphæræ*) verè poteſt vtriuſque partis probabilitas ſuſtineri. Ecce argumentationem, cuius maior continet canonem probabilizandi quæſtiones. Minor quoad primam partem eſt manifeſta, quoad ſecundam autem expendendis mox rationibus pateſiet.

7 Probo igitur illam quoad primam partem noſtræ aſſertionis, ſcilicèt, quod Sanctus Ioſephus quodam modo dignitate Apoſtolos antecellat, ſi conieſturæ, & rationis momenta penſantur. Illa eſt maior dignitas, quà homo in terris magis coniungitur ratione officij ſui homini Deo, & creaturæ inter omnes puriſsimæ, cuiuſmodi eſt B. Virgo MARIA, necnon pertinet quodam modo ad ordinem hypoſtaticum; ſed reſpectu Apoſtolorum S. Ioſephus ratione ſui miniſterij plus, & altiùs coniungitur homini Deo IESU, necnon Puriſsimæ V. MARIÆ, & cum ambobus attingit quodam modo ordinem hypoſtaticum: Ergo quodam modo Præcurſorem, Apoſtoliſque ſua dignitate antecellit. Probo minorem primò de Apoſtolis, & poſteà de Præcurſore Baptiſta: Atque primò cum Apoſtolis ſic efformo comparationem. Miniſterium Apoſtolorum erat, ſequi Chriſtum, revereri Mariam, & intendere proximis; miniſterium Ioſephi erat imperare Chriſto, & Mariæ; ab ipſis reverentiam ſuſcipere; & intendere Redemptori, & Corredemptrici. Rurſus miniſterium Apoſtolicum ad ſummum tribus annis Chriſto corporaliter adhærebat; Ioſephi autem ab infantia IESU erat per annos plurimos ipſi adhærere. Apoſtoli Chriſto, vt oves accedebant Paſtori; Ioſephus autem cum IESU, vt Paſtor, & Agnus. Vocatio Apoſtolica non dedignabatur peccatores; miniſterium verò Patris exiſtimati & nutricij innocentiam integerrimam poſtulabat.

Io-

Ioſephus ad dignitatem Matris Dei quæ maxima eſt, in humanis proximus accedebat. Apoſtolus verò non item. Miniſterium Ioſephi omnes labores, & actiones ſuas cum CHRISTO, & MARIA penitùs conferebat; Apoſtolicum verò erat cum iniquis contendere. Denique Ioſephus quodammodo attingit ordinem hypoſtaticum, tum quia medio ipſo, eiuſque caſto connubio vnio hypoſtatica interceſsit: tum quia fuit iuxta Andræam Hieroſol. ſerm. de Annunt. B. Ioſephi, & Rupert, vbi ſupra, *Tutor V. Matris, & hominis Dei*: Tùm, quia omnia officia, & greſſus huius V. Matris, & hominis Dei exteriùs, & in humanis à Ioſepho dirigebantur. Sed Apoſtoli dumtaxat pertinuerunt ad ordinem gratiæ: Ergo de primò ad vltimum dignitas Ioſephi pluſquam Apoſtolica iungit hominem Deo, & Matri Dei, & quodammodo ordinem vnionis hypoſtaticæ attingit. SECUNDO brevius idem probo de Præcurſore primò, tum ex D. Thom. in cap. 3. Mathæi aiente: *Nunquid ergo maiores Apoſtoli Ioanne?* Et reſpondet *non merito, ſed officio novi Teſtamenti.* Tùm, quia ita videtur eſſe iuxta illud Baptiſtæ aientis *cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſolvere.* Et ex illo Chriſti ad Apoſtolos: *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos.* Ergo ſi dignitas Præcurſoris minor eſt Apoſtolica, minor quoque eſt quàm Ioſephi. Secundò, quia tota dignitas Præcurſoris ſtat, vel in voce clamante adventum Domini, vel in propinquitate carnis, vel in propinquitate adventus, vel in electione perſonæ, vel in ſanctificatione in vtero. Sed cuncta hæc non attingunt dignitatem Ioſephi: ergo, &c. Minor patet: quia, ſi Ioannes erat vox Chriſti; cum Ioſepho erat verbum. Si Ioannes erat carne propinquus; Ioſephus ex lege matrimonij propinquior erat, nam licèt proles non eſſet ſua miniſterio carnis; erat tamen ſua ex iure in corpus Virginis, ſicut fructus ex arbore propria. Si Ioannes propinquus erat adventui; plus ipſe Ioſephus. Si Ioannes in vtero Matris ſuæ obtinuit ſanctitatem; Ioſephus in vtero ſponſæ ſuæ obtinuit ſanctificatorem, qui ipſi ſanctitatem donavit. Ac demum, ſi perſona Ioannis meruit eligi in Præcurſorem MESIÆ, Ioſephus electus eſt vt manibus donaret nobis ipſum MESIAM: ergo de primò ad vltimum dignitas Præcurſoris inferior dici poteſt dignitate Ioſephi.

8 Probo iam ſecundam partem totius concluſionis, ſcilicèt, S. Ioſephum in gratia, & gloria Præcurſorem, & Apoſtolos ſuperaſſe: quod dictum velim eà ſolum coniecturà, atque reverentia, qua in re huiuſcemodi loqui par eſt. Probo primò de Præcurſore, quia iuxta D. Thomam Deus confert gratiam miniſterio, & dignitati accommodatam, (non enim ſunt dignitates Dei, ſicut dignitates hominum, quæ dantur indignis) ſed dignitas Præcurſoris, vt ſuprà probabimus, exceditur à dignitate Ioſephi: Ergo ab ipſo quoque excederetur in gratia. CONFIRMATUR ex Exim. Suarez ſic loquente diſp. 8. ſect. 2. „ Proba„ bile eſt Ioſephum perfectiorem gra„ tiam eſſe aſſequutum, quàm Ioannem „ Baptiſtam, quia excelentius munus „ habuiſſe videtur, & maiorem oppor„ tunitatem, pluresque occaſiones „ creſcendi in gratia, & charitate. Ergo, &c. IAM PROBO de Apoſtolis: quia coniecturæ, & rationes plus ſuadent, ampliorem gratiam datam fuiſſe Ioſepho, quam Apoſtolis. Pro Ioſepho enim ſtat primò, quòd Deus gratiam confert ad menſuram dignitatis, & miniſterij, & hoc maius fuit in Ioſepho. Secundò, quia S. Ioſeph fuit ad matrimonium aſſumptus, & in eo cum Maria multùm crevit in gratia, dicente Ruperto: *Vnus ſpiritus, vnaque fides erat in eis, & Spiritus Sanctus amborum coniuga-*

iugalis amor: quomodo ergo in tali contubernio, & altiſsima converſatione, & præſentia non excitaretur exemplis, & verbis? Non plurimis pulſaretur auxilijs? non actus repeteret ferventiſsimos? Tertiò Preces MARIÆ quotidie Sponſo ſuo gratiæ dona plura impetrabant; quid enim non traheret hæc devotio præſenti Sponſo ſuo cum tanta trahat peccatoribus abſentibus? ET VRGETUR exemplo Gorgoniæ, quæ iuxta Nazianzenum orat. 11. concupiebat, *vt maritus quoque perficeretur, vt ſic tota conſecraretur ac non dimidia tantum.* Quanto ergo plus MARIA de Ioſepho ſatageret? Quartò: Quia Scholam vitæ activæ, & contemplativæ, quæ maior fuit in toto Orbe incoluit perpetuus. Unde ſi Maria Magdalena optimam partem elegit, dum erat ad pedes Chriſti; Ioſephus adhuc in ſua vita activa ſemper erat in optimis. Quintò: Iuxta Chryſoſt. homil. 4. in Math. in illa occaſione vteri tumeſcentis, in qua potuiſſet perpeti ſcandalum, ſe geſsit fortitèr, prudentèr, & moderatè, Angeloquè revelanti paruit, non ſecùs ac David, & Abraham, vt ait Rupert. lib. 1. de Gloria, & honore filij hominis in Mathæum. IN APOSTOLIS verò primò propter rationem D. Thom. iam tactam, ſi gratia confertur proportionatè ad dignitatem; minor erit gratia in Apoſtolis, ſi veluti diximus minor eſt dignitas. Secundò: Ex Apoſtolis alius, vt Mathæus, de Thelonio aſſumebatur ad munus, alij autem, dum aſſumebantur, videntur eſſe adhuc rudes, & inculti in ipſa iuſtitia iuxtà illud Gregorij: *Carnales adhuc diſcipuli non valebant capere verba myſterij.* Vnde non tàm citò creſcerent ad gratiæ faſtigium, quàm Ioſephus; cum hic iuſtitiam ſuam, & innocentiam præhabitam in dies augeret, imò in momenta; illi verò priùs de anteacta vita haberent multa depellere. Tertiò: Non tàm erat MARIÆ ita ſe fundere in preces pro Apoſtolis, quàm pro ſuo Ioſepho. Quartò: Apoſtoli licèt de converſatione Magiſtri multa haurirent contemplando, & multa diſcerent agendo; nihilominus non ita iugis, & individuus comes erant atque Ioſephus, qui, & in vita activa Apoſtolos excedebat: ſi enim Apoſtoli circà oves agebant; Ioſephus agebat iuxta Paſtorem. Quintò: Demum Apoſtoli in eo ſacro comittatu, & convictu ſæpè ſcandalum paſsi ſunt: *Omnes ſcandalum patiemini in me in nocte iſta. O ſtulti, & tardi corde ad credendum, &c.* Ergo non videntur illam, quam Ioſephus, gratię menſuram ampliſsimam attigiſſe. Quòd ſi nec Apoſtoli, nec Præcurſor Ioſepho noſtro in gratia pares extitere, quem proinde reliquorum ſanctorum non ille exceſſerit cumulatè?

9 Obijcies primò D. Anſelm. in Math. 3. aientem: *Maius enim miniſterium non fuit, quàm Apoſtolatus.* Et inde quoque D. Thomas idem videtur hauſiſſe: Ergo miniſterium Ioſephi maius non fuit Apoſtolico: *Confirmatur* ex Paulo ad Rom. 8. aiente: *Nos autem primitias ſpiritus habentes.* Sed dignitas de qua loquimur, ſpiritualis eſt: ergo quaſi quædam ſpiritualis primitas in Apoſtolis reſidebat. Et ita nonnulli interpretantur de miniſterio, & officio. Reſpondeo ad argumentum, diſtinguo antecedens: *In ordine gratiæ non fuit maius miniſterium*, concedo antecedens: *In ordine hypoſtatico, vel Incarnationis*, nego antecedens, & diſtinguo conſequens, facta comparatione inter eundem ordinem gratiæ. Concedo conſequentiam, non fuit maius propter aliquam ſuperioritatem ordinis, nego conſequentiam. Quemadmodum enim Scholaſtici plurimi in offenſa læthali ſuperioritatem quandam ordinis recognoſcunt, ad quam nulla poſſint puræ creaturæ obſequia pertingere; ita miniſterium Ioſephi, quod ordinem hypoſtaticum vi-

videtur concernere, altioris ſemper ordinis eſt ad miniſteria gratiæ etiam ſublimia. *Replicabis* pro æquivocatione tollenda. Ioſeph ex dictis ſuperior eſt nedum dignitate, ſed gratiâ: ergo perperam diſtinximus, quando diximus maioritatem non habere intra ordinem gratiæ. Reſpondeo concedo antecedenti, nego conſequentiam. Alia enim eſt ſuperioritas in gradibus gratiæ, quam Ioſepho libenter deferimus; alia eſt ſuperioritas in miniſterio gratię ſanctificantis, & hanc negamus Ioſepho: quamquam enim hic habuerit maiorem gratiam quàm Apoſtoli; non tamen habuit maius miniſterium in ordine gratiæ ſanctificantis: itaque licèt ſit maior in gratia; non tamen eſt maior in adminiſtranda gratia. Unde ad Corinth. 12. *Poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, &c.* Ad confirmationem ſub eadem doctrina, diſtinguo conſequens: *Primitas intra ordinem gratiæ*, concedo conſequentiam, *primitas reſpectu illius hypoſtatici miniſterij*, nego conſequentiam. Et reſponſio conſtat ex ſuperioribus. Reſpondeo ſecundò cum Chryſoſtom. ſerm. 14. ad Rom. *Primitias* intelligi de vera Dei cognitione, & amore in omnibus fidelibus Chriſtianis: Imò Græci exponunt de ſpiritu rationali contrapoſito ad bruta.

10 Obiicies ſecundò: Miniſterium aliquod, & dignitas per ipſius functiones debet appendi, & taxari. Sed functiones Apoſtolorum nobiliores, & altiores ſunt quàm Ioſephi: Ergo maior Apoſtolorum eſt dignitas. Min. patet: Quia actiones Apoſtolorum Chriſtum pectoribus inſerebant, homines ab iniquitatibus mundabant, cœleſtibus imbuebant, & Spiritum Sanctum communicabant: quæ actiones cuiuſdam ſunt miſericordiæ ſpiritualis altiſsimæ, reſpectu actionum Ioſephi in corporalibus, ac temporalibus miniſtrantis. *Confirmatur.* Maior eſt dignitas, quæ maiorem habet ditionem, & plùs poteſt communicare gratiarum. Sed dicatio Apoſtolica eſt totus terrarum Orbis, & largitiones ipſius dona cœleſtia; Ioſephi autem miniſterium ad familiam pauperculam cingebatur: Ergo, &c. Reſpondeo diſtinguo maiorem: *Per functiones præcisè*, nego maiorem: *Per functiones, & perſonam, circa quam*, aliaſvè circunſtantias, concedo maiorem, & diſtinguo minorem; ſunt nobiliores, & altiores in ordine gratiæ ſanctificantis, & in ordine ad homines, concedo minorem: intra ordinem hypoſtaticum, nego minorem, & conſequentiam: maior enim dignitas (ideſt honor maiori æſtimatione dignus) haberi ſolet ſtipare Regem, ipſique in multis œconomicis miniſtrare; quàm prætorem eſſe, qui totius Civitatis negotijs invigilet. Ita ergo Ioſephus miniſterio ſuo concernit perſonas altiſsimas, vnam Divinam, alteram verò humanam, cum ipſiſque ingreditur (vt dici poſſe videtur) ordinem hypoſtaticum; hic enim ordo præter perſonas Chriſti, & Mariæ importat harum perſonarum vitam, greſſus, progreſſus, actiones, & finem, quarum quidem omnium ferè tota pars à Ioſepho pendebat, ita vt modo quo dici poteſt, poſsit *nutricius hypoſtaticus* appellari, qui nimirum Incarnati Verbi humanitùs gubernator exiſteret. Ad confirmationem diſtinguo maiorem: *Loquendo de dignitatibus temporalitèr conſideratis*, concedo maiorem: *Spiritualiter conſideratis*, ſubdiſtinguo: *intra dignitatem eiuſdem ordinis*, concedo maiorem: *Diverſi ordinis*, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Dignitas enim ſpiritualis maxima eſt, maximè Deo adhærere, quod plus Ioſephus, quàm Apoſtoli intra illam domum pauperculam obtinebat, propter rationes noſtræ concluſionis. Quod ſi adhuc velis maiorem eſſe in Ioſepho quaſi ditionem temporalem, poteſtatem, & communicationem gratiarum; id ita eſt eminentèr; etſi non formalitèr; qui enim tàm altiſsima immedia-

tione coniunctus totam ibi ſub manu ſua quaſi claudebat in IESU omnipotentiam, & in MARIA altiſsimam mediatricem; neſcio quid profectò non poſſet. Sed ad ſtabilitos ordines redeundo, non diffitemur, Apoſtolos intra ordinem gratiæ ſanctificantis altiùs fuiſſe dignitate elevatos. Ioſephum verò dignitatem quoque altiùs ſuperioris ordinis attigiſſe.

11 Obijcies tertiò: Contra ſecundam partem noſtræ concluſionis, illud Pauli ad Epheſ. 1. *Secundum divitias gratiæ eius, quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia, & prudentia.* Sed hæc ſuperabundantia gratiæ in Apoſtolis non videtur ſtare, ſi alius accepiſſet ampliorem: Ergo non habuit ampliorem gratiam Ioſephus quam Apoſtoli. Reſpondeo primò, diſtinguo maiorem: ſuperabundavit ideſt, *copioſe data eſt*, concedo maiorem: ſuperabundavit, ideſt, *omnem plenitudinem poſsibilem accepimus*, nego maiorem, & diſtinguo minorem: *in primo ſenſu*, nego; *in ſecundo*, concedo minorem, & nego conſequentiam: Quæ quidem interpretatio eſt Adami Sasbout. Hieronym. & Chryſoſt. apud Suarez, vbi ſuprà. Reſpondeo ſecundò, diſtinguo maiorem: in nobis, ideſt, *in omni Eccleſia de gentibus congregata*, concedo maiorem: in nobis, ideſt, *ſolis Apoſtolis*, nego maiorem: neque enim eſt, cur Ioſephus non ſit de Eccleſia Chriſti cum ſit de eius familia. Et in ſecundo ſenſu conceſſa minori, nego conſequentiam: Quæ quidem interpretatio eſt Hieron. Chryſoſt. Theoph. atque Theodoreti ibidem. Reſpondeo tertiò, diſtinguo maiorem: ſecundum divitias *gratiæ gratum facientis*, nego maiorem; divitias *gratiæ gratis datæ*, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: *gratiam gratis datam*, permitto minorem: *gratiam gratum facientem*, nego minorem, & conſequentiam: quam interpretationem firmare videntur verba illa poſt ſubſequuta *in omni ſapientia, & prudentia*, quæ ſunt gratis datæ, eamque firmare videtur Anſelmus.

12 Obijcies quartò D. Thomam in Epiſt. Pauli, qui ad Epheſ. primò, ſic loquitur: *Ex quo apparet temeritas illorum (vt non dicam error) qui aliquos Sanctos præſumunt comparare Apoſtolis in gratia, & gloria: manifeſtè enim patet ex verbis iſtis, quod Apoſtoli habent gratiam maiorem, quàm aliqui alij Sancti poſt Chriſtum, & V. Matrem.* Ergo Apoſtoli maiorem gratiam habuerunt, quàm S. Ioſephus. Reſpondeo primò: Ex nuper dictis ad tertiam obiectionem: Nam D. Thom. ex verbis Apoſtoli ad Epheſ. ſuprà relatis, ſcilicèt *ſecundum divitias gratiæ eius, quæ ſuperabundavit in nobis, &c.* Statim ſubinfert illa verba *ex quo apparet, &c.* Quare ſi velimus ſtare cùm alijs interpretationibus Adami Sasbout. Hieronym. Chryſoſt. Theophil. & Theodoret. ſatis auctoritatis habebimus, quàm D. Angelico reponamus: præſertim cùm in Theologia expoſitiva plus illis, quàm huic deferri poſſe videatur. Reſpondeo ſecundò: Verba D. Thom. etiam de Apoſtolis intellecta, non eſſe ſumenda prorsùs vniverſaliter: tùm quia ipſe D. Thom. in cap. 3. Mathæi ait Apoſtolos in gratia, & meritis non excedere Ioannem Baptiſtam, & idem tradunt Anſelm. in Math. Aug. ſerm. 21. de Sanctis, & Ambroſ. ſerm. 64. Tum quia ipſi Apoſtoli apud S. Clementem Rom. lib. 8. conſtitutionum Apoſt. cap. 46. aliàs cap. 52. inquiunt *Stephanus non minus, quàm nos Deum dilexit*: vnde videtur Stephanus ab ipſis erga Deum gratia coœquari: *Quod ſi aliqua admittitur exceptio* (inquit Suarez) *non eſt cur temerarium, aut improbabile cenſeatur, S. Ioſephum excipere, eumque Apoſtolis comparari, vel etiam præferri.* Unde intelligendus eſt Sanct. Thom. ita vt cenſeat, Apoſtolos, vt fontes gratiæ, excedere omnes Sanctos poſt-

poſtmodùm ſequuturos; SED REPLICABIS. Ipſe D. Thomas illos anteponit Moyſi quæſt. 12. de Veritate, art. 14. ad 5. & Abraham, Iſaac, & Iacob, ad Rom. 11. lect. 3. Ergo anteponit illos tum Sanctis novi Teſtamenti, tùm veteris. Reſpondeo diſtinguo antecedens: *Alitèr, & alitèr*, concedo antecedens; *eodem modo*, nego antecedens. Itaque Apoſtoli excedunt Patriarchas exceſſu ordinis, quia ipſi pertinent ad legem gratiæ; non verò ad figuram ipſius, vt Patriarchæ. Reſpectu autem Sanctorum legis gratiæ exceſſus non eſt in ordine, ſed in plenitudine, & intenſione; quo non tollitur, quo minùs Apoſtoli in hac intenſione excedantur ab aliquibus anterioribus, v. gr. Ioanne Baptiſta vt ſentiunt SS. PP. & S. Ioſepho, vt nos ſentimus, eo quidem modo quo in re tàm ſecreta opinari licitum eſt: præſertim cum hi ſint quaſi mediatores vtriuſque Teſtamenti, & ad primum mediatorem Chriſtum ita propinquent. Quod ſi etiam Stephanum velis Apoſtolis coœquare, vt ijdem ipſi inſinuare videntur, non inficiabor: Ipſe enim luculentam functionem Apoſtolicam egit apud Iudæos; quam (Apoſtolico more) ſuo fecit ſanguine rubricatam.

13 Obijcies quintò: Illa verba Math. 11. verſ. 11. *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta.* Ex quibus verbis arguitur ſic. Hæc maioritas Baptiſtæ reſpectu omnium, qui de muliere nati ſunt, eſt maioritas in dignitate, & gratia: Ergo ruit ex vtraque parte concluſio. Probatur antecedens quoad primam partem 1. ex PP. ex Ambroſ. ſerm. 64. *Præcedit cunctis, eminet vniverſis; antecedit Prophetas; ſupergreditur Patriarchas: & quiſquam de muliere inferior eſt Ioanne.* Ex Nazianz. appellatur *Elias novus, veteris, novique Teſtamenti mediator, & ſponſi amicus*; ſic habet in Orat. Funebri in Athanaſium. Ex Aug. in Pſalm. 29. *Si quæris excellentiam hominis; Ioannes Bapt. iſta eſt; quiſquis Ioanne plùs eſt, non ſolum homo, ſed Deus eſt.* Ex Chryſoſt. in Mathæum homil. 38. *Non peperit mulier Ioanne vnquam maiorem.* Probo eandem partem à ratione. Maior eſt illa dignitas, quæ portentis maioribus prænuntiatur, quæ functionibus altiſsimis decoratur, & excelſis gloriæ nominibus inſignitur. Sed ita ſe habet dignitas Ioannis: tum quia oraculo fuit promiſſus Angelico; ſanctificatus in vtero, in deſerto cum Angelis converſatus: tum quia Dominum ſuum baptizavit; & agnum Dei hominibus revelavit: tum quia paſsim Elias, paſsim Angelus appellatur: ergo maior eſt eius dignitas, quam Ioſephi.

14 Probatur ſecunda pars 1. Ex PP. Ex Cyrillo lib. 2. Theſauri, cap. 4. *Præcurſor virtutis ſublimitate ad eos pervenit terminos, quò natura humana pervenire poteſt.* Ex imperfectò in Math. homil. 27. *Puto, quòd omnes SS. quantum ad ſubtilitatem divini iudicij invicem inferiores aut ſunt ſibi, aut priores: ex quo intelligimus, quoniam qui maiorem non ſe habet, omnibus maior eſt, Ioannes Baptiſta.* Ex Honorio, ſerm. de Nativitate Ioannis Baptiſtæ. *Omnibus SANCTIS maior affirmatur, ſolis Angelis comparatur.* Demùm ex Chryſolog. ſerm. 127. „ Appellatur Schola virtu-„ tum, Magiſter vitæ, ſanctitatis for-„ ma, norma iuſtitiæ, virginitatis ſpe-„ culum, pudicitiæ titulus, caſtitatis „ exemplum, Patrum via, peccatorum „ venia, fidei diſciplina, rurſus dicitur „ maior homine, par Angelis, legis „ ſumma, Evangelij ſonus, Apoſtolo-„ rum vox, ſilentium Prophetarum, lu-„ cerna mundi, Præcurſor Iudicij, „ Chriſti metator, Domini teſtis, totius „ medius Trinitatis. Quis plura? Sed hæc omnia cuiuslibet exceſſum in gratia videntur reſpuere: Ergo nullus remanet in Ioſepho. Probo iam eandem partem ratiocinio. Maioritas in gratia

de indicijs, & actionibus revelatis eſt colligenda, ſed quæ revelata ſunt de Ioanne longè ſuperant, quæ de Ioſepho: ergo amplior gratia primo concedenda eſt, quàm ſecundo. Prob. min. De Sancto Ioſepho tantum conſtat, Sponſum fuiſſe B. Virginis reverentialem, & Chriſti Patrem putativum, & nutricium verum. De Ioanne vero quod in ventre matris fuerit ſanctificatus Deo, Angelus appellatus, Prophetis, & hominibus antepoſitus, baptizans ipſum Ieſum, totiùs gratiæ plenitudine ſingularis, vitæ meritis in deſerto pingueſcens; ſed hæc procul dubio videntur præſtare prioribus. Ergo, &c.

15 Ad hoc argumentum capitaliſsimum, & difficilimum prius quam reſpondeam obſervanda ſunt duo: deindeque in ipſo reſponſionis diſcurſu plurima diſpicienda, diſcernendaque ſunt. Primò igitur obſervandum eſt, talem exceſſum dignitatis, & gratiæ reſpectu quorumlibet in Baptiſta, prout argumentum contendit, eſſe quidem probabiliſsimum, tum propter crebras ſcripturarum laudes, tum propter Patrum plurima teſtimonia; tum propter huius rei opinionem vetuſtam; tum propter rationem non contemnendam: propterea verò non fit argumentum, quod vocant Dialectici *neceſſarium*; ſed dumtaxat *probabile*: Quia propter obſervandum eſt ſecundò pronunciatum Eruditiſsimi Salmeronis tom. 4. tract. 3. ſic proferentis. „ Nec tertiò colligitur, Ioan„ nem Maiorem, vel meliorem Apo„ ſtolis; nam ſi ſermo ſit de interiori „ bonitate, quæ ex perfectione cari„ tatis accipitur, ſecundum quam ho„ mo maiori, vel minori gaudio glo„ riæ in vita æterna præditus eſt; ne„ mo novit, quis ſit maior, aut quis mi„ nor: & ſolus Deus qui ponderator „ eſt ſpirituum, & novit quantam ſpi„ ritus, & gratiæ portionem, cuique „ diſpenſaverit, iudicare poteſt. Si „ autem ſpectetur excellentia quoad „ ſtatum, vel quoad aliquem actum „ virtutis poſſumus rationem inæqua„ litatis aſsignare. Et proſequitur recenſendo in quibus ſeſe, Ioannes, & Apoſtoli excedant, & excedantur. Ubi tranſeunter notandum eſt, exceſſum in gratijs gratis datis non negari; ſed ſolum in gratia gratum faciente. His poſitis.

16 Reſpondeo primò cum Salmeron, & Maldonato. Nego antecedens. Et ad probationem vtriuſque partis interpretatione SS. PP. fundatam, Reſp. cum relatis interpretibus, quibus cum Toleto, & Janſenio adhæret D. Siurius, illa verba Mathæi ſolum eſſe accipienda de comparatione inter Prophetas. Ita Salmer. tom. 4. tract. 3. vbi inquit: *Alius autem ſenſus eſt huius loci: nam computatio ad Propheticam, & Præcurſoriam dignitatem ſpectat; & non cum omnibus hominibus, ſed ſolum cum Prophetis componitur; & iſte videtur ſenſus magis germanus, & verus.* Similiter Maldon. id videtur innuere in Ioannem 1. dum dicit: *Maior alijs, quia miſſus erat à Deo ad præclariſsimum officium filium Dei demonſtrandi, & in mundum quodammodo introducendi.* Qui quidem ſenſus profectò fundatiſsimus eſt: dicitur enim, Lucæ 7. *Dico enim vobis, maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt.* Ubi maioritas ad Prophetiam refertur, ita vt ſit ſenſus, nullum Prophetam eo fuiſſe maiorem, imò ipſum fuiſſe pluſquam Prophetam, qui attigit rem ipſam, quam prophetizabat. Et ita colligitur, quia ly *Propheta*, apud Lucam non eſt in ablativo, ſed in nominativo, vt conſtat ex voce græca *Prophetes*. Undè Ioannes reliquos Prophetas exceſsit: quia reliqui Prophetarunt; iſte verò Prophetavit, & vidit. Ex qua Doctrina ſolidiſsimè præiacta deſcendo ad generalem inter-

pre-

pretationem omnium SS. PP. quos ſuprà nobis obiecimus ; & dicendum, quòd non ſunt in tam ſtricta, & rigoroſa comparatione loquuti ; ſed alij concionatorum inſtar prærrogativas Ioannis efferebant , & amplificabant; Alij de gratijs gratis datis loquebantur; Alij verò pro devotione in Baptiſtam, illam maioritatem omninò materialitèr, & ad litteram , vel potiùs ſonum litteræ accipiebant. Eſt enim reverentia ſolita ſemper primorum PP. & interpretum, dum nulla aliter interpretandi facultas inſurgit , ſtare omninò litteræ, & ſono verborum: quod eò incundius fiebat ab ipſis , quò tot videbant argumenta ſuppetere pro Præcurſore ſupra omnes dignificando. Undè ſicut ex PP. contrarię ſententiæ probabilitas conciliatur ; ita iam ſubortà controverſià , probabilitas nobis adeſt ex viris ſcrutatoribus diligentiſſimis ſcripturarum. Et certè illa verba Chriſti , quæ poſtmodùm ſubſequuntur : *Qui autem minor eſt in Regno Cœlorum maior eſt illo* , denotant *maioritatem* verborum præcedentium , non eſſe abſolutiſsimè ſuſcipiendam. In quibus omnibus ſolutio duplex manet exhibita toti argumento. Altera videlicèt concedendo illos PP. eiuſmodi interpretationem fuiſſe ſequutos , probabiliter quidem , ſed non propterea nobis neceſſariò ſequendos , dum ſenſum producamus fundarum, & verè germanum. Altera eſt quomodolibet explicare illos PP. vt generalitèr loquendo iam diximus ; & nunc in ſpeciali exhibeo reſponſionem ad omnes.

17 Ad PP. ergo pro prima parte citatos. In primis Reſp. D. Ambroſ. ibi non feciſſe interpretationem , & ſcrutinium illius comparationis pluſquam verba ſonant ; ſed in concione ſua teſtimonium Salvatoris in gratiam Baptiſtæ prout ſonabat accepit. Ad Nazianz. ibidem , dico , laudes Baptiſtæ , & illud Domini teſtimonium exhibuiſſe non rigore interpretis , & diſputantis , ſed licentià oratoris. Ad Aug. dico , ipſum fuiſſe abſolutè loquutum in primis verbis ; & in ſecundis alludit ad Divinitatem Chriſti , qui maior eſt Ioanne iuxta illud , *qui poſt me venit ante me factus eſt* : Item vult dicere , quod qui Ioannem ſuperat, ad ordinem Deificum eſt relegandus , & nos diximus iam S. Ioſephum ad ordinem hypoſtaticum pertinere. Ad Chryſoſt. reſponderi poterit per ly *non peperit ſanctum* intellexiſſe neminem in ipſa Nativitate Ioanne eſſe maiorem, cum ille iam ſanctificatus ex vtero naſceretur. Et ita forſan poſſent illa verba interpretationem ſuſcipere , *non ſurrexit maior* , *&c.* (*id eſt*) *Ioannes naſcendo* , *maior cunctis hominibus naſcebatur.* Ad PP. vero pro ſecunda parte citatos reſpondeo. In primis ad Cyrill. dico , quòd Ioannes verè vtique pervenit ad terminos quò eius natura humana , vel naturæ humanę vires poterant pervenire ; dignitas vero Ioſephi qua parte concernebat ordinem hypoſtaticum , altiùs ſupra omnem naturam efferebatur , & pro menſura huius dignitatis fuit gratiæ exceſſus. Itaque Cyrill. vt patet ex contextu , planè loquitur de arduitate vię, ad quam vires humanæ poſſunt venire adiutæ gratia auxiliante : Nam poſteà ly , *qui minor eſt in Regno Cœlorum maior eſt illo*: intelligit de quolibet regenerato per Baptiſmum. Ad Authorem imperfecti dico , non facere comparationem ſpecificam ; ſed generalem , in qua non venit intelligendus Ioſephus privilegiatiſsimus. Nec facit comparationem totius ad totum , vndè concedit excedentes adinvicem, & exceſſos. Et tandem , dum dicit *maiorem non ſe habet*, vult dicere , *qui ſe maiorem non iudicat.* Ad Honorium , & Chryſol. dico , eos non tàm mentes ſuas diſputationis more apperire , quàm de recepta opinione pulchras amplificationes contexere,

quæ

quæ rigori noſtro diſcurrendi non poſſunt officere. Et hæc erit SS. PP. ſecunda reſponſio, licèt ſæpè vellimus lectorem commonefacere de noſtra reverenti formidine in opinando.

18 Tertiò, ſi placet, illa verba: *Non ſurrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptiſta; qui autem minor eſt in Regno Cœlorum maior eſt illo*; ſic per paraphraſim explicarem: quaſi Chriſtus diceret ad Iudæos: „ Quis inter om„nes natos de mulieribus maior Ioan„ne apud vos? Scitote autem, quod „ Regnum Cœlorum eſt altius, ita vt „ minor huius regni maior ſit Ioanne. Et huc facit Cyrill. ſupra explicatus: Incipiebat enim Chriſtus exaltare legem gratiæ, & imminuere legem Iudæorum. Undè aſſumit quaſi primum Iudæorum Propheram, & pluſquam Prophetam, & hominem tum temporis apud ipſos celebratiſsimum, & ſupra hunc aſſerit, eſſe quemlibet de regno gratiæ, ſcilicèt propter ſuperioritatem ordinis; veluti propter hunc muſca excedit ſolem, & Angelus minimus hominem maximum. Ad quorum verborum finem obſerva illa verba: *Qui minor eſt in Regno Cœlorum maior eſt illo*, intelligi etiam ſolere de Chriſto, qui minor propter humilitatem eſt habitus: Et quidem ad litteram vt tradit Salm. loc.cit. Quod ſi præter hactenus dicta ly, *inter natos mulierum*, ſolum de tunc viventibus intellexeris, fortaſſe accommodari poterit authoritati, & rationi, & favet ille Hiſpaniſmus, *entre los nacidos de las mugeres*, qui ſolùm de actu viventibus loquitur.

19 Reſpondeo iam ad rationes, quæ pro vtraque parte militabant: Quas ambas vno tenore doctrinæ iudico eſſe diſſolvendas, ſcilicèt, maioritatem dignitatis deſumptam ex portentis, functionibus, & glorioſis titulis intelligendam eſſe intra eundem ordinem; non verò, cum ſit diverſæ claſis, & ordinis elevatio, vt accidit in D. Ioſepho, qui ad ordinem hypoſtaticum quodammodo pertinebat. Cuius ratio à priori, & ſemper retinenda repetendaque, ea eſt. Quia verificabatur, quòd plures actiones hypoſtaticæ erant Ioſephi; cum enim Ioſephus in pluribus actionibus externis regeret Chriſtum, & actiones, quæ fiunt ab exequente quodam modo propriæ ſint imperantis; inde eſt quòd plures actiones hypoſtaticæ erant Ioſephi. Ecce punctum, & apicem dignitatis, ad quem nemo vnquam pervenit. Ex quo patet ad primam. Ad ſecundam verò rationem militantem pro ampliori gratia Baptiſtæ reſp. neg. min. & eius probationem propter ſuperiorem doctrinam. Plus enim revelatur de Ioſepho, dicendo: *Eſſe Sponſum B. Virginis, & Patrem Chriſti putativum, & nutricium verum*; quàm reliqua quæ ibi pro Baptiſta commemorantur: quæ quidem omnia multa privilegia, & gratias gratis datas includunt; non tamen fundant ius ad tantum gratiæ ſanctificantis, quantum illa propinquitas, qua Ioſephus ordine hypoſtatico ſe immiſcet, & quaſi Deificatur.

20 Obijcies ſexta: Eccleſia Mater non ita colit Ioſephum, imò ritu minus ſolemni, quàm alios Sanctos. Sed ſi haberet maiorem gratiam, & gloriam quàm omnes, plus quàm omnes coli deberet ad proportionem: ergo non habet. Reſp. neg. min. Eccleſia enim non inſtituit ſolemnitates iuxta gradus gratiæ, & gloriæ, quibus ſancti gaudent, atque fruuntur, alioqui diceremus, S. Ioſephum minori gratia, & gloria gaudere S. Laurentio, cui maiorem ritum confert Eccleſia; itaque pro variandis gradibus ſolemnitatum Sanctorum multæ poſſunt rationes adeſſe; v. g. ſingularis devotio Populi, vel Pontificis concedentis; ſingularis vtilitas totiùs Eccleſiæ, maior ædificatio, aut notitia; maius exemplum, & propinquitas, vt accidit in

ſan-

ſanctis novi Teſtamenti, & alia id genus.

21 Obijcies ſeptimò: Timoratorum omnium eſt nullum ſanctum cum Apoſtolis comparare: ergo nullus illos excedit. Reſpondeo primò, nego antecedens de D. Ioſepho; imò timorati plures ſolent de hoc ſancto inveriſimiles propoſitiones iactare: quare, & cautum eſt, ne devotio alicubi exorbitet. Reſpondeo ſecundò, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Et ratio eſt: quia timorati illi ducuntur opinione contraria, & verbis D. Thomę, & Patrum ſuprà explicatis: „ Aliunde „ verò (dico cum Suario) coniecturæ „ pro nobis piæ ſunt, & non parùm „ vrgentes: quapropter in hac pia „ exiſtimatione nullum eſt periculum, „ nulla temeritas; nihilominus tamen „ cordati, ac prudentis hominis eſſe „ exiſtimo, nil temere, aut nimiùm aſ„ ſeverantèr affirmare: quia revera „ vbi deeſt Scripturæ auctoritas, aut „ Eccleſiæ traditio, nulla poteſt eſſe „ ſufficiens certitudo, in re præſertim „ ex Divina electione, ac prædeſtina„ tione pendente, cuius conſilia in„ ſcrutabilia ſunt, & abditiſsima my„ ſteria.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

IOSEPH AUTEM VIR EIUS CUM ESSET IUSTUS, & nollet eàm traducere. Math. 1. verſ. 20.

ARTICULUS

AN D. IOSEPHUS DE SUA VXORE PRÆGNANTE aliquid mali ſuſpicatus fuerit?

NOTABILIA.

1 ARDUAM quæſtionem attingimus, & in qua diu, multùmque diſceptatum eſt; in qua quidem, cum articulus diſputatus clarus ſit, ſtatim deflectit calamus ad ſententias. Quarum prima quidem communior, & quæ de Sanctis Patribus plures habet Patronos, aſſerit: Sanctum Ioſephum in ſuſpicionem contra caſtitatem B. Virg. incidiſſe, dum eam vidit vtero tumeſcentem, propterèaque, eam voluiſſe ſine diffamatione occultè dimittere. Ita Iuſtin. Mart. in Dialog. cum Triphon. Aug. tom. 2. Epiſt. 54. ad Macedonium, & tom. 10. ſerm. 14. de Nativ.

Do-

Domini, & ſerm. 16. de Verbis Domini, Chryſoſt. hom. 4. in Math. & Author operis imperfecti ſuper eundem. Euthim. Hilarius Can. 1. in Math. & alij multi. Secunda ſententia aſſerit; Sanctum Ioſephum nihil fuiſſe de SS. Virg. ſuſpicatum. Ita videtur ſentire D. Hieronym. in Math. tom. 2. in principio, & Haymon in homil. huius Evang. in Vigilijs Nativit. Domini in parte Hyemali ſub initium: qui quamvis Ioſephum myſterij ignarum arbitrarentur; eum tamen iudicant tunc potiùs admirabundum, & attonitum, quàm ſuſpicantem. Cum quibus ire videtur Illuſtriſ. Siuri citans alios. Tertia ſententia aſſerit: S. Ioſephum nihil mali fuiſſe ſuſpicatum; quia myſterium ipſum non ignorabat, ſed modeſtia, & humilitate pleniſsimum voluiſſe fuga, quadam à tanto ſplendore ſecedere. Hanc ſententiam tenent ex PP. Orig. homil. in Math. 1. ante Medium, tom. 2. Baſil. homil. 25. tom. 1. Theophilact. qui in hanc ſententiam magis inclinat, licèt primam retulerit. S. Bern. hom. 2. ſuper *miſſus eſt*. B. Remig. in Math. in catena aurea B. Thomæ. Ricardo de Santo Victor. Gerſon. Ioannes Ekius ſerm. de Nativit. Virg. Ambroſ. Chathar. & Salmeron, qui eam copioſiſsimè illuſtrat, promovet, ac defendit, tom. 3. in Evang. tract. 30. & Vega palæſtr. 9. cert. 6.

2 Sit noſtra concluſio, cum tertia ſententia, cum qua aſſerimus, B. Ioſephum nihil mali de Virgine fuiſſe ſuſpicatum; ſed profunda humilitate, & rei myſterioſo ſtrepitu commotum cogitaſſe de occultè Virgine deſerenda. Quam concluſionem probo primò auctoritate PP. ex Origene. *Iuſtus erat Ioſeph, & illa Virgo immaculata erat; ſed ideò eam dimittere volebat; quoniam virtutem myſterij, & Sacramentum quoddam magnificum in eadem cognoſcebat, cui approximare ſe indignum exiſtimabat. Ergo humilians ſe ante tantam, & tàm ineffabilem rem, quærebas ſe longè facere.* Ex Baſilio: *Inventa eſt gravida de ſpiritu: ambo invenit Ioſeph, & Conceptionem, & cauſam, quòd de Spiritu Sancto: Quapropter timens eiuſmodi mulieris vir nominari; clanculùm ipſam dimittere voluit, non auſus publicare, quomodò res ipſius haberent.* Ex Theophilacto: *Deinde, quia, & ipſe cognovit, de Spiritu Sancto eam concepiſſe; propterea noluit traducere, & affligere eam, quæ à Spiritu Sancto, & non ex adulterio conceperat.* Ex Bernard. *Quare voluit dimittere eam? accipe, & in hoc non meam, ſed PP. ſententiam; propter hoc Ioſeph voluit dimittere eam, propter quòd, & Petrus Dominum à ſe repellebat dicens: Exi à me Domine: quia homo peccator ſum: propterquòd, & Centurio à domo ſua eum prohibebat; cum diceret Domine non ſum dignus, vt intres ſubtectum meum. Ita ergo, & Ioſeph, indignum, & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, à tali, & tanta non debere ſibi vltrà familiare præſtari contuberniun, cuius ſuprà ſe mirabilem expaveſcebat dignitatem.* Ex Remigio: *Videbat enim gravidam, quam noverat caſtam: & quia legerat egredietur virga de radice Ieſſe, vnde novit Mariam duxiſſe Originem, & legerat aliam, ecce Virgo concipiet; non diffidebat hanc prophetiam in ea eſſe implendam.* Ex Imperfectò. Homil. 1. *Magis credebat caſtitati eius, quam vtero eius, & plus gratiæ, quam naturæ. Conceptionem manifeſtè videbat, & fornicationem ſuſpicari non poterat: poſsibilius eſſe credebat mulierem ſine viro poſſe concipere, quàm Mariam poſſe peccare.* Ex Revelatione Sanctæ Birgittæ lib. 7. cap. 25. *Sed poſtquàm conſenſi nuntio Dei; Ioſeph videns vterum meam virtute Spiritus Sancti intumeſcere, expavit vehementer, non ſuſcipatus contra me aliquid ſiniſtrum, ſed reputabat ſe indignum talì ſervire Matri.* Ex quibus ſic argumentor. Horum PP. & Teſtimoniorum auctoritas eſt plurima, & maxima nec non expreſſa, & vetus. Ergo ſententia no-

noſtra ſatis ab auctoritate fulcitur.

3 Probo iam concluſionem à ratione primò. S. Ioſephus videns ſuam vxorem prægnantem ſine ſui concubitu, myſterium ibi magnum adeſſe cognovit, ſivè omninò clarè, ſivè in confuſo: Ergo nihil mali fuit de caſtitate Virginis ſuſpicatus. Conſequentia tenet. Iniquitas enim quamvis ſit ſæpè occulta, non eſt myſterium. Probo antecedens multipliciter. Primò: Nam tractus ipſius textus in indiviſa coniunctione verborum, ſcilicèt: *Inventa eſt habens de Spiritu Sancto*, & cum recepta interpretatione Baſilij, & Theophilacti oſtendit, S. Ioſephum Conceptionem de Spiritu Sancto agnoviſſe. Sed ſuffragante tenore textus, & tantorum interpretatione DD. gloria hæc non eſt deneganda Ioſepho: Ergo cognovit ille myſterium. Probo antecedens ſecundò: Ioſephus teſtis fuit mirabilium, & Canticorum, quæ acciderunt in domo Eliſabeth, quando eam viſitavit Maria: ſed ibi myſterium vel clarè, vel confusè vndique reſonabat: ergo S. Ioſeph cognovit myſterium. Probo maiorem. Nam S. Ioſeph fuit Mariam in hoc itinere committatus; tum ex AA. apud Vegam: Tùm quia ad has peregrinationes, & cuſtodiam talis ſponſus fuit electus: tùm quia ſic fuiſſe legitur in itineribus in Bethlehem, & Ægyptùm: Tùm ne Maria per tres Menſes apud Eliſabeth commorata, damnum ſui pudoris feciſſe crederetur, dum viſa eſt poſteà vtero tumeſcente; ergo, &c. Tertiò: Quia Iudæi, & cum ipſis S. Ioſephus, vt filius David carne, & ſpiritu vaticinia non ignorabat de Virgine Maria paritura: ſed plurima concurrebant, vt eam eſſe Mariam agnoſceret, quam videbat ſine viri commiſtione prægnantem: ergo, &c. Probo minorem ſciebat, Mariam voto virginitatis eſſe obſtrictam, nec ſceleris veſtigium minimum odorabatur: Sciebat Nativitatem huius Virginis refulſiſſe portentis: Unde ait Hieron. *Liberè confiteor, Sacroſanctæ Mariæ initia magna miracula præceſiſſe, maxima conſequuta fuiſſe.* Sciebat admirandam ſui præſentationem in Templo, vbi cum triennis eſſet fuit oblata: ſciebat converſationem in Templo fuiſſe mirificam, & elevatiſſimo genere decoratam: ſciebat deſponſationem ipſius fuiſſe Sacerdotibus myſterioſam, virga floreſcente indicatam (de quo ait Salm. *Et meritò quidem, qui hæc non credunt non cogitant illam Dei Matrem.*) Sciebat denique, & quotidie intuebatur contemplationem altiſſimam; modeſtiam ſingularem, candorem animi puriſſimum, obedientiam, & humilitatem profundam, inceſſum graviſſimum; ac denique toto vultu ipſiſſimam, cernebat caſtitatem, huiuſque fragrantiam odorabatur: Ergo plurima concurrebant, vt eam eſſe Mariam agnoſceret, quam videbat ſine viri commiſtione prægnantem. Quartò: Quia Maria tale ſecretum communicaret Ioſepho ad vitandam Zelotypiam, ſicut communicavit Eliſabeth: ergo, &c.

4 Probatur ſecundò à ratione concluſio, evertendo ſententiam contrariam. Sententia contraria aſſerens Ioſephum fuiſſe de adulterio Virginis ſuſpicatum, multa texit incongrua: ergo ſubſtineri non poteſt. Probo antecedens. Primò: Incongrua eſſet illa ratio textus *cum eſſet iuſtus*; quæ enim iuſtitia eſt, crimine incomperto dimittere, & impunem abire permittere? Secundò: Nam vel dimittebat cum libelo repudij, vel ſine illo? Sine illo; erat contra legem. Si cum illo, apponendo cauſam, erat traducere. Si ſine cauſa, erat ſemetipſum exponere, quaſi adoleſcentulæ malitiosè illuſiſſet, poſtquàm corruperat. Tertiò: Non congruit illa ratio DD. *ne lapidaretur à Iudæis*: poterat enim, vel recurrere ad Sacerdotem pro ſacrificio Zelotypiæ;

vel dare libellum repudij: Nam probare flagitium, ita vt legem lapidationis incurreret non erat possibile: præsertim si velet Maria ostendere sui Virginitatem. Quartò: Non congruit quòd *quia iustus* eam deserere voluisset, cum nulla lex habitationem cum adultera prohiberet animo eam corrigendi, & lucrandi; neque lex, Levit. 20. & Deut. 22. cogebat virum, ad separandum se ab vxore impudica. Quintò: Non congruunt verba *noli timere*: debuisset enim textus dicere *noli suspicari*: & Iosephum Angelus reprehendere; vt Christus fecit cum Thomà incredulo, & cum discipulis euntibus Emaùs: ergo, &c.

5 Probatur tertiò probatione quadam capitali, & reflexa sic. Pro excellentia, & omni immunitate Iosephi standum est, quoties id patitur Sacer textus; quoties id fert auctoritas PP. & DD. quoties ratio militat pro Iosepho: quoties sententia adversariorum non constat, & quoties inconveniens vllum non sequitur. Sed Iosephum mysterij cognitorem, nihil mali suspicatum fuisse, patitur Sacer textus, cum ingenti PP. auctoritate, vt constat ex probatione primà, quod ratio militet pro hac sententia constat ex probatione secunda, & quòd sibi constare non videatur sententia contraria, constat ex probatione tertia, quæ est secunda à ratione: ergo standum est pro immunitate Iosephi ab omni suspicione, in quo consulitur Matri, Proli, & Marito.

6 Obijcies primò: Sententia asserens Iosephum tactum suspicione adulterij est vetustissima PP. receptissima in Ecclesia, & quam ipse textus videtur vndique conclamare: ergo tenenda est. Respondeo, distinguo antecedens, cum multis veteribus PP. pro contraria; & antiqua disputatione inter ipsos, sanaque textus intelligentia, concedo antecedens, sine his omnibus, nego antecedens, & consequentiam. Quamquam enim textus olim à SS. PP. nedum ad litteram acciperetur, sed etiam iuxta eum sensum, quem verba præseferre videbantur, humanitùs intellecta; & inde facile vulgus omne receperit, quòd ipsum Iosephus de B. Virgine oppinaretur; nihilominus plurimi PP. & DD. quos pro nostra sententia citavimus, scrutati omnes omninò circunstantias tanti mysterij, ita textum intellexerunt, vt Iosephum mysterij conscium sentirent, & mali quidquam minimè suspicantem: vt constitit suprà.

7 Obijcies secundò: Illa verba textus: *Cum esset iustus, & nollet eam traducere.* Ex quibus sic arguitur *traducere* iuxta rigorem Græcum, & SS. PP. hanc vocem germaniùs exponentes, Augustinum, videlicèt, Chrysostom. Hylar. & Theophilact. significat *diffamare*: sed Sanctus Iosephus propter suam sanctitatem; eatenùs potuerat excusare, & parcere diffamationi, quatenus suspicionem criminis suscepisset: ergo adulterium in Maria suspicatus est. Respondeo, distinguo maiorem de crimine verè commisso, nego maiorem, *diffamare*, id est *quasi vulgi fabulam facere, & vulgi sermonibus exponere*, concedo maiorem, & distinguo minorem; si primò modo intelligitur *traducere*, concedo minorem; si secundo modo, nego minorem, & consequentiam. *Traducere* enim in propria Elegantia Latini sermonis secundam significationem importat, vnde dicere, quod S. Iosephus Virginem, nollebat traducere, est dicere, quod eam vulgi Ludubrio, & risui nollebat exponere, quod reipsa faceret, si tantum mysterium iactaret in vulgus, & eam de Spiritu Sancto concepisse pronuntiaret; quam expositionem amplectitur S. Basilius: *De Humana Christi generatione.* S. Athanasius: *De Vnica Deitate Trinitatis.* Leontius in Mathæum,

qui

qui hæc habet verba: *Vir propter desponsationem iustus, quia legem à Moyse datam observare videbatur, sciverat occulta in arcanis habere; voluit occultè dimittere propterea, quòd noluit eam palam LUDIBRIO EXPONERE postquam cognovit eam de Spiritu Sancto concepisse.* Item S. Bernard. *Sed quare occultè, & non palam? ne videlicet divortij causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir iustus responderet Populo duræ cervicis, Populo non credenti, & contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobaverat; nonne mox increduli, & crudeles Iudæi subsannarent illum, lapidarent illam? Meritò ergo vir Iosephus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam; voluit occultè dimittere eam.* Ex quibus omnibus manifestum est, Iosephum, si mysterium prodidisset, sese, & sponsam suam apud Populum traducturum: Unde verificatur, quod *cum iustus esset, noluit eam traducere.*

8 Objicies tertiò: Illa verba textus; *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Ex quibus verbis sic conficitur argumentum. Si Sanctus Iosephus agnovisset de Spiritu Sancto concepisse Virginem, & propterea timeret, eam accipere; Angelus ad sedandum timorem non redderet rationem, *quòd de Spiritu Sancto concepisset:* Sed hanc reddit dicens, *quòd enim in ea natum est de Spiritu Sancto est*: Ergo S. Iosephus non agnoscebat de Spiritu Sancto fuisse Virginem gravidatam. Respondeo primò, cum doctissimo Salmerone, distinguo maiorem; *causalitèr loquendo* non redderet rationem, concedo maiorem; *confirmatoriè*, nego maiorem, & distinguo minorem. Hanc reddit rationem *quasi causam ad non timendum*, nego minorem, quasi *confirmationem existimationis Sancti Iosephi*, concedo minorem, & nego consequentiam: Igitur dupliciter possunt intelligi illa verba, vel quasi motivum ab Angelo allegatum ad tollendum timorem, quo quidem modo intelligunt illa adversarij; & quo etiam prima fronte videntur esse accipienda: vel non reddendo causam; sed confirmando Iudicium Ioseph ex motivis à Salmerone allatis de Conceptione per Spiritum Sanctum. Primo modo intellecta hanc faciunt paraphasim; *Ioseph ne timeas, neque uxorem adulteram suspiceris: fœtus enim ipsius est opus Spiritus Sancti.* Secundo modo intellecta hanc faciunt paraphasim: *Ioseph, ne timeas permanere cum tua uxore; neque præ humilitate verearis cohabitare cum illa, eò quòd noveris, eam de Spiritu Sancto fœtu mysteriosissimo gravidatam.* Hanc posteriorem paraphrasim suscipio cum Salmer. & cum Theofilacto in hunc modum loquente. *Ne timeas, hoc est: tu times adiungi illi, quia ex Spiritu concepit, sed ne timeas accipere*: Pro hac interpretatione fulcienda, præter hos Interpretes Nobilissimos, hùc sunt revocanda, quot quot à ratione, & PP. momenta produximus: ea enim suadent, si vera fuerint, hunc textum sic esse accipiendum.

9 Præter quæ nonnulla subdo, quæ idem assumptum corroborent: Nam primò illa particula *enim*, in qua situs esse videtur totus rigor causalis ad intelligendum textum *causaliter* non solum habet in rigore Græco causalem intelligentiam; sed etiam confirmatoriam. Significat enim *sanè, equidem, certè*, vnde possemus etiam claritatis gratia sic dicere, tum Latinè: *Ne timeas, &c. Certè natum in ea de Spiritu Sancto est.* Tùm Hispanicè: *No temas, ni te confundas Ioseph de vivir con tu Esposa. Verdaderamente lo que ha concebido es del Espiritu Sancto.* Sed dices primò: ad quid hæc notitia, & confirmatio Iosepho, si ipse iam noverat? Respondeo primò: Quia noverat probabilitèr, non revelatoriè. Respondeo

ſecundò : Quia niſi confirmetur ab Angelo, forſitan ſemetipſum putaſſet in ſua exiſtimatione deceptum ; cum videret modò iuberi ab Angelo accipere ſuam coniungem, qua ſe putabat indignus, ſi tanto erat cumulata myſterio : potuiſſet enim intra ſe dicere Ioſephus: *Ego dimittere volebam; quia putabam, ibi aliquid divinum. At Angelus iubet eam accipere : nil ergo ibi adeſt huiuſmodi.* Igitur dum Angelus recitat Conceptionem de Spiritu S. in Maria, non eſt dare rationem, ne timeat, ſed referre confirmativè ipſam, quam habet rationem timendi ; & dicere, hanc rationem, propterquam timebat, non debere ipſi eſſe timori. Erigitur ergo ab Angelo Ioſephi humilitas, & paternum officium, quo functurus eſt, ipſi declarat dum ſtatim ſubdit : *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Dices ſecundò: Non eſt recta interpretatio ponere, & componere, quaſi partem rei monitæ, ipſam rationem monendi : ratio autem Conceptionis de Spiritu Sancto non erat res monita in Ioſepho ; ſed ratio monendi ipſum, ne malum quid pertimeſceret, *quod enim in ea natum eſt, &c.* Reſpondeo. Quod quando quis admonetur de aliquo facto propter aliquam rationem patrato, nedum factum ipſum ; ſed & ratio faciendi ſe tenent ex parte rei monitæ : V. gr. Si quis dicat : *Noli timere, me vlciſci, qui me iniuriâ affeciſti* : Hiſpanicè : *No temas, que me vengue, por averme tu injuriado* ; tunc & timor, & ratio timendi eſt res monita, & remanet pro motivo huius monitionis, aliud diſtinctum ſcilicèt; *remiſsio iniuriæ*, quaſi diceret, *quia tuam iniuriam iam condonavi.* Similitèr, quando Angelus dicit Ioſepho: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quòd enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt.* Ipſe timor, & ratio timendi eſt tota res monita, ſcilicèt: *Noli timere propter Conceptionem de Spiritu Sancto.* Et motivum monendi, vt inquit Salmeron, eſt : *Quia in hac re neceſſaria eſt opera tua, vt tali filio officia Patris exhibeas.* Præterquamquod, ſi non eſt inconveniens in illis verbis : *Inventa eſt in vtero habens de Spiritu Sancto*, quòd adverſarius legat, & dividat Ly *de Spiritu Sancto*, à Ly *inventa eſt*, ad defendendam in Ioſepho ignorantiam myſterij ; cur erit inconveniens in illis verbis : *Noli timere accipere coniugem tuam, quòd enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt.* Ita legere coniunctim, vt priora verba cum poſterioribus ſimul recitent timorem, & rationem timendi; & à tali timore habito ex tali ratione timendi Angelum dehortatum fuiſſe Ioſephum ; quia videlicèt, aliud motivum reſtaret, quo illum timorem humilitatis propulſare deberet?

10 Ad hæc penitùs illuſtranda, atque firmanda nil æquè fore aptum exiſtimo, quàm ſi VERSIONEM in ſua origine conſulamus : memini enim opportunè modò id, quod alibi in hoc opere traditum ſcio, nempè. Quòd, quamvis VVLGATA *authentica* ſit, per id non tollitur, teſte Salmerone, qui concilio interfuit, ad originalia recurri, vt viri Theologi ea dubia, quæ occurrerint inde reſolvant. Verſio igitur Græca, quæ opera Arias Montani verbatim tradita adhæret Verſioni Hebraicæ Pagnini ſic ait : TO GAR EN AUTE GEUNETHEN EN PNEUMATOS ESTIN AGIU. Ideſt : *Nam in ea genitum de Spiritu eſt Sancto.* In quæ verba (ſi particula *gar* pro *certè* ſumitur, vt dicebamus) quadrat mirificè loquutio confirmatoria, quam intelligit Salmeronius, Græcè peritus: perinde, ac ſi textus dicat : *Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam. Certè in ea genitum de Spiritu Sancto eſt*: vt nimirum firmaretur Ioſephus de divino interventu, quem in eo fœtu conijciebat.

Si

Si verò velimus ſervare particularem GAR, cum ſignificatione ibi adhibita, ſcilicèt *nam*; vires aſſumit ſupra tradita explicatio noſtra: quippè inter particulas *nam*, & *enim* id eſt diſcrimen valdè obſervandum, quòd ſcilicèt ly *enim* ſemper ſit cauſalis reſpectivè ad loquentem; & ſemper ſignet rationem nomine ipſius loquentis; particula verò *nam*, non eſt prædita tam vivo genere cauſalitatis, quaſi vivæ, & activæ; ſed gaudet genere cauſalitatis, quaſi mortuo, paſsivo, & recitato. Undè dicere: *Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam. Nam in ea genitum de Spiritu eſt Sancto*, optimè exponitur ſic: *Quòd fœtus iſte de Spiritu S. ſit, ne timore te afficiat, quominus Mariam coniugem tuam accipias.* Si verò, ſic diceret: *Ne timeas accipere Mariam coniugem ſuam. In ea enim genitum de Spiritu eſt Sancto*; dubitari non poſſet, quin ratio hic reddita eſſet Angeli loquentis, non ratio rei dictæ, & recitatæ, & tantumdem valeret, ac ſi diceretur: *Ne timeas, &c. quia ego dico tibi, &c.* & eſt ratio à priori: quia particula *enim* ſemper refertur ad perſonam; ſed particulæ *nam*, *quia*, *quoniam*, *quippè*, referuntur ſæpenumerò ad factum. Conſonat Superiori Græcæ verſioni alia Hebraica ex Salmerone, ſuprà arg. 3. ibi: „ Nam, vt Hebræus, quidam codex Mathæi habet „ *ne timeas*, inquit, *vt accipias Ma-* „ *riam coniugem tuam: quia id, quod* „ *natum eſt intra eam, de Spiritu eſt.* „ Ideſt: ne timeas accipere eam in „ coniugem tuam ob hanc cauſam, „ quia quòd natum eſt de ea, de Spi„ ritu Sancto eſt, ſed cognoſce in hac „ re neceſſariam eſſe operam tuam, vt „ ei officia Patris exhibeas. Cum quibus etiam concordat verſio Græca illius verbi *Paradeigmatiſai*, ſcilicèt, *exemplum facere*: quia res tanta licet divinitus eveniret; ſtrepitum populi, & rumores plurimos faceret; ita vt prætereuntem Mariam ſtupefacti indigitarent: quod appoſitus Hiſpaniſmus eſt, *le ſeñalarian con el dedo.* Replicabis demum. Ad ſic legendum obeſt punctum finale interiectum ante illud *Nam*: quod erit impedimentum, vt coniungantur. Reſpondeo primò ex P. Salmerone in Codice Hebraico colon perfectum interpungi. Reſpondeo ſecundò, negando aſſumptum: quia quælibet ratio, & cauſa, etiam ſi ſe teneat ex parte rei dictæ, non ex parte loquentis; per punctum finale poteſt ritè orthographiè ſecerni.

11 Huic Argumento, reipſa difficili, alia via reſpondere conarer fortè minus implexa, & mori Biblico accommodata; dicendo, ſcilicèt illa verba: *Inventa eſt in vtero habens de Spiritu Sancto*, dicta fuiſſe per anticipationem, ſed re vera accidiſſe poſt apparitionem Angeli ita vt ſenſus ſit: *Ioſephus, Angelo revelante, invenit eam de Spiritu Sancto concepiſſe.* Sed replicabis fortitèr contra ſuperiora allegata in probationibus. Ioſeph noluit traducere, & voluit occultè dimittere Sponſam ſuam vtero tumeſcentem, quando nondum revelaverat Angelus: Ergò ly *nolle traducere*, & *velle dimittere*, non erat propter humilitatem ab illis PP. celebratam reſpectu Myſterij. Reſpondeo, quod iuxta hanc meditationem non ſequimur AA. qui expreſsè dicunt, Ioſephum cognoviſſe certà revelatione conceptionem de Spiritu Sancto, ita vt propter reverentiam Myſterij certò cogniti nollet eam traducere, & vellet dimittere. Sed vel ſequimur in eo ſolum fuiſſe ſuboſcuram rei cognitionem, vel Hieron. Haymon. & Bernard. dicentem: *Quia Myſterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam.* Iuxta quos ſic rem componimus: Ioſephus viſis ex vna parte prodigioſis rebus Mariæ; & ex alia vtero tumeſcente, vel myſterium odorabatur, vel hærebat attonitus, & admirabundus,

& nollens rem, quæcunque eſſet, facere fabulam vulgi, volebat occultè dimittere eam, apparuitque Angelus, & iuxta huius revelationem, invenit, Mariam de Spiritu Sancto concepiſſe. Hæc autem accipe qualitercunque tibi valitura videantur: vt pro ſententia pijſsima in vtrumque latus ſe mens noſtro concutiat.

12 Obijcies quartò: Tàm doctrinalis eſt poſteris ſuſpicio Ioſephi de Maria Caſtiſsima, iuxta SS. PP. quàm profuit ad fidem incredulitas Thomæ Apoſtoli: ſed minus pium eſt èmedio tollere vniverſale, & pijſsimum documentum, in legè gratiæ relictum: Ergò noſtra ſententia potius pietatem evertit, quàm fovet. Probo maiorem, ex Amb. lib.2. in Lucam, cap. 1. *Pulchrè autem docuit S. Mathæus Evangel. quid facere debeat iuſtus, qui probrum coniugis deprehenderet, vt incruentum ab homicidio, caſtum ab adulteriò præſtare ſe debeat.* Auguſt.ſerm.16.de Verbis Domini: *Attende quemadmodum vir iuſtus Ioſeph tanto flagitio, quod de vxore fuerat ſuſpicatus, tanta benignitate pepercit :::::: Mariti dolor non vindictam quæſivit, voluit prodeſſe peccanti; non punire peccantem.* Reſpondeo, diſtinguo maiorem, ſuppoſita ſententia adverſariorum eam ſuſpicionem defendentium, concedo maiorem, in noſtra ſententia, nego ſuppoſitum talis ſuſpicionis, & diſtinguo minorem; *tollendo doctrinam*, concedo minorem; *tollendo factum de quo eruitur talis doctrina*, ſubdiſtinguo: *Si tale factum eſt quid minus decorum, & glorioſum in perſona glorioſa*, nego minorem: *ſi eſt quid omninò decens, & omninò fundatum*, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque dico cum Auguſtino Deum maluiſſe de malis benefacere, quàm mala nulla eſſe permittere, vndè Sancti PP. Dei ſemper æmulatores dum in Perſonis, quas ſcriptura commendat obſervant aliquid, vel perperam factum; v.g. incredulitas Thomæ, duritiam Diſcipulorum, Petri negationem, &c. vel aliquid humanitus admiſſum, vt ſuſpicionem Ioſephi (in ſententia adverſariorum) inſtar apum ex amaritudinibus dulcia doctrinarum mella conficiunt, mirificaque eruunt documenta; quibus ſemper ſtudeant, atque proficiant poſteritati. Qui tamen fundatiſsima pietate permotus ſuſpicionem Ioſephi removere voluerit; doctrinam non caſſat; ſed factum negat: & vtinam cum ſimilibus fundamentis, & Petri negatio, & incredulitas Thomæ, quam aſſerit Chriſtus à DD. excuſari valerent.

13 Obijcies quintò, Angelus dixit Ioſepho: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*; ſed quò hæc coniux ampliori gratia Spiritu S. cumularetur, eo magis apperibilis erat, & minus timenda: Ergò non benè cohæret Angelum excludere timorem in Ioſepho, & hunc Myſterium cognoviſſe. Reſpondeo conceſſa maiori, diſtinguo minorem: *A viro profundiſsimæ humilitatis*, nego minorem, *ab alio non tali*, concedo minorem, & nego conſequentiam: non enim eſt novum Animas humilitate pleniſsimas ad ampliora Myſteria plus expaveſcere: vndè, & in revelationibus privatis modo occurrentibus, prius quam divina inſtillentur, pavor examinat, & quaſi totius hominis concipitur quidam marcor, & tremor. Apponunt ergò propterea Interpretes cum Bernardo, ſupra relata exempla illa Centurionis ad Dominum, Eliſabethæ ad Dominam, & Petri ad Magiſtrum, cum dixit: *Exi à me Domine, quia peccator ſum.* Sic profectò Ioſephus tanto arcanorum pondere conterritus volebat potius ea negotia diviniſsima declinare; quàm in ſua familia, & in ſuam curam ſuſcipere tale Myſterium. Et verò, non dico rem ita grandem, & quaſi ſibi Domeſticam, vt notabat

Ioſe-

Ioſephus; Verùm piarum Mulierum revelationes quaſdam, atque illapſus myſticos ſolent prudentiores viri declinare, forſan humilitate pertimeſcentes.

14 Obijcies ſextò, ex Illuſtriſsim. Siuri, iuxta textum pulſarunt mentem S. Ioſephi, & motiva *traducendi, & dimittendi*, quorum libratione dimittendam vxorem potius decrevit. Sed ſi tuiſſet conſcius myſterij, motivo ad eam traducendam caruiſſet: quia *traducere*, publicare, & infamare eſt: ergo, &c. CONFIRM. Ioſephus exinde movebatur ad dimittendum, quia nolebat traducere. Sed ſi noviſſet myſterium; potius vellet dimittere, quia præ humilitate fugiebat conſortium: ergo non cohæret Doctrina. Ad hoc argumentum huius ſubtilis, & eruditi Doctoris in primis dico, talem librationem, perpenſionemque motivorum ægrè cohærere cum eo quod S. Ioſephus nil mali ſuſpicatus fuerit: licèt enim illud vtrarumque partium quaſi æquilibrium iudicium temerarium (quod firmam ſententiam poſtulat) removeret; ſuſpicionem tamen aliquam de malo non ſalvat: præſertim cum illę ſpecies adulterij, quæ mentem vellicabant, animum tandem duxerint ad dimittendum: quod non feciſſet, ſi eiuſmodi ſpecies non ſatis apretiaſſet (ſaltim ad ſuſpicandum) ſed ad ſola motiva caſtimoniæ totus ſe convertiſſet: cum enim duæ ſuſpiciones contrariæ ſimul (imò duo iudicia probabilia) in vnà mente cohæreant, non purgatur à mala per id quod habuerit bonam: & multò minus, ſi voluntas in reſolvendo potius ad motiva malæ ſe reſpexiſſe teſtatur. Quòd inde patet: quia ſi eùm ſuſpicio mala non momordiſſet, non dimiſiſſet, aut voluiſſet dimittere; ſed dato quod ſimiles ſpecies malæ intrinſecùs ſubſultarent; tam nihili ab eo factæ fuiſſent, ac ſi non ſubſultaſſent.

15 Reſpondeo iam ad argumentum conceſſa maiori, nego minorem, & ad probationem ſubiunctam diſtinguo illud dictum, *traducere eſt publicare, & infamare*: eſt publicare *ſemper*, & infamare *ſemper* nego aſſumptum: publicare *ſemper*, & infamare *aliquando*, concedo aſſumptum. Igitur verbum *traducere*, ſeu *Paradeigmatiſai*, ſignificat in rigore, *publicare exemplum* facere, ſivè in bonum, ſi res eſt bona; ſivè in malum, ſi res eſt mala: & ideò S. Ioſephus, ſi noviſſet myſterium, motivum habebat B. Virginem traducendi, ſcilicèt, publicandi eius myſterium, & ponendi eam in exemplum ad ſtuporem vniverſorum: quod quamquàm Deiparæ cederet gloriæ in re; negari tamen haud poteſt; quin & rudè vulgus multa ad libitum effutiret, & B. V. altiſsimè verecunda, multa ſubiret, licet eius Sponſus de eius caſtimoniâ plurimum teſtaretur. Hic enim in eis circunſtantijs, aut dimiſſurus erat Mariam, aut traducturus; ſivè in malum, ſi ipſe diceret, eam de adulterio concepiſſe; ſivè in bonum, ſi diceret myſterium, quod noverat: nemo enim niſi maritus fidem in ea re eſſet facturus: quæ fides ſtatim erat ab eo requirenda, vtero Virginis coram omnibus tumeſcente. Quæ omnia, ſi PP. ſupra adductos relegeris, videbis illuſtrata, & firmata. Ad confirm. Reſpondeo diſtinguo maiorem, exinde movebatur *inadęquatè*, concedo maiorem; *adæquatè*, nego maiorem, & nego minorem: propter ly *potiùs*. Nam indicat non potuiſſe vtrumque motivum coniungi; quod eſt falſum, & contra textum. Hic ergo ait: *Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere; voluit occultè dimittere eam.* Ecce primævum, radicale, & fundamentale motivum dimittendi, erat iuſtitia S. Ioſephi (ſcilicèt, Sanctitas, & profunda humilitas, vt PP. ſe explicant:) & exinde manabat nolle tra-

traducere: si enim cum *Maria* maneret, eam traduceret, hoc est, publicaret, & exemplum faceret: manifestando ea, quæ noverat: quæ iam iam Domino, prophetijs, & tempore perurgente erant manifestanda. Quare tàm longè abest, vt dicere, *se voluisse dimittere, quia noluit traducere* obstet cognitioni mysterij; quin potiùs interrogatus Ioseph cur nollet traducere? Responderet: *Quia nosco, iam instare revelationem tanti mysterij, & quis ego sum, vt tantæ rei sim testis: & tantæ Virginis coniux?* Et ideò dicit vtrumque textus *cum esset iustus, & nollet eam traducere.* Ubi observa, vt aliam tanti Doctoris reflexionem prævenias. Quod motivum dimittendi fuit quidem illa notitia mysterij, non se sola, sed associata cum circunstantijs tàm vteri tumescentis, quàm temporis perurgentis ad revelandum: & propterea licèt in domo Elisabeth noviset mysterium diù distulit cogitare de dimissione: vel quia vsque ad vteri tumescentiam nondum res clarissimè noscebatur: vel quia tunc temporis solum vrgebat tempus capessendi consilium, & vsque ad id poterat, & volebat, & debebat B. Virginem comitari. REPLICABIS ex hymno vsurpato ab Ecclesia, scilicèt, *Almo cum tumidam germine coniugem admirans, dubio tangeris anxius, &c.* Ergo hic casus peperit S. Iosepho animi dubium, & anxietatem, quæ non nisi saltèm ex speciebus subsultantibus adulterij in imaginatrice poterat provenire. Respondeo primò: Permitto totum, cum ille hymnus (vt sæpè fit ab Ecclesia) in receptissima, & probabilissima opinione fundetur: cui tamen propterea accrescit probabilitas; sed non definitio. Respondeo secundò, nego consequentiam, quidni enim foret Iosepho dubia anxietas, & vera tortura cogi, vel ad spargendum in vulgus rem tanto stupori futuram; vel ad deferendam Virginem vxorem suam electam in sacrarium Spiritus Sancti, & à se tot tantisque titulis amore castissimo diligendam? Consule in hac quæstione curiosà, & devotà Authores hic verè nostrates, scilicèt, Salmeronem vbi suprà, & Vegam in Theologia Mariana Palestra 9. certamine 6. & nostrarum partium invenies simul eruditionem, & fulchrum. Neque pigeat, si cubi Palestra nostra friguerit, ad prædicti Theologi Marianas Palestras illicò volitare.

QUÆSTIO

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS
AD ILLA VERBA.

QUOMODO FIET ISTUD QUONIAM VIRUM NON cognoſco? Mathæi 1. verſ. 34.

ARTICULUS
AN, ET QUANDO BEATISSIMA VIRGO MARIA votum caſtitatis emiſerit?

NOTABILIA.

1. CUM hæc quæſtio non tàm polemicè tractanda ſit ad revincendam Hereticorum audaciam, & coarguendos ipſorum errores; quàm ſcholaſticè ad Deiparæ Matris, & Virginis elucidationem, noſtrumque profectum; ea præmittenda ſunt, quæ inter Catholicos certa tenentur, vt ad diſceptationem illius, quod inter nos dubium eſſe poteſt, deſcendamus. Igitur dulciſsimam Matrem noſtram Mariam nedum immobile propoſitum colendæ caſtitatis; ſed, & votum firmum concepiſſe, concors eſt catholicorum ſententia. Licèt enim Martinus de Magiſtris lib. 6. de Temperantia, quæſt. 5. de Virginitate, huiuſmodi votum inficiari credatur; nihilominus, teſte Suario, ita doctè, & pie in ſequentibus de Sacra Virginitate Mariæ loquutus eſt, vt meritò dubitari poſsit: an potiùs tale votum affirmet, quàm inficietur. Quod igitur in hac re magis eſt ſolitum controverti, eſt tempus, quo Beata Virgo tale votum emiſerit: num videlicet antè, vel poſtquam cum Ioſepho matrimonium contraheret? Circa quòd, licèt quaſi principalius concertatio noſtra ſit verſatura; non tamen præteribo illibata nonnulla, quæ, & votum, & propoſitum ſuaſura videantur; vt nihil deſideretur, quo Scholaſticus benè catholicus ſatis in hac re evadat inſtructus. Sed prius ſupponendum eſt cum D. Thoma 3. part. quæſt. 28. art. 4. & TT. B. V. abſolutum votum caſtitatis elicuiſſe ante Conceptionem filij: ſic colligitur ex cap. *Sufficiat*, & cap. *Maria* 27. quæſt. 2. fundatur in illis verbis: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*: in quibus non eſt dubitatio, vt aiunt Hereticí, ſed admiratio interrogatoria, & reddit rationem, *quoniam virum non cognoſco*: id eſt *cognoſcere nequeo*, alioqui concipere non eſſet ipſi difficile, ſi poſſet virum cognoſcere. Ita Aug. de Sancta Virginitate,

cap. 4. & ita iudicat ſermone 14. de Nativitate. Bernard. homil. 4. ſup. *miſſus eſt*, & ſerm. 4. de Aſſumptione dicens: Mariam illis verbis indicaſſe *immobile propoſitum caſtitatis.* Ambroſ. 2. in Luc. Anſelmus, Luc. 10. *Certiſsimè ſciebat, nunquam virum cognituram*, & de excellentia Virginitatis, cap. 1. *Deiparam Virginitatem ſuam Deo conſeraſſe.* Beda lib. 1. in Luc. *Oſtendiſſe illo verbo ſuæ mentis propoſitum: quia prima fœminarum ſe tantæ virtuti manciparet.* Et tandem Gregor. Niſſenus, hom. de Sanctâ Chriſti Nativitate.

2 Igitur circa tempus, quo emiſſum eſt tale votum, triplex invenitur ſententia. Prima abſolutè pronuntiat, tale votum emiſſum eſſe poſt contractum matrimonium cum Ioſepho, & non anteà: hanc defendunt Scotus in 4. diſt. 30. q. 2. art. 2. ad 1. & ibi Durandus, q. 2. Qui rem dubiam videtur relinquere. Item citatur Abulenſ. Mathæi 1. quæſt. 30. & Patronus huic ſententiæ adducitur D. Hieron. Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit, B. Virg. hoc votum nuncupaſſe ante contractum matrimonium cum Ioſepho: quam communiter ſubſtinent Theologi cum Magiſt. in 4. diſt. 30. quæſt. 2. Bonav. Scotus, quæſt. 2. Albertus Magnus lib. de V. M. Hugo de Sanct. Vict. Henriq. apud, & cum Eximio Doct. P. Franciſc. Suario tom. 2. in 3. partem, diſp. 6. ſect. 2. Tertia ſententia mediam viam ingreditur, diſtinguendo inter conditionale votum, & abſolutum, aſſerendoque B. V. ante matrimonium, imò à principio ſuæ deliberationis, emiſiſſe votum conditionale Virginitatis ſub conditione ſcilicèt, *niſi aliud Deus de ſe ſtatueret*; poſtquàm autem deſponſata eſt cum Ioſepho, abſolutum votum feciſſe. Hanc ſententiam clarè, & expreſsè defendit D. Thom. hic quæſt. 28. art. 4. in 3. part. in 4. lib. Sententiarum diſt. 30. quæſt. 2. art. 1. quam ibi ſequuntur Capreol. quæſt. 1. Paludanus quæſt. 2. Ricard. art. 1. quæſt. 2. Maior quæſt. 4. quibus poſitis.

3 Sit noſtra concluſio *B. V. Maria à principio vſus rationis abſolutum votum virginitatis emiſit.* Quam concluſionem ſic probo. B. V. Maria nuncupavit votum abſolutum virginitatis antequàm cum Ioſepho deſponſaretur: ergo à principio vſus rationis tale votum emiſit. Probo primò antecedens: Conſequentiam poſtmodùm probaturus. Iuxta SS. PP. quando venit ad nuptias, virginitatem iam conſecraverat, & à teneris annis carnem Deo dicatam habebat; & id non erat inconveniens, vt matrimonium celebraret; ſed in excellentia Virginitatis Mariæ adſtruenda, debet iudicium inclinare, quò vergit authoritas PP. ſi nullum ſit inconveniens: ergo ante contractum matrimonium, votum virginitatis emiſit. Minor eſt certa, & maior quoad ſecundam partem conſtabit ex ſolutione argumentorum, quoad primam autem probo, producendo PP. ita ſentientes: primus eſt Aug. lib. de Sancta Virginitate, cap. 4. dicens: *Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant; deſponſata eſt viro iuſto, non violenter ablaturo; ſed potiùs cuſtodituro, quod ipſa iam voverat.* Secundus eſt S. Gregorius Niſſenus homilia de Nativitate, vbi ſimilia loquutus ſubdit: *Quoniam Deo dicatam, & conſecratam carnem, veluti ſanctum quoddam donarium intactum ſervari opportebat.* Tertius eſt D. Anſelm. lib. de Excellentia Virginitatis, cap. 4. Sic inquit: *Virgo tenera, & delicata regali ſtirpe progenita, & ſpecioſiſſima totam intentionem ſuam, totum amorem ſuum, totum iudicium ſuum ad hoc intendit, vt corpus, & animam ſuam Deo virginitate perpetua conſecraret*: Quæ verba, quia de primis annis loquuntur, & totam Mariæ mentem ferunt in ſua virginitate conſecranda occupatam; proculdubio colligi videtur,

Div.

Div. Anſelm. de Voto ante matrimonium eſſe loquutum: præſertim cum eodem modo, & eodem tempore iuxta ipſum in verbis ſequentibus hæc virginitas Deum obligaverit, ac fides ipſius, & charitas, quæ clariſsimè in ea enituerunt ante matrimonium. Idem, videtur, ſentire Div. Bern. Ambroſ. & Bedam, & tandem probatur ex B. Birgitta lib. 5. cap. 25. nomine Mariæ ſic loquente: *Pro certiſsimo ſcire debes, quod Ioſeph, antequam deſponſavit me, intellexit in Spiritu Sancto me vouiſſe virginitatem Deo meo.*

4 Probatur ſecundò antecedens, & ſimul illa conſequentia, quam promiſi probare, ſcilicèt, *quod ſi ante matrimonium caſtitatem illam vovit, fuit à principio vſus rationis*: Nam rationes ſuadentes B. V. voviſſe caſtitatem eodem modo ſuadent, illam voviſſe à principio vſus rationis: Unde ſic argumentatio conficitur: Primò quia iuxta D. Ambroſ. lib. 2. de Virginitate: ipſa B. V. poſt Chriſtum futura erat interioris, & exterioris caſtitatis exemplar; ſed hoc videtur poſtulare in Maria votum virginitatis, & à principio vſus rationis: ergo, &c. Minor probatur: quia virtutem voto firmare perfectiſsimus gradus eſt, & præcocitas vovendi virginitatem, excellentia virginitatis eſt: ergo, &c. Secundò quia iuxta SS. PP. vt ait Suarez, B. V. Maria ab infantia movebatur ab Spiritu Sancto, vt meliora amaret, atque perficeret; ſed virginitas erat melior abſolutè, & reſpectivè ad Mariam propter ea, quæ tradit Paulus 1. ad Corinth. ſcilicèt, *vt Virgo cogitet, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu, &c.* & interiori voluntate poterat virginitatem perficere, vovendo eam: ergo, &c. Tertiò: Quia multæ Sanctæ virgines ferè ab incunabulis ſe Deo conſecrarunt; ſed innegabile eſt Deiparæ, quæ tulit vexillum virginitatis in lege gratiæ; imò, & ad vnicum virginitatis exemplum venit in mundum, id, quod concedunt hiſtoriæ virginibus poſt ſequuturis: ergo &c. Probatur tertiò antecedens ab everſione oppoſitæ ſententiæ. Nam ſi daretur lex de propagatione ſeminis, & B. V. Maria poſt vſum rationis aliquandiù non voviſſet caſtitatem; aliquandiù habuiſſet in animo adimplere illam legem, ſicut & cæteras; ſed B. V. aliquandiù habuiſſe in animo dare operam liberis, non eſt conſonum excellentiſsimæ ipſius virginitati: ergo &c.

5 Obijcies primò: Debile fundamentum hæreticorum ad evertendum tàm votum, quàm propoſitum immobile caſtitatis. Tale votum, & propoſitum immobile (votum ſupra propoſitum addit promiſsionem Deo) eſſet contra Legem divinam, & naturalem: ergo illicitum. Probo antecedens: Ex illis verbis Geneſis: *Creſcite, & multiplicamini.* Nam ibi continebatur præceptum de propagatione generis humani: ergo ſe impedire ad tales propagationes aliquo voto, vel propoſito efficaci eſſet contra Legem divinam, & naturalem. Reſpondeo: nego antecedens, & ad probationem conceſſa maiori, diſtinguo minorem *de propagatione facienda initio mundi*: concedo minorem; (vel permitto; quia potiùs credenda ſunt verba conceſſiva, quàm præceptiva, ſicuti verba dicentia, vt comederent de omni ligno) *de propagatione facienda ſemper*; nego minorem, & conſequentiam. Quia niſi in caſu neceſsitatis communis generis humani non eſt intelligenda huiuſmodi lex obligare; ſed ſtandum eſt Paulo 1. ad Corinth. 7. præferenti virginitatem matrimonio, & rationi naturali dictanti, quòd, ſecluſo humanæ gentis interitu, prior eſt vnuſquiſque dominus ſui corporis, vt ſervet ſibi, ſi malit, quàm, vt tradat alteri.

6 Obijcies ſecundò: Votum debet eſſe de meliori bono; ſed in lege vete-

ri non erat melior virginitas nuptijs: ergo B. V. non vovit virginitatem. Probo minorem 1. ex D. Thom. id aiente, & Aug. tom. 6. lib. de Bono coniugali, cap. 9. aiente: *In illis primis temporibus debuisse Sanctos viros dare operam generationi, vt multiplicaretur Populus, vnde Christus erat nasciturus*: ergo potiori titulo debebant nubere virgines de Tribu Iudà, de quibus erat Christus Dominus nasciturus. Probo secundò ex illis verbis, Deut. 25. *Maledictus, qui non suscitaverit semen in Israel.* Quæ etsi non inveniuntur in textu; inveniuntur tamen in Aug. lib. 14. contra Faustum, cap. 13. & ex verbis, Deut. 7. *Non erit apud te sterilis vtriusque sexûs.* Et ex verbis Exodi: *Non erit infœcunda, & sterilis in terra tua*: ergo ex præcepto Domini omnis sterilitas removebatur de Israel. Respondeo nego minorem: ad cuius primam probationem respondeo, D. Thom. apertè id non docuisse, sed solum dixisse, *quod videbatur esse lege prohibitum*, iuxta tenorem illius legis, & promissionis: quare in 4. dist. 33. art. 2. ad 2. clarè docet: humano genere iam propagato, non peccaturum in lege Moysi, quicunque virginitatem servaret, sed supra legem, non contra legem acturum esse. Ad Aug. autem respondeo: non vrgere eius verba pro eo tempore, in quo Dei Populus satis fuerat propagatus. Et licet lib. 32. contra Faustum, cap. 10. & de bono coniugali, cap. 22. insinuet præceptum de eo, quod frater excitet semen fratris defuncti; tamen nihil vrget; vt inquit Suar. vt accipiatur de præcepto rigoroso; sed quod frater volens vxorem ducere, consultiùs acciperet eam, quæ fuerat fratris sui.

7 Ad secundam probationem collectam ex textibus. Respondeo, in illis omnibus nil inesse præcepti; neque verba ille esse præceptiva, sed promissoria, vt cognoscitur, Deuteron. 7. & ex verbis sequentibus: *Non erit in te sterilis vtriusque sexus, neque in hominibus, neque in gregibus tuis.* Vbi cum antecedentia promissiones importent; & aliundè, neque sterilitas in materia libera, & capax præcepti, neque item greges; ideò hæc verba latius est, vt promissoria intelligere. Similiter verba, Exod. 23. *Non erit in te infœcunda, neque sterilis*: quia subditur: *numerum dierum tuorum implebo*: in quibus promissio explicita continetur: quàm interpretationem, vt fulciamus, & roboremus, sciendum est, quod si comminatio tendit, & versatur circa intentandum malum; ita vitatio horum malorum est materia promissionis, & ideò illa verba, *non erit sterilis* accipienda sunt promissorie, quia moris scripturarum est, sterilitatem in pœnam comminari, vt faciebat Deus cum prævaricatoribus legis: quam obrem illa verba: *Maledictus sterilis, qui non facit semen in Israel* in primis non dantur in textu. Deindè intelligenda sunt, vel hoc sensu quatenus, scilicèt, sterilis ille, qui reperiebatur in Israel, in se argumentum maledictionis haberet, mulctatus à Deo impotentiâ generandi, non autem maledicebatur, *non generare cum posset*: Vel quatenùs frater nolens suscitare semen fratris sui, infamiâ quodammodo notabatur: & hoc affert textus.

8 Hæc est summa solutionis, quæ tantillum postulat suffulciri, & ostendere, quomodo dici possit, Virginitatem in lege veteri non fuisse præcepti, imò fuisse quasi consilij, eo quòd à viris perfectioni deditis coleretur. Sententia ergò est D. Hieron. contra Iovinianum, lib. 1. & ipsius cum Aug. supra Isaiam 56. item Cyrillijs tom. 3. lib. 5. in Isai. & Bernard. hom. 3. in *missus est.* Nunc Abulensis in Levit. cap. 30. quæst. 32. Soti, Medinæ, apud, & cum Suario tom. 2. in 3. part. disp. 6. sect. 1. nullum fuisse præceptum in lege veteri, quod omnes, & sin-

ſingulas perſonas ad generationem obligaret: nullum enim tale præceptum poſitivum in tota lege invenitur, neque naturale eſſe poterat, humano genere propagato; quinimo Iſaiæ 56. *Spadonibus, ſivè virginibus Deus promiſit nomen æternum, & locum inſignem in Domo ſua.* Quod autem virginitas nedum non fuerit prohibita in lege veteri; ſed viſa quaſi conſilij, conſtat ex eo, quod illam coluerunt, vt meliorem, viri perfecti, vt Ieremias, & Elias iuxta Ignatium ad Philadelphienſes, & Ambroſ. lib. 1. de Virginibus. Et tres pueri, de quibus Damaſc. lib. 4. cap. 25. ait: *Corpus Danielis ita virginitate ſolidatum, vt Beſtiarum dentes illi infigi nequiverint.* Ut Ioannes Baptiſta, qui virgo fuit, & perfectus inter Iudæos; vt Iacobus frater Domini iuxta Epiphanium hæreſi 30. dicentem: *Etiam Iudæos virginitatem magnificaſſe.* Ac denique vt Eſſeni, qui apud Iudæos in magna opinione Sanctitatis habebantur, eo quod perfectam colerent caſtitatem, vt tradit Ioſephus lib. 13. antiquitatum, cap. 8. & lib. 2. de bello Iudaico; de quibus omnibus apertè conſtat, in lege veteri pro voto virginitatis nullum impedimentum reſultare; quin potius rem hanc ſemper altam fuiſſe, & quaſi conſilij. *Sed replicabis:* datur lex Deut. 25. de ſuſcitando ſemine fratris ſui: ergo. Reſpondeo, eſſe non abſolutam, ſed conditionatam ſub conditione, ſi ſcilicèt velit ducere vxorem, vt patet ex textu.

9 Obijcies tertiò: Si B. Virgo Maria voviſſet tàm properam caſtitatem, non potuiſſet matrimonium contrahere: Ergo illam vovit poſt matrimonium. Probo antecedens, primò, ex iure Canonico, cap. 27. quæſt. 1. vbi dicitur: *Voventibus virginitatem non ſolum nubere, ſed etiam velle nubere damnabile eſt.* Secundò à ratione: Quia ſi B. Virgo Maria ita caſtitatem voviſſet, dominium ſui corporis in coniugem transferre non poſſet; ſed in hac translatione matrimonium conſtitit: ergo non poſſet matrimonium contrahere. Probo maiorem: tranſlatio dominij ad nullum vſum rei eſt nugatoria; dominium enim eſt propter vſum; ſed ſi ita caſtitatem voviſſet; dominium ſui corporis traderet ad nullum vſum coniugalem habendum: ergo ſi ita caſtitatem voviſſet, non poſſet transferre dominium ſui corporis in coniugem. Reſpondeo nego antecedens, ad cuius primam probationem, dico, textum iuris Canonici aliquot ſæculis poſt B. Virginem pronuntiatum, de ipſa non fuiſſe loquutum, vtpotè in qua præextiterat revelatio ſpecialis de ſeruanda ſua virginitate cum iuribus matrimonij, vt latè diſcuſsimus ſuperiori quæſtione, in qua de matrimonio rato B. Virginis pertractavimus, & quæ huc facile revocare quis poterit. De qua quidem doctrina ad ſecundam quoque probationem ſolutio promanat, nego maiorem; ad cuius probationem, diſtinguo maiorem; tradere, vel translatio ad nullum vſum *impeditum ex virtute iuſtitiæ*, eſt nugatoria, concedo maiorem (imò Gaſpar Hurtado id negat, etiam ſi impedimentum eſſet ex virtute iuſtitiæ) ex alia virtute, nego maiorem, & diſtinguo minorem; traderet ad nullum vſum impeditum *ex virtute iuſtitiæ*, nego minorem; *ex virtute Religionis*, concedo minorem, & nego conſequentiam. Summa ergo ſolutionis, quæ fuſsiùs eſt indè petenda, conſiſtit in eo; quod ſalvatur verum dominium; & traditio ipſius, quæ nulli vſui eſt futura, quandocumque iuſtitia ipſa, quæ ius transfert, non tollit omnem vſum; licèt aliundè tollatur ex capite virtutis alterius: quia ſemper manet verificabile ius transferri, licèt ſit ad nullum vſum, & in ipſo iure ſic translato, licet ad omnem vſum impedito, poſſunt

fi-

fines, & vtilitates inveniri. Quòd exemplificatur dominio, quòd olim habebant Religioſi, & modò etiam habent Scholares noſtræ Societatis Ieſu, licet ad omnem vſum habeant ex voto impedimentum: quæ omnia magis illuſtrabuntur, ſi citatam quæſtionem reviſeris.

10 Obijcies quartò: Hoc votum derogat excellentiæ caſtitatis Mariæ: ergo illud ita non fecit: probo antecedens: Theologi ita prædicant excellentem caſtitatem Mariæ, vt eam fomite caruiſſe aſſeverent; ſed votum non cohæret cum hoc privilegio: ergo derogat excellentiæ caſtitatis Mariæ: probo minorem: Voti firmitas, & contractus tendit ad retinendam, & religandam potentiam animæ, ne ruat in malum, ad quod eſt prona; ſed ſi fomite peccati caruiſſet, ad nullam maculam caſtitatis eſſet prona, & obnoxia: ergo votum cum tali privilegio non cohæret. Reſpondeo nego antecedens, ad cuius probationem, nego minorem, & ad huius probationem, diſtinguo maiorem: Votum nuncupatum ex puriſsimo amore caſtitatis, & ex puro Religionis affectu, nego maiorem: Votum regularitèr nuncupatum ex timore vitij contrarij ad ſe maioribus vinculis obſtringendum, concedo maiorem, & conceſsà minori, nego conſequentiam. Verum enim eſt, quòd voventes regularitèr caſtitatem id faciunt, vt à vitio impuritatis longiùs abſcedant; & ne ruant, quibuſdam quaſi vinculis obſtringuntur: ideòque votum caſtitatis, nedum ſimplex, ſed ſolemni nuncupari ſolet, vt publica omnium teſtificatio magis retrahat à lapſu; cæterum hoc non tollit, quominus ipſum votum interdum fiat ex puriſsimo amore illius virtutis, cui ſe quiſque intimè copulatum velit; itemque ex cultu devotiſsimo Religionis, & feruore charitatis, quo Deo ſuo inſtar ſacrificij ſe offerat in odorem ſuavitatis, & ſui corporis, claves, & vſum huius mundi. Huiuſmodi ergo erat votum Mariæ, vndè & poterat nuncupari, licet fomite concupiſcentiæ careret; præterquàmquòd poſſumus cum Suario vltrà dicere, tale privilegium cum tali voto cohærere. Primò: Quia licet B. Virgo ſtimulis non vrgeretur; vovere caſtitatem ex obiecto ſuo erat melius: non ſecus ac carnem ſuam creditur maceraſſe, & ſi Spiritu Sancto eam regente, benè habuiſſet edomitam. Secundò: Quia licet fomite careret, corpus tamen habebat corruptibile, & gravabile vſibus coniugij; à quibus per votum caſtitatis ſe cupiebat immunem, & lilij fragrantiam non perdere. Tertiò: Quia licet tali privilegio gauderet, fortaſsè non agnovit ſibi eſſe perpetuum. Vndè & ſibi per votum conſuluit, & cæteris profecit exemplo. Reſpondeo ſecundò, nego antecedens, & minorem probationis, & ad huius probationem diſtinguo minorem, ad nullam maculam concupiſcentię erat obnoxia ex fomite peccati, concedo minorem, ex rabie, & tentationibus Dœmonum, ſub diſtinguo, proximè non erat obnoxia, concedo minorem; remotè: nego minorem, & conſeq. licet enim de tribus hoſtibus animæ, ablato fomite, auferatur primus, qui *eſt caro*; relinquuntur tamen mundus, & Dœmon, à quibus Sanctiſsima Virgo ſe magis, & magis redebat immunem, dum magis, & magis per votum Deo adhæreſceret.

11 Obijcies quintò: Probabiliter credi poteſt B. Mariam à principio vſus rationis fuiſſe divinitùs notificatam, Matrem Chriſti eſſe futuram; ſed hoc impediret, quominus virginitatem voveret perpetuam: ergo illam non vovit: probo minorem: Virginitas erat impedimentum maternitatis, & ipſi oppoſita: ergo ſi aſſenſu fidei credidit Matrem eſſe futuram, perpetuò Virginitatem non vovit. Reſpon-

pondeo primò, distinguo maiorem: *A principio post votum*, concedo maiorem; *ante votum*, nego maiorem; & in eodem sensu nego minorem, & consequentiam. In ipso enim principio vsus rationis prius præcedebat votum, quàm revelatio: tùm quia statim se virgo consecraret, vt supra aiebat Anselm. & tùm quia tale votum erat meritum ad talem revelationem. Respondeo secundò, distinguo maiorem: Matrem esse futuram regulari modo, & quoad substantiam præcisè, nego maiorem; quoad substantiam, & modum mysterij, concedo maiorem, & distinguo minorem: Si nosceret Matrem esse futuram regulari modo, & quoad substantiam præcisè, permitto minorem. Si quoad substantiam, & modum, quo futura erat Mater, nego minorem, & consequentiam: quippè quòd suadet illam revelationem de maternitate, suadet etiam revelationem, quoad modum mysteriosum ipsius, scilicèt, vt Virginitatem cum Maternitate coniungeret: quare, & hæc ipsa revelatio stimulus esse poterat ad citiùs, & alacriùs vovendum. Quòd si velis B. Virginem non habituram notitiam claram de hoc, quòd Maternitas, & Virginitas iungerentur; saltem negari non potest, cum esset Sanctissima, quòd ad meliora votis suis semper se extenderet, quin propterea quidpiam de revelatione pertimesceret defuturum; modum videlicèt, & medium solita sua humilitate Deo reservans: cuius omnipotentiæ erat omni via perficere vias suas; & ideò permisi illam minorem: quia videlicèt, licet nulla daretur notitia, neque confussa modi, quo futura erat Mater; poterat se ad vovendam Virginitatem extendere: Credibiliùs autem est, talem modum ipsi saltem in confusso innotuisse, dùm se regi Sancto Spiritu videret, & cum revelatione Maternitatis totam Virginitatis amore ardentissimo conflagrasse.

12 Objicies sextò: D. Thom. 3. part. quæst 28. art. 4. in corp. vbi dicit: *Mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Ioseph, absolutè Virginitatem vouisse; sed licèt eam in desiderio semper habuerit, tamen voluntatem suam Domini commisit arbitrio*: ergo tale votum non fuit absolutum, sed conditionatum sub illa conditione, scilicèt. *Si Deo placeret*. Respondeo primò: Planè concedo, D. Thom. ita sensisse non absolutè, sed solum ex suppositione, quòd in lege veteri deberent, tàm mulieres, quàm viri dare operam liberis, quòd nos supra reiecimus. Et ipse S. Doctor ex aliorum quasi sententia non discussa, sed supposita, videtur esse loquutus. Quòd etiam in his verbis cernitur, dùm dixit: *Non creditur*; quæ verba notant rem, prout vulgò dicitur, & circumfertur, tractari. Respondeo secundò, distinguo antecedens: Hæc verba D. Thomæ: *Ly absolutè*; sumpto quoad substantiam, & statum Virginitatis, concedo antecedens: Præcisè quoad substantiam, nego antecedens, & distinguo consequens; conditionatum quoad statum, concedo consequentiam: quoad substantiam, nego consequentiam: quia licet B. Virgo motione Spiritus Sancti absolutè voverit Virginitatem, statum tamen Virginitatis, qui Virginitatem, ipsam consequitur, scilicèt: *Vitam degere sine viro proprio*, vovit conditionatè, & super eo in ordine ad contrahendum matrimonium divino se commisit arbitrio: quare post illa verba immediatè subdit: *Post modum vero accepto Sponso secundum quòd mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum Virginitatis emisit*; quasi diceret, quòd nupta iam per voluntatem Domini, & non servato (quoad exteriora) Virginitatis statu; Iosephum impulit, vt secum quoque Virginitatem voverit, iuxta illud, Hieronymi lib. contra Eluidium in fine dicentis: *Iosephum Virginem*

nem fuiſſe per Mariam, vt ex Virginali coniugio virgo filius naſceretur; quæ ſi fortè non cohærent cum ijs, quæ habet S. Doctor *ad primum*, cohærent magis cum ijs, quæ habet *ad ſecundum*; vndè ſatis congrua interpretatio eſſe poteſt, quàm non niſi venerationis cauſa perſequimur, licet videamus S. Doctorem non niſi ex ſuppoſitione loquutum. Tertiò Reſpondeo conceſſo antecedenti, nego conſequentiam cum Paludano, Scoto, & alijs apud Suarium: conditio enim illa non tollit, quominus votum ſit abſolutum, cum omne votum quantunque ſit abſolutum eam conditionem ferat implicitam. *Si Deo placeret*, præſertim loquendo de votis, quæ propter Divinum placitum nuncupantur.

13 Obijcies ſeptimò. B. Virgo tale votum non emiſit ſine conſenſu Parentum; ſed talis conſenſus non erat credibilis: ergo à principio vſus rationis tale votum non nuncupavit. Minor patet. Primò: Quia erat Virgo vnigenita, & in tanta ætatis teneritudine videbatur in manu conſilij ſui relinqui non poſſe ad rem arduiſsimam, & perpetuam. Secundò: Quia virginitas tunc temporis erat opprobrio. Reſpondeo primò nego minorem ad cuius primam probationem dico: SS. Parentes Virginis fuiſſe magna ſanctitate præclaros, vt ex traditione conſtat, quam Gregorius Niſſen. & alij referunt: vndè & Deo negare vnigenitam ſuam reformidarent: proindeque ita promptì credendi ſunt ad hanc obligationem, ſicuti Abraham fuit promptus ad ſuam; præſertim cum ex ſcripturis Meſiam ex Virgine naſciturum audiviſſent, & tanta portenta in filiæ ſuæ nativitate contigiſſent. Ad ſecundam probationem dico, Virginitatem voluntariè complexam non eſſe opprobrio, ſed laudi, vt vidimus in exemplis allatis num. 10. Licèt ſterilitas aliqua fuerit opprobrio; imò & cùm virginitas eſſet opprobrio apud homines, non apud Deum, credi poſſunt loquentes Parentes Mariæ eadem verba, quæ dulciſsimus Bernard. homil. 3. *in miſſus eſt* ſic ponit in ore Mariæ: *Melius eſt mihi maledictum incurrere, quam caſtitatem violare; nam licèt video maledictum, ſed non peccatum*: hæc enim maledictio quid eſt, niſi hominum exprobatio? Reſpondeo ſecundò, nego maiorem, cum Aug. dicto capite B. Maria, cap. 27. quæſt. 2. vbi dicit S. Doct. *Veriſimile eſſe, prius Mariam ſuum votum in corde emiſiſſe, donec poſtmodum tempore accedente nuptiarum ore prodiderit*: Quare non erat cur Parentes conſuleret, quæ ab Spiritu Sancto tàm vberrime regebatur: Imò multò minus hic conſenſus requireretur, ſi rationis vſus apparuit poſt Mariæ præſentationem in Templo; licèt communis traditio cogat aliter ſuſpicari, dum refert Mariam præſentatam in Templo omnes gradus celerrimam conſcendiſſe; & tàm commune ſit vſum rationis à primo inſtanti Conceptionis ei fuiſſe conceſſum.

14 Obijcies octavò, Votum tale Virginitatis Mariæ præcipuè eruitur ex illis verbis, Lucæ 1. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Sed hæc verba hanc vim non habent: ergo nullum eſt fundamentum: Probo minorem multipliciter. Primò: Ex obiectione hæreticorum aientium Virginem dubitaſſe, & attonitam obſtupuiſſe. Secundò: Ex ſententia aliorum aientium, ideò Virginem interrogaſſe non propter impedimentum voti; ſed quia verba Angeli de Conceptione ſubitanea intellexit. Tertiò: Quia B. Virgo iam de Chriſto de Virgine naſcituro (imò & naſcituro de ſe ipſa) notificata intellexit, ſibi ſtatim annuntiari Conceptionem Meſiæ: ergo illa interrogatio: *Quomodo fiet iſtud?* non erat votum Virginitatis obijcere; ſed de modo tantum inquirere. Reſpondeo ad ar-

argumentum: distinguo maiorem, ex illis verbis secundum vim, quàm ipsis deferunt SS. PP. & traditio DD. concedo maiorem: alitèr, nego maiorem, & sub eadem distinct. distincta minori, nego consequentiam. Ubi maturè observandum est, quod in exponendis Sacris Scripturis non tàm indulgendum est ratiocinio etiam peracuto, quàm sensui SS. PP. qui à Deo illustrati, verba exposuerunt: & sic traditur in regula illa, quàm refert Ruizius, Monachus Benedictinus de exponendis videlicèt Scripturis non tàm ratione, quàm auctoritate. Sumptò ergo illo sensu, quem SS. PP. deferunt prædictis verbis, vt numero secundò iam constitit. Minoris probatiunculas sygillatim expendo. Et in primis primam confuto, vt errorem impium hæreticorum: quomodo enim Virgo tunc dubitaverit tanto cœli rore præventa, tantisque cœli coruscationibus præmonita, & præmunita? Item quomodo attonita obstupuit, quæ tanta pace Spiritus Sancti erat plenissima? In his non immoror, quippè hic res non agitur cum hæreticis. Ad secundum dico, talem meditationem de subitaneo conceptu esse voluntariam, & textui non consonam: nam modo, quo dixit, *concipies*, dixit, *& paries*, quod certè subitò non erat futurum. Præterea non congruit mori Scripturarum, in quibus licèt Genesis 18. anuntietur filius Abraham, & Lucæ 1. filius Zachariæ; nihilominus hæ anuntiationes subitaneè non sunt intelligendæ, sed humano modo: quapropter spatium temporis relinquebatur Mariæ, quatenus erat ex parte verborum.

15 Ad tertium, & vltimum respondeo primò: permisso antecedenti, distinguo consequens: non erat obijcere ad difficultandum, concedo consequentiam; ad sciscitandum modum mysterij, de quo iam pridem revelationem acceperat, nego consequentiam: Sciebat enim cum virginitate Matrem esse futuram: & Angelo nuntianti conceptum, & partum, occurrit, quasi dicens: *Quandoquidem via communi iste conceptus, & partus non est inventus; quia virum non cognosco*; (ideſt cognoscere nequeo, vt suprà explicui) *quomodò fiet istud?* Ecce in his verbis votum ostenditur, & illa notitia mysterij in Maria non tollitur. Sed si eam pro priori non ita concedimus: respondeo secundò cum Div. Athanasio sermone de Sanctiſ. Deipara, B. Virg. illa verba proferentem necdum intellexisse conceptionem Messiæ divinitus perficiendam, vt constat: Tum quia Angelus prius dixerat: *Ecce concipies, & paries filium*, dumtaxat; & posteà subdit de Conceptione divina dicens: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum vocabitur filius Dei*: Tum quia Augustſ. sermone 2. de Anunt. post illa verba introducit Angelum cum Maria sic loquentem: *Recole Maria in lib. Isaiæ Prophetæ Virginem, quam parituram legisti, & gaude, atque exulta; quia esse meruisti. Tu ibi præfigurata es Virgo. Ecce concipies in vtero non de viro; sed de Spiritu Sancto*: In quibus verbis ostenditur, Mariam non in instanti; sed paulatim toto tempore colloquij cum Angelo mysterium hausisse. Et quod illa verba testarentur de sua virginitate, satis patet ex causa reddita: *quia virum non cognosco*: In qua tandem solutione, licèt videatur Suarius omninò non quiescere; ego tamen cum Athanasio quiesco lubens. Quod si renuas hoc argumentum excipere, velisque eius replicas declinare, poteris respondere, distinguo maiorem, pro stabiliendo Voto B. Virg. ante Incarnationem filij; concedo maiorem, pro stabiliendo illo ante matrimonium, & à principio vsus rationis, nego maiorem, & omissa minori, nego consequentiam: quia vt vidimus in

noſtris probationibus concluſionis per generaliores rationes noſtram concluſionem præſtruximus. Si verò noſtrum fundamentum velint vnicè ad talia verba reducere; negandum eſt aſſumptum; vel ſi admittimus erit (vt ſuprà) ſecundum acceptionem PP. & in conſortio aliarum rationum.

16 Obijcies nonò: Si B. Virgo Maria vovit caſtitatem, vel fuit prima, vel non? Sed neutrum dici poteſt: ergo non vovit. Probo minorem: Si dicitur, quod non fuit prima, non collocatur eius virginitas in eo ſupremo gradu, qui intenditur: maior enim eſſet, ſi prima eſſet; ſed dici nequit, quod prima fuerit: ergo neutrum. Probo minorem, id evertit veterem Monachatum contra Scripturas, PP. Hiſtorias, &c. Ergo dici nequit: Reſpondeo ommitto reſolutionem dilemmatis: quamquam enim lubens Beatæ Virgini primatum deferam in vovendo cum meis Authoribus, & cum Eruditiſsimo Papebrochio, qui Victoriam in hac re de omnibus contradictionibus reportavit; nolo tamen recantare triumphum, quem iam cecinimus; ſed omnes cum Paulo in ſuo ſenſu abundantes relinquere: & dirimere quæſtiones Sacras, non autem fovere rixas. Unde ſic eludo dilemma, diſtinguendo ſic: fuit prima in vovendo *primatu dignitatis*, concedo; *temporis*, ommitto: Licèt enim alij priores voverint caſtitatem, tamen ratione dignitatis, & altitudinis in vovendo ipſa eſt vexillifera virginitatis; quia nec primam ſimilem habere viſa eſt, nec habere ſequentem (vt inquit Bernard.) gaudia Matris habens cum virginitatis honore. Sic primus Ieſus dicitur Ieſus Chriſtus: licèt præceſſerint Ieſus filius Sirach, Ieſus filius Nave, Ieſus filius Ioſedec, &c. Quod ſi in hac re quiſquam velit de omnimodo primatu Virginitatis in Deipara retinendo manere ad longum inſtructus, luſtrare poterit intra alios noſtrum Franciſcum Salinas in Ionam in vtroque tomo, ſed præſertim in primò, & P. Chriſtophorum de Vega in Theologia Mariana, Palæſtra 19. per totam.

17 Obijcies decimò: Virginitas in lege veteri res fuit planctu digna: ergo probroſa. Antecedens probatur ex verbis lib. Iudic. 11. verſ. 37. quibus Filia Iephte ex patris voto ſacrificanda ſic ei fuit alloquuta: *Dimitte me, vt duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam*: ergo, &c. Conſequentia autem prima videtur conſtare, quia cum virginitas non eſſet dolorifera; vix ciere lachrymas poterat, niſi quia haberetur opprobrio: *CONFIRMATUR*. Sterilitas in coniugio probroſa erat: ergo & virginitas. Ans conſtat ex Gen. 30. verſ. 23. vbi de Rachel dixit textus *Concepit, & peperit filium dicens: abſtulit Deus opprobrium meum*. Et ex alijs locis. Conſequentia tenet. Quia ideò ſterilitas coniugis erat opprobrio, quia prole carebat. Sed virginitas æquè prole privabat: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo diſtinguendo antecedens. Virginitas fuit planctu digna *ſecundum ſe*, nego antecedens: *per accidens*, & in perſona procreationem liberorum concupiſcente, & immaturè prærepta. Concedo antecedens, & nego conſequentiam. Itaque ſi Filia Iephte ex voto Parentis fuit deſtinata ad perpetuam virginitatem; & hanc per bimeſtre precabatur ipſa plangendam, vt tradidere nonnulli; frangitur ipſa vis argumenti: quippè quemadmodum ex planctu arguitur, eam fuiſſe probroſam; ita ex eo quòd Iephte ratus fuiſſet, ſe Domino placiturum, & promiſſa impleturum, ſi filiam dicaſſet Deo in perpetua virginitate manſuram, arguitur virginitatem non eſſe opprobrio, ſed honori, cultui, ac Religioni. Sed quia traditionem illam putamus non eſſe admodum firmam, terminos ſuprà datos ex-

exponimus, quibus plus adhæremus. Virginitas ergo per ſe loquendo non erat res planctu digna, ſivè phyſicè ſumpta, & pro integritate corporali; hæc enim nulli poteſt eſſe dolori: ſivè in linea morum: tùm quia libare ipſi Domino vſum rei, cuius eſt Dominus, non eſt iuſti doloris: tùm quia plures coniugatæ potiùs plangunt traditionem ſui corporis, quàm fecère: & ſæpè non immeritò: tùm quia nihil ſpontaneum lachrymis penditur; niſi ſit culpa: virginitas autem nulli legi adverſabatur, vt ſuprà tetigimus. Plangere ergo libebat Filię Iephte: tùm quia licet ſi iuxta naturam ſervare virginitatem, ne quæ, ſi nolit, tradat alteri corpus ſuum; naturale etiam eſt, & in mulieribus magis, præſertim in ea lege in qua erat promiſſa poſteritas, & MESIAS, ſobolem concupiſcere: qua cum illa ſe videret eſſe fraudatam; ne mireris illachrymantem: Tùm fortè *quia immaturè*. Cum enim eſſet ſacrificanda; accidit ei quod cuivis ætati teneræ vtriuſque ſexus: ſivè enim iuvenis, ſivè iuvencula dolendum putant, ſi immaturè rapiuntur, antequàm dent fructus ſuos in tempore ſuo: cumque præcipuus fructus fœminei ſexùs ſit proles; ideò Filia Iephte Virginitatem ſuam lamentabatur. Vide Toſtatum in Iudic. queſt. 50. Ad confirmationem reſpondeo conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Quia inter coniuges ſicuti proles dicitur fructus benedictionis; ita carere illa, vel eſt maledictio, ſi nimirum matrimonium non ad iuſſa Domini peractum eſt: vel res eſt opprobrij (ſaltem humani) aut propter impotentiam generandi, quę defectus phyſicus eſt: ſicuti eſſe gibboſum, aut monoculum: Vel quia, ſi adeſt potentia generandi, verè ea fruſtraneà, & illuſorià fit, omnemque ſpem poſteritatis abſcindit. Carere autem prole ſub omnimoda integritate ſui, vel ob finem conſecrandi Domino corpus ſuum: vel etiam ob ius proprium, ne tradatur alteri, probro eſſe non poteſt, ſed potiùs ſemper fuit admirationi, & honori. Ex quo patet ad probationem. Poſt hæc Illuſtriſ. Siuri de augmento Virginitatis, & comparatione cum Maternitate diſputat eruditè. Ego quidem ſicuti in partu Virgineo Virginitatem eius mirificè exaltatam fuiſſe contemplor; ita Virginitatem, & Maternitatem, cum ambæ ſint celſiſsimæ pulchritudines, eas potiùs exaltatas ſic volo, vt non comparentur: ne videlicet appareant vt duæ, qui Deipara tan ſtupendam inivere vnitatem.

)§(

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ET EXULTAVIT SPIRITUS MEUS IN DEO salutari meo. Lucæ cap. 1. vers. 47.

ARTICULUS

AN FOMES PECCATI IN V. MARIA SOLUM Ligatus fuerit, vel prorsùs extinctus?

NOTABILIA.

1 SUPPONO primò: Fomitem peccati esse naturalem quandam inclinationem sensitivi appetitus ex originali peccato promanantem, & absque consensu rationis ad sensibilia vergentem, motusque rationi contrarios, licèt indeliberatos producentem. Suppono secundò: Per inde se habere hunc fomitem ligatum, vel extinctum esse in ordine ad aliquem actum secundum ipsius fomitis producendum; æquè enim caruit B. V. Maria quolibet actu fomitis, sivè rebellione appetitus, ponendo ligatum fomitem, ac si ponamus extinctum. Suppono tertiò: Ligari fomitem, si nimirum Deus per solam extrinsecam providentiam in eo cohibendo processerit impediendo obiecta, & species sensibiles, vel denegando concursum ad motus inordinatos: tunc autem fomes dicetur, nedum ligari, sed etiam extingui, si vel per habitus infusos, & virtutes perfectas, vel per Divinam gratiam excitantem, prævenientem, & adiuvantem ita magis, & magis langueſcat potentia inordinata appetitus, vt ex intrinsecis suis iam ad nullum inordinatum motum assurgere queat, impotentiaque potiùs nominetur, & sit. Hæc extinctio, vel fieri poterit per habitus infusos, vel qualitates ita perfectas, vt per sui informationem potentiam ad motus rationi contrarios omninò debilitent, ac restinguant. Quod quia noster Suarius, ait, se non percipere, iungit gratiam prævenientem, & adiuvantem; & hoc modo concipit, fomitem illum posse restingui, quatenùs auxilium Dei, & custodia disponat, quod ipsa ratio superior, dum oportet, attendat, & vigilet, ne præveniatur ab appetitu, appetituſque per virtutes perfectas subijciatur rationi. Hac ergo extinctione appetitus de qua infra latè sic modo intellecta, vt potiùs quam repressus, & ligatus, verè

quoad

quoad actum primum ſui (ſaltem proximum) dicatur extinctus.

2 Duplex in hac quæſtione verſatur ſententia, quarum prima aſſerit à prima Sanctificatione B. V. Mariæ ligatum fuiſſe fomitem; non tamen extinctum vſque ad ſanctificationem ſecundam, cum ſcilicèt in vtero ſanctificato verbum concepit. Hanc docet D. Thom. 3. part. quæſt. 27. art. 3. cum Caiet. & alijs. Item Albertus Magnus in 3. diſt. 3. vbi Bonav. 1. part. diſt. art. 2. quæſt. 2. eandem tenet, & Ricard. art. 1. quæſt. 3. & 4. Durandus in 3. & inclinat Ricard. de S. Vict. lib. 2. de Emmanuel. cap. 26. & 27. Secunda ſententia ſubſtinet, etiam in prima Sanctificatione Mariæ fomitem concupiſcentiæ fuiſſe prorsùs extinctum. Ita Alenſis 3 part. quæſt. 9. membro 2. art. 1. Scotus, Gabriel, Almainus, Maior in 3. diſt. 3. Suarez 3. part. tom. 2. diſp. 4. ſect. 5. & ferè illi, qui Mariam ab originali culpa præſervatam defendunt.

3 Huic ſententiæ libens ſubſcribo, & ſic eam probo. Primò: Ex conſenſu Theologorum, & PP. Nullus datus fuit in Maria ab eius prima ſanctificatione fomes in actu ſecundo, vel actus fomitis: ergo neque potentia ad ipſum. Probo conſequentiam poſteà probaturus antecedens. Ponere fomitem in actu primo, qui nunquam prorumpit in actum ſecundum, eſt ponere potentiam prorſus otioſam, & quidem minus lucidam; ſed hæc in Maria ſuſpicari non licet: ergo potius dicendus eſt fomes extinctus. Probo minorem, tum ex D. Bernard. in Sermone ſuper illa verba: *Signum magnum.* Sic aiente: *Nihil in ea non dico tenebroſum, ſed obſcuram ſaltem, vel minus lucidum: ſed nec tepidum quidem aliquid, aut non ferventiſsimum liceat ſuſpicari.* Tum ex Ricard. de S. Vict. lib. 2. de Emmanuel. cap. 28. aiente: *Virgini omnem otioſitatem fuiſſe ſublatam.* Probo iam antecedens quoad Theologos, conſtat ex D. Thom. loco cit. art. 4. itemque ex Patronis vtriuſque ſententiæ: quoad PP. autem præter teſtimonia modo dicta, produco primò, eundem Ricardum, qui cap. 31. ait: *In cæteris Sanctis magnificum fuiſſe, quod à vitijs non ſunt expugnati; in Virgine autem, quod impugnata fuit.* Secundò, Damaſcen. qui oratione de Aſſumptione vocat *Virginem immaculatam, quæ cum terrenis affectionibus nihil habuit commune.* Tertiò, Sophronium in Epiſt. ſextæ Synodi fere idem loquutum. Et quartò, Ambroſ. de Inſtitutione Virginum, cap. 1. dicentem: Mariæ datum fuiſſe, vt *præſentiâ ſuâ integritatis inſigne alijs conferret.* Quintò, demum à ratione: Quia decebat, Virginem ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequeat intelligi; & certè talis ſubſultatio appetitus eſt impuritatis ſpecimen. Sextò, denique quia extinxit effectum qui ſubſtulit cauſam; ſed peccatum originale eſt radix, & cauſa huius fomitis: ergo Deus, qui præſervavit Mariam ab originali, extinxit fomitem: Cuius integræ argumentationis vis explicatur cum Dei ſapientiſsima, & ſuaviſsima providentia, qua fini media componit: Undè cum Mariam ab omni actuali, & originali immunem voluerit, & ſubſtulit fomitem, & motus inde manantes. Probo ſecundò, Virginem extrinſecùs regi ſolum per providentiam, ne fomes intus latens in motus vnquam erumperet, imperfectum eſt. B. V. ergo quid plus eſt donandum Virgini: Antecedens per ſe patet: & quia probat, laterè initium aliquod mali.

4 Obijcies primò: Motus fomitis inculpabiles non minuunt ſanctitatem, ſed augent: ergo à Deipara non ſunt repellendi. Reſpondeo, diſtinguo antecedens in his, qui adquirunt ſanctitatem certando, cum lucta carnis, & ſpiritus. Concedo antecedens; abſolutè, nego antecedens: Nam ſanctitas perfecta,

fecta, & excelsa, qua talis, excludit omnem motum Divinę Legi, etiam materialitèr contrarium: atque cum Maria in tanta elevatione incæpisset, in quo statu gratia recipitur potius per suaves imbres, quàm per victorias; inde est, quod tales motus sanctitati huius personæ potius quàm prodessent, officerent.

5 Objicies secundò: Iuxta PP. in Conceptione Christi *Maria liberata fuit à carnalibus maculis: eius originale incendium fuit extinctum: corpus, & anima purgata*; sed hæc omnia verificari vix possunt, si fomes antea fuisset extinctus: ergo non erat. Maior patet ex Cypriano de carnalibus Christi operibus, cap. de Nativit. Christi. Ex Nazianzen. orat. 38. & 42. & Arnobio Psalm. 14. Respondeo concessa maiori, nego minorem, & consequentiam: datur enim intelligentia peraccommoda his Patribus, & phrasibus se explicandi: nàm Cyprianus non de fomite, sed de sensibili voluptate est loquutus, dum dixit in Maria per Conceptionem Christi originale incendium fuisse extinctum. Arnobius carnales maculas intelligit æstum libidinis, & sordes puerperij, à quibus B. Virgo fuit libera, non sanativè, sed præservativè, quatenus illum æstum libidinis non haberet, quem mulieres habent reliquæ in concipiendo. Similem intelligentiam suscipit Nazianzen. & alij. Quamquàm subinde possit sumi mystice illa purgatio, non quidem à culpa, seu fomite culpæ; sed ab omnibus rebus creatis: quatenus plus, & plus Maria, Spiritu Sancto superveniente, tota sursùm ageretur illuminatione, & fervore, omnem terrenam ignorantiam, atque animi remissionem excludens: Sic D. Thom. loc. cit. ad 3. cum Dion. de Cœlesti Hierarchia, cap. 6. Et ea essent satis ad fomitem in actu secundo removendum, quem argumentum videbatur inducere.

6 Objicies tertiò: Indecens omninò est, aliquem liberari à lege fomitis, & peccati, priusquam Dei filius carnem ita liberam, & omninò sanctam prior assumeret: ergo à primâ sanctificatione fomes in Maria non fuit extinctus. Respondeo distinguo antecedens: *Ex meritis Christi, & inferius, quàm Christus*, nego antecedens: *Non ex meritis Christi, & tàm excellentèr, quàm ille*: Concedo antecedens, & nego consequentiam: Christus enim per se habuit omnem animæ, & corporis sanctitatem; Virgo autem per ipsum: Christus vt Deus homo perfectum dominium habuit in omnes actiones, & obiecta suarum actionum, & vt Beatus omnia semper ritè considerabat. Maria autem tantæ perfectionis à se non erat capax; vnde ex meritis Christi in ea extinctus est fomes; non secus ac sine præiudicio sanctitatis Christi plures animæ ex meritis ipsius fuerunt prius sanctificatæ. REPLICABIS: Non decuit carnem aliquam ingredi prius gloriam, quàm Christus: ergo neque prius sanctificari. Nego consequentiam: quia Christus voluit reservare sibi cœlorum portas aperire: Vnde canit Ecclesia, fores, & vectes *Salvator noster disrupit*: neque indecens etiam putarem, quod aliquis prior in gloriam introiret, quàm Christus; dummodo tamen huius nomine id fieret, vt fusiùs tractavi in quæstione hypotetica de transitu Virginis: Vltra quod clara est disparitas Suarij aientis; quod in perfectione pertinente ad Patriam, nemo ante Christum; licèt in perfectione pertinente ad viam, plures eum præcesserint ipsius gratia condecorati, vt tenent Theologi ad tract. de Incarn.

7 Objicies quartò: Si talis fomes fuisset extinctus; orta fuisset Maria in iustitia originali; sed ita non fuit: ergo neque fomes extinctus. Maior videtur certa: quia ex collectione virtutum,

tum, & ſubiectione appetitus videtur iuſtitia originalis conſtare. Minor etiam patet: nam Maria fuit capax timoris, triſtitiæ, & doloris, quæ omnia iuſtitia originalis non claudit. Reſpondeo primò, diſtinguo maiorem adæquatè ſumpta, nego maiorem; inadæquatè, ſed principaliter ſumpta, concedo maiorem, & diſtinguo minorem, non fuit orta in iuſtitia originali adæquatè ſumpta, concedo minorem inadæquatè ſumpta, nego minorem, & conſequentiam. Licet enim propter rationem argumenti, & quia B. V. Maria id non habuerit ex vi ſuæ originis, abſolutè dici non poſsit, natam fuiſſe in originali iuſtitia: quia tamen præcipui effectus ipſius erant ſubiectio appetitus ad rationem, & rationis ad Deum, donaque quibus hæc fiebant, ſimilia eſſent, & eiuſdem rationis cum donis Adamo collatis; inde eſt, poſſe nos Mariam quaſi in iuſtitia originali ortam confiteri. Sunt tamen AA. minus ſcrupuloſi in hac re procedentes, & id ſimpliciter affirmantes, tum apud Cordubam lib. 1. quæſt. 46. tum apud Suarez loc. cit. vbi invenies citatos Anſelmum, Cartuſianum, Caniſium, Cuſſanum, Durandum, & Caietanum. Donum igitur talis iuſtitiæ originalis iuxta D. Thom. & Scotum eſt habitus diſtinctus à gratia, vt videre eſt apud Vazquez 1. 2. apud ipſum vero partim erat intrinſecum per gratiam in eſſentia animæ exiſtentem, & virtutes omnes heroicas per ſe, & per accidens infuſſas; partim verò extrinſecum per ſpecialem Dei cuſtodiam, & providentiam, quod latiùs explicat Suarez quæſt. 95. in primam partem.

8 Obijcies quintò: Nullum eſt fundamentum, vt Mariæ in principio virtutes datæ fuerint ſic eminentes, vt fomitem extinguere poſint: ergo non fuit extinctus. Reſpondeo, nego antecedens: Tum quia ſi primis noſtris Parentibus in prima ſua ſanctificatione ita ſunt datæ, cur non Mariæ? Unde ait Bernard. Epiſt. 174. *Ego puto, quod copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderet, quæ ipſius, non ſolum ſanctificaverit ortum, ſed & vitam ab omni peccato deinceps cuſtodierit immunem.* Quomodo ergo donum, quod ita ſufficit ad ſic præſervandum, non eſſet longè maius, quam quod primis Parentibus fuit collatum, qui tamen protinus ceciderunt? Data ergo eſt Mariæ omnis plenitudo gratiæ, & virtutum in primo inſtanti, ſicut primis Parentibus: decebat enim, eam infra Deum omni puritate nitere. Replicabis: Ergo creſcere in ipſis non potuit. Reſpondeo, diſtinguo conſequens: quoad maiorem, & maiorem expulſionem contrarij, concedo conſequentiam: ita nos creſcimus in virtutibus. Quoad maiorem propinquitatem, & acceſſum ad Deum, nego conſequentiam. Maria enim per totam vitam intenſiſsimè crevit in gratia, vt optimè expendit noſter Señeri in libro, cui titulus eſt *Devotus Mariæ* per argumenta calculatoria: fuit ergo in primo inſtanti gratia plena Maria, plena quoad numerum virtutum infuſſarum, quia nulla defuit: plena quoad capacitatem, quia nulla potentiarum gratia ſibi correſpondente vacua remanſit: plena; quia *plenè* illam gratia occupavit, nihil in ea paſſa contrarij; & ſolum non plena, quatenus ſuis actibus, & meritis plus per inſtantia ſuo Domino appropinquaret.

9 Colliges primò: Mariam nullam mentis diſtractionem, variæque phantaſiæ mutationes nullas involuntarias paſſam fuiſſe, vtpotè quæ fomitis imperfectionem redoleant. Si tamen habuit dolorem, triſtitiam, amorem, &c. eſt, quia ſolum excluduntur in ſtatu iuſtitiæ originalis, in quo nihil pœnale erat; Mariæ autem pœnalia phyſica naturæ relicta ſunt, vt gravari, fatigari, dolere, &c. Unde dixit

Ri-

Richardus de Sanct. Vict. vbi ſuprà: *Solam pœnam fuiſſe relictam.*

10 Colliges ſecundò: Fortè aliquem hanc quæſtionem exiſtimaturum eſſe de nomine. Vel enim extinctio conſiſtit in defectu actus proximi, vel remoti? Si primum; etiam fomiti ligato deficit actus primus proximus, ſicuti homini in vinculis deficit verè actus primus proximus, & expeditus ad Sacrum, v. gr. Unde in hoc ſenſu ligari, & extingui idem eſt. Si ſecundum, videtur fomitem inextinguibilem eſſe, niſi extinguendo ipſas potentias, quarum vnaquæque eſt actus primus remotus ad ſuos actus. Quis autem dixerit in B. V. potentias appetitivas extinctas fuiſſe per gratiam? Propter quæ forſan noſter Vega in Theologia Mariana, Palæſt. 9. cert. 1. fin. etiam putat, vix dici propriè poſſe, fomitem ligatum eſſe, aut extinctum; ſed potius non eſſe: neque enim ligatur, aut extinguitur quod eſt aliquomodò. Igitur ex ipſo, & noſtro Vazquio fomes conſiſtit in vehementi illa inclinatione appetitus ad ſenſibilia contra præſcriptum rationis contractà per originale, & quà caruit ſtatus innocentiæ: vnde & rebellio hæc naturalis non eſt, ſed præternaturalis: ſiquidem potentia appetitiva nobis data naturaliter ſubijciebatur rationi, quare fomes *in actu ſecundo* eſt ipſa actualis ſubſultatio appetitus contra rationem, ipſam præveniens: *In actu primo proximo* eſt potentia appetitiva tàm intrinſecùs ex parte ſui, quàm extrinſecùs ex parte obiectorum expedita ad vehementer præveniendam rationem contra dictum, & dictamen ipſius: fomes vero *in actu primo remoto*, eſt ipſa potentia appetitiva ſimpliciter obiecti ſenſibilis. Vnde, ſi à Deipara velimus fomitem etiam in actu primo remoto amandare, poterimus dicere, in nobis quidem conſiderari poſſe talem actum primum remotum, quia talis eſt noſter appetitus, cui nimirum actus primus proximus fomitis advenire poſſet; ſecùs verò in Deipara, quæ concepta eſt cum facultate moderatè appetitiva, & ſine facultate appetitiva præter metas rationis: vnde ei repugnabat talis potentia proxima ſic ſubſultandi contra rationem. De quo poſteà explicatiùs.

11 Colliges tertiò: Quod quamvis Vega num. 863. videatur ad merum ligamen fomitis confugere, iam collocans impedimentum ipſius tum in actuali contemplatione immobili diuinorum, tum in extrinſeca protectione: iam num. 855. impugnans quod ex donis, & gratia, non poſſet facultas appetitiva aſſurgere contra rationem, eò quod habitus infuſi, & gratia dent potentiam, non vero facilitatem, reſideantque non in appetitu, ſed voluntate; tamen apertè extinctionem tuetur, dum toto certamine 2. fomitem contrarium, ſcilicet, ad honeſta toto niſſu ſtabilire conatur. Vnde ſatis ad ſuperiora ipſe ſibi reſpondet dum ex Philoſophis, & Theologis ponit habitus receptos in appetitu ſenſitivo: medijs quibus, quemadmodùm habitus infuſi in voluntate dent poſſe operarè, & imperarè confirmitèr ad rationem, ſic in appetitu quoque eadem facilitas reſideat ad ſequendum ductum rationis, cum ea, quæ per longos habitus acquiſitos virtutum parari ſolet. Ita expreſsè habet num. 869. cum Bonaventura, Scoto, & alijs Doctoribus.

12 Rogabis primò: An in Deipara nedum extinctus ſit vel nullus fomes peccati, ſed etiam admitti poſsit fomes virtuoſus, ideſt vehemens inclinatio appetitus ſenſitivi ad honeſtum ſequendo ductum rationis? Antequam reſpondeam, præmitto cum Illuſtriſ. Siuri, qui favet nobis in hac re, laudabiliter hunc fomitem propugnare Autores claros, & nobiles, vt ſunt Saavedra de Deipara veſtig. & diſp. 3. Vrritigoyti de Concept. ſect. 30. Vega

in

in Theologia Mariana, Palæſt. 9. cert. 2. Poza in Elucidario lib. 3. tract. 15. & noſter Celada in Appendice ad Iudith figuratam, cap. 8. §. 2. Cum quibus Authoribus lubens ipſe conſentio. Stant enim Patres. Damaſcenus 1. orat. de Nativitate Mariæ, ibi: *Mentem divinitus habens gubernatam, ac ſolummodo Deo attendentem, affectumque omnem concupiſcibilem diſpoſitum in id, quod ſolùm appeti, & amari debet. Affectum verò iraſcibilem adverſus culpam tantummodò, culpavè Parentem.* S. Baſilius de Humana Chriſti generatione, ibi: *In ſanctitate caro conglutinata, digna quidem vnigeniti divinitati coniungi fuit.* Bernardus apud Vegam num. 870. *Mariæ Virginis appetitus nil præter Deum poſcebat.* Div. Bonaventura, apud eundem, num. 867. vocavit Mariam *fomitem miſericordiæ.* Deinde, quia ſtat etiam ratio, & probatur: Mariæ ea puritas, & maior receſſus à pecc. to concedendus eſt, qui in ratiocinijs ſanè Theologicis fundari poteſt. Sed prædictus fomes virtutum multiplici via in Theologia fundari poteſt: ergo concedendus eſt. Maior quidam Canon eſt pietatis, ſolidæque doctrinæ, in quo duntaxat ſcrupuloſi eſſe poterunt ij, qui ſecum non maturè perpendant, quàm longè ſuperat manus Divinæ largitat in Mariam excurſus omnes cogitationis humanæ: quare in conceſsione gratiarum, vbi videamur ire largiſsimi, forſitan decurtamus. Minor patet ex noſtro Vega vbi ſuprà, qui in tàm fragrantiſsimo florilegio eruditiſsimus ſpatiatur. Primò: Quia cum Philoſophi, & Theologi admittant in appetitu ſenſitivo habitus; potuit Deus donare Mariæ habitus per accidens ita intenſos, vt vehementer pellicerent ad honeſta: cur enim Deus minus ſit potens in conditione appetitus, in quo ſit incitamentum virtutum; quàm in conditione appetitus continentis in ſe fomitem ad malum? Secundò: Quia potuit Deus, iuxta alios, infundere ipſi ſpecies ſenſibiles inſenſatas miram delectabilitatem affigentes obiectis honeſtis, ita vt non cogitaretur v. gr. caſtitas niſi cum vehementiori delectabilitate de honeſtate eius quàm ea eſt, quæ de contraria turpitudine homini vitioſo ſolet ineſſe. Tertiò: Quia potuit illa potentia appetitiva individualis Deiparæ ſingulariter fuiſſe temperata ad honeſtum, licèt eſſet eiuſdem ſpeciei cum noſtra, eò prorſus modò, quo cum eadem facultate ſenſitiva in ſpecie; alius acria; alius dulcia; alius rubeum colorem; alius cœruleum; alius hunc odorem; alius alterum vehementer ſectatur. Quartò: Quia ex ipſo Vega, & vt nos ſuprà tetigimus, fuit Deipara quoad præcipuos effectus condita in originali iuſtitia: ergo quemadmodum ex originali lapſu fomes nequitiæ progerminavit; ita iurè optimo ex ipſa originali iuſtitia quidam æquitatis, & honeſtatis fomes debebat progerminare. Quintò: Denique quia in hominibus experimur varias appetitiones honeſti: alij enim ad tolerandos labores; alij ad temperantiam, & caſtitatem; alij in opera miſericordiæ quaſi ex indole, & appetitu atque voluptuosè feruntur. Circa quod lege Auguſt. tract. 26. in Ioann. poſt initium. Cum ergo itidem in Maria non diſcurramus circa omnigenam honeſtatem? Quod autem de fomite ad bonum in Chriſto non meminerint Theologi, vt obſervat non nemo; facilè ſolvitur cum Vega, dicendo id potiùs in Chriſto ſupponi ab omnibus eminentiori, quodam modo propter illam excelſam vnionem, qua Sacroſancta humanitas fuit divinitùs delibuta.

13 Ad hæc replicare quis poterit: Ergo Maria non merebatur. Probo conſequentiam. Primò: Quia impotens erat ponere actus malos: ergo non me-

merebatur per bonos : ij enim erant neceſſarij ; non liberi. Secundò : Quia non eſt meritum, vbi non eſt reſiſtentia : ſi ergo dabatur propenſio ad bonum : ergo reſiſtentia nulla. Reſpondeo, nego conſequentiam. Ad cuius primam probationem, nego antecedens. Quia licèt B. V. Maria careret fomite, ſicuti carebant Primi Parentes in ſtatu Iuſtitiæ originalis ; gaudebat, ſicut & illi, ſuo libero arbitrio, quod vertibile etiam erat in malum: veluti de facto in Adamo in malum deflexit: tametſi in Deipara ita ornatum, & fultum eſſet, vt haberet, prout dicit Vega, impotentiam moralem peccandi ; ſecùs autem phyſicam. Ad ſecundam probationem reſpondeo, diſtinguendo antecedens. Non eſt meritum *commune*, & *vulgare*, vbi non eſt reſiſtentia, concedo antecedens : *Scholaſticum*, & *verè tale*, nego antecedens, & conſequentiam. Itaque frequentèr, apud homines, & etiam apud Deum, dum militamus in carne, quò plus nos vincimus, plus meremur ; ſed ratio eſſentialis meriti non ſtat in victoria, ſed in obſequio : imò ideò plus meremur, quando plus nos vincimus : quia plus obſequimur : vnde ſi quis alteri obſequatur ſine lucta, (vt ſolent aliqui ex genio, vel affectu eſſe obſequioſi) meretur verè apud illum. Et in hoc obſequio taxando ingreditur valor operis meritorij, & perſonæ merentis : quare obſequiolum Regis plus valet, quàm obſequium grande plebeij: ſimiliter inter duos filios, quorum prior gratior eſt Patri, hic per leviorem opellam in gratiam Patris, plus præmij reportat, quàm ſecundus. Et reipſa, quia plus placet complexum ex opere, & operante, plus obſequitur ; & quia plus obſequitur, plus meretur. Hinc ergo planum eſt altiſsimum meritum Deiparæ, quamvis nulla ad ſe vincendam reſiſtentia daretur : quia nimirum cum eſſet inter puras creaturas Deo gratioſiſsima, & quidem per omnes actus, & modos ei ſummopere obſequeretur, coram ipſo cumulatiſsimè merebatur.

14 Rogabis ſecundò : Quomodo perſpicuè ad ritam Phyloſophiam, & Theologiam accomodetur hæc extinctio, ſeù carentia fomitis ad malum, & gratia fomitis ad bonum per ampliorem collationem gratiæ, & habituum? Reſpondeo primò : Fomitem ad bonum explicari ſatis per habitus intensè infuſos ſic. Quia licèt habitus acquiſiti ſint ad *facilè* operandum, non autem ad *poſſe* ; tamen habitus infuſi ita ſunt ad *poſſe*, vt non excludant eſſe ſimul ad facilè : quia revera nimia potentia ad quidpiam vera facilitas eſt: ſi enim vigor ſpirituum vitalium eſt facultas, & potentia phyſicè portandi lapidem ; ſi creſcunt, & roborantur hi ſpiritus ; nedum potentia, ſed etiam facilitas fit ad portandum. Quod ſi in fomite vltra facilitatem poſtules propenſionem ; etiam vbi facultas eſt amplior, & nobilior, fit quædam pronitas, & propenſio : atque ideò in pueris, & adoleſcentibus, vbi facultas ſe movendi amplior eſt, & purior, cernitur quædam pronitas ad motum, potiùs quàm ad quietem, & inclinatio ad omne genus agilitatis, vt ſunt *ſaltare*, *currere*, *luctari*, &c. Ita ergo habitus omnium virtutum, Deiparæ intensè donati, nedum ipſi dederunt *poſſe* ; ſed etiam ipſi fecerunt propenſionem, & facilitatem operandi in vnaquaque linea reſpectiva virtutis: quia nimirum hi habitus reciperentur in anima, cum qua identificatur tota facultas actiua appetitùs. Hæc ni fallor clariſsimè explicant appetitum cum fomite ad bonum. Reſpondeo ſecundò : Extinctionem, vel carentiam fomitis ad malum ſic explicari: Fomes non eſt potentia ipſa appetitiva, ſed rebellio, & veluti quidam præternaturalis æſtus illius ad proſequen-

quendum ſua obiecta ſenſibilia antè, & præter, & contra ductum rationis: qui quidem æſtus atque inordinata commotio non fit niſi ad propoſitionem obiecti ſenſibilis, quod *delectabile ſine moderatione* proponitur; & quidem erroneè: vndè oritur quòd vbi non detur propoſitio hęc falſa delectabilitatis in obiecto ſine modo, & menſura, ſed delectabilitatis taxatæ, menſuratæ, & verę; æſtus ille dari non poteſt; & facultas appetitiva non poterit non ire moderata. Ex quo patet manifeſtè diſcrimen brutorum: nam hæc (ſi fortè eorum appetitus vltra menſuram ad obiecta fertur: quia neſcimus, quanti, & quatenùs eorum facultas appetitiva à Deo taxetur eo quo reguntur inſtinctù) ideò exorbitant à menſura: quia ipſis deficit verè regulè, & menſura rationis. Vnde illud homo *comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis*: & illud *nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus* planè explicatur: Quia nimirum homo per originalem lapſum mente ſuperbiens debilitavit fræna rationis, ita vt hæc ex ignorantia contracta ſæpè proponat erroneè, & ſæpè ex hac obſcuritate internoſcendi rationem, eam appetitus ſolà phantaſià ductus præcipiti motu antevertat: phantaſiæ enim ſolum eſt proponere delectabilia, ſed non ea librare, & menſurare, quod eſt rationis. Quod clarè cernitur in eo, qui priùs appetitu in aliquod obſonium profusè deditus, tandem ſubſtomachatur, & nauſeat; nec vnquam imaginari iam poteſt voluptatem in eo, ſed horrorem: quare conficitur, quod etiam in appetibilibus ipſa voluptas metas ſuas habet (non dico morales de quo nemo dubitat, ſed phyſicas) vltra quas illud obiectum non tàm voluptuoſum, quàm moleſtum aprehenditur ſenſui: quod & in olfactu, & auditu, &c. facilè eſt percipi: & inde convincitur veritas ille Auguſtini in libris Confeſsionum: *Statuiſti Domine, & verè ſic eſt: vt ſibi ſit pœna ipſemet animus inordinatus*: quando enim obiecti ſenſibilis tranſilitur meta, pœnale fit obiectum. Iuxta hanc ergo meditationem appetitus ſenſitivus Mariæ numquam habuit ſpecies delectabilitatis obiectorum ſenſibilium, niſi in menſura veræ, & ſolidæ, & licitæ proſequibilitatis ipſorum: propter omnimodam rectitudinem, & illuſtrationem ſui intellectus, vnde eius appetitus niſi ad licita extendi non poterat: agnoſcebat enim clariſsimè tantum cibi, tantum auditus, &c. vera voluptate (non falsà) ſuo ſenſuum vſui ſatisfacturum; econtrà verò, quidquid inde exorbitaret, non veram delectationem, ſed veram gravedinem, & nocumentum, & læſionem ſui appetitus allaturum: quo quidem ille exceſſus non vt voluptuoſus, ſed vt fugiendus ipſi proponebatur: vnde æſtus inordinatè appetitivus nequibat aſſurgere. Hæc etiam ni fallor phyloſophicè, & Theologicè carentiam fomitis explicant, potentijs appetitivis ſemper illæſis. Vnum verò his poterit replicari ſcilicèt. Quomodo Primi Parentes illicitè pomum appetiverunt; ſi mens eorum in eo ſtatù Iuſtitiæ originalis non poterat proponere delectabilitatem illicitam? Reſpondeo, vel quia ex placito Theologorum, eorum mens ad illud *eritis ſicut Dij* priùs ſuperbiendo cecideratt, vel quia ad delectabilitatem pomi acceſsit ſuaſio externa ſerpentis. Vel quia exceſsit Deipara quoad primævam, & ampliſsimam ſuæ mentis illuſtrationem. Vide de his, & pro his P. Poza in Elucid. lib. 3. tract. 15. & 16.

15 Hactenus dicta ſint ſatis: qui plura velit luſtret DD. Marianos noſtros, (qui ſunt plures, ijque percelebres) ſcilicèt, Petrum Caniſium de B. Virg. Chriſtophorum Caſtrium de B. Virgine ſivè Hiſtoria Deiparæ. Chriſtophorum

Vegam in Theologia Mariana: quos ambos Chriſtophoros iure etiam Mariophoros appellabis. N. Eximium Doctorem Franciſc. Suarium de Vita Chriſti. Ferdinandum de Salazar de Conceptione, in Proverbia, & in Cantica, & Didacum Celadam in Iudith, & aliàs Biblicas Heroinas: Poſtremoque Eruditum Ioannem Baptiſtam Poza in ſuo Elucidario Deiparæ. Quos omnes de Societate Matre mea Magiſtros, cum habeam certè pios, & luculentos anteſignanos; cur omninò non ſequar in elucidando Noſtram SS. Matrem Mariam: præſertim cum in hac re quatuor ex ipſis hic fuerint Biblica moderati; ſcilicèt Caſtrius, Salazarius, Poza, & Celada?

JHS.

QUÆSTIO NONA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

QUONIAM IN LEGE NEMO IUSTIFICATUR APUD Deum. Ad Galat. cap. 3. verſ. 11.

ARTICULUS.

AN, ET QUOMODO LEX VETUS iuſtificaret?

NOTABILIA.

1 ANTEQUAM hanc quæſtionem difficilem explicemus, præmittere oportebit nonnullas Suarij Doctrinas non controverſas, ſed ſimplici enuntiatione propoſitas, vt in progreſſu huius, & aliarum quæſtionum claritas propoſitionum affulgeat. Præmitto primò: ante Moyſem licèt vnum, vel alterum præceptum à Deo datum fuerit; non tamen integram poſitivam legem pro aliquo Populo, ſicut miniſterio Angelorum data eſt per Moyſem lex Divina quinque ſuis libris comprehenſa, authore Deo, & promulgatore Moyſe, ita vt Pentateuchus etiam vſque ad finem Deuteronomij Divinus fuerit. Cuius legis finis vltimus erat ipſe Deus: quia vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Deinde finis principalitèr intentus erat ſpiritualis, & ſupernaturalis gratiæ, & gloriæ: quare & in Chriſti honorem data eſt ad conſervandam, & augendam fidem explicitam Chriſti venturi, Populumque diſponendum ad ipſius adventum; finis autem proximus, & adæquatus erat inſtructio honeſta, & conveniens ad ho-

honeſtatem naturalem, & ad Divinum cultum, iuſtamque politiam, quin propterea ſingula præcepta caruerint propijs finibus ad actus, & materias accommodatis, ita vt præcepta Cœremonialia, & iudicialia ex iuſtitutione Dei, & quaſi per ſe habuerint rationem figurativam ſuprà litteralem; ſecus vero moralia. Porrò materia talis legis, quæ bona erat, etſi non perfecta, erat etiam actus interni, qui à Deo ſanè præcipi poſſunt, & omnes externi, qui ad honeſtatem naturalem, Religioſam, & polyticam attinerent; quamquàm in ea lege nonnulla caderent ſub ſolo Conſilio.

2 Præmitto ſecundò, formam legis veteris, ſeu ſignum manifeſtativum voluntatis Legislatoris, fuiſſe verbum ſenſibile Dei, tum ore prolatum, tum digito Dei ſcriptum quoad Decalogum promulgatum in Monte Sinà, ſeu Horeb, qui idem eſt ex ſententia Hieronymi; quoad reliqua verò præcepta à Moyſe promulgata, publice coram Populo ea legendo. Tota hæc lex impoſita fuit ſoli Populo Iſrael; Gentilibus autem ſpontanea, & oblata, vt, ſi vellent, amplecterentur. Quæ quidem lex duplicem habebat effectum: alterum immediatum, ſcilicet obligare in conſcientia, ſub quo continentur illi actus *præcipere*, *& prohibere*, *permittere*, *& punire*; alterum vero effectum remotum, ſcilicet opus præceptum, & omiſsionem operis prohibiti, pœnam, & præmium, ac rectitudinem ita operantis: Quoad obligationem vero gravem, aut levem diſcerni poteſt iuxta præceptorum qualitatem. Quoad permiſsiones notandum eſt, ita eſſe effectus legis, vt non eſſent puræ permiſsiones, ſivè quæ eſſent mali, vt mali; ſed eſſent quaſi diſpenſationes, conceſsiones, & privilegia, poſt quæ res permiſſa, licita remanebat. Quoad pœnarum effectus dabantur in ea leges imponentes pœnam à Iudice exequendam, vt erant corporales, & pecuniariæ, quæ non obligabant in conſcientia ad talem pœnam ante ſententiam Iudicis; ſi vero erant pœnæ Medicinales, vt aliquæ oblationes, vel ſacrificia veroſimiliùs eſt obligaſſe. Aliæ erant leges pœnales non ab homine, ſed à iure certas pœnas imponentes, vel quaſi pœnas, id eſt illas irregularitates legales, necnon irritationes contractus; v. gr. Matrimonij. Quoad præmia vero, & promiſsiones, quæ etiam erant effectus legis dicendum eſt, legem propriè ſumptam non promiſiſſe æterna, ſed temporalia; licet homines ſub tali lege conſtituti habuerint promiſsionem ſpiritualem, & æternorum, non quidem ex ipſa lege, quæ ſolum addit temporalia, & ſic ſalvantur Patres hoc aſſerentes, vt Auguſtinus, Bernardus, & D. Thom. ſed quia promiſsio æternorum ex traditione per Patriarchas deſcendit, vt latè Suarez lib. 9. de Legib. cap. 6. à num. 18. opera autem talis legis erant meritoria de condigno præmij temporalis promiſsi: num autem eſſent meritoria de condigno præmij æterni? Diſputabimus in quæſtione præſenti, interim ſupponentes, quod licet occaſione legis multiplicarentur peccata, hæc multiplicitas abſolutè loquendo dici non poterat effectus legis: quia lex non dabat occaſionem peccandi, ſed Populus ex ea talem occaſionem accipiebat.

3 Præmitto tertiò: Magis appropinquandò ad rem, de qua eſt præſens quæſtio, duplicem videlicet diſtinguendam eſſe iuſtitiam ex doctrina Pauli ad Hebræos 9. alteram iuſtitiam carnis; alteram vero ſpiritùs, & fidei. Prima erat quædam munditia carnis propter irregularitates contractas, & ex qua dixit D. Thom. 1.2. quæſt. 103. artic. 1. Cœremonias antiquæ legis *ſanctificare ad emundationem carnis*, quam quidem iuſtitiam ſine controverſia eſt,

à veteri lege præſtari. Secunda verò iuſtitia, quæ fidei, vel ſpiritus dicitur, eſt illa, quæ abſolutè, & ſimplicitèr reddit hominem iuſtum, & ſanctum, & cuius effectio dicitur à Theologis *iuſtificatio*, quia nimirum in ordine ſupernaturali, & elevationis inducitur ſanctitas, & rectitudo. Aliud genus iuſtitiæ merè naturalis conſiderari etiam poteſt, quæ à Philoſophis Moralibus appelletur Vniverſalis iuſtitia, eo quod honeſtatem quamdam, & cunctarum operationum rectitudinem claudat. De quo genere iuſtitiæ merè naturalis hic modo non agimus, niſi reductivè, in quantùm videlicèt agentes de iuſtitia Fidei, operibuſque meritorijs in linea ſupernaturali, conſequenter de iuſtitia naturali, & eius plenitudine aliquid eſt attingendum, quàtenus dici ſolet ad tractatum de gratia requiri ſpeciale auxilium Dei ad obſervandam totam legem naturæ. Procedit ergo graviſsima noſtra præſens diſcuſsio de iuſtitia Fidei, ſeu ſupernaturali ſanctitate, num videlicet, & quomodo à lege veteri præſtaretur?

4 Cum tota vis iuſtificationis in lege veteri videatur eſſe trahenda ad Sacramenta legis antiquæ, in quibus potius reſidere videbitur, ſi fortè vlla fuit in antiqua lege, ideò loquendo de Sacramentis ipſius conabimur ſeparare ſententias, & quia de Circumciſsione maior eſt controverſia ſeparatim de ea recenſebimus opiniones Doctorum. Igitur de alijs Sacramentis prima ſententia aſſerit, nullam in ipſis gratiam conferri etiam ex merito operantium, quantumvis iuſtorum. Quæ ſententia tribui ſolet ſententiarum Magiſtro in 4. diſtinct. 1. licet excuſetur à Suarez, quaſi ſolum gratiam ex opere operato negaviſſet. Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit, non ſolum in talibus Sacramentis ex opere operantis gratiam conferri, ſed etiam præter illud, aut ex opere operato, vt apertè ſe explicat D. Bonavent. in 4. diſt. 1. artic. 1. quæſt. 5. Ita ſentit Hugo de Sanct. Vict. lib. 1. de Sacrament. p. 9. cap. 1. & p. 11. cap. 5. & p. 12. cap. 4. quamquàm non ita expreſſus pro hac re eſſe videatur. Citantur etiam pro hac ſententia à noſtro Suario, tom. 3. in 3. part. diſp. 10. ſect. 3. Alenſis 4. part. quæſt. 6. num. 3. artic. 2. Durandus in 4. diſt. 1. quæſt. 5. Paludanus in 4. diſt. 1. quæſt. 5. num. 52. Guillermus de Rubione in 4. diſt. 4. Tertia ſententia negat illis talem gratiam ex opere operato, & ſolum concedit iuſtis hominibus talia Sacramenta vſurpantibus augmentum gratiæ. Ita Div. Thomas, Suarez in 3. part. tom. 3. Richardus, Scotus, Gabriel, Soto, & communiter Theologi in 4. ſententiar. diſt. 1.

5 De Circumciſsione autem ſpecialiſsima eſt prima ſententia Paludani in 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 4. aientis, Circumciſsionem non ſolum cauſare gratiam ex opere operato; ſed illam phyſicè cauſaviſſe; cum tamen Theologi id concedentes Sacramentis novæ legis dicant, eſſe privilegium illorum proprium. Secunda ſententia docet, Circumciſsionem contuliſſe gratiam ex opere operato. Pro qua citantur Auguſtinus lib. 6. contra Iulian. cap. 3. lib. 15. de Civitat. cap. 16. lib. 5. Hypognoſticon, lib. 4. de Baptiſmo, cap. 24. Bernard. ſerm. 2. de Aſſumptione, Gregorius, Beda, & Rupertus. Sed eam tenet ex Scholaſticis Scotus in 4. diſt. 1. quæſt. 6. & 7. Gabriel quæſt. 4. artic. 1. Alenſis, Durandus, & Paludanus. Tertia verò ſententia ſubſtinet, neque Circumciſsionem ex operè operato gratiam contuliſſe. Ita D. Thom. in 3. part. quæſt. 62. artic. 6. ad 3. quæſt. 70. art. 4. & in 4. diſt. 1. quæſt. 2. artic. 4. & 6. Soto, Cano, Bellarminus, Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 10. ſect. 2.

6 Sit noſtra concluſio; *Lex vetus ab-*

absolutè, & simplicitèr loquendo non iustificavit. Probatur primò: Non iustificavit per præcepta Moralia, & Iudicialia; sed neque per Cœremonialia: ergo nullatenus. Maior constat: Tum ex D. Thom. id dicente de Moralib. 1. 2. quæst. 100. artic. 12. & de Iudicialibus idem supponente: tum quia Iudicialia pertinebant ad Gubernationem Polyticam. Minor etiam constat ex D. Thom. quæst. 103. 1. 2. artic. 2. Probatur secundò conclusio: Si lex vetus aliquomodo iustificavisset; vel fuisset conferendo gratiam ex opere operantis, vel ex opere operato; sed neutro modo illam conferebat: ergo non iustificabat. Probo minorem, quoad secundam partem, posteà probaturus quoad primam: Divus Paulus ad Galat. cap. 4. vocat Cœremonias legis, egena, & infirma elementa, quia non delerent peccata, & ad Hebræos 9. ait similitèr peccata non auferri per sanguinem hircorum, aut vitulorum: ergo ex opere operato gratiam non conferebant. Secundò: Quia Decretum Eugenij IV. in Concilio Florentino aiebat, Sacramenta antiquę legis differre à novis in eo quod hæc gratiam causarent; illa vero solum figurarent. Item Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 2. ait: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cœremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi, anathema sit.* Sed si vtraque Sacramenta ex opere operato gratiam conferrent; non persisteret discrimen illud ab vtroque Concilio memoratum: ergo lex vetus ex opere operato gratiam non conferebat.

7 Probo iam primam partem illius minoris. Primò ex illis textibus Divi Pauli ad Roman. 3. 4. & seqq. *Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Ad Galat. 3. *Quoniam in Lege nemo iustificatur apud Deum.* Ad Hebræos 7. vbi legem vocat *infirmam, & inutilem*; sed si talis lex merito operantis gratiam conferret, tales propositiones absolutè essent falsæ: ergo nec ex opere operantis gratiam conferebat. Probo secundò: Ex eodem Paulo ad Hebræos cap. 9. versic. 9. *Quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem*; sed hoc non solùm est intelligendum de præceptis Cœremonialibus; sed etiam de moralibus, in quibus esse poterat difficultas: ergo tota lex non poterat iuxta conscientiam perfectum facere servientem. Nunc sic; sed si lex ex opere operantis iustificaret iuxta conscientiam, perfectum faceret servientem: quia iuxta conscientiam, id est ex merito boni actus, perficeret servientem dum servitio suo gratiam rependeret: ergo de primo ad vltimum lex vetus nec ex opere operantis iustificabat. Probo minorem, scilicet quod de moralibus etiam intelligendus sit textus Pauli. Primò: Quia ita interpretantur hunc locum D. Thom. in Epist. ad Hebræos cap. 9. & Augustinus de Spiritu, & littera cap. 14. & seqq. Secundò: Quia Paulus loquitur simplicitèr de tota lege, & ita constat quando Galat. 2. dicit: *Si ex Lege iustitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Tertiò: Quia illud præceptum *non concupisces* est præceptum morale; sed de hoc videtur, Divum Paulum sensisse, non perfectum facere servientem: ergo, &c. Minor patet ad Roman. 7. versic. 7. vbi ait Paulus *sed peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*; ergo licet homo ex lege non trahatur ad concupiscentiam; sed occasione sumpta ex malitia sua; tamen in his verbis Div. Paulus longè abest, vt indicet, legem perfectum facere servientem.

8 Obijcitur primò: Circumcisio veteris legis iustificabat ex opere operato: ergo lex vetus, quæ in ipsa fun-

daba-

dabatur veram iuſtificationem habebat. Probatur antecedens: Circumciſsio emundabat parvulos ab originali; ſed in parvulis hæc iuſtificatio non poterat eſſe ex opere operantis, quia parvuli erant incapaces illius: ergo ex opere operato. Maior conſtat tum apud nos alibi ſubſtinentes, quod Circumciſsio fuit iuſtituta in remedium originalis: tum ex communi Theologorum doctrina aſſerentium, parvulos ritu legitimo Circumciſſos ab originali mundari. Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: emundabat ab originali per modum ſigni, quo poſito parvulus iuſtificaretur, concedo maiorem; per modum virtutis iuſtificativæ, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: non enim negamus, neque negare poſſumus, ex cap. *Maiores de Baptiſmo*, & Auguſt. lib. 2. de Peccato originali, cap. 30. Circumciſsionem aliquomodo fuiſſe inſtitutam in remedium originalis; negamus autem ipſi in ordine ad iuſtificationem quodvis aliud privilegium, aut perfectionem, quàm quæ reperiebatur in remedio legis naturæ, ſcilicet, vt applicata fides per exterius ſignum Circumciſsionis parvulum iuſtificaret: ipſa enim Circumciſsio iuxta Paulum, quoque comprehenditur in ijs, quæ vocat elementa egena, & infirma, nec aliam illi vtilitatem concedit, quàm quod credita ſint Iudæis eloquia Dei, vbi comprehendit legem, & finem ipſius, vt declarat ad Rom. 10. Cum autem Deus ex meritis Chriſti præviſis voluerit remedium parvulis adhibere, & neque ex lege naturali, aut ſcripta poſſet hæc iuſtificatio deſcendere, providit in vtraque lege de conſentaneo remedio, quod, licet non ſe haberet per modum virtutis iuſtificantis; ſe tamen haberet per modum ſigni trahentis fidei applicationem, ſub qua poſſent ex meritis Chriſti ſanctificari. Imò neque ipſa fides ex opere operato ſanctificaret, ſed per modum meriti gratiam adferentis. Patet ergo Circumciſsionem gratiam non contuliſſe, ſed fuiſſe merum ſignum datum Iudæis ex inſtitutione Divina, ad cuius poſitionem cum debita fide Parentum, parvuli mundarentur.

9 Obijcitur ſecundò: Lex vetus præcipiebat actus Theologicos fidei, ſpei, & charitatis, & pœnitentiam, cum quibus obtinebatur iuſtificatio; ſed lex nulla alià via poteſt iuſtificare, quàm medijs operibus, quæ ipſa iniungit: ergo lex vetus iuſtificabat, & quidem iuſtificatione prima, quæ gratiam infundit peccatori. Minor de ſe videtur patere; maior quoad ſecundam partem, ſcilicet per talia opera in lege veteri peccatorem iuſtificari conſtat Ezechielis 18. & 33. & ex doctrina Concilij Tridentini ſeſſ. 14. cap. 4. Quoad primam verò partem, quod lex vetus tales actus præciperet, probatur primò ex Patribus Auguſtino lib. de Gratia, & Libero Arbitrio, cap. 18. vbi expreſsè aſſerit, præcepta charitatis eſſe in lege veteri, & nova; ſpiritum autem gratiæ ad illa implenda ſolum fuiſſe promiſſum in veteri, & conceſſum in nova, & ex D. Thom. 1.2. quæſt. 100. artic. 2. & art. 3. ad 1. quæſt. 99. art. 2. & quæſt. 107. art. 1. ad 2. vbi ait, præcepta moralia veteris legis fuiſſe de omnibus actibus virtutum, quibus amicitia conſtituatur inter Deum, & hominem; ſed in his planè includuntur actus fidei, ſpei, charitatis, & contritionis: ergo hi præcipiebantur in lege.

10 Reſpondeo, permiſſa maiori, diſtinguendo minorem: iuſtificare aliquomodo, concedo minorem; ſimplicitèr, abſolutè, & per ſe, nego minorem, & conſequentiam. Itaque poſſemus hanc obiectionem in limine abrumpere, ſi negaremus propoſitionem maiorem, vt negant aliqui

Theo-

Theologi, & fundare videtur Medina 1. 2. quæſt. 99. art. 5. relatus à Suarez lib. 9. de Legib. cap. 7. num. 9. Nos autem opinamur etiam tales actus in lege veteri fuiſſe præceptos : quia de pœnitentia erat præceptum Leviticí 16. de Charitate Dei, & proximi Deuteronomij 6. & Levit. 19. iuxta explicationem Chriſti Domini, Math. 22. & Pauli ad Roman. 13. De Fide Exod. 20. prout dicit Hieronymus; ac denique de fide, & ſpe, quoties articuli, & promiſsiones à Domino ſeriò, & intimativè Populo ſuſcipiendæ proponebantur. Quæ promiſsiones, licèt temporales ; tamen vt erant Divinæ pertinebant ad ordinem Superiorem iuxta Divum Thom. quæſt. 99. artic. 6. ad 2. Unde, & fide Divina credi poterant, & ſpe Divina ſperari. Nec obſtat quod hæc præcepta eſſent lege antiquiora : quia potuerunt in lege incorporari ; non ſecus ac incorporata fuit Circumciſsio, & tota lex naturalis, quæ tota lege veteri vetuſtiora erant. Igitur ſi lex illa vetus à Paulo dicitur *Spiritualis*, *& ſancta*: Itemque quod Chriſtum Dominum habebat pro ſcopo, & fine ; non eſt cur repugnemus talia præcepta in ipſa fuiſſe imbibita ; licèt fuiſſent certè anteriora.

11 Igitur, permiſſa illa maiori, deſcendimus iam ad explicandam ſolutionem, quam dedimus : verum quidem eſt, legem talia opera præcipientem poſſe quodammodò dici iuſtificare, quatenùs ipſa inducit eos actus, per quos eſt iuſtificatio ventura ; ſed hoc ſolum erit ſatis ad iuſtificandum *ſecundum quid*, hoc eſt *occaſionalitèr*, *extrinſecè*, *præceptivè*, *& impulſivè* ; non autem vt abſolutè, & ſimplicitèr dicatur iuſtificare. Ratio autem à priori eſt : quia iuſtificatio ſignificat abſolutè, & ſimplicitèr aliquid præſtabile in genere cauſæ efficientis, vel formalis, vt patet apud Theologos in Tractatu de Iuſtificatione apud quos, ſi Actus Contritionis extra Sacramentum communitèr dicitur iuſtificare; non eſt quia reipſa ſe ſolò iuſtificet ; ſed quia dum perfectus eſt, non indiget Sacramento, vt ſecum vltimò diſpoſitivè trahat gratiam, quę eſt forma iuſtificans. Si verò, vt tenent alij, Actus Contritionis ſit forma iuſtificans ; meliùs ſalvabitur, quod *iuſtificare* præſtetur in genere formali, vel efficienti : quare quivis alius modus trahendi iuſtitiam, & ſanctitatem, qui non ſit efficiens, vel formalis, ſcilicèt purè præceptivus, &c. non eſt iuſtificativus, niſi *ſecundum quid*. Propterea lex naturalis, licèt clauderet præcepta talium virtutum (quæ ſemper fuerunt media ad ſalutem neceſſaria) non iuſtificabat abſolutè, & ſimplicitèr loquendo. Unde nec ipſa lex vetus, nec tales actus Theologici ab ipſa præcepti abſolutè, & ſimplicitèr iuſtificabant : ipſi enim actus gratiam non conferebant, ſed merebantur vt tradit Suarez lib. 9. de Legib. cap. 7. & quod plus eſt nec ipſa lex Evangelica ex eo præcisè, quod præciperet tales actus ; niſi conferret vires ad illos, poſſet iuſtificare ſimplicitèr, vt ſentiunt Hieronymus Dialog. 3. contra Pelagianos, Auguſtinus de Spiritu, & Littera, cap. 4. & 17. & de Gratia, & Libero Arbitrio, cap. 11. & ex illis Div. Thom. 1. 2. quæſt. 106. artic. 7. Quare id dicitur iuſtificare ſimplicitèr quod gratiam confert, vel gratia eſt ; & in hoc ſenſu verificatur, quod lex vetus abſolutè, & ſimplicitèr non iuſtificabat non ſolum ex opere operato ; ſed neque ex opere operantis, vt ſe explicat Suarez ſect. 3. in reſponſ. ad fundamenta primæ ſententiæ; licèt lex Evangelica vere iuſtificaret in vtroque ſenſu : vnde inquit Div. Thomas in ſolutione ad 2. *Lex vetus, licèt præcepta Charitatis daret ; non tamen per eam dabatur Spiritus Sanctus, per quem diffunditur Charitas in cordibus noſtris*,

ſtris. Cum ergo de primo ad vltimum iuſtificare ſimpliciter loquendo ſolum conveniat huic quod eſt conferre gratiam, vel gratum facere, & neutrum horum conveniat legi veteri, licèt in nova conferatur gratia vberrima, ideò hæc iuſtificat, & illa non iuſtificabat; & ſi talia præcepta in ſe contineret.

12 Obijcitur tertiò contra immediatè dicta: ſi lex vetus præcipiebat actus Theologicos, & ex hac parte erat lex ſupernaturalis, non poterat non conferre gratiam: ergo vel tales actus non præcipiebat, vel iuſtificabat. Probatur antecedens: ſi præciperet tales actus non conferendo vires ad illos, præciperet impoſsibile; ſed Deum præcipere impoſsibilia eſt planè Hæreticum modo præſertim iuxta pronuntiata Ianſeniſtarum: ergo ſi talia præcipiebat, gratiam vtique conferebant. Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: non conferendo, nec præſupponendo collatas, concedo maiorem; præcisè non conferendo, nego maiorem, & conceſſa minori, conſequentiam nego: aliud enim eſt ex vi legis aliquam gratiam eſſe hominibus deſcenſuram, quibus agerent tales actus ſibi præceptos, & hoc eſt falſum propter doctrinas iam inſinuatas; aliud autem eſt homines tunc temporis non eſſe habituros ſupernaturales vires ad tales actus præſtandos, & hoc eſt etiam falſum: Eſt autem verum tunc habituros auxilia gratiæ quaſi per anticipationem emendicata de Lege Evangelica longè poſt adventurà, & cuius efficacia, & vis meritoria ad anteriora tempora extenderetur, eo quod in fide Chriſti venturi, & propter eam talia auxilia gratiæ hominibus conferrentur: quibus præſuppoſitis, benè poterat lex actus Theologicos imperare; licèt ad illos nullas vires conferret: non enim ideò præciperet impoſsibile, ſi auxilia collata ſupponerentur in, & propter fidem Chriſti ad ſic operandum.

13 Obijcitur quartò: Lex vetus conferebat gratiam ſaltem ex opere operantis: ergo verè iuſtificabat. Probatur antecedens: iuſti illi, qui erant factores legis opera legis præſtando merebantur de condigno augmentum gratiæ: ergo lex per talia opera gratiam ipſis conferebat. Antecedens patet: Tum ex Epiſt. ad Hebræos cap. 10. & 11. vbi mediis operibus iuſtitiæ iuſti veteris legis dicuntur adipiſci repromiſsiones, & quidem ſpirituales, vt exponunt Suarez, & alij: tum ex doctrina Concilij Tridentini Seſſ. 6. cap. 10. definientis tale augmentum gratię pro virtutum actibus ellicitis ab hominibus iuſtis, quæ definitio etiam anteriora tempora amplectitur. Ad hoc argumentum reſpondetur diſtinguo antecedens: Conferebat primam gratiam, nego antecedens: Augmentum gratiæ, concedo antecedens, & nego conſequentiam: Quia verè, & abſolutè iuſtificare potiùs ſtat pro prima infuſsione gratiæ, & remiſsione peccati. Igitur ex Suario, tom. 3. in 3. part. diſp. 10. ſect. 3. dicimus. Quod licèt Sacramenta veteris legis nullam darent gratiam ex opere operato, quia huiuſmodi gratia danda in Sacramento ad præſentiam externi operis pendet ex Divina voluntate, & promiſsione, de qua Nobis non conſtat in imperfectione illius ſtatus, & legis; nihilominùs iuſtis vtentibus illis Sacrificijs, & Sacramentis, cum facerent in verà fide, & charitate, opera Deo grata, & præcepta, nihil deeſſet ex parte operantium ad meritum de condigno: neque deeſſet promiſsio ex parte Dei non tàm facta operi operato, quàm ipſi operanti ſub conditione eliciendi talia opera cum merito ipſius, vt affert ipſe Suarez. Cœterum cum exinde non probetur, neque quod talia Sacramenta cauſent gra-

gratiam ex opere operato, neque primam gratiam, non probatur, legem veterem iuſtificare. Vide Suarium vbi ſupra in tota reſponſione ad fundamenta primæ ſententiæ.

14 Obijcitur quintò ex fundamentis Scoti : Patres in ordine ad tollendum originale eodem modo loquuntur de Circumciſsione ; ac de Baptiſmate ; ſed Baptiſmus confert gratiam ex opere operato : ergo & Circumciſsio. Maior patet : tum ex Auguſtino lib.4. de Baptiſmo, cap.24. dicente : *Cur præceptum eſt Abrahæ, vt parvulos circumcideret, niſi quia ipſum Sacramentum per ſe ipſum multum valet.* Ex Bernardo ſerm. 2. de Aſſumptione dicente : *In Baptiſmate ſola gratia lavat hanc maculam, quam olim raſit petra Circumciſionis.* Et ex Gregorio, Beda, & Ruperto dicentibus, Circumciſionem pro tollendo originali fuiſſe inſtitutam. Reſpondeo diſtinguendo maiorem : quatenùs loquuntur de vera ablatione originalis, concedo maiorem ; quatenùs idem ſit modus tollendi in vtroque, nego maiorem, & conceſſa minori ; nego conſequentiam : aliud enim eſt quod Circumciſsio gratiam contulerit ex opere operato, quod negamus ; aliud autem eſt, quod in Circumciſsione gratia conferretur, & quidem in parvulis præter meritum operantis, quod concedimus, quia Deus ſpeciali providentia Divina ſpeciali parvulorum neceſsitati ſtatuit occurrere infundendo gratiam poſito ſigno Circumciſsionis, & applicata fide Parentum. Quæ quidem forma loquendi magis conſentanea eſt Divo Paulo nunquam dicenti, *Circumciſionem animam mundaviſſe*, iuxta quam doctrinam, & eas, quas fuſſe tradidimus in Quæſtione de Inſtitutione Circumciſionis in remedium originalis explicandi ſunt Patres, ita vt ſolum dicant, Circumciſſionem verum fuiſſe remedium, in quo tolleretur originale, vt latius ſe explicat Auguſtinus lib. 2. de Peccato Originali, cap. 30. & ſequentibus.

15 Obijcitur ſextò : Circumciſsio vt cauſa moralis conferebat gratiam; ſed ideò iuxta noſtram ſententiam concedentem Sacramentis novæ legis ſolam efficaciam moralem, hæc Sacramenta iuſtificant : ergo, & Circumciſsio. Probatur maior : per nos cauſalitas moralis non tranſcendit rationem ſigni, atque conditionis ; ſed Circumciſsio in ordine ad tollendum originale ſe habebat vt ſignum, vel conditio, ſine qua non : ergo vt cauſa moralis gratiam conferebat. Confirmatur : Non datur medium inter modum dandi gratiam ex opere operato, & ex opere operantis ; ſed parvulis Circumciſsis gratia conferebatur ; & non ex opere operantis : ergo ex opere operato. Reſpondeo diſtinguendo maiorem : vt cauſa moralis impropriſsima ſumpta pro mero ſigno, concedo maiorem ; propriè talis, nego maiorem, & diſtinguo minorem: efficientiam moralem propriam, & cum vera morali continentia effectùs, concedo minorem ; efficientiam moralem impropriſsimam, nego minorem, & conſequentiam. Ad probationem diſtinguo maiorem : habentium veram continentiam moralem effectùs, concedo maiorem ; ſine illa, nego maiorem, & diſtinguo minorem : ſine continentia morali gratiæ, concedo minorem ; cum illa, nego minorem, & conſequentiam. Itaque Sacramenta debent cauſare gratiam illam continendo; provt ſe explicat Tridentinum: vnde efficienter moraliter Sacramenta novæ legis dant gratiam, quam continent ; de Circumciſsione autem potiùs conſtat ex Paulo gratiam non continere : quia dum loquitur de Iuſtitia ait, *eam in lege non contineri* ; ſed *in promiſsione* reſpiciente Chriſtum venturum.

rum. Ratio autem eſſe poteſt: quia Sacramenta novæ legis, cum venerint poſt pretium ſolutum in Redemptione; tale pretium fuit à Chriſto morali quadam perſeverantia virtutis in illis relictum: vnde ad præſtandos effectus gratiæ manent illa Sacramenta fœcunda; Circumciſsio autem nihil adhuc in ſe habebat de pretio, & ſolum per modum ſigni reſpiciebat Chriſtum futurum, & pretium ſolvendum. Dubitari autem non poteſt, quod pretium ſolutum, & in rebus ab ipſo valoratis moralitèr permanens, re ipſa moralitèr emptiones, & redemptiones contineat; cum tamen ſola fides de ſolvendo in futurum, moralitèr loquendo, nihil de præſenti contineat, & valeat, niſi ſolam ſpem aliquam de effectu, aut redemptione olim futura. Replicabis. Ergo in Circumciſsione ex fide in Chriſtum non veniet iuſtificatio. Reſpondeo, diſtinguo: non veniet continentialitèr, & Sacramentalitèr. Concedo conſequentiam non veniet impetrativè, & ex Dei promiſsione, & providentia, nego conſequentiam, vt ſuprà conſtat ex Paulo. Quod ſi in his aliquam moralitatem, vel effectum aliquomodo moralitèr contentum adhuc intendas, non multum diſceptabo; ſed pernegabo ſemper illam continentiam moralem propriam de linea Sacramentali, cuius eſt, vel phyſicè, vel moralitèr continere iam in ſe id, quod efficiunt; non verò ſufficit continere illud in ſpe ſolum, & promiſsione; licèt hoc latum genus continentiæ moralis quiſquam compellet. Ad confirmationem reſpondeo negando maiorem: datur enim medium inter conferre gratiam ex opere operato, & ex opere operantis, quod eſt conferre illam ex ſpeciali privilegio, ſicut Martyrium, vel ex providentia ſpecialis neceſsitatis, vt Circumciſsio. Cum autem hæc dicta maneant de Sacramento Circumciſsionis, quod in veteri lege erat potiſsimum, potiùs dicendum eſt cum Communi Theologorum de cæteris Sacramentis veteris legis, in quibus, licèt aliquando videantur eſſe factæ promiſsiones de remiſsione peccatorum per ea intelligendæ ſunt primò de Sanctificationibus Legalibus excludentibus irregularitates, & maculas; non de Sanctificatione gratiæ: hæc enim non remittit alia peccata ſine alijs; ſicut ibi per aliqua Sacrificia tollebantur aliqua, & aliqua per alia Sacrificia erant tollenda. Secundò intelligendæ ſunt de remiſsione peccatorum facta, non formalitèr, ſed impetrativè ad remittendum peccatum in peccatore per motum cordis; & in Iuſto ad ſatisfaciendum pro peccatis quoad temporales pœnas, vt ſentiunt Cano, Divus Thomas, & Suarez: & quidem ad ſatisfaciendum non ex opere operato, vt ſenſit Alenſis; ſed ex opere operantis, vt Divus Thomas, & Suarez. Ad calcem obſerva, quod in hac quæſtione ea quæ de vi meritoria à nobis dicta ſunt; de vi impetratoria, & de ſatisfactoria pro peccatis iam remiſsis ſuis, vel aliorum viventium, aut defunctorum, ſanè, accommodatèque dicta velim: vnde enim venit vis merendi apud Deum, venit vis ab ipſo impetrandi, & vis ei etiam ſatisfaciendi.

QUÆSTIO

QUÆSTIO DECIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

AT UBI VENIT FIDES, IAM NON SUMUS sub Pædagogo. Ad Galat. cap. 3. verſ. 24.

ARTICULUS

UTRUM LEX VETUS FUERIT ABROGATA quoad præcepta moralia?

NOTABILIA.

1 NOTO primò, legem veterem fuiſſe trimembrem, hoc eſt tribus præceptorum claſsibus conſtitiſſe. Prima erant Cœremonialia, quæ ſpeciales præſcribebat ritus, & Cœremonias, quibus Deus collendus eſſet. Secunda erant Iudicialia, quibus iuſtitia cum proximo ſervaretur: proindeque pertinebant ad ipſam Iudæorum gubernationem, & politiam. Tertia erant Moralia, quorum ſumma in Decalogo claudebatur, & ad duos fines nuper relatos erat ordinata, ſcilicèt cultum Dei, & iuſtitiam cum proximo retinendam. Quæ quidem omnia inſinuantur Deuteron. cap. 5. 31. per hæc verba: *Loquar tibi omnia mandata mea, & Cœremonias, atque iudicia.* Et inſuper videri poteſt Div. Thom. 1.2. quæſt. 99. & ſeqq.

2 Noto ſecundò, ſuppoſità legis veteris abrogatione per Chriſtum, nos hic non agere de abrogatione legis quoad præcepta Cœremonialia: quoad ipſa enim legem veterèm iam ceſſaviſſe conſtans eſt Authorum opinio cum Div. Thom. 1. 2. quæſt. 103. artic. 3. & Auguſt. lib. 6. contra Fauſtum, & Innocentio VI. in cap. vnico, de Purificat. poſt Partum. Itemque: quia id ſaltem debent innuere illi textus Lucæ 16. verſ. 16. *Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Et Galat. 3. 24. *Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto; at vbi venit fides iam non ſumus ſub Pædagogo.* Hanc ceſſationem tradunt Patres, & explicat tum Theodoretus ad Philipenſes 3. dicens: *Supervacaneus eſt Lychnus, ſi Sol apparuerit*: Tum Bernardus Homil. 1. *Super miſſus eſt*, vbi inquit: *Prodeunte fructu, flos decidit.* Neque huic obſtat quod ſolutio decimarum ſit Cœremonialis; & nihilominus durare videatur, quaſi de iure Divino: nam tale præceptum, qua parte poſitivum erat, prorſus ceſſavit quoad obligationem, duntaxat rema-

remanens quoad exemplar, iuxta quod Eccleſia ſimile præceptum ferret, in quo haud eſt inconveniens, difficiente cuiuſvis ſcandali, & ſignificationis periculo. Ita Suarez de Legib. lib. 9. cap. 11. & tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 10.

3 Noto tertiò, ſimiliter nos hic non diſputare de abrogatione quoad iudicialia, in quibus, licèt nonnulla maior ſubſit dubitandi ratio; nihilominus iuxta Suarium commune dogma Authorum eſt etiam iudicialia fuiſſe abrogata; ne tamen re inſalutata pergamus ad præcepta moralia, dictam rationem dubitandi attingemus, & explicabimus. Ratio igitur dubitandi partem oritur de Scriptura: nam in Actib. Apoſtol. cap. 15. ſolum videtur ſuborta quæſtio de Legalibus Cæremonijs, & de illis duntaxat Decretum Apoſtolicum eſſe intelligendum, iuxta Cathecheſim 17. Cyrilli. Item ex Paulo ad Coloſenſ. 2. ad Roman. ad Galat. & Hebræos inculcante, legis abrogationem, quia eſſet figura, & vmbra veram iuſtitiam non conferens; cum tamen id proprium ſit Cæremonialium; non vero iudicialium, quæ ad politicam gubernationem pertinebant: partim ex Leone Papa ſerm. 6. de Paſſione ſolum in Cæremonialibus legis ceſſationem declarante, & ex Auguſtino lib. 10. contra Fauſt. aiente, præcepta vitæ agendæ (quæ iudicialia ſunt) non ceſſaſſe. Sed non obſtante hoc fundamento partim negativo Scripturæ, & partim poſitivo ex Auguſtino, videtur noſtro Suario de fide ceſſationem iudicialium, propter generales loquutiones Sacræ Scripturæ communi Eccleſiæ traditione, & conſenſu Authorum ſic intellectas. Prima ad Hebræos 7. *Translato Sacerdotio, neceſſe eſt vt legis translatio fiat.* Secunda ad Epheſios 2. *Medium parietem materiæ ſolvens, legem mandatorum evacuans.* Tertia ad Galat. 5. *Teſtificor omni homini Circumcidenti ſe, quia debitor eſt vniverſæ legis faciendæ.* Sed in lege, & mandatis iudicialia intelliguntur: ergo & translata, & evacuata fuerunt, etiam cum Cæremonialibus. Secundò: quia iuxta Caſtrum lib. 1. de Lege Pœnali, capit. vlt. Sanchez lib. 9. diſp. 21. apud Suarez de Legib. lib. 9. cap. 11. ex ſententia Authorum ad caſus de Matrimonio reſolvendos ea præcepta, quæ iudicialia eſſe convincuntur, eo ipſo evanida habentur, & declarantur: Tertiò quia, vt ait Div. Thom. ſublato per Chriſtum ſtatu Reipublicæ Iudaicæ inſtitutæ ad figurandum, & ſuſcipiendum Chriſtum venturum, debebant ex conſequenti ceſſare ea præcepta iudicialia, quæ ad hanc Rempublicam gubernandam ordinabantur. Ratio autem dubitandi ſolvitur: tum quia in Actib. Apoſtol. non ſolum de Circumciſione, ſed de lege diſſeritur: tum quia Div. Paulus, licèt aliquando loquatur de Cæremonialibus vt principalioribus; cum tamen iudicialia cadant ſuper Cæremonialia de omnibus etiam loquitur indefinitè in textibus à nobis citatis. Auguſtinus autem intelligendus eſt ita, vt in præceptis *vitæ ſignificandæ* claudat Cæremonialia, & iudicialia: quippè ambo hæc vt principale, & acceſſorium coibant in vnam quandam totiùs legis ſignificationem: non enim poterant vigere Cæremoniæ, niſi vigeret ſtatus, atque iudicia. Præcepta autem *vitæ agendæ*, quæ ibi tetigit Auguſtinus pro præceptis moralibus ſunt reputanda.

4 Noto quartò, de his præceptis moralibus noſtram litem procedere, *fuerint ne abrogata, necne?* Pro cuius reſolutione notanda eſt illa diviſio legis, quam vſurpant Iuriſperiti, ſcilicèt purè declarativa, purè præceptiva, & mixta ex vtraque, quæ ſit declarativa, & præceptiva ſimul. Ex quibus membris illud certè loco caret in quæſtione noſtra, quod ponit legem pure præceptivam: cum enim

enim Decalogum verſetur circa materiam legis naturalis, non poteſt non habere partem declarativam iuris naturæ: quapropter ſupponendo, certum eſſe apud omnes, præcepta moralia legis veteris, vt ſunt præcepta iuris naturalis neque abrogata eſſe, nec mutari potuiſſe; immò confirmata eſſe in Evangelio, Matth. 5. vt tradit Suarez ex Clemente Papa, Leone Papa, & Auguſtino; quæſtio noſtra procedit de eiſdem præceptis provt in lege Moyſes tradita fuerunt: *An* videlicèt *præter obligationem iuris naturæ aliam poſitivam obligationem habuerint, quæ* nimirum *non ſolum duraverit in veteri; ſed etiam modo ſinè abrogatione permaneat?* Undè claritatis gratia noſtrum quæſitum etiam intelligendum eſt; imò vnice videtur intelligendum in caſu, quo promulgatio Moyſis non fuerit mera declaratio iuris naturæ; ſed aliqua obligatio vlterior, & de hac inquirimus fuerit abrogata, necne?

5 His poſitis, duplex in hac re verſatur ſententia: altera negativa aſſerens videlicèt, legem veterem minime fuiſſe abrogatam quoad præcepta moralia, etiam provt in ipſa lege veteri promulgata fuerunt; ſed adhuc Chriſtianos tali lege obligari quoad præcepta moralia. Hanc ſententiam defendunt Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Iuſtit. cap. 6. Lorinus in Act. Apoſtol. cap. 15. Pater Gabriel Vazquez diſp. 180. citans pro ſe Durandum, Paludanum, Burgenſem, & Caſtrum de Lege Pœnali; quos tamen ipſi non ſuffragari obſervat Eximius Doctor, qui & idem præſtat de Leone Papa, Bernardo, & Auguſtino quaſi non locuti ſint in ſenſu, qui controvertitur. Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit, legem Moyſis adhuc quoad præcepta moralia non obligare Chriſtianos; ſed totam legem veterem quoad omnia eius præcepta in obligando penitus ceſſaviſſe, licèt ratione materiæ non fuerit ſublata præceptis moralibus illa obligatio, quam materia iuris naturalis fert ex ſuis intrinſecis; eſtò ceſſaverit quoad hæc præcepta novæ obligationis inductio. Hanc tenent Victoria in Relect. de Matrim. 2. part. num. 3. in fine. Soto lib. 2. de Iuſtit. quæſt. 5. artic. 4. concluſ. 2. Medina 1. 2. quæſt. 103. artic. 3. & allegari ſolet D. Thom. 1. 2. quæſt. 98. art. 5. Ex noſtris vero Cardinalis Toletus ad Roman. 3. annot. 15. Salmeron ad Roman. 6. diſp. 6. Barradas tom. 1. lib. 2. cap. 21. Valentia tom. 2. diſp. 7. quæſt. 7. punct. 7. Eximius Doctor lib. 9. de Legib. cap. 11.

6 Sit noſtra concluſio cum ſecunda ſententia, cum qua dicimus: *Legem veterem etiam fuiſſe abrogatam quoad præcepta moralia, qua parte novam obligationem importabant ex Lege Moyſis, remanente ſemper obligatione Legis Naturæ.* Ante cuius probationem notare oportet, legem Moyſis non ſolum fuiſſe declarativam ſimul, & præceptivam; ſed clarius præceptivam fuiſſe: tùm propter tenorem præcipiendi, & prohibendi, qui in ea ſervatur: tùm quia ibi miſcentur aliqua, quæ non ſunt de Lege Naturæ, ſcilicèt ſanctificatio Sabbati, & iuxta communiſſimam opinionem fabricatio ſculptilium; vt enim inquit Eximius Doctor loco citato num. 21. *Neque ex verbis Scripturæ diſcernere poſſumus, quid prohibeatur, quia malum, vel quid ſit malum quia prohibitum, ſed ex ratione naturali, & ex communi ſenſu Doctorum Eccleſiæ diſcernimus, & iudicamus.* Hoc poſito probatur principalitèr noſtra Concluſio: illa lex vetus quoad omnem omninò ſuam obligationem impoſita fuit ſoli populo Hebræorum: ergo ſimul cum Hebræorum Republica abrogata eſt lex quoad omnem obligationem, tàm Cæremonialium, & Iudicialium præceptorum, quàm moralium. Antecedens videtur certum apud Auctores,

res, & probatur ex illis verbis, Exod. 20. vbi poſt illa verba, in quibus Deus ad Populum Iſraeliticum loquebatur dicens : *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo ſervitutis*, ſtatim ſubdit verba legis dicens : *Non habebitis Deos alienos, &c.* Probatur ſecundò : quia præcepta moralia veteris legis tunc temporis non obligabant Gentiles, ſivè fideles, ſivè infideles, vt expreſſum eſt in Div. Thom. quæſt. 98. art. 5. ergo neque modo obligabunt Chriſtianos, proindeque abrogata erunt. Conſequentia patet : quia Chriſtiani ſi facti ſunt ex Gentilibus non obligabuntur ; ſi vero ſint ex Iudæis etiam non obligabuntur : quippè Lex Chriſtiana non permittit aliquam maiorem obligationem in alijs propter rationem carnalis originis : ergo ſicut Chriſtiani de Gentilibus non tenerentur talibus præceptis moralibus veteris legis, ita neque Chriſtiani facti ex Iudæis : proindeque nulli Chriſtiani ipſis obligarentur, quod eſt talia præcepta moralia fuiſſe abrogata. Confirmatur ex duobus textibus Divi Pauli ad Roman. 2. quorum in primo dicit : *Quicumque ſine lege peccaverunt ſine lege peribunt ; & quicumque in lege peccaverunt per legem iudicabuntur.* Si autem lex illa quoad moralia omnes obligaviſſet, nemo ſine lege peccaret, atque periret. In ſecundo autem ait ſic : *Cum gentes, quæ legem non habent naturalitèr ea, quæ legis ſunt faciunt : eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Ubi clare inquit Gentiles nulli legi ſcriptæ ſubditos eſſe præterquam illi, quam natura inſculpſit in cordibus eorum: ergo quia pro ſolo populo Iſrael fuit lex impoſita etiam quoad moralia præcepta ſecundum obligationem Moyſis, iuxta illud Pſalm. 47. *Qui anuntiat verbum ſuum Iacob. Iuſtitias, & iudicia ſua Iſrael non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtavit eis.*

7 Probatur tertiò : quia tota lex iuxta Div. Paulum ad Galat. 3. 19. poſita eſt *donec veniret ſemen*, ſcilicet in Chriſto ; ſed aſſignato termino legis non eſt fundamentum ad aſſerendum, talem terminum adveniſſe pro aliqua parte legis ; non vero pro alia, ſcilicèt pro obligatione præceptorum moralium : ergo dicendum eſt, cuncta præcepta etiam moralia abrogata eſſe poſt Chriſtum Confirmatur : ſi lex non fuiſſet abrogata, quoad præcepta moralia, aliquis actus moralis prohibitus in lege veteri eodem tenore eſſet prohibitus in lege nova ; ſed id eſt falſum: ergo lex fuit abrogata, quod præcepta moralia. Maior videtur clara ; probo minorem in præcepto Levitici 20. de non accedendo ad menſtruatam ſub pœna mortis, & probo ſic : licèt hæc lex quantum ad pœnam eſſet Iudicialis ; tamen iuxta multos quoad ipſam rem prohibitam erat moralis, & quidem de re per ſe mala ; ſed hæc in lege veteri erat gravis prohibitio, vt colligitur ex pœna mortis impoſita, & in lege nova ſolum eſt prohibitio ſub levi : ergo non eodem tenore prohibitionis prohibetur in lege nova, ac in lege veteri. Probatur minor quoad ſecundam partem : nam talis acceſſus ad menſtruatam ſolum levitèr adverſatur iuri naturæ, vt ipſamet ratio naturalis dictare videtur; ſed ex lege nova nulla ei acreſcit obligatio, vt latè defendit Caſtro lib. 1. de Leg. Pœnali, cap. vltim. & plures alij, quos refert, & ſequitur Sanctius lib. 9. de Matrimon. diſp. 21. numer. 5. & 6. ergo, &c. Confirmatur ſecundò ex verbis Iacobi 2. aientis, legem regalem, & Moralem Decalogi ſervandam eſſe, ſtatimque ſubiungentis hæc verba : *Sic loquimini, & ſic facite, ſicut per legem libertatis incipientes iudicari.* Ubi per legem libertatis gratiæ legem intelligit. Nunc ſic : obſervantia legis,

inter

inter Chriſtianos inquit Apoſtolus iudicanda eſt per legem gratiæ, & libertatis: ergo quia reſpectu Chriſtianorum nulla ſpecialis, ac divina obligatio remanet ex lege veteri; alioqui per ipſam quoque forent di iudicandi; ſed hoc eſt talem legem quoad præcepta moralia fuiſſe abrogatam: ergo ita abrogata fuit. Igitur nullus Chriſtianus eſt obligatus ad vitandam vſuram vel aliquid ſimile, quia illud fuit prohibitum in lege Moyſis, vt inquit Suarez: „ Niſi quàtenus inde colligi „ poteſt illud fuiſſe prohibitum, quia „ malum, & iure naturali vetitum, „ quod ex ſolis verbis præcipientibus, „ non ſatis colligitur; ſed ex materia, „ ex communi interpretatione, & ſenſu Eccleſiæ, & ex alijs circunſtantijs, & diverſorum locorum collatione colligendum eſt.

8 Probatur tandem: quia iuxta textus frequentes Divi Pauli tum ad Hebræos, tum ad Epheſios, ad Romanos, & Galatas, &c. Quorum aliqui in notabilibus ſunt memorati, lex vniverſalitèr, aut indefinitè loquendo (perinde eſt in materia doctrinali) dicitur evacuata *abſolutè, & ſimplicitèr*, itaut claudere videatur omnes partes legis, que verè ſunt tales; ſed pars continens præcepta moralia eſt vera pars legis: ergo evacuata quoque debet intelligi.

9 Obijcitur primò Sanct. Leo Papa ſerm. 6. de Ieiun. X. menſis vbi inquit: „ Evangelicis ſanctionibus multum auctoritatis præbet doctrina legalis, cum quædam de mandato veteri ad novam obſervantiam tranſferuntur. Ergo aliqua de lege nova nos obligant ſub auctoritate legis antiquæ; ſed hoc eſt antiquam ex mente huius Patris in præceptis moralibus abrogatam non fuiſſe: ergo quoad illa abrogata non eſt. Probatur minor ex eodem, ſerm. 14. de Paſsion. Domin. cap. 5. aiente: *In præceptis autem moralibus nulla prioris teſtamenti decreta reprobata, ſed Evangelico magiſterio multa ſunt aucta*: ergo, &c. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: ſub auctoritate antiqua, & obligatione antiqua, nego conſequentiam; ſub auctoritate antiqua ſine permanentia obligationis antiquæ, concedo conſequentiam, & ad probationem minoris ſubſumptę diſtinguo verba Sancti Doctoris, vel potius conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Itaque in primis verbis ſemper fatendum eſt, quod pręcepta, quæ modò obligant in lege nova per Chriſtum Legislatorem, magnum habent auctoritatis gradum tum ex parte rei pręceptæ: quia ſicut modo iubetur, etiam olim vetuſtiſsima iuſsione digna fuit: tum ex parte præcipientis: quia Deo dictante fuit illa lex lata, quę modò fertur per Chriſtum Legislatorem; minime autem obligatio antiqua legis veteris perſeverat, quod facilè poteſt exemplo declarari: ſi enim Rex noſter modò legem ferret aliquam ex illis, quę olim fuerunt in priſcis iuribus Romanorum, licèt iam diu obſoleverint, negari non poſſet quin talis lex commendaretur auctoritate vetuſtatis, & Legislatorum ipſius; licèt de antiqua obligatione nihil manſiſſet, & tota, quæ inchoaret eſſet obligatio noviſsima. Sic lex nova commendari poteſt antiquà; licèt illa fuiſſet penitus abrogata. Ad ſecunda verba dicimus, aliud eſſe pręcepta moralia fuiſſe reprobata; aliud fuiſſe abrogata. Primum negamus: quomodo enim reaſumi poſſent ad obligandum? Secundum concedimus propter rationes noſtras, & in eo ſenſu dicimus *Evangelico magiſterio multa fuiſſe aucta*, quàtenus adveniens gratia vivificans, & dans potentiam ad implendum, eſt id medio quo tranſit lex de imperfecto ad perfectum, vt communiter dicunt Doctores, & ſic in moribus hominum cuncta perfectionis opera, & ornamenta cre-

verunt: in quo ſenſu intelligenda ſunt illa verba eiuſdem Sanc&i Doctores, ſerm. 4. de Ieiun. VII. menſis, vbi ait: „ Ne oneroſum videatur, aut arduum, „ quod, & præceptum exigit legis, & „ devotio temperat voluntatis. Quæ, „ cum in vnum, gratia Dei auxilian„ te, conveniunt, non littera occidit; „ ſed ſpiritus vivificat. Id eſt *modo datur littera præceptorum cum gratia Dei auxiliante, vt ſpiritu vivificemur.*

10 Obijcitur ſecundò Bernardus ſerm. 28. ex parvis, & Auguſtinus lib. 6. contra Fauſtum, cap. 2. & 10. cap. 2. Hic aiens, ex libris veteris Teſtamenti ſervari à Chriſtianis præcepta moralia, quæ ſunt vitæ agendæ, prout contrapoſita præceptis vitæ ſignificandæ, quæ ſunt præcepta moralia per gratiam, & præcepta figuralia commutaviſſe: ergo iuxta hos Sanctos Doctores talia præcepta moralia ex vi veteris legis adhuc valent apud Chriſtianos, conſequenterque abrogata non ſunt. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: valent quoad obligationem, nego conſequentiam; quoad informationem, concedo conſequentiam. Itaque cum Divus Bernardus in hac re ſequutus eſſe videatur Auguſtinum; eadem vtrique adhibetur reſponſio, ſcilicèt ex veteri Teſtamento, & libris ipſius diſci à nobis præcepta moralia, quàtenus ſcilicet inibi recitantur ea, quæ à nobis obſervanda ſunt; non quia ibi dicta; ſed quia præcepta ſunt iure naturæ, ſicuti in eodem ſenſu inquit Auguſtinus Epiſt. 200. loquendo de illo præcepto *non concupiſces* hæc verba: *Quod vtique à Chriſtianis nullus ambigit eſſe dicendum.* Et infra ait de præceptis moralibus ita eſſe in lege ſcripta, *vt valeant ad informandos mores fidelium, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria ſobriè, & iuſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo.* Ecce quomodo iuxta Auguſtinum lex vetus cum ſuis præceptis moralibus concurrit modò ſolum informando, quàtenus videlicet in veteris Teſtamenti paginis ea recitantur, & continentur, quæ robur obligationis accipiunt iam ſolum à lege naturę, & à poſitiva lege Evangelij illam confirmante. In quo etiam ſenſu explicandus eſt Divus Clemens Romanus lib. 6. Conſtitut. Apoſtolic. cap. 22. & 23. dum inquit, legem naturalem non fuiſſe abrogatam, & etiam Div. Thom. quæſt. 103. artic. 3. dum tacitè ſupponit, præcepta moralia non ceſſaſſe eo quod ſint de lege naturæ: hi enim Patres, ſicut & alij, id dicunt, quod eſt extra punctum controverſiæ, ſcilicet ea, quæ ſunt de iure naturæ eſſe immutabilia in ordine ad obligandum, quod haud negamus quoad præcepta moralia ſolum dicentes, illam vim præceptivam, quam in lege veteri ſubinduerant, fuiſſe iam penitus abrogatam.

11 Obijciuntur tertiò illa verba Math. 5. in quibus dixit Chriſtus: *Non veni ſolvere legem; ſed adimplere*, & verba Pauli ad Roman. 3. *Legem ergo deſtruimus per fidem? abſit; ſed legem ſtatuimus.* Ex quibus verbis ſic argumentor: Chriſtus Dominus, & fides ſtatuunt, & adimplent præcepta moralia legis, vel legem quoad præcepta moralia: Sed hoc eſt vim legis quoad præcepta moralia non fuiſſe abrogatam: ergo non fuit. Maior patet tum exemplis Chriſti in re morali, quibus Chriſtus probat, ſe non ſolvere legem: tum quia fides eſt, quæ ſtatuit opera, & legem operandi, ſivè legem moralem. Confirmatur primò: quia Chriſtus Dominus talia præcepta moralia confirmavit, ſua auctoritate declaravit, & conſilia perfectionis adiecit, vt Patres dicunt: ergo poſteà non abrogavit. Confirmatur ſecundò ex verbis Divi Thomæ in Epiſtolis Pauli ad Epheſios 2. lect. 5. vbi ait: *Dicendum eſt, quod in veteri lege duplicia erant præcepta moralia, & Cæremonialia. Moralia quidem præ-*

præcepta Chriſtus non ſolvit ; ſed adimplevit : ergo iuxta Divum Thomam moralia abrogata non fuerunt.

12 Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo maiorem : legem moralem *præcisè*, nego maiorem ; tàm moralem, quàm cœremonialem, ſubdiſtinguo : itavt adimplere, & ſtatuere legem, ſignificet permanere obligationem ipſius, nego maiorem; itavt adimplere, & ſtatuere ſignificet nullius præcepti tàm moralis, quàm cœremonialis tranſgreſsionem in Chriſto, concedo maiorem, & diſtinguo minorem : legem ſtatuere, & adimplere, eſt non eſſe abrogatam pro tempore, quo nondum venit tempus abrogationis, concedo minorem ; adveniente tali tempore, nego minorem, & conſequentiam. Igitur pro clara ſolutione argumenti cum diviſione procedendum eſt, & dico primò in illis verbis iuxta expoſitionem omnium Patrum Lucæ 16. ſermonem eſſe de tota lege tàm cœremoniali, quàm morali, & ideò ſtatim ſequitur. „ Amen quippè dico vobis „ quia Iota vnum, aut vnus apex non „ præteribit à lege donec omnia fiant. Unde componunt Patres quomodo Chriſtus Dominus alitèr, & alitèr præcepta legalia tàm cœremonialia, quàm moralia adimpleverit. Similiterque dicendum eſt de verbis Pauli vbi dicitur: *Sed legem ſtatuimus* : nam ibi, vt omnes exponunt cum Divo Thoma ſermo eſt tàm de cœremonialibus, quàm de moralibus, vt videre eſt apud Divum Thomam ad Roman. 3. lect. 3. per hæc verba: *Subdit autem*, ſed legem ſtatuimus, *id eſt per fidem legem perficimus, & adimplemus ſecundum illud Math.* 5. Non veni ſolvere, ſed adimplere, *& hoc quantum ad præcepta cœremonialia, quæ, cum eſſent figuralia per hoc ſtatuuntur, & adimplentur, quod veritas ſignificata per ea in fide Chriſti exhibetur ; & etiam quantum ad moralia : quia fides Chriſti auxilium gratiæ confert adimplenda præcepta moralia legis : addit etiam quædam conſilia per quæ ea præcepta moralia tutiùs, & firmiùs conſervantur.* Ex quibus verbis patet in vtroque textu ſermonem eſſe de lege cæremoniali, & morali : quare ſtatim concedit argumentum : ſiquidem eo tenore, quo talis adimpletio Chriſti, & ſtatutio fidei non tollunt quominus cœremonialia (cum quibus iudicialia intelligo) ſint abrogata, ſic non tollunt quominus abrogata ſint quoque moralia: vnde.

13 Dico ſecundò, quod, cum lex vetus, vt inquit Div. Thom. ad Epheſios 2. lect. 5. ſit paries maceriæ, quia non fuit data vt perpetuo duraret, ſed vſque ad tempus prædefinitum, & tempus prædefinitum ad abrogationem legis fuerit tempus mortis Chriſti Domini, omnis modus, quo lex vetus in Chriſto Domino dum vixit adimpleretur, ſtatueretur, declararetur, perficeretur, &c. non impediebat legis abrogationem ſubſequuturam : Si enim dicas quomodo ſtatuitur, & perficitur quod mox abrogatur ? Reſpondetur facilè, quod ſi abrogatio eſt quoad figuralia, per adventum termini figurati, & quoad moralia per iuniorem poſitivam obligationem loco veteris, apte intelligitur ſtatutio legis, atque perfectio, & confirmatio, dum videlicet in ſuo iam termino conſtituitur, & ſuper eadem materia quoad præcepta moralia novum ius Evangelicæ obligationis accedit. Hinc dico tertiò, quod prædicti textus ſic exponuntur : *Non veni ſolvere* (id eſt tranſgredi) *ſed adimplere.* Et textus Pauli ſic : *Legem ergo deſtruimus* (id eſt reprobamus) *per fidem ? abſit ; ſed legem ſtatuimus*, id eſt *ſaum ipſi ſtatum, & officium tribuimus, & per fidem roboramus*; fides enim Legis Evangelicæ per harmoniam cum Lege veteri ipſam pro ſuo ſtatu minimè evertit, ſed firmat, vt patet ex toto opere pulcherrimo Analogiæ Patris Becani.

14 Conſtat ergo ex his omnibus, quæ paulo fuſsiùs tetigimus, clara, ni fallor, ſolutio argumenti, iuxta quam brevi ab vtraque confirmatione me expediam. Ad primam dico, me libentèr fateri cum Suario lib. 10. de Legib. quod Chriſtus Dominus confirmaverit præcepta Decalogi pro lege ſua, id eſt, præcepta moralia, quę obligabant iure naturæ veſtire voluiſſe nova obligatione Evangelica, in quo potiùs habetur argumentum abrogationis illius obligationis, quæ ex lege veteri deſcendebat: nam confirmare eſt dare vires illi quod aliàs eſſet infirmum: cumque præcepta moralia quoad obligationem poſitivam veteris Legis incœperit infirmari, Chriſtus Dominus eis vires ſuæ confirmationis adiecit. Replicabis primò: ſuperfluum eſt abrogare vnam obligationem veterem pręciſè vt ſuccedat altera eiuſdem tenoris. Reſpondeo, & nego aſſumptum ſi accedat terminus, in quo prima expirabat: quia fuit *paries maceriæ* vſque ad prędinitum tempus, iuxta Divum Thomam ſuprà. Replicabis ſecundò: inepta eſt lex temporalis ſuper materià perpetuà. Reſpondeo negando aſſumptum, dum fit iuxta placitum cordatiſsimi Legiſlatoris; cordatè autem Deus expirante figura, voluit priſcam legis obligationem cum ea connexam quoque expirare, & ſuccedere novam. Ad ſecundam confirmationem ex verbis Divi Thomę legitimè reſpondeo complendo textum, qui truncatus, ac mutilus proponitur. Ait ergo ſic: „ Moralia quidem prędepta Chriſtus non „ ſolvit, ſed adimplevit ſuperaddendo conſilia, & exponendo ea, quę „ Scribę Phariſęi malè intelligebant... „ Cęremonialia verò prędepta ſolvit „ quidem quantum ad eorum ſubſtantiam; ſed adimplevit quantum „ ad illud quod figurabant adhibens „ figuratum figurę. Ecce quomodo Doctor Angelicus vtrorumque prędeptorum ponit adimpletionem in Chriſto; dicitur autem moralia non ſolvere, quàtenus ſubſtantiam rei prędeptę (quę perpetua erat iure naturę) ad novam obſervantiam tranſtulit, vt aiebat Sanct. Leo, & eam Evangelicis interpretationibus, & Conſiliorum ornamento perfecit; cęremonialia autem ſolvit: non quia ea quoque non adimplevit; ſed quia ea per adimpletionem ſolvebantur, ſcilicèt quàtenus figuratus ſuccedebat figurę, vt aiebat Divus Thomas: ait enim Maldonatus in Math. 5. 17. *Quo ergo modo legem abrogavit; non ſolvendo; ſed implendo: non violando; ſed perficiendo; ſicut Pictor, vt Theophilactus ait inchoatæ, & extremis tantum lineamentis ad vmbratæ imagini dum extremam apponit manum, & colores adhibet, priorem imaginem abolet; novam inducit; abolet autem non diſſolvendo; ſed abſolvendo: non delendo; ſed perficiendo.* Igitur non erat diſcrimen in eo quod Chriſtus Dominus Cęremonialia abrogaret, & non adimpleret; moralia verò impleret, & non abrogaret.

15 Objicitur quartò: Prędepta Decalogi, etiam vt data per Moyſem, obligant Chriſtianos; ſed hoc eſt legem non eſſe abrogatam quoad præcepta moralia: ergo quoad hæc prędepta abrogata non eſt. Maior probatur tum ex Epiſtola Iacobi vocantis dilectionem proximi *Legem regalem* ſecundum Scripturas: vnde poſteà ſubdit: *Si perſonam accipitis peccatum operamini redarguti à lege quaſi tranſgreſſores.* Sed lex in Scripturis intelligitur, quæ data eſt per Moyſem, & nemo redarguitur à lege, quæ ipſum non obligat: ergo &c. Tum ex verbis Pauli ad Roman. cap. 13. *Qui diligit proximum legem implevit: nam non adulterabis, non occides &c. in hoc verbo inſtauratur: diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Quę verba donotant legem Moy-

Moyſis quoad moralia non adulterabis &c. impleri per Chriſtianum diligentem proximum ſuum ; ſed adimpletio non eſt niſi obligationis : ergo adhuc datur obligatio talis legis erga Chriſtianos. Reſpondeo negando maiorem, ad cuius primam probationem diſtinguo textum : *redarguti à lege Moſaica*, nego aſſumptum ; *à lege naturæ vel Evangelica*, concedo aſſumptum, & diſtinguo minorem : *intelligitur ſemper quoad materiam legis, & vim obligandi*, nego minorem ; intelligitur pro lege Moſaica *ſaltem quoad materiam legis*, concedo minorem, & nego conſequentiam. Eſt dicere, quod materia legis Moſaycæ, vt potè ſemper obligans iure naturæ quoad præcepta moralia in ipſa contenta, ſemper vigeret ad redarguendum tranſgreſſores ipſius ; licèt à Moyſe Legiſlatore nullam vim traherent obligandi : & quidem multo magis quando Chriſtus Dominus talia præcepta confirmaverit Math. 5. poteſt ergo ibi lex Moſayca intelligi ratione materiæ, licèt vis obligandi, vel eſſet vetuſtiſsima à iure naturæ, vel prorſus nova à lege Evangelij, vt patet in ipſa Epiſt. Iacobi, quia iam dicit redargui per legem ; iam per legem libertatis, quæ eſt lex gratiæ. Ad ſecundam probationem ex ſimili doctrina reſpondeo diſtinguendo maiorem: talia verba ſonant adimpletionem rigoroſe talem reſpectu Moyſis, nego maiorem ; reſpectu iuris naturæ, vel Evangelij, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: ſed non datur adimpletio large talis, niſi reſpectu obligationis, nego minorem ; adimpletio rigoroſa, ſubdiſtinguo : reſpectu alicuius obligationis, concedo ; reſpetu omnis obligationis, vel Legislatoris, nego minorem. Itaque qui ponit materiam à Moyſe præceptam, licèt in tempore, quo expiravit obligatio Moſayca, & ſucceſsit Evangelica ; dicitur laxe implere legem Moyſis, & verè eſt adimpletio rigoroſa tum legis Evangelicæ iam obligantis : tum antiquiſsimæ obligationis ab ipſo iure naturæ proficiſcentis. Quapropter expeditius erit minorem concedere, & deſignare illas obligationes, quæ adimplentur, ſcilicèt iuris naturæ, & legis gratiæ.

16 Ex ſuperiori doctrina quæſtionis colligitur cum Suario ceſſaviſſe quoque temporales promiſsiones factas obſervantibus præcepta moralia, & comminationes factas tranſgreſſoribus, in quo videntur convenire Doctores vtriuſque ſententiæ maiori ex parte. Probatio eſt generalis primò : quia ea ſunt quid acceſſorium ad præcepta moralia, ac ſe habebant per modum pacti, & fœderis, vt dicitur Exod. 20. & Deuteron. 29. ergo ceſſante obligatione Moſayca præceptorum, illa quoque ceſſabant. Secundò : quia ſicut lex ad populum duntaxat Hebræorum dirigebatur, ſic etiam annexæ comminationes, & promiſsiones : quare deficiente tali populo, & hæc defecerunt. Probatio in particulari iuxta Caſtro de Leg. Pœn. lib. 1. cap. vltim. loquendo de pœnis eſt : quia leges pœnales ſunt poſitivæ, & Iudiciales, proindeque ceſſaverunt : nihil enim poſitivum ſeu de iure poſitivo talis legis cum vigore remanſit. Immò propterea lex gratiæ dicitur lex libertatis : quia nos à legis veteris terrificis comminationibus liberat, & ideò Auguſtinus ſic expoſuit illa Apoſtol. 1. ad Thimot. 1. *Iuſto non eſt lex poſita*. De promiſsionibus autem conſtat ex Auguſtino lib. 1. contra Fauſtum, cap. 2. aiente promiſſa carnalia non manere, & ab illis vocari vetus Teſtamentum. Quod idem affirmat Epiſt. 120. & lib. 18. de Civitate Dei, cap. 11. & alibi. Sed replicabis dicens, quod illa promiſsio Exod. 20. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam,*

vt

vt ſis longævus ſuper terram, durat in novo Teſtamento, vt videtur ſentire Divus Thomas 2. 2. quæſt. 120. artic. 4. ad 4. ex verbis Divi Pauli 1. ad Thimot. 4. dicens: *Pietas ad omnia vtilis eſt promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Reſpondeo, promiſsionem illam Exodi, in qua dicitur: *Vt ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi* fuiſſe planè temporalem, & vt talem ceſſaviſſe; durare autem quoad figuram æternitatis, vt interpretatur Auguſtinus de alijs promiſsionibus, Epiſt. 120. Ad promiſsionem verò vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ dicendum eſt, quod licèt ibi Divus Paulus commemoraverit promiſsionem vitæ temporalis factam in Exodo; nihilominus vigor illius promiſsionis ſolum eſt ex ſubſtitutione Evangelicarum promiſsionum, quæ etiam plura temporalia promittunt v. gr. centuplum in hac vita, & poſtea poſsidere vitam æternam. Quare Cornelius ſuper hunc locum Pauli ad Thimot. loquendo de promiſsione vitæ, quæ nunc eſt, ait, illam includi in illa promiſsione Evangelica Math. 6. *Quærite primum Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Unde Divus Paulus circa pietatem explicuit promiſsionem in vigore novam; in verbis recitatis antiquam. Imò, & dici poterit, eſſe promiſsionem quandam iuris naturæ propter gratitudinem, qua filijs acceptam à Parentibus vitam benè ducentibus vlterior vita promittebatur. Circa quod videri poterunt Cornelius ad Epheſios 6. verſ. 2. & Div. Thomas 2. 2. quæſt. 120.

Etſi eſſet à iure naturæ, prout à tali iure duraret.

DECAS V.

QUÆSTIO PRIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

LEX, ET PROPHETÆ USQUE AD IOANNEM.
Lucæ 16. verſ. 16.

ARTICULUS

UTRUM LEX VETUS ANTE CHRISTI DOMINI mortem fuerit quoad obligationem abrogata?

NOTABILIA.

1 NOTO primò, poſt diſputationem de abrogatione legis antiquæ, occurrere dirimendam alteram quæſtionem non parvi momenti, nec modicæ vtilitatis inquirentem: *Quo tempore talis lex abrogata fuerit, num videlicèt ante Chriſti mortem, vel in inſtanti ipſius mortis, vel aliquo tempore poſt illam?* Supponimus enim non fuiſſe abrogatam ante adventum Chriſti: quando quidem iuxta Paulum ad Galat. 3. *Lex erat poſita, donec veniret ſemen.* Cumque in hac triplici temporis diverſitate non deficiant placita varia Doctorum, & argumentationes hinc inde militantes, placet cum Eximio Suario quæſtiones ſeiungere, vt cum maiori perſpicuitate tractentur, maiorique cum cognitione teneantur.

2 Noto ſecundò, articulum modò in hac re controverſum eſſe duntaxàt: *An lex vetus fuerit abrogata ante Chriſti mortem?* relinquendo diſtinctæ diſputationi: *An in ipſo mortis articulo; an verò poſteà abrogata fuerit?* Noto tertiò, nos hic loqui de ceſſatione Legis Veteris quoad obligationem: quare conſequenter notandum eſt, nos loqui de obligatione reſpectu Iudæorum dumtaxàt; non vero Gentilium: ſiquidem, cum Lex Moyſis ſoli populo Iudaico impoſita fuerit, vt alibi dicimus, non poteſt quæſtio locum habere reſpectu Gentilium, reſpectu quorum nec viva, nec mortua propriè dici vnquam poteſt.

3 His poſitis inter Scholaſticos, non deſinit eſſe in hac re diverſitas ſen-

ſententiarum; licet enim Ludovicus Thena in Epiſt. ad Hebræos, cap. 8. Difficult. 6. dicat, *argumentum eſſe de fide*, legem veterem non ceſſaviſſe ante Chriſti Paſsionem, & mortem, citans Patrem Vazquez 1. 2. diſput. 180. numer. 1. neque id dicit talis Doctor, quamvis aſſerat eſſe de communi Scholaſticorum, & Patrum, neque deſſunt Auctores Catholici inter Scholaſticos celebres, qui partem contrariam ſubſtineant, proindeque faciant vtrimque rem controverſam, quo tenore eam Eximius Doctor ſuſcipit diſputandam. Igitur prima ſententia aſſerit, legem veterem ceſſaviſſe ſaltem quoad præceptum Circumciſionis ſtatim ac cœpit Baptiſmus cum viribus conferendi gratiam. Iuxta quam ſententiam videtur dicendum, quod reſpectu parvulorum tota lex ceſſabat, ceſſante obligatione Circumciſionis, quæ erat profeſsio legis. Hanc ſententiam tenet Scotus in 4. diſtinct. 3. quæſt. 4. §. *Quantum ergo*, & Gabriel diſtinct. 1. quæſt. 4. artic. 3. Secunda ſententia communis eſt Theologorum, aſſerens, legem veterem non fuiſſe mortuam quo ad obligationem ante mortem Chriſti, ſed vſque ad eam permanſiſſe cum vigore obligandi. Ita Div. Thom. 1. 2. quæſt. 103. art. 3. ad 2. Bonav. in 4. diſtinct. 3. part. 2. eius artic. 2. quæſt. 2. Maior quæſt. 2. Richard. diſputat. 1. art. 6. quæſt. 4. Capreolus quæſt. 3. art. 3. contra primam concluſionem. Paludanus quæſt. 6. art. 3. Durandus quæſt. 9. Vazquez 1. 2. diſput. 180. cap. 1. Valencia tom. 2. diſput. 7. Molin. tom. 5. de Iuſtitia, tract. 5. diſput. 62. num. 5. Eximius Suarez lib. 9. de Legibus, cap. 12. num. 4. dicens in hoc convenire Auguſtinum, Hieronymum, Richardum de Sancto Victore, Bernardum, & alios.

4 Sic Concluſio noſtra cum ſecunda ſententia aſſerente, legem veterem, etiam quoad præceptum Circumciſionis, non ceſſaviſſe quoad obligationem toto decurſu vitæ Chriſti; ſed vſque ad eius mortem permanſiſſe cum vigore obligandi. Probatur primò ex Hiſtoria Evangelica ſic: Chriſtus Dominus iuxta hiſtoriam Sacroſancti Evangelij ſe oſtendebat fidelem obſervatorem legis Moſaycæ, & docebat turbas ipſam eſſe obſervandam; ſed hæc facienda non fuiſſent, niſi lex tum permaneret cum vigore obligandi: ergo ita verè permanſit. Minor patet: nam ipſa veritas fideliſsima non poterat commendare exemplo, & doctrina crebrò vſurpatis, obſervationem illius legis, quæ verè non obligabat. Maior quoad primam partem patet: tùm ex illo Textu Math. 26. *Ubi vis paremus tibi comedere paſcha*, vbi oſtenditur eius obſervantia etiam ad finem vitæ: tùm ex Textu Mathæi 5. *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere*; quoad ſecundam vero partem patet: tùm ex Textu Mathæi 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, &c. Quæcumque dixerint vobis facite*: tùm ex Textu Lucæ 5. vbi poſtquam ſanavit Leproſum dixit: *Et offer pro emundatione tua, ſicut præcepit Moyſes.*

5 Probatur ſecundò noſtra Concluſio ex doctrina Pauli in Epiſtol. ad Hebræos ſub hac forma: lex vetus abrogata non fuit, quovſque fuit propalata Sanctorum via; ſed hæc vſque ad mortem Chriſti non fuit propalata: ergo vſque ad mortem Chriſti neque abrogata fuit lex. Probo maiorem poſtea probaturus minorem: lex non fuit abrogata quandiu Tabernaculum in ſuo ſtatu permanſit; ſed Tabernaculum permanſit, quovſque fuit propalata Sanctorum via: ergo lex non fuit abrogata quovſque via Sanctorum fuit propalata. Maior conſtat: quia tranſlatio Sacerdotij, Tabernaculi, & legis ſimul facienda erat ex illis verbis ad Hebræos 7. *Translato Sacerdotio, neceſſe eſt vt legis translatio fiat.* Minor verò

etiam

etiam conſtat ex Textu ad Hebræos 9. vbi dicitur : *Hoc ſignificante Spiritu Sancto nondum eſſe propalatam Sanctorum viam adhuc priore Tabernaculo habente ſtatum.* Ergo Tabernaculum permanſit quouſque fuit propalata Sanctorum via.

6 Probo iam minorem, quod ſcilicèt in morte Chriſti fuerit propalata via Sanctorum. Primò : quia iuxta Sanctos Patres ſic exponentes velum templi ſciſſum eſt Chriſto morente in ſignum revelationis viæ Sanctorum. Secundò : quia via Sanctorum non propalabatur niſi confirmato novo Teſtamento ; ſed hoc ante mortem Chriſti non fuit confirmatum iuxta verba Pauli : *Ubi enim Teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat Teſtatoris, &c.* Ergo, &c. Tertiò : quia via Sanctorum non poterat propalari niſi conſumando ſanctificatos ; ſed hæc conſumatio facta fuit in morte Chriſti : ergo, &c. Minor patet tum ex verbis in Cruce : *Conſumatum eſt* iuxta Div. Tho. 1. 2. quæſt. 103. art. 8. ad 2. & 3. part. quæſt. 47. art. 2. ad 1. Tùm ex Div. Paul. ad Hebræos 10. aiente : *Una oblatione conſumavit ſanctificatos* per quam oblationem mors Chriſti intelligitur.

7 Probatur tertiò Concluſio ab everſione fundamenti contrarij quadricipiti argumentatione fortiſsima P. Suarij ſub hac formas. Eatenus aliquomodo ceſſaviſſet lex vetus antè mortem Chriſti, quatenus ceſſaviſſet præceptum Circumciſionis ; ſed tale præceptum non ceſſavit : ergo nulla ex parte ceſſavit ante mortem Chriſti. Maior eſt fundamentum adverſariorum, probo minorem : Si præceptum Circumciſionis ceſſaviſſet, vel fuiſſe per *expreſſam revocationem*, vel per *incompatibilitatem* cum alio, vel per *puram terminationem* ipſius ratione ſui, vel per *finitionem* ipſius ex defectu materiæ, ſcilicèt ex defectu neceſsitatis talis remedij ; ſed nihil ex his dici poteſt ; ergo non ceſſavit tale præceptum. Probo minorem ſingula capita percurrendo. Primò non per *revocationem* : quia nullibi conſtat ante Paſsionem Domini talis revocatio Circumciſionis. Secundò non per incomponibilitatem cum alio præcepto, ſcilicèt Baptiſmi : quia ante mortem Chriſti tale præceptum non dabatur, vt modo ſupponimus, & ex illis verbis : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ubi præceptum Baptiſmi fuit poſt Chriſti mortem. Tertiò non per *puram terminationem* ipſius præcepti ratione ſui : quia non habebat deſignatum terminum durationis diſtinctum à duratione legis, cum qua fuerat incorporatum iuxta illud Pauli : *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe ipſum, quod debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Quartò non denique propter defectum materiæ, ſcilicèt neceſsitatis talis remedij : ergo nihil dabatur. Probo vltimam partem antecedentis : eà tenus ex defectu neceſsitatis talis remedij rueret tale præceptum Circumciſionis, quatenus hoc præceptum fundaretur in tali neceſsitate ; ſed hoc eſt falſum : ergo, &c. Minor patet primò : quia Ioannes Baptiſta ſanctificatus in vtero non indigens remedio originalis circumciſus fuit nihilominus ex præcepto. Secundò : quia infans propter periculum mortis ante octavum diem mundatus ab originali per remedium legis naturæ, poſteà convaleſcens erat ex præcepto circumcidendus. Tertiò denique : quia Circumciſio data erat in finem ; ſcilicèt conſignandi populum Dei, & profitendi legem eius ; ſed hic finis ſemper ſalvaretur, & adimplendus erat ; licèt non interveniret remedium originalis : ergo, &c. Minor conſtat ex obligatione totius legis ; maior patet : quia Iudæus cogebatur Primogenitum ſuum præſentare in Templo, & reliquas cœremonias Moſay-

ſaycas vſurpare; ſed eas niſi circumciſus non poteſt parvulus exercere: ergo quia talis Circumciſio erat medium neceſſarium ad finem profitendi legem Moſaycam.

8 Obijcitur primò: ante mortem Chriſti Domini Baptiſmus cœpit eſſe vtilis ad ſalutem, & gratiam conferendam, & materia conſilij; ſed hoc erat ceſſare præceptum Circumciſionis: ergo ceſſavit ante mortem Chriſti. Maior modo ſupponitur; probo minorem primò: conſilium rei perfectioris, & vtilioris tollit præceptum rei inferioris, & minus perfectæ; ſed Circumciſio erat res minus perfecta reſpectu Baptiſmi: ergo conſilium Baptiſmi abſtulit præceptum Circumciſionis. Minor conſtat: nam Circumciſio erat Sacramentum legis veteris imperfectæ, & iuxta optimos Theologos gratiam non conferens; Baptiſmus vero eſt Sacramentum legis novæ, & perfectæ, & collativum gratiæ iuxta omnes Theologos. Maior etiam videtur clara: tum quia nemo habet præceptum de Nuptijs, quia habet conſilium de Virginitate: tum quia materia conſilij eſt actio libera; ſed res perfectior non caderet ſub libertate, ſi res minus perfecta caderet ſub præceptum: ſi enim matrimonium eſſet mihi præceptum, non eſſem liber ad amplectendam Virginitatem: ergo, &c. Probatur ſecundò: quia vivente Chriſto Domino vix poterat eſſe neceſſaria Circumciſio, niſi propter remedium originalis; ſed adveniente Baptiſmo (licèt ſine præcepto) poterat per illum tolli peccatum originale: ergo adveniente Baptiſmo, ceſſavit præceptum Circumciſionis. Hoc eſt argumentum, ex quo colligitur, quod *per ſe* tota lex erat ceſſatura, ceſſante profeſsione Circumciſionis; ſed dici poſſet quòd per accidens non ceſſebat tota lex: tum in adultis, quia iam circumciſi fuerant, & profeſsi illam legem: tum in parvulis: quia, cum hi perventuri eſſent ad vſum rationis poſt mortem Chriſti, non dabatur locus, vt in ipſis propter defectum Circumciſionis ceſſaret reliqua lex: quippè nullum dabatur tempus capacitatis ante mortem Chriſti; de quo tempore loquimur in ipſis ad obligandum.

9 Reſpondeo ad hoc argumentum negando minorem, ad cuius primam probationem, diſtinguo maiorem: quoties conſilium de re perfectiori, & præceptum de re minus perfecta *ſimul ſervari non poſſunt*, concedo maiorem; quoties *ſimul ſervari poſſunt*, nego maiorem, & diſtinguo minorem: & Baptiſmus, & Circumciſio *ſimul ſervari non poſſunt*, nego minorem; & *poſſunt*, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque optimè procedit argumentum tum in ſuo diſcurſu: tum in exemplo: vnde ipſum depromit, nimirum loquendo de matrimonio, & Virginitate: quia re vera ſervari ſimul non poſſunt matrimonium conſumatum, atque Virginitas. Dixi: *Conſummatum*: quia loquendo de Sacratiſsimo, & puro connubio Beatiſsimæ Mariæ Virginis cum Sancto Ioſepho, poſſet dari præceptum de matrimonio, & conſilium de Virginitate, ita vt ſimul ſervaretur vtrumque. Quando ergo conſilium, & præceptum ſervari ſimul poſſunt, conſilium non evertit præceptum, & ſic eſt in re præſenti: quia ſicut Iudæus iam circumciſus poterat ante Chriſti mortem Baptiſmum ex conſilio ſuſcipere, ita poſſet filio ſuo parvulo Baptiſmum adhibere ex conſilio; Circumciſionem verò ex præcepto. Cuius ratio eſt: quia Circumciſio data erat in ſignum, & profeſſionem legis: quare ſemper manebat finis, & materia præcepti ſufficiens, vt eius obligatio vigeret. Ex quo patet etiam ad ſecundam probationem mi-

minoris, & ſolutionem integram argumenti. Reſpondeo ſecundò, quod licèt Baptiſmus cœpiſſet eſſe vtilis ad ſalutem quaſi privatim ; non tamen ſolemnitate legislativa: ſub qua non poterat deficere providentia de originali, licèt per accidens Circumciſio non mundaret, eo quod mundatum inveniret infantem : vti accidit cum periclytatur ante diem octavum. Unde ſequitur, quod ſolemnitas legislativa adhuc debebat retinere in vigore præceptum Circumciſionis in commune, & ſolemne remedium originalis ; licèt privatim quis aliter provideri de hoc poſſet, ſcilicèt, per Baptiſmum.

10 Obijcitur ſecundò : ſi aliquis Gentilis credens in Chriſtum baptizaret filium ſuum ; non teneretur illi adhibere remedium legis naturę ad mundandum illum ab originali ; ſed remedium legis naturæ in Gentilibus ſe habet, ſicut Circumciſio in Iudæis : ergo ſi infantulus Iudæus baptizaretur non deberet circumcidi. Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem : ſe habet ſicut Circumciſio quoad mundandum ab originali, vbi illud repererit, concedo minorem ; in ordine ad determinationem, & obligationem, nego minorem, & conſequentiam : nam diverſimode inter Gentiles poſcebatur remedium pro originali : in primis *indeterminatum*, ſcilicèt hæc vel illa applicatio externa ſidei Parentum, ſub qua, ſi prima eſſet, ab originali mundaret : qua propter præcedente Baptiſmo, non ſolum non daretur præceptum ; verum neque applicari etiam poſſet remedium legis naturę : quia, cum Baptiſmus eſſet applicatio fidei, iam non eſſet primò tale remedium. Deinde non eſſet tam obligatorium, vt eſt Circumciſio, quæ in particulari præcipiebatur ex fine conſignandi populum, & liberandi ab originali : quare non dabatur tàm ſtricta obligatio in remedio legis naturæ, in qua profeſsio fidei apud Gentiles non erat tàm alligata rei particulari, ſicut apud Iudæos erat præceptum Circumciſionis. Itaque in Circumciſione erat obligatio determinata, & ex duplici fine, ſcilicèt delendi originale, & conſignandi populum ; in remedio autem legis naturę erat obligatio vaga, & ſolum propter delendum originale.

11 Obijcitur tertiò : per adventum Chriſti Domini venit terminus legis veteris : ergo ceſſavit ante mortem Chriſti. Probatur antecedens ex illo Pauli ad Galatas : *Lex impoſita eſt donec veniret ſemen* ; ſed ſemen eſt Chriſtus : ergo adventus Chriſti erat terminus talis legis. Reſpondeo diſtinguendo antecedens : per adventum Chriſti conſumati in ratione Redemptoris, concedo antecedens ; per adventum Chriſti, hoc eſt per Incarnationem, & Nativitatem, nego antecedens, & in eodem ſenſu diſtinguenda ſunt verba, Div. Pauli, ſcilicèt de *ſemine* fructificante fructum totius Sanctificationis in arbore Crucis : quippè cum dici non poſſet, quod veniente optimo Legislatore mundus ſine lege manſurus eſſet, nimirum deformata iam lege veteri, & nondum formata iam lege nova : ideò lex vetus tandiu impoſita credenda eſt, quovſque veniret ſemen, ita vt confirmando fœdus novæ legis abrogaret antiquum ; hoc autem factum non fuit ante mortem Chriſti Teſtatoris, videlicèt illius altiſsimi Teſtamenti, in quo lex nova veterem depellebat.

12 Obijciuntur quartò illa verba Div. Lucæ 16. *Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem* ; ergo lex ceſſavit à Baptiſmate Ioannis. Confirmatur ex alijs verbis Math. 11. vbi dicitur *omnes Prophetæ, & lex vſque ad Ioannem Prophetaverunt.* Reſpondeo primò diſtinguendo antecedens, vel verba vtriuſ-

que Textus *vſque ad Ioannem , tamquam ad terminum obligationis legalis*; nego aſſumptum ; vſque ad Ioannem *tamquam ad terminum completivum* , & perfectivum prioris legis , quatenus oſtendebat iam figuratum in lege , & Prophetis , dicendo : *Ecce Agnus Dei, &c.* concedo aſſumptum. Itaque præcipuus ſenſus talium verborum eſt , totam doctrinam legis , & Prophetarum ad tempus Meſsiæ fuiſſe ordinatam , & illum reſpexiſſe tamquam terminum completivum quoad figuras, & Prophetias , & terminum perfectivum quoad perfectiores doctrinas legis gratiæ , quæ omnia iam incipiebant , Ioanne incipiente , & *IESUM* oſtendente ; ſecus vero vſque ad Ioannem ita , vt vltrà ipſum lex non obligaret pro quo exponendi modo favere videntur, Ianſenius cap. 47. & 95. Concordiæ , & Hieronymus , Chryſoſtomus, & Theophilactus, Math. 11. Reſpondeo ſecundò diſtinguendo verba Textuum cum Maldonato : *Uſque ad Ioannem* ita vt lex tum moreretur, quoad obligandum , nego aſſumptum; ita vt infirmaretur quodammodo , & appropinquaret ad finem , concedo aſſumptum : non enim negari poteſt, quin veniente Præcurſore , & reſonante in deſerto adventu Domini illius, qui legem veterem erat abrogaturus, ipſa lex vetus cadere quodammodo incepiſſet , non quoad vigorem obligandi quandiu durabat ; ſed quoad vigorem durandi , quando eius interitus imminebat : qui ſenſus ſufficientiſſimus erat ad ſic loquendum de obligatione talis legis : veluti ſi familiariter diceremus : *Veniente Ioanne lex vetus avolat* , quia citò finietur ; licèt quandiu duraverat, obligaverit.

13 Obijcitur quintò : Vivente Chriſto Domino , aliqua præcepta legis veteris ceſſaverunt : ergo omnia. Probatur antecedens : plura præcepta dabantur de ceremonijs legalibus figurantibus aliqua myſteria Chriſti viventis ; ſed hæc præcepta ceſſabant : ergo, &c. Probatur minor : myſteria iam impleta Chriſto vivente, nequibant per eas cæremonias figurari , vt futura ; ſed hoc ipſo ceſſabat obligatio illarum figurarum , ne falſa figuratio præciperetur : ergo , &c. Reſpondeo nimis probare argumentum , ſcilicèt legem non ſolum tunc eſſe mortuam , ſed mortiferam. Itaque nego antecedens, & ſucceſsivas probationes ipſius vſque ad vltimam , in qua obijcitur , quod tunc caſus lex obligatet ad figurationes falſas , quod aſſumptum nego: tùm quia illæ figuræ poſſent ſignificare myſterium ſecundum ſe , & præciſivè à tempore futuro : tum quia poterant ſignificare illa myſteria non ſeorſim ; ſed in coniuncto totius operis Redemptionis , quæ nondum erat perfecta , & conſummata ante Chriſti mortem : tum quia talibus cœremonijs ſemper Spirituales ſignificationes poterant reſpondere , vt de Circumciſione ait Cyprianus Epiſt. 59.

)(§)(

QUÆSTIO

QUÆSTIO SECUNDA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

ITAQUE FRATRES MEI, ET VOS MORTIFICATI eſtis legi per Corpus Chriſti. Ad Rom. cap. 7. verſ. 4.

ARTICULUS

UTRUM IN INSTANTI MORTIS CHRISTI mathematicè conſiderato lex vetus fuerit formaliter abrogata?

NOTABILIA.

1 HÆC quæſtio locum habet poſt aliam, in qua ſtatuimus, legem Moyſis non fuiſſe abrogatam quoad obligationem ante mortem Chriſti Domini: hoc enim ſtabilito inquirendum reſtat: *Num in ipſo inſtanti mortis Chriſto expirante, expiraverit; vel Chriſto reſurgente, fuerit lex vetus deſtructa; an potiùs talis lex aliquandiu duraverit cum vigore obligandi uſque ad diem Pentecoſtes?* In quo die tàm pro præſenti quæſtione, quàm pro alijs poſt reſolvendis ſupponimus, legem Evangelicam promulgari, & obligare cœpiſſe.

2 His poſitis duplex in hac quæſtione datur ſententia. Prima aſſerit, talem legem abrogatam fuiſſe quoad obligationem in ipſo inſtanti, & puncto mortis Chriſti Domini. Hanc videtur tenere Divus Thomas in 4. diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 5. quæſtiunc. 3. Maior quæſt. 2. Marſilius in 4. quæſt. 2. artic. 1. punct. 4. Adrianus quæſt. 1. in principio. Bonavent. in 4. diſputat. 3. part. 2. artic. 3. quæſt. 2. Paludanus in 4. diſtinct. 1. quæſt. 6. artic. 5. Richard. eadem diſtinct. artic. 1. quæſt. 6. Itemque artic. 6. quæſt. 4. Div. Thom. præter locum citatum in lib. Sententiarum, citatur inſuper pro hac ſententia in Summ. tum 1. 2. quæſt. 103. artic. 3. ad 2. & 3. part. quæſt. 66. artic. 2. Valentia tom. 2. diſputat. 7. quæſt. 7. punct. 1. Vazquez tom. 2. in 1. 2. diſputat. 181. cap. 2. Molina tom. 5. de luſtit. & Iure, tract. 5. diſputat. 62. num. 5. Ludovicus Tena in Epiſt. ad Hebræos, cap. 8. difficul. 6. num. 73. & reliquis. Secunda ſententia aſſerit, legem veterem non fuiſſe abrogatam quoad obligationem in ipſo

ipſo puncto mortis Chriſti rigorosè, & mathematicè intellecto; ſed ita vt ex morte Chriſti lęthale vulnus acceperit, vt ſe explicat Maldonatus, & poſtmodùm hanc ſententiam tuetur ipſe Maldonatus, Math. 5. Scotus quæſt. 4. Sotus quæſt. 7. artic. 3. & lib. 2. de Iuſtit. & Iur. quæſt. 5. art. 4. Gabriel in 4. diſtinct. 1. quæſt. 4. Bonaventura punct. 2. artic. 3. Auguſtinus Epiſt. 8. & 87. inter Epiſtolas Hieronymi,& Hieronymus Epiſt. 89. & 11. inter Epiſt. Auguſtini. Eximius Suarez lib. 9. de Legib. cap. 13. vbi citat reliquos, quos pro hac ſententia retulimus, & quorum fides ſit penes ipſum Suarium, ſicuti, & fides ſequentium ſit penes Ludovicum Tena ad Hebræos, cap. 8. difficult. 6. ſect. 6. citat. ergo pro hac ſententia Capreolum in 4. diſtinct. 3. quæſt. 3. art. 4. Vegam lib. 5. ſuper Concilium Tridentinum, Lorcam 2. tom. 1. 2. diſputat. 57. §. *Sed vt verum fatear* pro ſe adducentem Auguſtinum Epiſt. 119. Leonem ſerm. 1. in Pentecoſtem, Vaſquium tom. 1. 1. 2. diſputat. 181. cap. 1. Bernardum Epiſt. 77. Sed, cum ego ex vna parte amator ſim illuſtrandi ſententias ex bona (ſi dari poteſt) copia Doctorum, & ex alia ſim amator fidelitatis, appingo lubens quæ in his ſententijs recenſendis obſervo. Primò quod Eximius Doctor ponit Bonaventuram in 4. diſtinct. 3. punct. 2. art. 3. quęſt. 2. in fine pro ſua ſententia; licèt Ludovicus Tena eumdem Doctorem citet pro contraria ſententia in eodem ipſiſsimo loco Divi Bonaventuræ antea citato; niſi forte ſe excuſet Tena: quia poſtea ſubdit: *Clarius tenent hanc ſententiam de hoc ex profeſſo diſputantes Valentia,&c.* Obſervo ſecundò, quod hic à Tena ſcilicèt num. 75. citatur Vazquez, vt clarus pro ſua ſententia, & cum ipſiſsima citatione quoad locum citat eum Lorca pro ſua, quæ eſt illi contraria. Qua fide ipſi viderint: ſi enim citationum comprobationes ingrederemur, profectò ingrederemur obſcuriſsimam ſylvam. Obſervo tertiò: tùm apud noſtrum Suarium, tùm apud Tenam citari Scotum ita vt videatur dicere, obligationem legis ceſſaſſe poſt mortem Chriſti; cum tamen præcitatus fuerit ab ipſo Suario in capite præcedenti pro ceſſatione Circumciſionis, quæ erat profeſsio, & quaſi fundamentum totius legis, ante mortem Chriſti. Hæc retuli, & gravatè quidem: diſplicent enim mihi quævis offendicula tractum diſputationis interrumpentia; ſed profectò, cum amator ſim brevitatis, & fidelitatis; ambabus his præliantibus, non debebat niſi fidelitas prævalere: ſcio enim vnam ſolam lineolam, ſi extra rem eſt, eſſe prolixam; ſi verò rei, de qua agitur opportunè conſulat, prolixa non cenſebitur integra pagina.

3 Sit igitur noſtra Concluſio cum ſecunda ſententia, cum qua dicimus, *Legem veterem non fuiſſe abrogatam omnino, & formalitèr in ipſo inſtanti mortis Chriſti mathematicè conſiderato; ſed viguiſſe quoad obligationem vſque ad diem Pentecoſtes, in quo mortua, & abrogata eſſe cœpit.* Probo primam partem Concluſionis principaliorem, quod ſcilicèt lex non fuerit abrogata in ipſo puncto mortis Chriſti. Primò ex Auguſtino, vbi ſuprà dicente *poſt Paſſionem, & Reſurrectionem, & manifeſtationem Sacramenti gratiæ vetera Sacramenta non eſſe de neceſsitate ſalutis.* Et ex Hieronymo aiente vbi ſuprà, talem legem *cœpiſſe eſſe mortuam poſt Evangelium Chriſti*; ſed hæ expreſsiones clarè dicunt, quòd non in ipſo puncto mortis Chriſti mathematicè conſiderato fuerit abrogata lex vetus: ergo in illo non fuit abrogata. Probo ſecundò: lex vetus non fuit mortua quoad obligationem, donec lex nova cœperit obligare; ſed, vt ſupponimus modò, lex nova non cœpit obligare ab

in

inſtanti mortis Chriſti: ergo in ipſo inſtanti non fuit abrogata lex vetus. Minor præterquamquod ſpeciali diſputatione firmabitur, conſtat: quia iuxta Doctores de Eſſentia legis, vt obligantis eſt promulgatio, & intimatio: vnde in capite *In iſtis* diſtinct. 4. leges dicuntur conſtitui, cum promulgantur; ſed in ipſo puncto mortis nulla data fuit promulgatio Evangelij: ergo lex nova non cœpit obligare ab inſtanti mortis Chriſti.

4 Probo maiorem primò ab auctoritate ex varijs textibus Divi Pauli ad Hebræos 7. 8. & 10. Tùm quàtenus dicit: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius; introductio verò melioris ſpei, per quam approximamus ad Deum.* Tùm quàtenus dicit de novo Teſtamento commemorato ab Iſaìa: *Dicens autem novum, veteravit prius.* Tum denique quàtenus dicit: *aufert primum, vt ſtatuat ſecundum.* Sed reprobationem prioris mandati per introductionem poſterioris priùs veteraſcere propter poſterius; & primum auferri propter ſecundum, manifeſtè denotant, obligationem legis veteris non deſinere, niſi incipiente nova: ergo, &c. Secundò ex Divo Bernardo in Epiſt. 77. quem ſequitur Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacrament. part. 6. cap. 4. dicens: „ Oportuit enim vt illa, quæ finienda „ erant nequaquam ſubitò, vel præcipitantèr; ſed paulatim, & quaſi cum „ quadam reverentia dimitterentur, vt „ oſtenderentur bona fuiſſe tempore „ ſuo: & ſimiliter quæ incipienda „ erant non ſubito in auctoritatem aſſumerentur, ſed cum mora, & gravitate inchoarentur, ne velut alie„ na, & præter rem aliunde inducta „ ſubitò putarentur: illa igitur dimiſſa „ ſunt; non proiecta; & iſta inſtituta „ ſunt; non vſurpata. Sed hæc verba formaliſsimè dicunt, quod per eoſdem gradus, per quos incipiebat lex nova deſinebat antiqua, ita vt tantundem dimitteretur ex vna quantum vſurparetur ex altera: ergo, &c. Confirmatur ex verbis Divi Thomæ in 4. diſtinct. 3. artic. 5. quæſtiunc. 3. vbi loquens de initio obligationis Baptiſmi ait: *Quantum ad omnes, ad quos inſtitutio poterat pervenire: neque enim præceptum obligat antequam ſit divulgatum.* Ergo ſatis conſtat ab auctoritate, quòd obligatio legis antiquæ eſſe deſierit per adventum obligationis legis novæ.

5 Probatur eadem maior ſecundò ratione multiplici. Primò: quia cum tanto Legislatore non debebat populus exlex manere, ſeù ſine lege: vnde non poterat ceſſare prima, niſi obligante ſecunda. Secundò: quia nullum eſt fundamentum ad ponendum ſtatum, quaſi neutrum quoad obligationem; licèt quodammodo ponatur tempus obligationis vtriuſque legis, nimirum quatenus ſub idem tempus, ſcilicèt à die Pentecoſtes lex Evangelica obligaret, vbi ſufficientèr eſſet promulgata; vbi autem ſecus, obligaret lex vetus. Tertiò: quia mors Chriſti per ſe non fuit abrogatio formalis ratione repugnantiæ formalis cum tali lege: nec abrogatio negativa, quàtenus conſtaret talem mortem eſſe terminum deſignatum ad deſitionem ipſius. Sed inſuper ex nullo alio textu conſtat, mortem Chriſti Domini eſſe abrogativam veteris legis: ergo non erat caput cur lex antiqua abrogaretur, niſi per adventum obligationis novæ. Quartò: quia tunc deficeret, ſicut re ipſa defecit promulgatio talis abrogationis; ſed deficienti tali promulgatione non deficeret obligatio legis antiquæ: ergo talis obligatio non fuit abrogata quouſque nova ſucceſſit. Maior conſtat ex doctrina Suarij aientis, tunc temporis datam fuiſſe non ſolum in Iudæis, ſed etiam in Apoſtolis ignorantiam invencibilem

de

de eo quod talis lex fuerit abrogata: vnde licèt Iudæi tenerentur credere Chriſtum eſſe Meſsiam; non tamen ſuæ legis abrogationem. Minor patet: quia non data ſufficiente promulgatione illius abrogationis non poterat dari abrogatio obligationis, niſi invtiſis, & fruſtranea: ergo nulla. Probo antecedens: quia non data promulgatione, & cum ignorantia invencibili abrogationis Iudæi ex dictamine conſcientiæ (quam damus tunc eſſe erroneam) tenerentur ad præcepta ſuæ legis adimplenda: ergo illa abrogatio talis obligationis non poſſet non eſſe invtilis, & fruſtranea.

6 Probo iam ſecundam partem Concluſionis, ſcilicèt quod vſque ad diem Pentecoſtes duravit obligatio legis antiquæ. Primò: quia ex alibi dictis ſufficiens promulgatio legis Evangelicæ fuit à die Pentecoſtes; ſed quovſque lex nova incœperit obligare, non abrogabatur antiqua: ergo non abrogata fuit vſque ad diem Pentecoſtes. Maior interim conſtat: tum quia illo die fuit facta publicatio ſolemnis in vrbe celeberrima Hieroſolymorum, & conſtat ex illis verbis Divi Petri prædicantis Actor. 2. *Pœnitentiam agite, vt baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſsione peccatorum veſtrorum:::: & ſalvamini ab iſta generatione prava*: Tùm quia, ſicut promulgatio legis antiquæ facta fuit die quinquageſima ab egreſſu Ægypti, & liberatione Pharaonis; ita facienda erat promulgatio legis novæ à quinquageſima die liberationis humanæ per mortem Chriſti de Diaboli poteſtate. Tertiò: quia ideò illa die data ſunt Apoſtolis dona linguarum, vt in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Minor iam conſtat ex dictis.

7 Secundò probatur eadem pars ab everſione fundamenti, cui innititur Sotus ad opinandum, legem quoad obligationem fuiſſe abrogatam in Reſurrectione Chriſti: nam vel abrogatio pendet à ſufficienti merito, & ſatisfactione Chriſti Domini? Et ſi ita eſſet, abrogata fuiſſet in puncto mortis: nam vltra tale punctum, via merendi, & ſatisfaciendi non extendebatur. Vel abrogatio pendebat à complemento myſteriorum Chriſti Domini, quaſi in Reſurrectione terminarentur? Sed hoc eſt falſum: Tùm quia poſt Reſurrectionem reſtabant alia myſteria prophetata, & ſignificata, ſcilicèt Aſcenſio Chriſti, deſcenſus Spiritus Sancti, vocatio gentium, &c. Tùm quia, vt lex abrogaretur, opus non erat omnes figuras compleri; alioqui vſque ad vltimam Reſurrectionem generis humani in ea præfiguratam non poſſet abrogari: ergo, &c. Nunc ſic; ſed ratione promulgationis legis novæ in tali tempore Reſurrectionis Chriſti non poteſt poni abrogatio: quia, vt conſtat ex Evangelio, & Actibus Apoſtolorum, non ſolum in illo triduo ante Reſurrectionem, ſed neque in reliquis diebus vſque ad Pentecoſtem talis lex, nova fuit promulgata: ergo de primò ad vltimum abrogatio legis veteris quoad obligationem non eſt ponenda niſi à die Pentecoſtes. Et quidem ita, vt illam ponit Eximius Suarez cum Bonaventura, Scoto, & aſſeclis, Bernardo, & Hugo de Sancto Victore. Ait ergo: „ Tertius modus di-
„ cendi eſt abrogationem legis veteris
„ cœpiſſe in die Pentecoſtes; non ta-
„ men ſimul factam eſſe pro toto Or-
„ be, ſed ſucceſsivè creſcente promul-
„ gatione legis novæ, conſummatam-
„ que eſſe quando legis novæ promul-
„ gatio pro Iudæis ſaltem conſumma-
„ ta eſt.

8 Obijciuntur primò illa verba Pauli ad Hebræos 7. *Translato Sacerdotio, neceſſe eſt vt legis translatio fiat.* Ex quibus ſic argumentantur; lex translata,

ſivè

ſivè abrogata fuit quando Sacerdotium vetus; ſed hoc fuit translatum in puncto mortis Chriſti: ergo in eo fuit lex abrogata. Minor probatur: in ipſo puncto mortis ſciſſum fuit velum templi; ſed hoc ſignificabat translationem Sacerdotij iuxta Interpretes: ergo tunc translatum fuit. Reſpondeo diſtinguendo minorem: translatione inchoativa, & radicali, concedo minorem; translatione conſumata, & perfecta, nego minorem, & conſequentiam, & ad probationem etiam diſtinguo minorem: ſciſsio veli in Templo ſignificabat translationem legis, & Sacerdotij proximè, & per ſe primò, ac immediatè, nego minorem; ſignificabat illam arguitivè, & conſecutivè ad virtutem mortis, & Redemptionis, concedo minorem, & conſequentiam: non enim poteſt dici quod translatum fuit in morte Chriſti tale Sacerdotium: quia Chriſtus in ara Crucis novum Sacrificium obtulerit; alioqui dicendum eſſet tale Sacerdotium fuiſſe translatum in nocte Cœnæ, vbi Chriſtus Dominus non ſolum vt Summus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech obtulit diviniſsimum Sacrificium, ſed etiam ſuos Apoſtolos Sacerdotes ordinavit. Verum, licèt re ipſa Sacerdotij translatio fuerit tunc aliquomodo inchoata: quia cœpit exerceri novum Sacerdotium, per quod auferendum erat antiquum; nihilominus priuſquam Sacerdotium antiquum penitus deleretur, oportebat novum in Eccleſia publicari, & Sacerdotalem ordinem cum ſuo Supremo Capite ſtabiliri. Propterea ſemper manet verum in aliquo ſenſu, quod in morte Chriſti facta fuerit translatio legis, & Sacerdotij, & quod velum Templi ſciſſum id ſignificaret; ſed quomodo? Inchoative, vialitèr, & infieri: quia quaſi gradatim lex vetus, & Sacerdotium ad interitum accedebat; ſiquidem, vt ſe explicat Maldonatus, in morte Chriſti lęthale vulnus acceperat, & hoc eſt quod dixit Paulus ad Hebræos 9. *Dicendo: Novum veteravit prius: quod autem antiquatur, & ſeneſcit propè interitum eſt.* Si autem roges quid ſignificet per ſe primò, & immediatè velum Templi ſciſſum? Dico cum Suario, id eſſe apertionem Ianuæ Regni Cœleſtis, & viam Sanctorum in ipſo inſtanti propalatam fuiſſe; ſiquidem ex tunc cœperunt Sancti Deum videre. Et idem accommodatè dicendum eſt de maceria directa, quæ vtrumque populum dividebat: ſignificabat enim non inſtantaneè, ſed temporalitèr fundamenta, & primordia novæ legis aſſurgere, & antiquam procumbere.

9 Obijcitur ſecundò: Tunc lex fuit abrogata, quando figuræ omnes, & Sacrificia fuerunt completa; ſed hoc accidit in morte Chriſti, qui erat finis legis: ergo in ipſo articulo mortis Chriſti lex antiqua expiravit. Confirmatur: iuxta Paulum ad Hebræos 1. *Non ceſſaverunt vetera Sacrificia, donec Chriſtus vna oblatione conſummavit Sanctificatos*, ſcilicèt oblatione Crucis, vt interpretatur Div. Thom. 1. 2. quæſt. 103. artic. 8. ad 2. Sed ceſſantibus veteribus Sacrificijs, manebat lex abrogata: ergo in morte Chriſti abrogata fuit. Reſpondeo primò negando maiorem: non enim opus erat ad eius abrogationem, vt omnia legis figurata eſſent impleta; alioquin non poſſet abrogari vſque ad Reſurrectionem mortuorum in ipſa figuratam. Reſpondeo ſecundò, permiſſa maiori, negando minorem: nam poſt mortem Chriſti plura myſteria impleta fuerant, quæ in lege figurabantur, ſcilicèt Reſurrectio, & Aſcenſio Chriſti, deſcenſus Spiritus Sancti, & vocatio Gentilium. Reſpondeo tertiò diſtinguendo minorem: erant impleta in ratione figuræ, permitto minorem; in ratione legis, nego minorem. Itaque lex figu-

rativa litteraliter obligat; mysticè verò figurat: quare poterit aliquàtenus quoad figurationes compleri, currente semper tenore obligandi: non enim est cur talis obligatio amplius non se extendat; præsertim, si tendit ad complementa ordinatissima figurarum. Ad confirmationem respondeo primò consequentiam ritè illatam solum esse: *ergo lex non abrogabatur, donec moreretur in Cruce Christus Dominus*, quam nos integra quæstione alibi subsistinemus. Sed cum hoc stat optimè, talem legem multò pòst abrogari. Respondeo secundò, vel distinguendo maiorem propter repetitos sensus, in quibus diximus, legalia in morte Christi solùm cessasse radicaliter, & inchoativè, quod sonat initia abrogandi; non verò abrogationem: vel distinguendo minorem: cessantibus præcisè quoad figurationem, nego minorem; cessantibus quoad obligationem, permitto minorem: dando enim, quòd in morte Christi vniversa legis veteris figura expleretur; semper obligatio restabat, quovsque per revocationem expressam, aut desitionem ipsius, quàtenus veniret terminus positus ad obligandum; aut per aliam legem tolleretur.

10 Objicitur tertiò: Testamentum vetus fuit revocatum, quando confirmatum fuit novum; sed novum Testamentum confirmatum est in ipso puncto mortis Christi Domini: ergo in eo etiam vetus Testamentum fuit revocatum, & lex abrogata. Maior videtur esse nostra doctrina suprà iam tacta, scilicèt legem veterem non cessaviss̃e, nisi succedente novà. Minor probatur ex illis verbis Divi Pauli ad Hebræos 7. „ Ubi enim Testamentum „ est, mors, necesse est intercedat „ Testatoris: Testamentum enim in „ mortuis confirmatum est; alioqui „ non dum valet dum vivit, qui Te„ status est. Ex quibus verbis probatur minor sic: in puncto mortis Testatoris iuxta prædicta verba incipit Testamentum valere; sed valor Testamenti est firmitas ipsius: ergo in puncto mortis Christi eius testamentum confirmatum est. Respondeo distinguendo maiorem: quando confirmatum fuit novum *præcisè fundamentaliter*, & *quoad intrinseca valoris ipsius*, nego maiorem; quando confirmatum fuit etiam *quoad omnem confirmationem*, & *solemnitatem*, concedo maiorem, & distinguo minorem: fuit confirmatum novum in morte Christi *fundamentaliter*, & *quoad vim intrinsecam valoris ipsius*, concedo minorem; *quoad omnem ipsius confirmationem*, & *solemnitatem*, nego minorem, & consequentiam: possumus enim considerare novum hoc Divinum Testamentum ad instar Testamenti humani, quod profectò valorem suum, & firmitatem accipit in illo instanti, in quo Testator occumbit; sed eius solet esse valor absconsus, donec postea authenticè referatur, & media solemnitate revocat alia Testamenta fortè priora: sic similiter novum Testamentum in ipso puncto mortis Christi omne robur illud accepit, quo in æternum est valiturum; verumtamen vt Testamentum prius derogaret, insuper requirebatur tota illa promulgatio, & solemnitas, sine qua non poterat vnam obligationem inducere, vt deleret alteram. Unde loquendo de valore eius Testamenti in ordine ad obligandum, dicimus opportunè cum Scholasticis formulis se explicandi, quod tale Testamentum valebat *tunc*, sed non *pro tunc*, eo quod, licèt in morte Christi acceperit totam virtutem ad obligandum, eius actualis obligatio tempora vlteriora poscebat. Et hoc est quòd videtur dicere Divus Chrysostomus homil. 16. in cap. 9. Epist. ad Hebræos dum ait, *Testamentum factum esse ratum, & firmum in die mortis; sed postea impletam fuis-*

fuisse promissionem ipsius, quod de reliquis effectibus videtur etiam esse dicendum. REPLICABIS: Lex Divina non indiget promulgatione ad obligandum: ergo cœpit obligatio novi Testamenti à puncto mortis Christi. Respondeo distinguendo antecedens: propter infirmitatem legis, & Legislatoris, concedo; propter infirmitatem humanam, nego: quia ipsa rerum natura poscit, quòd nemo obligetur, nisi ad id, quod noverit ipsi legitimè intimari, & proponi.

11 Objciuntur quartò illa verba Pauli ad Rom. 7. vers. 1. satis obscura, & quæ non parum discruciant Interpretes, quæ ad longum refero, vt maiori cum fundamento tractentur argumentatio, & solutio. Ait ergo: „ An „ ignoratis, fratres (scientibus enim „ legem loquor) quia lex in homine „ dominatur, quanto tempore vivit? „ Nam quæ sub viro est mulier, viven„ te viro, allegata est legi: si autem „ mortuus fuerit vir eius, soluta est à „ lege viri. Igitur vivente viro, voca„ bitur adultera, si fuerit cum alio; si „ autem mortuus fuerit vir eius; libera „ est à lege viri, vt non sit adultera, si „ fuerit cum alio viro. Itaque fratres „ mei, & vos mortificati estis legi per „ Corpus Christi: vt sitis alterius, qui „ ex mortuis resurrexit, vt fructifice„ mus Deo. Ex quibus verbis sic argumentor: Divus Paulus in hoc loco ad Roman. 7. vers. 1. & sequentibus ponit comparationem inter mortificationem legis per Corpus Christi, & liberationem mulieris à lege viri, sub quo erat in vinculo matrimonij; sed etiam iuxta Divum Paulum liberatio mulieris à lege viri erat instantanea, scilicet à puncto mortis ipsius viri: ergo liberatio legis credenda est accidisse in ipso puncto mortis Christi. Ad solutionem huius argumenti multifariam vexantur Auctores similitudinem Divi Pauli non facilè accommodantes: quapropter hunc locum diversimode interpretantur multiplici expositione, quam congerit solita sua eruditione Doctor Eximius lib. 9. de Legib. cap. 13. ex quibus amplector illam, quæ mihi textum legenti, videbatur esse germana: & iuxta eam respondeo ad argumentum primò, distinguendo maiorem: ponit comparationem inter mortificationem legis per Corpus Christi, & mulierem liberatam à lege viri, ita *vt lex vetus intelligenda sit quasi mulier, & Christus quasi vir eius*, nego maiorem; ita *vt quilibet fratrum Iudæorum, vel Synagoga sit quasi mulier, quæ solvitur à dominio legis se habentis ad instar viri*; concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; vel potius suppositum consequentis, in quo supponitur, legem liberari à vinculo, quod non est ita; sed Iudæos per Corpus Christi liberari à vinculo legis. Itaque alij fugiunt hoc argumentum dicentes, Paulum loqui de lege peccati: alij præscindunt inter obligationem, & dominium legis: alij faciunt Christum virum Synagogæ; sed cum prædicta cuncta non benè cohæreant, vt latiùs ibi Suarez, & præsertim cum Christus Dominus non possit intelligi, vir, & sponsus Sinagogæ: quippè nuptias factas à Patre filio suo non intelligunt Patres, & Expositores vsque ad nuptias Verbi cum humanitate, vel Christi Domini cum Ecclesia: ideò sustineo vt mihi ingenue apparet ex textu, quod in comparatione Divi Pauli lex vetus habenda est instar viri à quo, vel à cuius lege, seu imperio solvatur Synagoga, vel Iudæus quilibet. Hæc expositio resultat ex illa duplici, quam tradit Suarius citans pro ea Toletum Annotat. 5. Pererium disputat. 5. & multos Patres suppresso nomine; sed clare Anselmum, quàtenus dicit virum fuisse Moysem. Moyses autem, vt constat ex Decadibus regularum supponit pro lege. Ubi licèt Suarez moveat scrupulum,

quod ſcilicet Paulus virum, & mulierem diſtinguit à lege, videtur mihi hic ſcrupulus non tanti faciendus, vt explodat congruentiorem explicationem: tum quia nulla comparatio perſequitur omnes apices ſimilitudinis, ne veniat ad identitatem: tum quia non conſtat, D. Paulum ponere aliquam legem erga mulierem, niſi ipſum virum, qui in omni iure lex eſt mulieris.

12 Quo poſito pro fulcienda hac interpretatione accedo ad reflexionem verborum, ſcilicet, quod ita exordiritur Paulus: *An ignoratis, fratres, quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi.* Ecce in his verbis ab initio Paulus aperit nobis viam intelligendi modum, quo inſtituit comparationem: nam volens vti ad ſuam comparationem dominio, & lege viri ſuprà mulierem, præmittit, quomodo lex dominetur in homine quanto tempore vivit ſcilicet, lex ſubiectionis mulieris ad virum: & inde procedit ad ſubiectionem Iudæorum ad legem Moſaycam. Quare perinde eſt ac ſi dicat D. Paulus: *Fratres mei, ſuper quos dominatur lex, quemadmodum mulier, moriente marito, ſolvitur à lege ipſius; ſic vos per Corpus Chriſti mortificati eſtis legi, vt liberemini à ſubiectione ipſius.* Hanc intelligentiam clamat totus contextus Divi Pauli, vltra quem produco verba Divi Thomæ, in quibus difficultas, quam S. Doctor remanere perſenſerat, complanatur per hanc viam explicandi. Ait ergo: „ Videtur autem „ eſſe diſsimilitudo, quantum ad hoc „ quod in præcedenti exemplo vir mo„ riebatur, & remanebat mulier abſ„ que obligatione legis. Hic autem „ ille, qui ſolvitur ab obligatione, di„ citur mori; ſed, ſi rectè conſidere„ mus vtrumque, eſt eiuſdem rationis: „ quia, cum matrimonium ſit inter „ duos, ſicut quædam relatio, non re„ fert quicumque eorum moriatur ad „ hoc quod ſolvatur lex matrimonij: „ vtrumlibet enim contingat, mani„ feſtum eſt quod per mortem, qua „ commorimur Chriſto ceſſat obliga„ tio veteris legis. Quæ verba Divi Thomæ ſyncerè dilucidant expoſitionem factam: ſub qua nimirum inſinuata corruit difficultas. Nam per nos lex quæ virum gerit, moritur, & verè deficit; Iudæus autem qui ſolvitur ab ea, non moritur verè, niſi ſolum morte myſticè intellectà, quàtenus mori mundo, eſt commori Chriſto, vt Sanct. Doct. ſe explicuit.

13 In ea ſolum reſtat explicare quomodo per Corpus Chriſti intelligatur, ſolutum fuiſſe illud vinculum, quo Synagoga, vel Iudæus quilibet colligabatur cum lege. Primò igitur interpretatur ſic: *Per Corpus Chriſti*, id eſt *per gratiam, & veritatem Evangelij iuxta illud Ioann. 1. Lex per Moyſem data eſt; gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Quæ quidem gratia, & veritas poſſunt appellari Corpus Chriſti: quia dicitur Corpus Chriſti impletio myſteriorum ipſius, iuxta illud ad Coloſſenſes 2. de Legalib. Cœremonijs: *Quæ ſunt vmbra futurorum; Corpus autem Chriſti.* Et ex illo ad Epheſ. 2. verſ. 16. *Et reconciliet ambos* (Iudæos, & Gentiles) *in vno Corpore Deo per Crucem.* Secundò: *Per Corpus Chriſti ideſt per Incarnationem.* Sic opinarer. Tertiò: *Per Corpus Chriſti*, id eſt vt ibi Divus Thomas *per hoc quod facti eſtis membra Corporis Chriſti conſepulti ei per Baptiſmum*: quod in alijs fuit quoad efficaciam, & in alijs quoad ſufficientiam. Quartò: *Per Corpus Chriſti*, id eſt *per ipſum pro nobis Crucifixum*: per Paſſionem enim, & mortem ipſius lex fuit abrogata, & mortua quoad obligationem, non ſtatim, ſed tempore congruo, & in virtute talis mortis. Igitur iuxta hos omnes modos intelligitur evacuata ſatis obiectio: nam ſemper ſalvatur, quod ipſa lex vetus fuerit abro-

abrogata, ſivè publicata veritate per Chriſtum, id eſt, quoad totam promulgationem Evangelij; ſivè per ipſam Eccleſiam, vt ſcilicet plenè fundatam, ſivè per ipſam mortem Chriſti non provt in re, ſed provt in virtute, id eſt ſecundum omnia, quæ ſecum afferebat nobis hæc mors fœliciſsima, & ſic ſimilitèr verificatur de omnibus individuis à lege veteri liberatis, quod mortificati ſunt legi, id eſt lex quoad obligationem in ipſis mortua facta eſt modis relatis, ſeu potiùs ipſi mortui facti ſunt legi. Vbi profundè notabis quomodò ſic explicata ſolutione, evadit exactiſsima comparatio. Nam, ſicut moriente viro, liberatur mulier; & quaſi mortua facta eſt viro; ita mortua lege veteri, quæ erat inſtar viri, liberata eſt Synagoga, & quaſi mortua facta eſt legi, ſeu mortificata legi per Corpus Chriſti.

14 Obijcitur quinto: Si lex non fuiſſet abrogata quoad obligationem in ipſo puncto mortis Chriſti, licuiſſet ponere ſpem in talibus Sacramentis, & Cœremonijs poſt mortem Chriſti; ſed hoc nunquam licuit poſt Chriſti Domini paſsionem, & mortem: ergo lex in ipſo puncto mortis fuit abrogata. Maior patet: quia, ſi lex adhuc obligaret, neceſſarium eſſet, vel neceſſaria eſſent talia Sacramenta ad ſalutem, & ponere ſpem in illis, quòd pro eodem vſurpant Magiſter ſententiarum, & Div. Thom. cum Scholaſticis in 5. diſt. 1. & 3. Minor etiam conſtat ex Auguſtino in Epiſt. 19. ad Hieronymum aiente, non eſſe licitum poſt mortem Chriſti ponere ſpem in Cœremonijs vel Sacramentis Iudaicis, & colligitur etiam ex illo ad Galat. 5. *Si in lege iuſtificamini; à gratia excidiſtis.*

15 Reſpondeo diſtinguendo maiorem: ponere ſpem poſt mortem Chriſti, & legem Evangelicam ſatis promulgatam, nego maiorem; non ſatis promulgatam, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: non licuit poſt mortem Chriſti, & gratiam Redemptionis non ſatis promulgatam, nego minorem; ſatis promulgatam, concedo minorem, & conſequentiam. Itaque ille textus Pauli, & dictum Auguſtini ſemper ſunt intelligenda de eo quòd poſt mortem Chriſti, & legem Evangelij ſatis promulgatam nunquam liceret ponere ſpem ſalutis in legalibus Cœremonijs; verumtamen, cum poſt articulum, & inſtans mortis Chriſti, nec dum eſſet ſatis promulgata lex Evangelica, novumque Teſtamentum, ideò lex vetus in ordine ad ſalutem perinde ſe habebat, ac ſe habuit toto tempore legis ante Chriſti paſsionem, & mortem: vndè, ſicut licuiſſet ponere ſpem in lege ſub fide Chriſti, ita etiam liceret poſt inſtans mortis Chriſti, qui reſpectu illorum, ad quos ſufficiens notitia Chriſti Redemptoris non dum pervenerat, perinde ſe haberet, ac ſi mortuus non fuiſſet.

QUÆSTIO

QUÆSTIO TERTIA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

SI CIRCUMCIDAMINI CHRISTUS NIHIL VOBIS proderit. Ad Galat. cap. 5. verſ. 2.

ARTICULUS

UTRUM LEX VETUS FUERIT ALIQUO TEMPORE quoad obligationem prius mortua quam mortifera?

NOTABILIA.

1 HUIUS quæſtionis aditus pluribus ire debet notabilibus præmunitus, vt punctum controverſiæ plenè percipiatur, atque tractetur. Itaque noto primò, dupliciter poſſe abrogari aliquam legem. Primò ita vt obligatio eius penitus ceſſet. Secundò ita vt potiùs ſuccedat obligatio contraria prohibens quod anteà præcipiebatur. Prior modus revocandi facit legem mortuam; ſecundus mortiferam: & quærimus modo: Utrum lex vetus prius fuerit mortua, quam fuiſſet mortifera in ordine ad vſum legalium. Noto ſecundò, quod licèt quæſtio procedat de omnibus Chriſtianis, ſivè de Iudaiſmo, ſivè de Gentilitate converſis; non tamen procedit de omnibus præceptis veteris legis: quia moralia numquam fuerunt mortifera, cum potius ſervanda ſint in Lege Evangelica: item que Iudicialia non ſint mortifera tum ex opinione Doctorum cum Divo Thom. 1. 2. quæſt. 104. art. 3. tum ex vſu Eccleſiæ adhuc retinentis nonnulla de Iudicialibus: vt impedimenta matrimonij, quotam decimarum, & ſimilia: cum enim hæc non ſint figurativa, ſaltem primario, ſicut cœremonialia (imò etiam inter cœremonialia, & iudicialia poſsint non omnia figurativa ſubſtineri) ſed ad vtilitatem politicam ordinentur, adoptari poſſunt ab habentibus poteſtatem.

2 Noto tertiò, loquendo de Cœremonialibus: legem veterem iam nobis non ſolum mortuam, ſed mortiferam eſſe, quod aſſertum de fide eſt ex capite *Maiores de Baptiſmo*, vbi oppoſita ſententia dicitur eſſe hæreſis damnata Cherinti, Ebionis, & Nazaræorum: & ita habita eſſe videtur temporibus Auguſtini, & Hieronymi prout, in Epiſt. 89. huius, & 19. illius conſtat: Ita etiam Divus Ambroſius Epiſtol. 41. & ſequentibus, & Iuſtinus Martyr Dialog. cum Triphone

iuxta

iuxta illud Pſalm. 39. *Sacrificium, & oblationem noluiſti.* Cum interpretatione Pauli ad Hebræos 10. Ex quibus conſtat, vt ait Suarez, legem veterem ceſſaſſe adiunctà Eccleſiæ intelligentià, quæ interpretatur, ita ceſſaſſe, vt non ſolum non obliget, ſed etiam non liceat, nec Deo placeat vſus illarum Cœremoniarum: vndè hæc intelligentia Eccleſiæ eſt inſtar prohitionis, ſeu declarationis iuris Divini prohibentis Cœremonias fundamentales, vt ſacrificia, Sacramenta, & Sacerdotium: tum quia hæc Legi novæ adverſarentur: tum quia in ipſis futurorum ſignificatio principalitèr reſideret; quoad Cœremonias verò ſecundarias quæ appellari ſolent *Sacra*, vel *Obſervantiæ* ſimplicitèr, etiam dici poterit, quòd eas nequit ſibi Eccleſia vſurpare: vel quia verè non poſsit, vel quia non expediat: vel quia, ſi poteſt, ſit in re minima, & potius moralitèr, quàm Cœremonialiter ſumpta. Neque obſtat abſtinentia à ſuffocato, & ſanguine, act. 15. iuſſa ab Apoſtolis, & poſteà durans vſque ad tempora Silveſtri, vt conſtat ex Concilijs Gangrenſi, cap. 2. Aurelianenſi 2. cap. 20. & Concilio UVormacienſi cap. 69. Itemque iure Canonico ex 20. cap. *Sicut*, cap. *Solemnitatis* cum alijs de conſecratione d. 1. vbi multa Legalium Cœremonialia videntur in Eccleſia reaſſumi: nam reſpondetur ad Concilia, talem abſtinentiam, præterquamquòd fuit multò ante legem, pertinuiſſe ad genus obſervantiæ, cuius permiſsio rarò, & moralitèr tantum vſurpata, non Cœremonialitèr, poſſet fieri ab Eccleſia: & ſimilitèr ad textus Decreti dicitur potuiſſe induci illas Cœremonias antiquas non quà tales; ſed quia ad ornatum, vel ad moralia pertinerent. Maneat ergo firmum ſemper, Eccleſiam non poſſe de Cœremonijs Legalibus eas aliquando vſurpare, quæ ſint in præiudicium fidei, & falſa ſignificent.

3 Noto quartò, vſum Legalium poſſe conſiderari in triplici differentia. Primus eſt formalitèr talis factus ſcilicèt Spiritu, & credulitate legis antiquæ: & hic eſt planè mortiferus ex Paulo ad Galat. 2. *Si ex lege iuſtitia: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* Secundus eſt purè materialis; v. gr. Tonſio capitis propter morbum: & hic ſecluſſo ſcandalo ab intentione pendebit. Tertius denique eſt medius, ſcilicèt quàtenus Cœremonia legis antiquæ fiat quidem ſine ſpiritu illius legis veteris iam reprobato; non tamen ſine aliquo ſpiritu religioſo; v. gr. Si quis ob Chriſtum imitandum ſe circumcideret. De hoc vſu, licèt Caietanus, Medina, & alij videantur non improbare; nihilominus improbandum cenſent Soto, Salmeron, Divus Thomas, Valentia apud, & cum Suarez lib. 9. de Legibus, cap. 14. num. 9. Et quidem Div. Thom. in 4. diſt. 1. quæſt. 2. art. 5. quæſt. 3. ad 3. cum communi Theologorum ait, nunquam fieri licitas tales Cœremonias ex intentione bona: quia malæ iam ſunt propter prohibitionem ortam ex vſu, & traditione Eccleſiæ, & ex ipſa ſpecie mali, quam, ſuppoſito Eccleſiæ ſtatu, præferunt. Item: quia de vna Cœremonia fortè fieret tranſitus ad plures, & omnes. Neque obſtat primò permiſsio Circumciſionis in Abyſsinis, ſeu Æthyopibus, eo quod, ſecluſſo errore in doctrina, videatur poſſe error practicus ob ignorantiam excuſari: neque obſtat ſecundò conſuetudo mulierum non ingrediendi in Eccleſiam poſt puerperium: quia id non præſtant propter ritum veterem; ſed, vel propter decentiam, vel prudentiam, vel quid ſimile. Cum quo reſpondetur ad Innocentium III. in cap. vnic. de Purificatione poſt partum, id permittentem.

4 His poſitis, duplex in hac re verſatur ſententia. Prima eſt Hieronymi aien-

aientis, legem veterem non fuiſſe prius mortuam, quàm mortiferam; ſed ſtatim ab initio abrogationis mortiferam fuiſſe. Hanc ſententiam tenet Doctor Maximus tom. 6. in magnis Commentarijs Epiſt. ad Galat. & in Epiſt. 89. quæ eſt 11. inter Epiſtolas Auguſtini. Idem ſentire videntur Origenes, Dydimus, Euſebius Emiſſenus, Theodorus, Herachleotes, Chryſoſtomus lib. 1. de Sacerdotio ſub finem. Theophilactus OEcumenius ad Galat. 2. Caſianus collactione 17. cap. 20. & ex Scholaſticis Adrianus in 4. quæſt. 1. de Baptiſmo. Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit, legem veterem prius fuiſſe mortuam, quàm mortiferam. Cuius ſententiæ capitalis Author eſt Div. Auguſtinus Epiſt. 19. & in antecedentibus ab 8. Quam ſententiam ſequutus eſt Beda ad Galat. 2. & ibidem Nicolaus de Lyra, & Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacrament. P. 6. cap. 4. & lib. Quæſtionum in Epiſt. ad Galat. cap. 6. Div. Thom. ad Galat. 2. & 1. 2. quæſt. 103. art. 4. ad 1. & ibi Caietanus, & alij communitèr. Soto lib. 2. de Iuſtitia, quæſt. 5. art. 4. Victoria in Summa 4. agens de Baptiſmo à principio vſque ad quæſt. 11. & eamdem ſententiam ſequuti ſunt communitèr Scholaſtici antiqui Bonaventura in 4. diſt. 3. quæſt. 2. art. 5. Scotus quæſt. 4. Aureolus quæſt. 4. dub. 3. & magis inclinat Maior quæſt. 1. Item Richardus in 4. diſt. 1. art. 6. quæſt. 4. Paludanus quæſt. 6. Gabriel quæſt. 4. art. 4. dub. 3. & Ioan. Arbor. tom. 1. Theoſoph. lib. 3. cap. 20. ac denique Moderni fere omnes tam Scholaſtici, quàm Exponentes tàm in prælo miſsis, quàm in manu ſcriptis, cap. 2. ad Galat. & loca Authorum ſæpè citata, hanc ſententiam approbarunt. In qua acri ſententiarum concertatione, duobus videlicèt Eccleſiæ luminibus Auguſtino, & Hieronymo concertantibus, triplex miſcetur punctum æque grave ad diſputationem: proindeque non promiſcuè in vna diſputatione tractandum. Primum eſt punctum huius controverſiæ præſentis: *An* (ſcilicèt) *lex vetus aliquandiu fuiſſet mortua priuſquam mortifera?* Secundum eſt, quod ex primo deſcendit: *An* (videlicèt) *Apoſtoli legis veteris Cœremonias fictè, & ſimulate obſervaverint?* Tertium denique eſt: *An Divus Paulus ſeriò, & non ſimulate Petrum reprehenderit, eò quòd à Gentibus ſe ſubſtraxerit, & Iudæis adhæſerit?* De his duobus vltimis mox ſeparatim agimus, vt punctum vnumquodque enucleatius evadat, & pro meritis ſuæ difficultatis tractetur; nunc verò duntaxàt diſſeremus de primo.

5 Sit igitur noſtra concluſio *Legem veterem aliquandiu poſt inchoatam Evangelij prædicationem fuiſſe mortuam, priuſquam eſſet mortifera.* Probatur primò ex Sacra pagina. Si obſervatio talium Cœremoniarum ſtatim ab initio Evangelicæ prædicationis fuiſſet mortifera; Apoſtoli poſt inchoatam talem prædicationem illas non vſurpaſſent; ſed Apoſtoli crebro illas vſurparunt: ergo earum obſervatio non fuit mortifera. Maior conſtat; alioqui Apoſtoli læthaliter peccaviſſent. Probo minorem primo ex geſtis Divi Pauli, vt conſtat ex Hiſtoria Act. Apoſtol. Primò ex cap. 16. verſ. 3. vbi dicitur, Paulum circumcidiſſe Timotheum ex Patre Gentili, & Matre Iudæa per hæc verba: *Hunc aſſumens circuncidit eum.* Secundò ex cap. 18. verſ. 18. vbi dicitur *qui ſibi totondit Caput in cenchris.* Tertiò ex cap. 21. vbi dicitur: *Tunc Paulus aſſumptis viris, poſtera die purificatus, cum illis intravit in Templum, annuntians expletionem dierum purificationis donec conferretur pro vnoquoque eorum oblatio.* Quartò ex cap. 27. vbi ait Paulus, *ſe veniſſe Hyeroſolimam eleemoſynas facturum oblationes, & vota, & inventum eſſe purificatum in Templo*; ſed

hæc

hæc omnia præſtita ſunt poſt inchoatam prædicationem Evangelij quaſi ad Triennium à converſione Divi Pauli: ergo iam cœpta prædicatione Evangelij Paulus ſæpè obſervavit Cœremonias veteris legis.

6 Probatur ſecundò illa minor in Divo Petro ex illa celebri viſione commemorata in Actibus Apoſtolorum, cap. 10. poſtquam enim Divus Petrus vidiſſet illud linteum plenum ſerpentibus, & quadrupedibus, audiviſſetque verba ſibi dicentia: *Surge, Petre, occide, & manduca*, ipſe protinus repoſuit hæc verba: *Abſit, Domine: quia nunquam manducavi omne commune, & immundum.* Sed non attingere commune, & immundum erat obſervantia legalium: ergo Divus Petrus obſervavit Cœremonias antiquæ legis poſt inchoatam promulgationem Evangelij. Nunc ſic; ſed ambo hæc Eccleſiæ lumina talia non vſutparent, ſi eſſent mortifera: tum quia videtur, quòd tanti viri mortiferè peccare non poterant: tum quia inde falſa praxis, & dogmata in Chriſtianos derivarentur: quippè qui licita ſibi ducerent, quæ tanti viri vſurpabant: & præterea offendiculum crearetur, quòd Divus Paulus intendebat vitare, iuxta illa verba ad Corinth. 1. cap. 10. *Vt ſine offenſione ſim Iudæis, & Gentibus ſicut, & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt; ſed quod multis, vt ſalvi fiant.* Ex cap. 9. *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer*: ergo de primo ad vltimum poſt prædicationem Evangelij Apoſtoli licite Cœremonias veteris legis obſervarunt: ergo non erant mortiferæ, nunc ſic. Sed à die Pentecoſtes, in qua cœpit ſolemniſsima publicatio Evangelij, lex erat mortua: ergo aliquandiu fuit mortua priuſquam mortifera, ſcilicèt toto illo tempore, quo Evangelium licèt hic, vel alibi ſufficienter fuerit promulgatum, vt obligaret ad credendum; tamen nec dum toto orbe ſaltem pro Iudæis fuerat promulgatum: quippè ſtatim ab hoc tempore lex non ſolùm mortua, ſed fuit quoque mortifera.

7 Probatur ſecundò à ratione per hoc dilemma: vel talis obſervatio, vel tales Cœremoniæ eſſent mortiferæ, quia intrinſecè malæ; vel quia eſſent malæ, quia prohibitæ per aliquam prohibitionem, facta iam promulgatione Evangelij? Sed neque erant intrinſecè malæ in ſe, aut reſpectivè ad Evangelium promulgatum, neque vlla dabatur prohibitio de illis: ergo non erat caput vndè poſſent eſſe mortiferæ. Maior attingit vtramque viam, quà res aliqua poſsit habere malitiam; minor quoad primam partem conſtabit reſpondendo ad obiecta; quoad ſecundam verò probatur: talis prohibitio non conſtat; ſed inſuper non eſt veriſimilis: ergo ponenda non eſt, præſertim dum conſtat, Legalia à Sanctis hominibus exerceri. Maior patet eò quòd neque de Sacra pagina, neque de hiſtoria aliqua depromatur hactenus teſtimonium authenticum; probatur minor ex Divo Auguſtino, iuxta quem talis prohibitio pro illo tempore multiplici argumento videtur neceſſaria non fuiſſe, neque conſentanea ſuavitati Divinæ providentiæ: ergo non eſt veriſimilis. Antecedens conſtat ex rationibus ab ipſo Sancto Doctore adductis. Primò: Quia tales obſervantiæ nihil habebant contra rationem naturalem: ergo non erat neceſſarius conatus in evellendo; ſed in plantando. Secundò: Quia hoc poſito ſimul cum tam excelſo origine, & Authore veteris legis, cordialique amore Iudæorum difficilimum videbatur eam legem ſubitò de corde, & manibus extorquere. Tertiò: Quia nullum inconveniens ex tolerata praxi ſequi poterat, quovſque tandem completa promulgatio Evangelij cogeret omnes legis reliquias iam execrare, quaſi non

iam de pietate; ſed de tenacitate prodirent. Quartò: Quia ſic expediebat ex parte Legis, & ex parte Populi. *Ex parte Legis* ne ſic tractarentur vt malæ, cum Deus Deo adverſari non poſſit: *Ex parte Populi*: quia humana corda non niſi paulatim dediſcunt, quæ longo tempore dedicerunt, & hinc quintò: Quia oportebat cum lex nova in inſtanti plantari non poſſet, quòd antiqua paulatim caderet, vt virtute novi teſtamenti introcunctis, abiret antiquum. Ecce pulchras ſanè, prudentiſsimaſque congruentias, explicationeſque illius dicti Auguſtiniani: *Ut Synagoga cum honore ſepeliretur*, quòd dictum cum riſu excipit ille irriſor, & cenſor mundi, vt ait Salmeron, qui appellatur Eraſmus: nihil enim aliud voluit dicere pientiſsimus Doctor in illa metaphorica locutione, niſi quòd ſuprà ſubtili argumentatione diſcurrerat. Quòd ridere effrontis eſt hominis, & inverecundi.

8 Obijcitur primò: Obſervare poſt inchoatam prædicationem Evangelij Cœremonias veteris legis, erat res iniurioſa, & per quam detrahebatur legi Evangelicæ; ſed in exordio huius ipſi detrahere, & hanc iniuriare non poterat non eſſe mortiferum: ergo lex poſt inchoatam Evangelij prædicationem ſtatim cœpit eſſe mortifera. Maior probatur: Quia vſurpare Cœremonias Legales religioſo corde, nova lege iam promulgata, erat novæ legi in ſalutis negotio diffidere: ſi enim in ea firmaretur ſpes ad ſalutem, debebat cuncta veterata religioſitas propulſari; ſed diffidere novæ legi in negotio ſalutis eſt ipſi detrahere, & iniuriam facere: ergo obſervatio Legalium poſt promulgationem Evangelij fuit legi Chriſti iniurioſum. Reſpondeo negando maiorem, ad cuius probationem nego etiam maiorem cum inferta probatione: non enim obſervatio Legalium proveniebat ex diffidentia in lege Evangelica ſuper negotio ſalutis, & iuſtificationis, neque ipſa præſtabantur, quaſi in virtute ipſorum ſalus obtineretur; ſed quaſi non relinquenda forent (eo prorſus modo quo criminoſa) illa, quæ per Authorem optimum erant inſtituta, & non ſubitò, ſed humano modo, & iuxta gradus Legis Evangelicæ erant valedicenda, vt videre eſt apud Div. Bernardum in Epiſt. 77. & Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacrament. part. 6. cap. 4. vbi ait: „Oportuit „enim, vt & illa, quæ finienda erant „nequaquam ſubitò, vel præcipitan„ter; ſed paulatim, & quaſi cum qua„dam reverentia dimitterentur, vt „oſtenderentur bona fuiſſe tempore „ſuo: & ſimiliter quæ incipienda „erant non ſubito in auctoritatem aſ„ſumerentur; ſed cum mora, & gra„vitate inchoarentur, ne velut aliena, „& præter rem aliunde inducta puta„rentur: illa igitur dimiſſa ſunt non „proiecta, & iſta inſtituta ſunt, non „vſurpata. Hucvſque Hugo verbis ad rem noſtram aptiſsimis, quam brevi exemplo firmare non gravabor; v. gr. Ingreditur Monarcha alienigena ad occupandam ditionem alterius, in qua pro more ſuæ gentis ſanctiones facit, & leges promulgat, iuxta quas ipſi ſerviendum, deſerviendumvè ſit. Propterea ne vult in inſtanti vſus omnes, & vaſſallorum pragmaticas, necnon ſui anteceſſoris leges ita penitus aboleri, præſertim vbi legi ſuæ non adverſantur? Minime gentium; quin potius ritus, mores, atque pragmaticæ etiam ſuæ legi adverſantes aliquandiu impunes per cordatam diſſimulationem permittuntur, partim quidem ad Populi indulgentiam; partim vero ad honorem anteceſſoris. Si ergo in humanis tantum affulgere ſolet lumen prudentiæ; cur illud denegabimus in Divinis, præſertim cum circa humana verſantur?

9 Objicitur ſecundò ſecunda argumentatio Divi Hieronymi: tales Cœremoniæ continebant intrinſecè perniciosum mendacium: ergo erant mortiferæ. Probatur antecedens: ſive ſignificatio ſit verbis, ſive rebus, mendacium intercedit quoties aliquid exterius ſignificatur, quòd ſecus ſe habet; ſed illæ Cœremoniæ obſervatæ ſignificabant cum errore pernicioſo, vel Chriſtum non adveniſſe, vel non redemiſſe, vel quid ſimile: ergo continebant pernicioſum mendacium. Probatur minor: illæ Cœremoniæ formaliter vt Legales erant ſignificativæ, & per ſe impoſitæ ad ſignificandum adventum, & redemptionem Chriſti, vt futura; ſed iam non erant futura, ſed præterita: ergo falsò ſignificabant. Reſpondeo primò negando antecedens; ad cuius probationem diſtinguo maiorem: ſignificabant vt futura *relatè ad tempus inſtitutionis ipſarum*, permitto maiorem; vt futura *relate ad tempus omnis obſervationis ipſarum*, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Verum eſt, illas Cœremonias inſtitutas eſſe ad ſignificandum de futuro Chriſtum, & eius myſteria, ita quidem vt futuri temporis eſſent illa myſteria reſpectu illius, in quo earumdem inſtitutio fuit facta; non tamen ita vt ſignificatio de futuro quoad complexum rei ſignificatæ, & temporis, pro quo ſignificabatur ſemper ipſis ineſſet, quoties exercerentur: ſed ita quidem vt ſignificatio rei in ipſis deeſſe non poſſet; ſignificatio verò quoad menſuram temporis de futuro poſſet de eſſe ipſis, non quando inſtituebantur, ſed quando exercerentur. Cuius ratio eſt: quia, cum inſtitutio alligata eſſet tempori; obſervatio vero Cœremoniarum per tempora curreret; tandem erat perventura ad præſentiam rei, quam ante vt futuram ſignificabant: quare non pereunte ſignificatione rei, periret ſignificatio futuritionis. Vel explico me cum Recentiore mihi amantiſsimo, & eius Philoſophicis meditationibus: aiunt enim Philoſophi de propoſitione vera tranſeunte in falſam, quòd illa propoſitio, quæ in prima ſui prolatione dicit curſum Petri in *A*, etiam poſita in *B*, & reliquis inſtantibus ſignificat de præſenti reſtringendo præſens tempus ad primam prolationem ſui: vndè ſubinferunt, quòd currente Petro in *A*; non vero in alijs inſtantibus, licèt ipſa propoſitio per inſtantia cucurrerit, non tranſibit de vera in falſam. Iuxta hanc ergo doctrinam dicere poſſemus in præſenti, quòd tales Cœremoniæ per ſe ipſas ſignificarent ab initio inſtitutionis adventum Chriſti futurum reſpectivè ad tempus inſtitutionis ipſarum; licèt poſtmodum exercerentur poſt myſteria Chriſti præterita, ſemper ſignificarent Chriſtum de futuro, futuritione videlicet conſiderata non reſpectivè ad tempus obſervationis, ſed ad tempus inſtitutionis ipſarum. *REPLICABIS*: Ergo ſub hac doctrina nec modo erunt mortiferæ, ſed potius ſalutares, ſi ita ſignificabunt. Reſpondeo: ex præciſo tenore ſignificandi rigoroſe conſiderato, concedo conſequentiam; attenta iam traditione, & intelligentia Eccleſiæ cum vſu, & praxi totius orbis Chriſtiani, nego conſequentiam: hoc enim ſecundum, quod modo datur, & ſtatim poſt mortem Chriſti non dabatur (ſed potius permiſsio legalium) tenet modo tales Cœremonias iuſte execratas.

10 Reſpondeo ſecundò, negato antecedenti, & maiori probationis, iterum negando maiorem cum Suario, qui duplici via ait, tales Cœremonias tunc non ſignificaſſe myſteria Chriſti vt futura. Prima: quia nimirum illa ſignificatio ad placitum imponentis alligata fuerit tandiu, & non plus duraverit in talibus Cœremonijs, quàm dùm videlicèt exercerentur in tali-

tempore, in quo locus eſſet futuritioni; ſi vero nullus futuritione rei ſignificatæ eſſet locus, tunc tales Cœremoniæ ſine tali ſignificatione exercerentur; & ſic ait, in illo tempore contigiſſe, in quo Chriſtus iam præterierat. Secunda via eſt dicere, tales Cœremonias ab initio ex intentione Dei impoſitas ad ſignificandum myſteria, quæ futura re ipſa tunc temporis conſiderabantur, relictas tamen eſſe explicitæ, aut implicitæ intentioni offerentium, quoad ſignificandum temporis circunſtantiam, quando exercerentur; ſignificantibus tamen illis ſemper in ſe ipſis ſubſtantiam myſterij: vndè ipſi offerentes poſſent per eas ſignificare myſterium abſtrahendo ab eo quòd eſſet, vel non eſſet iam factum. Quæ via tum de Theologia, tum de Dialectica ſumit explicationem. De Theologia: quia Theologi cum Divo Thoma 2. 2. quæſt. 1. artic. 3. ad 3. aiunt Iudæum credentem in nocte nativitatis Chriſtum eſſe venturum potuiſſe credere ex fide abſtrahendo ab illa parte futuritionis, quæ videtur dicere rem nondum eſſe factam. De Dialectica: quia ſignificatio per voces, & verbum eſt quædam complexa ſignificatio cum tempore; ſignificatio autem quæ fit in factis, cum non fiat per verbum, eſt ſignificatio incomplexa, & tempus non conſignificans: vndè bene poſſent illæ Cœremonię ſignificare abſtrahendo à tempore. *REPLICABIS*: Ergo illæ Cœremoniæ non obſervarentur vt Legales propter defectum ſignificationis futurorum. Reſpondeo negando conſequentiam: ad hoc enim ſufficiebat quòd ex lege deſcenderent in primis cum ſua ratione litterali; ſecundò cum ſua ſignificatione morali, & quaſi fundamentali continendo nimirum legitimum Dei cultum, & ſignificando ſubiectionem Deo debitam, ſanctificationem à peccatis, pœnitentiam, recognitionem beneficiorum, & alia ſimilia, quæ ſemper perſeverant: Denique ſignificationem figuralem perſonæ, & tempori accommodatam, licet non omnimodam, ſicuti in Circumciſione Chriſti, & purificatione Virginis, licet eſſent legales, non tamen integra ſignificatio reperiebatur eorum omnium, quæ in alijs ſignificabant, ſi adhiberentur. Quòd autem, ſignificatio de futuro in talibus Cœremonijs debeat ſumi temperatè, & reſtrictè conſtat: quia ſequeretur, Circumciſionem, multas oblationes, & ſacrificia ante Chriſti mortem fuiſſe mortifera: ſiquidem myſteria, quæ figurabant iam ante Chriſti mortem ſuam adimpletionem acceperant. Quæ quidem ſequela eſt certò falſa.

11 Obijcitur tertiò ratio inculcata à Divo Hieronymo: Si aliquando licuiſſet obſervare legalia iam mortua illis Iudæis, qui convertebantur; poſſent modo temporibus noſtris, vel temporibus Hieronymi, & Auguſtini, vt ipſe Hieronymus inferebat obſervari legalia ſine peccato; ſed hoc eſt planè hęreticum: ergo illa obſervare ſemper fuit mortiferum poſt Evangelij promulgationem. Probatur maior: eadem ratio, & fundamentum militant pro nunc, quæ pro tunc militabant: ergo eodem modo liceret. Probatur antecedens: rationes allatæ ab Auguſtino erant: *Tum quia talis obſervatio non erat ex neceſsitate ſalutis; ſed ex conſuetudine ſolemnitatis: tum vt illa lex ſemper in honore haberetur, nec reprobaretur, vt aliena à Deo*, ſicut multi fecerunt Hęretici; ſed hæ rationes modo perſeverant: ergo modo militat idem fundamentum. Reſpondeo negando maiorem cum antecedenti probationis, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: *Simul cum carentia prohibitionis, & permiſsione vt paulatim abirent tales Cœremoniæ*, concedo maiorem; *ſine his*, nego maiorem, & diſtinguo minorem, vel potius nego mi-

minorem, & conſequentiam: nam prohibitio, quæ iam modo datur de talibus Cœremonijs caſſat illas rationes, quæ tunc vigebant, quando nulla prohibitio dabatur. Difficultas vero ſolum eſt, vnde advenerit talis prohibitio: non enim à iure naturali: quippè illæ cœremoniæ non erant per ſe malæ; alioquin nunquam præcipi, aut exerceri potuiſſent: præſertim cum in ipſis ſeparabilis eſſet ſignificatio, vt ſuprà diximus: non à iure Divino poſitivo: nam ille Textus ad Galat. & alij ſimiles: *Si circumcidamini*; *Chriſtus nihil vobis proderit* loquuntur de Circumſione facta ſpiritu, & profeſsione legis vt vivæ. Circumciſio igitur facta aliquo religioſo affectu, & quaſi ad honeſtatem conducenti interdicitur modo per ius Eccleſiaſticum poſitivum non quidem ſcriptum; ſed vſu, & traditione Eccleſiæ, necnon traditione Patrum teſtificatum, & conſuetudine Eccleſiæ introductum. Quod ius incepit à declaratione Paſtorum Eccleſiæ, & Apoſtolorum dictas Cœremonias opportuno tempore reſecantium: quod patet ex verbis Sancti Ignatij Martyris Epiſt. 8. ad Philipenſes, *qui cum Iudæis celebrat Paſcha, aut Symbola feſtivitatis eorum recipit particeps eſt eorum, qui Dominum occiderunt, & Apoſtolos eius.* Ex Clemente Romano lib. 6. Conſtitution. cap. 14. ex Euſebio lib. 1. de Præparation. Evangelic. cap. 3. & Auguſtino lib. de Hæreſib. Hæreſ. 9. Rationes verò, quibus hæc prohibitio Eccleſiaſtica erat innixa, ſunt quia iam talis obſervatio nequiret eſſe vtilis; ſed ſolum occaſio Sciſmatis inter Religionem novam, & veterem, & periculum ad reanimandum Spiritum Iudaicum: quamobrem debebant irrevocabiliter per Eccleſiam interdici, & exterminari. Dices: Si Eccleſia prohibuit: ergo poterit inſtaurare aliquando: poteſt enim diſpenſare in omni iure humano ex Divo Thoma quodlibet. 4. Reſpondeo negando conſequentiam loquendo de potentia moraliter reducibili in actum: quippe id eſſet in deſtructionem, & non in ædificationem: ſicuti Eccleſiaſtica ſunt præcepta decimarum, Quadrageſimæ, & non celebrandæ Paſchæ in eadem decima quarta Luna, qua colitur à Iudæis; & nihilominus, quidquid ſit de poteſtate, nunquam Spiritu Sancto gubernante auferentur propter perniciem certè ſubſequuturam. Unde in noſtro caſu ſimiliter dicitur: quia nulla vnquam de talibus Cœremonijs poteſt ædificatio reſultare. Quod ſi aliquas antiquæ legis imitatur Eccleſia eſt ſecundum cultum conſentaneum rationi naturali; non verò ritibus antiquæ legis, & eorum Spiritu. Poterit etiam hic dici ex Suario, prohibitionem Cœremoniarum, quatenus Legalium, ortam eſſe ex iure Divino poſitivo, quo libera voluntas Dei illi legi terminum præfixit, qui eſt Chriſtus, vt novus Legislator ſecundum illud *impoſita eſt lex donec veniret ſemen*, cum ſufficienti ſuæ legis promulgatione. Quibus ſtabilitis, tota corruit machina ſuperioris argumenti ſine vlterioris indigentia explicationis.

12 Obijcitur quartò: Illæ Cœremoniæ poſtquam fuerunt mortuæ non poterant eſſe indifferentes; ſed neque bonæ: ergo malæ, & mortiferæ. Maior conſtat: quia illæ actiones manifeſtè pertinebant ad ſphæram honeſtatis moralis, ita vt præter, vel iuxta legem exercerentur, & non eſſent ſicut eſt ambulare. Minor etiam conſtat: quia bonum eſſe non poteſt colere Deum Cœremonijs evanidis, & ab ipſo iam repudiatis. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: non poterant eſſe indifferentes quoad inſtitutionem, concedo maiorem; quoad obligationem, nego maiorem, & diſtinguo minoris probationem, evanidis, & repudiatis per ceſſationem obligationis pu-

ram,

ram, nego minorem; per poſitivam improbationem, & prohibitionem, concedo minorem. Itaque illæ Cœremonię de ſe indifferentes, poſita illarum inſtitutione, iam erant bonæ, vt ſic inſtitutæ, nihilominus quoad obligationem, cum poſſet advenire ſtatus, in quo ceſſaret obligatio, & non ſuccederet prohibitio, qualis ſtatus erat in illo tempore; ideò ſemper remanebant indifferentes in ordine ad obligationem; non tamen indifferentes in ordine ad honeſtatem: ſiquidem cum in illo tempore poſt mortem Chriſti vſque ad conſummatam promulgationem Evangelij nulla prohibitio interceſſerit, vt poſtea interceſsit, inde eſt quod tales Cœremoniæ animo religioſo tunc exhibitæ bonitatem moralem participabant, eò quòd ad cultum Dei referrentur, & nulla interveniret prohibitio.

13 Hàctenus dicta duplici rogatiuncula coronabimus, quibus cætera colluſtrentur. Rogabis primò *quale fuerit tempus, & quantum, in quo lex ita fuit mortua Iudæis quoad obligationem, vt non eſſet mortifera?* Reſpondeo, quod, licet alij à quadrageſimo anno mortis Chriſti, vel deſtructionem Templi per Titum, & Veſpaſianum ponant, legem eſſe mortiferam; veroſimilius eſt cum Suario, quod intra triginta, & ſex annos, viventibus Petro, & Paulo fuerit intellectum tale præceptum de pernicie cœremoniarum, quàtenus tale dogma videbatur ab ipſis conſtabiliendum. Et conſtat ex verbis Pauli *Sed dico numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Ad Roman. 10. Sed efficaciùs ad Coloſſenſ. 1. *Audiſtis in verbo veritatis Evangelij quod pervenit ad vos, ſicut in vniverſo mundo eſt, & fructificat.* Quia licèt non ad omnes plagas mundi perveniſſet Evangelium; nihilominus ſatis in toto Orbe inſonuerat ad conſummatam promulgationem, & multo certius reſpectivè ad Iudæos, ſcilicet quoad omnes Provincias, in quibus poterant eſſe diſperſi. Igitur poſt triginta quinque, aut ſex annos, quibus Principes Apoſtolorum Chriſto aſcendenti ſupervixerunt, lex quoad obligationem cœpit eſſe mortifera, declarata iam prohibitione Eccleſiæ de vſu Legalium.

14 Facta ergo hac prohibitione, ſeu declaratione orta ex iure Divino poſitivo ſequitur ex iure naturali Divino (ſic vocat Suarez ius naturale, refragante Vazquez) vt Cœremoniæ quatènus legales eſſent mortiferæ: quia non tàm religionem ſaperent, quàm ſuperſtitionem. Quod patet in principalioribus Cœremonijs, ſcilicet Sacrificijs, & Sacramentis authenticam ſolemnitatem poſtulantibus: ceſſante enim inſtitutione Dei, ſtatim intrinſece malum erat colere Deum per illa, quæ non erant vera Sacramenta, nec Sacrificia, deficiente in Eccleſia poteſtate tum ad aliud Sacrificium, quam Euchariſticum: tum ad inſtituenda Sacramenta, vel reſtauranda illa, quæ, ceſſante fine, iam ceſſaverunt, & veniente ſanctificatione danda perfectè per Chriſtum, neceſſe erat vt deficerent vmbræ illam ſignificantes. De alijs vero Cœremonijs magis accidentalibus, vt veſtes, vaſa, & alia ſacra, & obſervantiæ veteris legis ſimilitèr dici poteſt, ſimpliciter, & abſolutè loquendo, quod poſt conſummatam promulgationem Evangelij ceſſantes ex iure Divino poſitivo, etiam ex iure Divino naturali eſſent mortiferæ, quàtenus, vt Legales, nunquam poſſunt ab Eccleſia vſurpari; ſed præcisè ſecundum modum legi novæ magis accommodatum in ſuo genere moralitatis, & removendo omnem ſuſpicionem veteris legis. In quo ſenſu Covarrubias 1. Variar. cap. 17. num. 1. Maior in 4. diſtinct. 3. quæſt. 1. Div. Antoninus 1. part. titul. 14. cap. 5. §. 9. Driedo de

Libertate Christiana sustinent in Lege nova posse has Cœremonias magis accidentarias non secus ac præcepta Iudicialia vsurpari non ex institutione Divina, sed ex humana.

15 Rogabis secundò: *An non solum Iudæis, sed etiam Gentilibus licuerit Legalia observare vt mortua, & non mortifera?* Ratio dubitandi est, Paulum circumcidisse Thimoteum ex Matre Iudæa; noluisse vero circumcidere Titum pure Gentilem. ad Galat. 2. Respondeo quod Salmeron negat disputat. 22. ad 7. Suarez vero *loquendo per se*, vt probabilius affirmat, & vtrasque partes promovet satis nervosè: ego vero acceptans probabilitatem vtriusque resumo verba vltima Suarij, in quibus sufficiens resolutio exhibetur: „Nihilominus tamen, si coniectemus id, „quod moraliter accidere tunc potuit; verisimilius est, Gentiles fideles „benè in fide Evangelica instructos „Legalibus abstinuisse: quia moraliter putabant, sibi non licere, saltem per accidens: Quia certò sciebant, non esse sibi necessaria: vnde „cum aliàs essent onerosa, & præcipuè Circumcisio; non poterant illa „assumere, nisi suspicionem dando, „quod reputarent illi sibi necessaria, „& ita id in eis habebat saltem speciem mali, propter quam facile existimare poterant, id sibi non licere, „vel etiam propter scandalum, vel ne „cooperarentur errori Iudæorum, qui „hanc necessitatem illis imponere „tentabant. Unde etiam potuit consuetudine fidelium ex Gentibus venientium introduci quædam obligatio abstinendi ab huiusmodi ritibus „Iudaicis. Dixi autem fidelibus in fide „benè instructis: quia per ignorantiam invincibilem contingere potest præsertim ante Concilium Apostolorum Act. 15. vt aliqui conversi „ex Gentibus ad fidem exercerent Legalia existimantes sibi esse necessaria, & cum excussatione ab hoc errore propter invincibilem ignorantiam; secluſa autem hac existimatione, pauci, vt existimo, aut nulli „spontaneè circumcisi sunt, & „hoc probat exemplum de „Tito, & alia superius dicta.

QUÆSTIO QUARTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

NESCIEBAM FRATRES, QUOD PRINCEPS ESSET Sacerdotum. Actor. Apoſt. cap. 23. verſ. 5.

ARTICULUS

UTRUM LEX VETUS PRIUS FUERIT ALIQUO tempore mortua quoad inſtitutionem quam fuerit mortifera?

NOTABILIA.

UT clarius in hac re procedamus, oportet ante omnia expedire articulum controverſiæ, ne eam confundamus cum ea, in qua ſubſtinemus, legem veterem prius fuiſſe mortuam quoad obligationem, quam fuiſſet mortifera: quare notandum eſt primò, quod in cœremonijs legalibus tria ſunt diſtinguenda, ſcilicet obligatio, inſtitutio, & fructus: ſunt enim hæc ita ſeparabilia, vt poſsit lex derogari quoad vnum, quin derogetur quoad alterum: vnde, cum Divus Auguſtinus videatur ſolum loqui de abrogatione quoad obligationem, & cum eo dixerimus, quod poteſt lex fuiſſe, & re vera fuit mortua quoad obligationem antequam eſſet mortifera, modo diſcutimus: *Num fuiſſet etiam mortua quoad inſtitutionem priuſquam fuiſſet mortifera?* Id eſt an inſtutio earum ceſſaverit aliquo tempore antequam earum vſurpatio foret peccaminoſa?

2 Noto ſecundò rationem dubitandi ad exagitandam hanc difficultatem provt contradiſtinctam à prima velut appendicem ipſius ortam eſſe ex ipſa rei difficultate, & ex ipſo præcipuo ipſius Patrono, ſcilicet Auguſtino. *Ex ipſa difficultate*: quia videtur non poſſe legem eſſe mortuam quoad obligationem, quin ſimul ſit mortua quoad inſtitutionem: ad quid enim lex inſtituitur, niſi vt obliget? Unde cum alibi dixerimus cum Auguſtino, & communi ſententia legem veterem diu fuiſſe mortuam quoad obligationem quin eſſet mortifera, conſequenter videbatur eſſe dicendum, fuiſſe etiam mortuam quoad inſtitutionem, priuſquam eſſet mortifera. *Ex Auguſtino*: quia hic Sanct. Doct. docuit Legalia non fuiſſe mortifera ab initio ad

vi-

vitandam ſimulationem Apoſtolorum; fuiſſe tamen mortua quoad obligationem, & videtur quod debebat etiam non ponere illa mortua ad vitandam talem ſimulationem: agere enim tanquam obſervantes id, quod erat mortuum ad obligandum cum cognitione ipſius, non poteſt non eſſe aliqua ſimulatio: quapropter vt omnino dignoſcatur quo tenore lex fuerit prius mortua, & poſteà mortifera ita vt Apoſtoli in eo tempore vſurpando legalia neque peccarent, neque ſimulationem religionis incurrerent, perſpicuaque fiat in hoc puncto mens Auguſtini, quam communis ſententia complectitur, hunc articulum diſputamus, in quo puncto non ita obvium eſt diſcriminare ſententias: nemo enim eſt, quem viderim, qui abſolutè citari poſsit vt aſſerens, legem veterem prius mortuam fuiſſe quoad inſtitutionem, quam eſſet mortifera; cum tamen ſufficiat ad formandum partes adverſas id, quod Suarium movit ad ſic diſputandum, quàtenus inquit: Hæc communis ſententia, & Auguſtino tributa nihilominus in ſe, & in Auguſtino non caret difficultate. Unde hæc quæſtio potiùs pertinet ad illud genus. *Quomodo ſit res?* quam ad illud. *An ſit res?*

3 Igitur conditionatè, & ex ſuppoſitione loquendo eadem nunc facienda eſt Authorum, & Sententiarum commemoratio, & diviſio, quam fecimus in quæſtione inquirente: *Vtrum lex prius mortua fuiſſet quoad obligationem, quàm fuiſſet mortifera?* Facta enim ſuppoſitione aſſertionis noſtræ, quam illic dedimus dicentes, mortuam fuiſſe quoad obligationem priuſquam eſſet mortifera, ſtatim poteſt aſsignari ſententia opinans per modum abſurdi ſubillati ex tali ſuppoſitione, quod lex vetus prius fuit mortua quoad inſtitutionem, quam eſſet mortifera: putat enim, quòd ſi mortua fuit quoad obligationem; etiam mortua fuit quoad inſtitutionem. Pro qua ſententia citari poſſunt Authores aſſerentes, Legem veterem ſtatim poſt mortem Chriſti fuiſſe mortiferam, & Apoſtolos vſos fuiſſe ſimulatione in vſurpatione Legalium. Huius ſententiæ ſunt Hieronymus, Origenes, Didymus, Chryſoſtomus, OEcumenius; Theophilactus, Caſianus, Cyrillus Alexandrinus, Iſidorus, Clarius, Adamus Sasbout, Maior, Ferdinandus Epiſcopus Lucenſis, quos citat Suarius lib. 9. de Legib. cap. 16. num. 7. & nos pleroſque dedimus in præcitata quæſtione. Secunda verò ſententia adhuc facta ſuppoſitione quod lex fuerit prius mortua quoad obligationem, quam eſſet mortifera ſubſtinet, non potuiſſe legem fuiſſe mortuam quoad inſtitutionem, priuſquam eſſe mortiferam: itaque abrogari potuiſſe quoad obligationem perſeverando quoad inſtitutionem, & in puncto, quo fuit abrogata quoad inſtitutionem cœpiſſe eſſe mortiferam. Hanc ſententiam cum ſuo Anteſignano Auguſtino ſequuntur Beda, Lyra, Hugo de Sancto Victore, Divus Thomas, Caietanus, Sotus, Victoria, Bonaventura, Scotus, Aureolus, Maior in eam magis inclinans, Richardus, Paludanus, Gabriel, & ferè omnes Moderni tam Scolaſtici quàm Expoſitivi, quos citat, & ſequitur Suarius lib. 9. de Legib. cap. 17. num. 18.

4 Sit noſtra Concluſio cum ſecunda ſententia, cum qua dicimus, *legem non fuiſſe prius mortuam quoad inſtitutionem, quam eſſet mortifera in ſenſu compoſito de eo quod fuerit mortua quoad obligationem; priuſquam eſſet mortifera.* Probatur à priori: non ceſſavit inſtitutio Cœremonialium, vel ipſa non ceſſaverunt quoad inſtitutionem vſque ad conſummatam prædicationem Evangelij, in quo lex cœpit eſſe mortifera; ſed ceſſaverunt, vel mortua ſunt quoad obligationem ante con-

ſummatam prædicationem Evangelij: ergo lex quoad inſtitutionem non fuit prius mortua, quam mortifera; bene verò quoad obligationem. Probo primò maiorem, & poſtea probabo minorem: inſtitutio Cœremonialium taxanda eſt ſecundum ſuaviſsimam, & ordinatiſsimam providentiam Dei Authoris ipſius; ſed ad hanc ſuavem, & ordinatiſsimam providentiam Dei Supremi Legislatoris attinebat non ceſſare, & delere penitus inſtitutum vetus vſque ad ſolemnem, & conſummatam plantationem novi inſtituti: ergo inſtitutio Cœremonialium duravit vſque ad conſummatam prædicationem Evangelij, in quo lex vetus cœpit eſſe mortifera. Minoris probatio fit explicatione, & ponderatione Auguſtini: ait quippe ad ſuavem providentiam Dei pertinuiſſe non ſubito revocare totum illum ſtatum, & inſtitutum authenticum, ne ſubita interdictio argueret crimen in religione veteri, & ipſam notaret infamiâ, Populumque Iudaicum tam ſubita avulſione malè feriret, neque novæ legi dociles cervices aptaret, præſertim cum nec ipſa lex nova introducenda ſubitam introductionem exigeret: nihil enim eſt in corde humano magis pedetentim introducendum, quam mores, & ritus, maximè cùm veteres obſervantiæ per breve tempus propter congruos fines, & ſine ſpecie neceſsitatis ad ſalutem, nocere non poſſent.

5 Probo ſecundò maiorem: iuxta doctrinam ſæpè repetitam ab Auguſtino illæ Cœremoniæ ſervatæ fuerunt non ex neceſsitate; ſed ex conſuetudine ſolemnitatis vſque ad conſummatam promulgationem Evangelij, vt patet ex Epiſt. 9. & alibi; ſed hoc eſt illas duraſſe quoad inſtitutionem: quia niſi duraret inſtitutio, ſolemnitas, & conſuetudo ipſarum durare non poſſet: ergo inſtitutio ipſarum duravit vſque ad conſummatam prædicationem Evangelij. Probatur tertiò: Apoſtoli honeſtè vſi ſunt talibus Cœremonijs vſque ad conſummatam prædicationem Evangelij, vt conſtat ex Textibus in Act. Apoſtol. cap. 16. & 18. cap. 21. & ad Galat. cap. 2. ſed ſi inſtitutio ipſarum ceſſaviſſet, honeſtè vſurpari non poſſent: non enim eſſent tunc Cœremoniæ religioſæ, ſed ſuperſtitioſæ: ergo inſtitutio ipſarum duravit vſque ad conſummatam prædicationem Evangelij. Probatur quartò, & vltimò eadem maior: ſi lex mortua fuiſſet quoad inſtitutionem toto illo tempore à morte Chriſti vſque ad conſummatam prædicationem Evangelij, neque permanſiſſet vſus Templi ad cultum Dei, neque Sacerdotium, quæ propter tales ritus, & Cœremonias fundata fuerant; ſed permanſit tum Templum crebro, & religioſe viſitatum à Iudæis, & permanſit Sacerdotium: ergo & inſtitutio Cœremoniarum. Minor quoad Sacerdotium patet Act. 23. vbi Paulus Correptus de maledictione Ananiæ ſe excuſavit dicens: *Neſciebam fratres quod Princeps eſſet Sacerdotum.* Et Chryſoſtomus homil. 39. in Math. ait: *Quod ſi Paulus eum cognoviſſet, honoraſſet*: ergo quia dignitas Sacerdotij perſeverabat.

6 Probo iam minorem, quam promiſi probare, primò ex vniverſa doctrina alibi tradita, dum diximus, legem fuiſſe prius mortuam quoad obligationem, quam mortiferam. Secundò: quia lex vetus cœpit abrogari ſtatim, ac cœpit obligare lex nova; atqui hæc cœpit obligare multò ante conſummatam prædicationem Evangelij: ergo, &c. Maior ab aliquibus præterquam in ea conveniunt Hieronymus, & Auguſtinus, aſſeritur eſſe de fide: tum ex 1. Tom. Concilior. in 4. Synod. Apoſtol. tum ex verbis tributis Concilio Florentino ſub Eugenio IV. ſcilicet *non tamen negat Sancta Synodus licuiſſe illa obſervare ante ſuf-*

ſufficientem Evangelij promulgationem, modo ad ſalutem eſſe neceſſaria non crederentur. Qua verba non repererunt Vazquez, Valentia, & Suarez; qui cenſet facta Legalia Apoſtolorum fuiſſe propter indigentiam, & opportunitatem temporum; & non ex neceſsitate Legis facta fuiſſe: dicitur enim de Paulo Act. 16. circumcidiſſe Timotheum propter Iudæos. Quod arguit, ea neque obligaſſe; neque tamen ita mortua fuiſſe quoad inſtitutionem, vt eſſent evanida, & ſuperſtitioſa, neque vllatenùs vſurpabilia. Tertiò, & vltimò probatur minor hoc diſcurſu: die Pentecoſtes incœpit lex nova obligare, vt alibi ſubſtinemus, & modo cum multis ſupponimus; ſed incipiente Lege nova obligare, ceſſavit obligatio antiquæ: ergo, &c. Probo minorem: incipiente lege nova obligare, incipiebat Baptiſmus neceſſarius eſſe ad ſalutem, & inde ceſſare neceſsitas Circumciſionis; ſed ceſſante neceſsitate Circumciſionis, ceſſabat cuncta Legis veteris obligatio, quæ tali Circumciſioni erat innixa: ergo, &c. Minor patet: tum à paritate rationis in qualibet cœremonia: tum quia non dato fundamento, ruit ædificium: fundamentum, quo vnuſquiſque erat debitor legis faciendæ, eſt Circumciſio. Probo maiorem primò: quia neceſsitas Baptiſmi ad ſalutem opponebatur neceſsitati ſimili Circumciſionis: ergo obligante Baptiſmo neceſsitas Circumciſionis ceſſabat. Antecedens patet: tum quia talis neceſsitas Circumciſionis derogaret dignitati Baptiſmi, & ſufficientiæ ipſius, ſi poſt ipſum ſumenda eſſet Circumciſio: tum quia Baptiſmus, & Circumciſio erant profeſsiones contrariæ: hæc tanquam ſignum Populi Iudaici diſtinctivum; illæ vero Iudæorum, atque Gentilium advnativum: Tum denique: quia ſi Baptiſmus debebat ſumi ex obligatione, vt neceſſarius ad ſalutem eſt, quia in ſe eſſet ſufficiens, & ad ſalutem neceſſarius; ſed, ſi Circumciſio neceſſariò ſumenda eſſet cum ipſo, non eſſet ſufficiens Baptiſmus: & ſi ſumenda eſſet ſine ipſo, non videretur neceſſarius, neceſsitate medij, qua vocatur in Eccleſia ſimpliciter neceſſarius: ergo neceſsitas Baptiſmi non cohæreret cum neceſsitate Circumciſionis. DICES: in Iudæis, qui iam Circumciſi baptizabantur, vigebat ſaltem lex vetus quoad obligandum. Nego aſſumptum: quia, licèt Phyſicè Circumciſi manerent poſt obligationem Evangelij; ſubiectio tamen ad legem veterem ceſſabat per obligationem novæ legis ſuperinductam: itaque diviniſsimo Sacrificio Corporis Chriſti iam obligante cuiuſvis alterius veteris Sacrificij obligatio ceſſabat; eò quòd illi Sacrificio altiſsimo derogaret. Et idem cum proportione dicendum eſt de Sacramentis antiquis, & tota lege Cœremoniali: obligante enim, vel incipiente obligare Lege Evangelica à die Pentecoſtes ſucceſsivè moriebatur lex vetus in obligando per eoſdem gradus per quos ſucceſsivè per loca obligabat lex nova: & id voluit dicere Auguſtinus dum dixit: *Manifeſtato Sacramento gratiæ, antiquæ legis neceſsitatem ceſſaviſſe.* Igitur quemadmodum in Phyſicis introductio novæ formæ vocari ſolet expulſio formalis antiquæ, ſic adventus novæ legis ſufficientèr (& ſi non conſummata promulgatione) promulgatæ ad obligandum, formalitèr expellebat obligationem antiquæ.

7 Obijcitur primò: nullum eſt fundamentum ad aſſerendum, legem fuiſſe prius mortuam quoad obligationem, quam mortiferam, niſi prius eſſet mortua quoad inſtitutionem: ergo non potuit accidere in diverſo tempore mors legis quoad obligationem, & inſtitutionem. Probatur antecedens: in primis nihil vrget ab auctoritate; ſed deinde nihil à ratione: ergo nul-

nullum fundamentum datur. Probatur maior, deinceps probanda minor: vel tale fundamentum esset ille textus: *Si circumcidamini*; *Christus vobis nihil proderit*; vel alij ponentes Christum pro termino legis veteris? Quatenùs innuunt, veniente Lege nova, cessare obligationem antiquæ. Sed primus loquitur, vel de Circumcisione, vt obligante, & necessariâ ad salutem; vel si de ea, non obligante probaret, Legem simul esse mortiferam, quandoquidem ea vtenti nihil Christus prodesset. Et alij Textus intelligi possunt convenientissimè de Christo non solum cum sufficienti, sed cum consummata promulgatione Evangelij, quando iuxta nos iam lex esset mortua quoad institutionem, atque mortifera: ergo nihil vrget ab auctoritate. Probatur iam minor illa: eàtenus prius ita fuisset mortua quoad obligationem, quàtenus incœpisset sufficiens promulgatio Evangelij; sed hoc non obstat: ergo nihil. Probatur minor: vtraque lex non ita pugnabat formaliter, vt Deus non posset velle vtramque in sua obligatione relinquere; præsertim cum expressè non revocaverit veterem, quando promulgavit novam: ergo obligatio Evangelica non fuit impedimento quominus non vrgeret obligatio antiquæ. Respondeo negando antecedens cum maioris probatione, ad cuius probationem distinguo maiorem: illi Textus simul cum illis, qui excludunt necessitatem veteris adveniente Evangelio; & indicantibus, Apostolos non observasse legalia ex necessitate, concedo maiorem; nudè sumpti, nego maiorem, & permissa minori, consequentiam denego. Itaque nos non dicimus dari expressum Testimonium Scripturæ pro nostra sententia, quod illam faciat esse de fide; habet tamen satis auctoritatis, vt sit Conclusio Theologica certa ex consensu Patrum, & Theologorum, consentaneaque plurimis Textibus, & factis Apostolorum, in quibus post Evangelium nulla videtur veteris legis etiam necessitas. Respondeo secundò, permissa illa maiori de fundamento auctoritatis, negando minorem, ad cuius probationem nego minorem, & ad probationem huius, nego antecedens: iam enim suprà explicuimus, quomodo ipsa inductio legis novæ formaliter expelleret obligationem antiquæ: erant enim professiones quasi contrariæ, & pugnantes in restrictione, vel amplitudine populi obligandi, & in præscriptione medij necessarij ad salutem: vnde, cum ipsa lex nova formaliter abrogaret obligationem antiquæ, non erat necessaria expressa revocatio; præterquamquod ex ore Apostolorum prædicantium legem novam non poterat tunc satis non constare Iudæis per expressa responsa quomodo deobligarentur antiquà quoad necessitatem Cœremoniarum; licèt harum vsus necdum esset mortiferus, eo quod terminus institutionis earum longior esset quam terminus obligationis.

8 Obijcitur secundò: gratis videtur distingui in lege veteri institutio, & obligatio ad prorrogandum terminum institutionis, decurtandumque terminum obligationis: ergo, si mortua fuit lex quoad obligationem priusquam mortifera, etiam fuit mortua quoad institutionem, vel si non quoad hanc: ergo neque quoad illam. Probatur antecedens: cessante in lege obligatione, cessat institutio ipsius: lex enim vnice instituitur ad obligandum: ergo hæc duo perperam distinguuntur ad decurtandam vnam, & prorrogandam alteram. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem distinguo antecedens: cessat institutio quoad obligationem, seu quoad vim coactivam legis, concedo antecedens; quoad normam operandi,

seu

ſeu vim directivam legis, nego antecedens cum probatione inſerta. Itaque inſtitutio ſumi poteſt latius pro fabricatione legis, & tunc ambo claudit, ſcilicèt dirigere, & cogere; ſumitur autem ſtrictius pro directione, ſeu norma operandi, cuiuſmodi ſolemus dicere *inſtitutio Puerorum, & familia Religioſorum bene inſtituta, &c.* Et tunc inſtitutio dicit rectum, & legitimum modum operandi. His poſitis, dico, ceſſante obligatione, ceſſare inſtitutionem legis quoad primam conſiderationem, & quidem indæquatè, non quoad ſecundam: ſeparabilis enim eſt inſtitutio ab obligatione, vt videre eſt in Sacramentis Matrimonij, & Ordinis, quorum habemus inſtitutionem, ſed non præceptum. Quod ſi velis hic dari obligationem non abſolutam, & quoad exercitium, ſed quoad ſpecificationem, & conditionatam vt nimirum, ſi talia Sacramenta exerceantur id recte fiat; non id repugnabimus neque ibi, neque in noſtro caſu, vt ſcilicèt, ſi Iudæi legalia exercerent, tenerentur id rectè præſtare; quamquam ad talia legalia abſolute exercenda non tenerentur.

9 Obijcitur tertiò: Si talia Legalia tunc exercerentur à Iudæis, perſeverante inſtitutione ex conſuetudine ſolemnitatis honeſtè procederent, & mererentur agendo ſic iuxta legem; ſed, ſi id ita eſſet, legis obligatio non expiraſſet: ergo vel non prius mortua fuit quoad obligationem, quam quoad inſtitutionem, vel mortua fuit quoad vtramque ſimul. Probatur minor: ſi opetatio iuxta legem eſſet meritoria, eſſet quia perſeverabat inſtitutio legis vt iuſtæ; ſed perſeverante lege vt iuſta, perſeverabat obligatio: ergo, &c. Probatur minor: lex vt iuſta non poteſt perſeverare, niſi æquè reſpiciat meritum ad præmiandum, & tranſgreſsionem ad puniendum; ſed nequit reſpicere tranſgreſsionem ad puniendum, dum lex non perſeverat in obligando: ergo, &c. Reſpondeo negando minorem, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: vt iuſta, id eſt vt Sancta, concedo maiorem; vt iuſta iuſtitia diſtributiva præmij, & ſupplicij, nego maiorem, & diſtinguo minorem: non poteſt perſeverare vt iuſta cum tali iuſtitia diſtributiva, ſine vi obligandi, concedo minorem; iuſta, ideſt Sancta, & ad ſanctitatem ordinata, nego minorem, & conſequentiam: non enim contendimus, illam legem perſeveraturam eſſe iuſtam cum omni conſideratione iuſtitiæ: vbi enim deficit obligatio, & tranſgreſsio, neceſſe eſt vt deficiat iuſtitia deſtributiva pœnarum; dicimus autem fore iuſtam, & ſanctam, quippè iuxta eam operantes ſancte operarentur iuxta eam ſanctitatem, cuius tales Cœremoniæ tunc temporis fuerant capaces: & ſic evadit longior in illa lege terminus inſtitutionis, quam terminus obligationis: quia non eodem modo opponitur legi novæ in primo, ſicut in ſecundo: nam inſtitutio veteris non derogat obligationi, & inſtitutioni legis novæ; obligatio verò vetus novæ obligationi derogaret: itemque pro duratione inſtitutionis durant illæ congruentiæ Auguſtini, quæ pro duratione obligationis non militant.

10 Obijcitur quartò: Si lex illa fuit mortua, eius Cœremoniæ erant ſuperſtitioſæ: ergo quia ſimul cum obligatione ceſſaverat earum inſtitutio. Probatur antecedens: Si lex erat mortua quoad obligationem, eius Sacramenta, & ſacrificia ceſſaverant, introducto Miſſæ Sacrificio; ſed illis ceſſantibus ex natura rei vſurpatio fiebat ſuperſtitioſa: ergo, &c Hoc argumentum fere nihil addit ad præcedentia. Reſpondeo igitur ad eius propoſitiones ſub diſtinctione, quod nimirum mortua illa lege poſt ſufficientem promulgationem Evangelij ſolum ceſſa-

ceſſaverint Sacramenta, & Sacrificia quoad obligationem, & neceſsitatem; non vero quoad inſtitutionem, & honeſtæ vſurpationis licentiam.

11 Obijcitur quintò: Iuxta Auguſtinum ideò ab initio Legalia ſolum fuerunt mortua quoad obligationem, & non mortifera, vt in geſtis Apoſtolorum vitaretur ſimulatio; ſed, ſi permaneret inſtitutio non bene vitaretur ſimulatio: ergo neque cohærere videtur ſententia Auguſtini. Probatur minor: Durante inſtitutione legis; eam obſervare ſine animo, eſt ſimulare: ergo niſi eſſet mortua quoad inſtitutionem; non vitaretur ſimulatio. Confirmatur: ſi lex non fuiſſet mortua quoad inſtitutionem, ſed liceret vſus Legalium, verùm non eſſet obligatorius; Synagoga non ſepeliretur cum honore, vt Auguſtinus intendit: ergo non ſubſiſtit ratio ipſius. Probatur antecedens: Quia, ſi non eſſent obligatoria, poſſent ſtatim abijci illius Sacramenta, quaſi mala eſſent: ergo, &c. Reſpondeo, diſtinguo maiorem: Simulatio religionis, id eſt vſurpare vt religioſa, quæ in ſe non eſſent, concedo maiorem; ſimulatio obligationis, nego maiorem, & minore conceſſa in ſenſu explicato, nego conſequentiam: aliud enim eſt ſimulare cultum in ijs, in quibus cultus non in eſt: id enim eſt ſuperſtitio; aliud autem vſurpare aliquid ita, vt alij exiſtiment, id fieri ex obligatione, quando vere non datur talis obligatio. Sic implevit legem Purificationis, ad quam non tenebatur, Beatiſsima Virgo Maria; hæc autem ſimulatio licita eſt, nec vitari debet ab Auguſtino, de quo fuſsius in Quæſtione de vſu Legalium per Apoſtolos, vbi id ex profeſſo diſcutitur. Ad confirmationem reſpondeo, talia Sacramenta poſſe tunc quidem ommitti; ſed non abijci, quia mala, & Iudæos ita eſſe affectos ad ſuam legem, vt periculum non eſſet de ipſa per abiectionem iniurianda. Quod ſi ex communi conſenſu omnium Iudæorum Cæremoniæ relinquerentur, tunc ceſſaret ſcandalum, & infamia legis, ſepelireturque cum honore, & ſuavi providentia Dei.

12 Obijcitur ſextò ex eodem Auguſtino prout citatur à Divo Hieronymo in Epiſt. 89. Divus Auguſtinus ait in tempore inchoatæ promulgationis Evangelij Gentiles fuiſſe legis onere liberos; non vero Iudæos; ſed id eſt iuxta mentem Auguſtini legem non fuiſſe mortuam quoad obligationem: ergo falſum eſt quod ex mente Auguſtini lex vetus fuerit mortua quoad obligationem; ſecus vero quoad inſtitutionem, priuſquam mortifera. Probatur maior: Si Auguſtinus loqueretur de tempore poſteriori, vterque Populus Gentilicus, & Iudaicus diceretur æquè liber ab onere legis: ergo quando ponit liberos non Iudæos, ſed Gentiles referendum eſt ad tempus inchoatæ promulgationis Evangelij. Reſpondeo primò, (omiſſo quod in Auguſtino talia verba non repererit Suarius) diſtinguendo maiorem: *Loquendo de onere obligationis in tali tempore*, nego maiorem; *in tempore ante Chriſti mortem*, permitto maiorem, & diſtinguo minorem: loquendo de tempore *ante Chriſti mortem*, nego minorem; poſt ſufficientem promulgationem Evangelij, concedo minorem, & nego conſequentiam: nam iuxta ſententiam Auguſtini potius videtur dicendum, hanc eſſe differentiam quod ante mortem Chriſti onus legis gravabat Iudæos; non vero Gentiles; promulgato autem non inchoatè; ſed ſufficienter Evangelio gravabat vtroſque. Reſpondeo ſecundò diſtinguendo maiorem: de omni loco, & Provintia, nego maiorem; cum differentia locorum, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: in ſenſu controverſo, nego minorem; in alio, permitto

mitto minorem, & nego conſequentiam: potuiſſet enim accidere, Evangelium fuiſſe ſufficienter promulgatum alicubi gentium, & non alicubi Iudæorum: quare hi à legis onere non eſſent liberi. Hic tamen non eſt ſenſus controverſus: tum quia loquimur in caſu æqualis promulgationis vtriſque: ſiquidem tale diſcrimen aliter non eſſet inter vtroſque Iudæos, & Gentiles ad fidem converſos reſpectu quorum diſputari ſolet *an veteri lege teneantur?* Tum quia talis affirmatio verificari etiam poſſet ratione ignorantiæ, putantibus alijs ſe lege teneri; alijs vero ſecùs. Ut autem dictum Divi Auguſtini difficultatem faceret, debebat probari eſſe de mente huius Sancti Doctoris tale diſcrimen in tempore promulgationis inchoatæ cum ſufficienti notitia Iudæorum, atque Gentilium, & *per ſe* loquendo, non ratione ignorantiæ. Reſpondeo tertiò: Iuxta ſententiam probabilem de eo quod Gentiles non poſſent in eo tempore vti Legalibus, quæ ad ipſos non attinebant, concedo maiorem; iuxta contrariam ſententiam concedentem Gentilibus in eodem tempore eumdem vſum, atque Iudæis, nego maiorem, & negata minori in ſenſu explicato, nego conſequentiam: nam in illa ſententia probabili clara eſt differentia Auguſtin dicentis, quod Iudæis libera erat tunc obſervatio Cœremoniarum; quia eas poterant obſervare, & ideò non erant omninò ſoluti ab onere legis, ſicut Gentiles; quibus non licebat talia obſervare in illo tempore: nam adveniente poſteà tempore conſummatæ promulgationis vtrique ab onere legis æquè liberabantur omninò. Atque concludo cum illis verbis Auguſtini Epiſt. 9. vbi dicit: „ In Iudæis fuiſſe „ damnabile, quod poſt Paſsionem, „ & Reſurrectionem Chriſti dato, ac „ manifeſtato Sacramento gratiæ ſe„ cundum ordinem Melchiſedech, „ adhuc putabant Sacramenta vetera „ non ex conſuetudine ſolemnitatis, „ ſed ex neceſsitate ſalutis eſſe ſervan„ da. In quibus verbis manifeſtatio gratiæ referenda eſt ad primam; non vero ad conſummatam prædicationem Evangelij: nam Sanctus Doctor clarè dicit, quod in poſteriori tempore neque liceret vſus Legalium ex neceſsitate ſalutis, neque ex conſuetudine ſolemnitatis; in primo verò permittit talia Sacramenta ex conſuetudine ſolemnitatis; non verò ex neceſsitate ſalutis: & ideò damnat Iudæos adhuc in illo tempore hoc vltimum affirmantes.

QUÆSTIO

QUÆSTIO QUINTA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

TUM PAULUS ASSUMPTIS VIRIS PURIFICATUS cum illis intravit in Templum. Act. Apoſt. cap. 21. verſ. 26.

ARTICULUS

UTRUM APOSTOLI FICTE, ET SIMULATE vſurpaverint Cœremonias veteris Legis?

NOTABILIA.

1 NOTO primò, hanc controverſiam eſſe vnum ex illis punctis graviſsimis, in quibus maximè diſſentiunt Hieronymus, & Auguſtinus, & ſuper quo ſe mutuis Epiſtolis exagitant circa modum, intentionemvè, quo Apoſtoli ſervaverunt Legalia poſtquam promulgatum fuit Evangelium; & quamquam Hugo Cardinalis ad Galat. 2. conetur hos Patres in concordiam redigere quaſi verbis tantum diſsideant; nihilominus id non aſſequitur, eo quod mentem Hieronymi videatur non bene aſſequutus, vt obſervavit Suarez lib. 9. de Legib. cap. 17. num. 15. Noto ſecundò, Apoſtolos fuiſſe in gratia confirmatos in die Pentecoſtes iuxta receptam doctrinam Scholaſticorum cum Divo Thoma in 3. diſtinct. 12. quæſt. 2. artic. 1. & quæſt. 24. de Veritate, artic. 9. in 2. argumento ſed contra, & ad 2. Quod expreſsè ſenſiſſe videtur Ambroſius lib. de Benedictionibus Patriarcharum, cap. 4. per hæc verba: „ Apoſtoli, quos Dominus à peccato„ rum labe mundavit ſuper lac candi„ diores facti ſunt, quos macula nulla „ poſteà fuſcavit: etenim lac tempora„ le eſt; gratia autem Apoſtolorum „ perpetua manet.

2 Noto tertiò, quod, licet videatur eſſe antiquorum ſententia, præſertim Græcorum, licitum eſſe aliquando mendacium officioſum; nihilominus hac via non videtur proceſsiſſe Hieronymus, & Chryſoſtomus in hac re, nec vſi ſunt verbo *diſpenſationis* alia intelligentia, quam *prudentis adminiſtrationis* ſive *cautæ operationis*, quam in ſimulatione Legalium putant Apoſtolos adhibuiſſe. Noto quartò, Apoſtolos aliquo genere ſimulationis, quæcumque fuerit ſimulaviſſe vſum Legalium, quà

quàtenùs quodammodo extrinsecùs appareret se legi veteri obligari, vt patet ex Act. Apostol. cap. 21. ex Paulo 1. ad Corinth. cap. 9. & ad Galat. cap. 2. Cæterum in hac simulatione Iudaismi per talem exhibitionem Cœremoniarum nullum mendacium interfuit, vt doctè discutit Pater Suarez lib. 9. de Legib. cap. 17. à num. 7. doctrinà satis conformi ei, quam dedimus in Quæstione de Insidijs ad lib. Iosuè exagitatam. Summa ergo doctrinæ est, quod mendacium ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 110. artic. 1. requirit significationem falsam, saltem existimatè, & intentionem formalem, vel virtualem fallendi, quorum neutrum dabatur. Non primum: quia significatio mysteriorum, quæ erat ad placitum Divinum iam cessaverat in sententia Hieronymi, qui illas Cœremonias tum credebat abolitas: sicut, si publica auctoritate vox aliqua (ait Suarez) mutaret, vel amitteret antiquam significationem; qui eam proferret, non diceretur falsum signum exhibere; etiamsi ignorantes mutationem inde conciperent falsitatem. Deinde neque daretur significatio falsa naturalis: quia omnis significatio naturalis semper est vera, licet interdùm æquivoca: nam signum ad placitum pendet ab impositione; naturale verò est effectus respectu causæ: vndè illæ Cœremoniæ significabant naturaliter illam intentionem, vndè oriebantur; cum autem possent prodire ex intentione Iudaica, dabatur quidem occasio æquivocationis; sed nulla significatio falsitatis. De quo latius ipse Doctor Eximius lib. 9. de Legib. cap. 17. à num. 7. vsque ad num. 13.

3 His positis circa relationem sententiarum non multum est nobis laborandum: quippè cum hæc controversia sit surculus quidam, atque propago ex illa, quæ inquirit: *Utrum lex vetus fuerit prius mortua, quam mortifera?* Eadem divisio facienda est sententiarum, quam ibi præstitimus: cumque vlteriùs in duplici quæstione tum de lege mortua quoad obligationem, tum de lege mortua quoad institutionem retulerimus Authores cum debita citatione locorum, hic tantùm oportebit vtrimque aliquorum nomina recensere, vt si fortè quis hanc velit disputationem seorsim tractare, non cogatur ire alio ad sciendum saltem quos habeat Patronos. Prima ergo sententia tenet, Apostolos licitè vsos fuisse Legalibus Cœremonijs post Christum iam mortiferis, quàtenus id non ex animo, sed simulatione licità perpetrabant. Pro hac sunt Divus Hieronymus, Divus Chrysostomus, Eusebius Emissenus, Origenes, Didymus, Cyrillus Alexandrinus, OEcumenius, Theophilactus, Cassianus, Isidorus Clarus, Adamus Sasbout, Adrianus, ex parteque Caietanus, & Maior cum Ferdinando Episcopo Lucensi, qui videri possunt apud Suarium lib. 9. de Legib. cap. 16. num. 7. & apud nos in Quæstionibus iam citatis. Secunda sententia asserit, Apostolos non vsos fuisse simulatione, qua vsurparent, vt religiosas, Cœremonias, quæ verè tales non erant, eo quod tunc temporis Legalia fuissent mortua; sed non mortifera. Hanc sententiam tenet Augustinus pugnaciter cum Divo Thoma, Bonaventura, Beda, Lyra, Caietano, Soto, Victoria, Hugo de Sancto Victore, Scoto, Aureolo, Maiore, Richardo, Paludano, Gabriele, Ioanne Arboreo, & longo agmine Authorum Theologiæ Scholasticæ, & Expositivæ apud, & cum Suarez lib. 9. cap. 17. num. 18.

4 Nostra conclusio sit cum secunda sententia, scilicèt *Apostolos non potuisse licitè tales Cœremonias vsurpare ratione simulationis*, & probatur sic: vel tales Cœremoniæ erant solum mortuæ quoad obligationem, sed non repro-

batæ; vel erant mortiferæ? Sed, ſi primum abſque ſimulatione erant licitæ; ſi ſecundum non poterant eſſe licitæ per ſimulationem: ergo talis vſurpatio non erat licita ex capite ſimulationis. Probo minorem quoad ſecundam partem. *Primò*:talis ſimulatio eſſet contra profeſsionem fidei, eſſet ſcandaloſa, & abſurda: ergo non redderet licitam talem vſurpationem. Probo antecedens quoad omnes partes. Primò primam: Si tales Cœremonię eſſent mortiferæ, vſus earum ex natura rei eſſet ſuperſtitioſus: ergo contra profeſsionem fidei. Conſequentia patet: quia, ſicut colere falſum Deum, eſt contra fidem, ita illum colere falſo cultu. Probo antecedens: Cœremoniæ, quæ nullum Dei cultum continent, ad talem cultum non niſi ſuperſtitiosè adhibentur: id enim eſt ſuperſtitio *vſus rei vanæ ſub religionis ſpecie*: ergo, &c. URGETUR Iuxta Divum Thomam, & Theologos nullo prætextu licita eſſe poteſt profeſsio falſæ religionis etiam purè externa; ſed ita eſſet illa, ſi tales Cœremoniæ iam eſſent reprobatæ: ergo, &c. Probo ſecundam partem antecedentis: inducere alios præſertim Neophytos veræ Religionis ad cultum falſæ, eſſet ſcandalum peſsimum; ſed illa vſurpatio Apoſtolorum, quando Cœremoniæ erant mortiferæ, eſſet eiuſmodi: quippè fideles videntes talem vſum putarent adhuc de neceſsitate obſervanda eſſe Legalia, quæ primi ſui Magiſtri ita obſervabant: ergo, &c. Probo tertiam partem antecedentis: ſi talis ſimulatio ideò tunc liceret ad lucrifaciendos Iudæos, ſequeretur ſimilitèr potuiſſe ab Apoſtolis ſimulari Gentiliſmum ad lucrifaciendos Gentiles: & modò etiam nos ſimulare Iudaiſmum, & Gentiliſmum ad lucrifaciendos vtroſque; ſed hoc eſt planè abſurdum: ergo, & ſimulatio ita poſita. CONFIRMATUR:Etſi talis ſimulatio formalitèr loquendo ſalvari poſſet à mendacio ex dictis quarto notabili; tamen ratione materiæ hic non poteſt non intervenire in hac ſimulatione pernitioſum mendacium in materia Religionis, vt reflectit ipſe Suarez n. 14. ergo talis ſimulatio nequit eſſe licita. Probatur antecedens,quia mendacium eſt quidquid eſt vſus ſigni, vt ſigni quando noſcitur eſſe falſum; ſed talis vſus eſſet ſigni,& cogniti vt falſi: ergo, &c. Minor quoad primam partem patet:quia ille vſus vt contradiſtinctus ab vſu pure materiali eſſet vſus ſub ſpecie Religionis;ſed hoc eſt vti Cœremonijs, vt ſignis: quippè vt ſigna ſunt inſtituta: ergo, &c. Deinde conſtat ſecunda pars: quia, ſi Cœremoniæ erant mortiferæ, certò ſciebant Apoſtoli talia ſigna eſſe falſa: ergo de primo ad vltimum vtebantur ſignis vt ſignis, & ſignis falſis: ergo in materia Religionis perniciosè mentiebantur iuxta doctrinam Theologorum ad 2. 2. quæſt. 2. Poſt quæ omnia non poſſum non obſervare ſemper in ſuo vigore ſubſiſtere argumentationem mendacij, qua Auguſtinus in hac re contra Hieronymum militabat:ſi enim hic ratione materiæ hæc argumentatio conficitur valida;ſic interpretari debemus rationem Auguſtini; licèt alioqui reperiantur ſimulationes in factis, quæ liberari poſſint à ratione mendacij, vt dixit Suarez, & componi debet in inſidijs Bellicis omnium gentium praxi permiſsis.

5 Obijcitur primò: In tali vſurpatione Cœremoniarum intervenit ſaltem aliqua ſimulatio obligationis, qua Apoſtoli ſe gerebant, vt obligati, cum re vera non eſſent; ſed hæc ſimulatio erat licita, & ſine offendiculo: ergo ſimiliter potuit eſſe licita ſimulatio Cœremoniarum, licèt eſſent mortiferæ. Maior patet ex ipſis textibus Pauli, & Act. Apoſt. iam memoratis. Confirmatur à contrario ſenſu: ſimulatio obligationis erat non minus ſcandaloſa,

dalosa in ordine ad persuadendum Neophytis obligationem talia exercendi: ergo illicita esset sicut & illa. Respondeo, concessa maiori, & minori de simulatione non vera, & activa; sed latà, & quasi passiva, negando consequentiam: nam concedimus talem simulationem obligationis, qua Apostoli volebant, seu permittebant, se à Iudæis haberi observatores legis: tum ex verbis Actor. 21. *Sanctificate cum illis, &c. Et scient omnes quia quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem*: Quòd si fecit Div. Paulus non fuit ad activè simulandam obligationem; sed ne putarent, se execrare suam legem. Tum ex illis verbis Pauli, Act. 24. *Eleemosynas facturus in gentem meam veni, & oblationes, & vota, in quibus invenerunt me purificatum in Templo*: Tum ex Circumcisione Timothei, Act. 16. Quia erat ex Matre Iudæa, & non Circumcisione Titi. Ad Galat. 2. quia ex vtroque Parente erat Gentilis: tum ex verbis Pauli 1. ad Corinth. 9. *Factus sum his, qui sub lege sunt quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, vt eos, qui sub lege erant lucrifacerem.* Dicimusque præterea, hanc simulationem fuisse licitam: *Sine errore in fide, sine mendacio, sine scandalo, & sine absurdo*, quæ omnia, si ostenderimus, & simul conferantur cum probatione conclusionis, quam supra dedimus, tàm argumentum, quàm confirmatio solutionem accipient. OSTENDO PRIMUM: Quia, cum Cœremoniæ solum essent mortuæ quoad obligationem; non vero quoad institutionem, semper remanebant vera religione vsurpabiles, & legitimo Dei cultui deserviturę: qua propter nullus miscebatur error in fide quoties verę religionis actus exercebatur. OSTENDO SECUNDUM. Quia, vel non esset signi, vt signi, vel licèt talis vsus esset signi, vt signi; non tamen signi falsi: quippè tales Cœremoniæ verum Dei cultum significarent cuius tantum debent esse significativæ ex capite veræ religionis: non enim essent signa obligationis, sicut Matrimonium, & Ordo signa sunt, sed nullam obligationem significantia. Et licèt vsurpatio earum suaderet obligationem, id potius erat persuasio passiva, seu passiva deceptio spectantium, quam activa significatio talium signorum: non enim significabant ad placitum obligationem: quippè ad eam obligationem significandam (saltem semper) non erant impositæ: deinde non naturaliter, quia ipsi vt effectus naturales solum significabant in entionem vndè oriebantur, quæ erat intentio se gerendi religiosè in circunstantijs, in quibus multum attraherentur Iudæi, vel saltem non terrerentur: & licèt talis vsurpatio Cœremoniarum posset etiam proficisci (sicut anteà proficiscebantur tempore legis) ex animo satisfaciendi obligationi Legali, hoc solum probat, hæc signa, quæ in factis consistunt, & quæ sunt signa naturalia suarum causarum, esse signa æquivoca; sed non falsa; immò semper vera. OSTENDO TERTIUM: Quia Iudæi videntes in Apostolis hæc vsurpari, licet ad similia traherentur non ad ruinam, sed potius ad opera religiosa inducebantur: & quamvis putarent ex obligatione præstanda nulla eis exoriebatur ruina spiritualis, sed mera deceptio passiva tunc satis vtilis ad fidei propagationem, & orta ex signis æquivocis, cuiusmodi, vt latè Suarez cum Divo Augustino in Libris de Mendacio, & contra Mendacium, & Divo Thoma 2. 2 quæst. 110. & 111. plura exempla leguntur apud Sanctos. OSTENDO QUARTUM, & vltimum: quia Cœremoniæ Gentiles nunquam fuerunt, nec esse possunt, verè religiosæ: atque etiam nunc Iudaismus, eiusque Cœremoniæ, vt tales tàm execrabiles sunt, & irreligiosæ,

quam erant Gentiles: quæ duo erant abſurda à nobis ſuperiùs illata. Manet ergo argumentum cum ſua confirmatione ſolutum.

6 Obijcitur ſecundò: Sæpè licita eſt ſimulatio in factis, licèt interdum ſequatur aliquod damnum, ita vt vſurpabilis ſit à viris Sanctis; ſed hoc poſito congruentius eſt exponere geſta Apoſtolorum præcitata ſecundum licitam ſimulationem, quam prorrogare Legalia poſt mortem Chriſti, & promulgationem Evangelij: ergo ita præſtandum eſt. Maior patet: tum in Sanctiſsima perſona Chriſti Domini, qui ſimulavit ſe longius ire cap. 8. Lucæ: tum in Sancto viro Ioſuè, qui cap. 8. ſimulavit fugam, & metum, vt hoſtes melius delere poſſet. Reſpondeo, & diſtinguo maiorem: in factis non ſimulantibus falſam religionem, concedo maiorem; ſimulantibus falſam religionem, nego maiorem, & minorem in ſenſu explicato: quia, vt vidimus, ſimulatio in geſtis Apoſtolorum Cœremonialibus interventura, eſſet ſimulatio religionis falſæ quàtenus tales Cœremoniæ eſſent mortiferæ; ſimulatio verò Chriſti Domini, atque Ioſuè cum non eſſent in materia religionis, erant quædam facta æquivoca, quæ non importabant falſitatem, ſed meram veritatis ocultationem iuxta doctrinam ſupra tactam, & quæ videri poteſt tum apud Suarium lib. 9. de Legib. cap. 17. & Cornelium ad Galat. 2.

7 Obijciuntur tertiò verba textus lib. 4. Reg. cap 5. „Hoc autem ſo„lum eſt, de quo deprecèris Dominum „pro ſervo tuo, quando ingredietur „Dominus meus Templum Remmon, „vt adoret, & illo innitente ſuper „manum meam, ſi adoravero in Tem„plo Remmon, adorante eo in eo„dem loco, vt ignoſcat mihi Domi„nus ſervo tuo pro hac re, qui dixit ei „vade in pace. Ex quibus verbis ſic arguitur: Naaman Syrus poſtulavit ab Eliſæo licentiam ſimulandi adorationem cum Domino ſuo in Templo Remmon; ſed hæc ſimulatio fuit ipſi inducta per Eliſæum, & erat in materia religionis: ergo licita erat. Reſpondo negando maiorem; quin potius ex tali textu confirmatur, illicitam eſſe talem ſimulationem in materia Religionis: ſiquidem non ſolum ſimulatio, ſed ipſa ſola apparentia ſimulationis videbatur Naaman Syro eſſe aliquàtenus criminoſa, & Deus pro ipſa exorandus: nolebat enim Naaman curvare genua ad Idòlum (etiam ſine animo) in quo ſtaret ſimulatio, ad quod aliudit forte Abulenſis in ſua quæſt. 25. ſed volebat tantum curvare genua de neceſsitate famulatùs, eo quod Dominus eius genua flecteret innixus ſuper brachium eius: quare genua ſua flectebat Domino ſuo, & non ad Idolum. Sed cum in hoc fortè ſuſpicio daretur idolatriæ, animi religioſi erat ſuper hoc ſcrupulo Prophetam conſulere, qui arbitratus eſt actionem eiuſmodi non fuiſſe cultus ſimulationem, ſed meram exhibitionem famulatùs: vndè ei dixit: *Vade in pace.*

8 Obijciuntur quartò verba 4. Reg. cap. 10. „Congregavit ergo „Iehu omnem populum, & dixit ad „eos, Achab coluit Baal parum; ego „autem colam eum amplius... porrò „Iehu faciebat hoc inſidioſè, vt diſper„deret cultores Baal. Ex quibus verbis ſic arguitur: Iehu ſimulavit cultum falſum Baal; ſed hoc fecit Sancto zelo animatus ad perdendum idolatras, & in eo placuit Domino, & præmium accepit vt ibi conſtat: ergo licita eſt aliquando ſimulatio in materia Religionis ex bono zelo. Reſpondeo primò cum Abulenſi 4. Reg. 10. quæſt. 26. negandò maiorem, vel eam diſtinguendo claritatis gratia: ſimulavit cultum Baal per actiones idolatricas, nego maiorem; per mera verba con-

continentia mendacium leve, quo decepit Idolatras, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam: non enim eſt paritas ad caſum noſtrum, in quo non vllum verbale mendacium, ſed vſurpatio cœremoniarum planè ſuperſtitioſa intercederet. Hæc ſolutio magni viri eſt; ſed cum contextu vix congruit; cum videatur Iehu ſimul cum Sacerdotibus Baal in Templo clauſus fuiſſe ad ſacrificandum; & poſteà exijſſe ad perdendum Sacerdotes Baal. Reſpondeo ſecundò cum Divo Thoma, & Suario 2. 2. quæſt. 111. artic. 2. diſtinguendo minorem: ſancto zelo quoad finem intentum, concedo minorem; quoad medium electum, nego minorem, & conſequentiam: Iehu enim cum fuiſſet Rex malus, & cultor Idòlorum; licèt tunc casùs ex parte finis ritè procederet in perdendis idolatris; nihilominus excuſandus non eſt in ſimulatione Idòlatriæ. Vel tertiò, ſi eum velis iam verè pium tàm ex parte finis, quàm ex parte medij electi, poteris excuſare ignorantià, eò quòd in eo tempore, in quo idolatria erat tam commune peccatum invincibiliter ex conſcientia erronea ſentiret, poſſe quem ſimulare ſe idòlatram ad perdendam idolatriam: non ſecùs ac ſi quis modò ſanum crederet, ſe poſſe alicuius Meretricis amaſsium ſimulare, vt fœminam perditam lucrifaceret. Et hæc eſt ſolutio tenenda; nam etiam in ſolutione ſecunda Divi Thomæ eſt durum, quòd medium tàm peſsimum Domino placuiſſet: & certè videtur placuiſſe: nam dicit. *Quia inſidioſe egiſti, &c.* In tertia autem poterit ſalvari, quod placuit proptèr pium affectum; licèt cum errore invincibili admixtum.

9 Obijciuntur quintò verba Pauli ad Galat. 2. *Segregabat ſe timens eos, qui ex Circumciſione erant, & ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi ita, vt Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem.* Ex quibus ſic. Hæc ſimulatio D. Petri, vel fuit religioſitatis, quæ verè non daretur in Legalibus? Vel fuit ſimulatio obligationis, quæ verè non daretur in ipſis? Sed vtrumque eſt nobis adverſum: ergo doctrina non conſtat. Probatur minor. Quia, ſi primum; ergo data fuit in Apoſtolo ſimulatio non ſolum obligationis, quæ non erat, ſed religioſitatis, quæ verè non erat: quod eſt contra hucuſque dicta. Si ſecundum; ergo talis ſimulatio obligationis, non licebat, prout licere nos dicimus: nam propterea fuit D. Petrus reprehenſus à Paulo. Igitur nobis nocet hic textus vtrovis modò conſideratus. Ad hoc argumentum reſpondeo conceſſa maiori quoad ſecundam partem negando minorem quoad eamdem. Et ad eius probationem reſpondetur ex doctrina, quæ latè ſuſtinetur, dum ſeorſim diſputamus, quomodo, & cur fuerit D. Petrus à D. Paulo reprehenſus: ibi enim oſtendimus, quòd tum vera reprehenſibilitas, tùm *non ambulare ad veritatem Evangelij* de quo exprobatus fuit Div. Petrus non claudunt culpam etiam venialem; ſed ſolum quòd ea ſimulatio obligationis debebat iam, tametſi licita foret, abrumpi, & coràm, & palàm Petrus iam teſtificari Evangelium, & profiteri. Quæ cum ex profeſsò in quæſtione ſeptima ſequenti exponantur, eò qui plura hic velit, remittendus eſt.

10 Obijciuntur ſextò ſimulationes Pauli propter Iudæos: tùm in Circumciſione Timothæi Act. 16. tùm de Purificatione in Templo Act. 21. tùm in accommodatione ad ritus Iudaicos 1. ad Corinth. 9. Reſpondeo tamen, has fuiſſe ſimulationes licitas ne videretur execrare legalia; non vero illicitas Religionis falſæ ſecundum doctrinam primi argumenti; quandò vero ſe totondit in Cenchris id fecit ex voto, in quo nulla ſimulatio intervenit, ad-

adhuc obligationis. Quia posito quod eiusmodi tonsio adhuc duraret, vt religiosa; votum de illà veram inducebat obligationem. Imò hinc firmari videtur, quòd talis Cœremonia non esset mortifera, quamdiu voveri adhuc potuit: nisi, & votum simulatum fuisse pronunties, & cuncta simulationibus compleas.

JHS.

QUÆSTIO SEXTA.

TEXTUS AD ILLA VERBA.

CUM AUTEM VENISSET CEPHAS ANTIOCHIAM. Ad Galat. cap. 2. vers. 11.

ARTICULUS.

UTRUM HIC CEPHAS SUPRA MEMORATUS SIT Divus Petrus necne?

NOTABILIA.

1 NOTO primò in capit. 2. Epistolæ ad Galatas ita difficilem apparere Interpretibus illum locum, in quo fertur, Paulum reprehendisse Apostolum Petrum, vt Authores tanta difficultate gravati nullum non moverint lapidem, vt ab illa se expediant: quare, cum ille, qui ibi reprehensus memoratur à Paulo, nominetur Cephas, ingeniosè perscrutantur Authores, num ille sit Divus Petrus, vel alius, qui fortè vocaretur nomine Cephas? Vident enim magna ex parte levatum iri difficultates ex hoc loco insurgentes, si alius quam Petrus esset qui Paulo reprehensibilis apparuisset; cum tamen, si fuit Petrus, locus sine offendiculo explicari vix possit.

2 Noto secundò: Martialem Episcopum de tempore Apostolorum vocatum fuisse nomine Cepham: vt enim constat ex Epist. ad Tolosan. quæ habetur in Tom. 3. Bibliothecæ Patrum, ipsemet se nominat Cepham, dum dicit hæc verba: *Servus Dei Apostolus Iesu Christi Martialis Cepha*, quod quidem cognomen ab ipso Divo Petro desumpsisse videtur, si credimus Aureliano Episcopo eius Successori in Præfatione ad Epistolas: siquidem traditur fuisse eius consanguineus ab ipso Petro baptizatus, & magna charitate coniunctus.

3 His positis, in hoc puncto datur etiam diversitas opinionum, & Sententiarum, quarum prima asserit, Ce-

Cepham illum, de quo Paulus loquitur in Epiſt. ad Galat. non fuiſſe Divum Petrum, ſed quemdam Gentilem diſcipulum Divi Petri vnum ex Septuaginta diſcipulis. Hanc ſententiam videtur tenere vt probabilem Euſebius Cæſarienſis lib. 1. Hiſtoriar. cap. 12. & apud ipſum Clemens Alexandrinus lib. 5. Hypothipoſ. licèt modo tale quid in Clemente non reperiatur. Hanc ſententiam ſequitur Dorotheus in Synopſi, & in eam inclinat OEcumenius ad Galatas, & ex Modernis eam amplectuntur Bartholomæus Camerarius in tract. de Ieiun. cap. 6. & Hector Pintus in Daniel. cap. 1. Secunda ſententia tenet, eumdem fuiſſe talem Cepham cum Divo Petro. Sic Tertullianus de Præſcriptionib. cap. 23. & lib. 4. contra Marcionem cap. 2. & lib. 5. cap. 3. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. contra Iulianum in fine. Hieronymus in Epiſtolis mutuò miſsis, & in Epiſt. ad Galat. Chryſoſtomus cum Græcis, Ambroſius, Anſelmus, Divus Thomas, Rupertus lib. 5. de Operib. Spiritus Sanct. lib. 1. de Conſil. cap. 14. Gregorius homil. 19. in Ezechiel. & alij Moderni Latini cum Cornelio, Iuſtiniano, & alijs Expoſitoribus, plurimiſque Scholaſticis.

4 Sit noſtra Concluſio cum communi, & ſecunda ſententia, cum qua dicimus, talem Cepham eumdem fuiſſe cum Divo Petro. Probaturque primò auctoritate Divi Gregorij in loco citato per hæc verba: *Ecce Paulus in Epiſtolis ſuis ſcripſit Petrum reprehenſibilem, & Petrus in Epiſtolis ſuis aſſerit Paulum in his, quæ ſcripſerat admirandum.* Item ex Divo Hieronymo ſic aiente: „ Si propter Porphyrij blaſ„ phemiam, qua aſſerebat, aut Pe„ trum erraſſe; aut Paulum procaciter „ Apoſtolorum Principem reprehen„ diſſe, alius nobis fingendus eſt Ce„ phas, ne Petrus putetur erraſſe, infi„ nita de Scripturis erunt radenda Di„ vinis: quia ille, quæ non intelligit „ criminatur. Quibus auctoritatibus aliæ plures poſſent annecti.

5 Probatur ſecundò à ratione: quoties Apoſtolus alibi nominat Cepham intelligitur Divus Petrus: ergo ita debet etiam intelligi in hoc loco, niſi detur vrgens fundamentum, quod non datur, vt conſtabit ex ſolutione argumentorum. Antecedens patet: tum quia Divus Paulus loquendo de Petro ſimpliciter eum vocat *Cepham* 1. ad Corinth. 2. 3. 9. & 15. eo quod quaſi Antonomaſtice ſic vocaretur propter nomen à Chriſto ipſi impoſitum, quod ex Hieronymo idem ac *Petrus* ſignificabat: tum quia Divus Hieronymus aperte dicit, ſe neſcire alterum vocatum Cepham præter Petrum, quod difficultèr latuiſſet tantum Doctorem, ſi verum fuiſſet.

6 Probatur tertiò ab everſione fundamenti contrarij: talis Cephas non fuit Martialis ſuprà memoratus: ſed neque alius ab eo diſtinctus: ergo nullus præter Petrum. Minor patet ex Baronio in Annalib. tom. 1. Ann. 33. num. 41. cum anno 74. num. 15. & ann. 51. num. 25. vbi ait, quod, ſi aliquis ex Septuaginta diſcipulis cognominatus fuit Cephas, hic fuit Martialis. Probo maiorem: ex vita Martialis conſtat, eum fuiſſe Roma miſſum ab Apoſtolis 14. anno poſt mortem Chriſti, vt eſſet Epiſcopus Lemovicenſis, & ibi vſque ad finem vitæ perſeveraſſe; ſed contentio Pauli cum Cepha in Antiochia contigit anno ferè 20. poſt mortem Chriſti: ergo talis Cephas non fuit Martialis. Minor patet: quia Paulus biennio poſt Chriſti Reſurrectionem converſus eſt, & ipſe narrat, talem contentionem poſt decem, & ſeptem annos contigiſſe: triennio enim poſt converſionem aſcendit Hieroſolymam ad videndum Petrum, vt conſtat ad Galat. 1. Deinde poſt

qua-

quatuordecim annos ſecundo aſcendit Hieroſolymam, & poſteà ſucceſſit contentio cum Cepha: ergo &c.

7 Probatur quartò ex toto contextu: Divus Paulus dixit hæc verba: *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam* loquendo de eodem Cepha de quo prius loquutus fuerat paulò ſuperius nominando Iacobum, Cepham, & Ioannem; ſed hic Cephas in illo ternario numeratus eſt Divus Petrus: ergo, & ſuprà commemoratus. Maior patet: tum quia in tam brevi contextu veriſimilis non eſt tranſitus ſub eodem nomine ad aliam perſonam, nunquam alibi nominatam, & cum tanta occaſione æquivocationis: tum quia ipſe ordo narrationis poſcere videtur, quod poſt geſta narrata Divi Petri Hieroſolymis, narrarentur ſua geſta Antiochiæ. Probo iam minorem, multipliciter diſcurrendo cum Suario primò: quia illi tres appellantur columnæ: quomodo autem inter columnas Petrum omitteret, & cur potiùs Marcialem, quam alium de Septuaginta diſcipulis nominaret? ergo, &c. Secundo: quia cum illis tribus videtur contuliſſe Paulum Evangelium, quod prædicabat, vt patet ex illis verbis: *Cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi*; ſed non poterat non contuliſſe cum Petro Principe Apoſtolorum: ergo, &c. Tertiò: quia inquit *Dextras dederunt mihi Societatis, &c.* Sed in hoc refulget quædam auctoritas, & poteſtas Provinciarum, quæ Divo Petro maxime conveniret: ergo, &c. Quartò: quia etiam dixit, quod illi tres miniſtrarent Evangelium in Circumciſione; ſed hoc dixerat de Petro ſuprà, ſcilicet cooperatum ipſi fuiſſe in Apoſtolatu Circumciſionis: ergo, &c. Confirmatur probatio ex cap. 2. ad Galat. vbi dicitur de Cepha, *& ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi ita vt Barnabas duceretur ab eis in eamdem ſimulationem*; ſed tanta auctoritas, quæ & ſecum ferret Iudæos, & Barnabam ſuperaret, non erat propria vllius ex Septuaginta diſcipulis; Petro autem maximè conveniebat: ergo talis Cephas in dicto Textu commemoratus fuit Divus Petrus.

8 Obijciuntur primò illa verba Dorothei in Synopſi, vbi ponit vnum ex Septuaginta diſcipulis eſſe Cepham, de quo proſequitur: *Quem Paulus Antiochiæ radarguit eiuſdem cognominis cum Petro, & Epiſcopus Cariæ factus eſt.* Ex quibus verbis ſic argumentor: hic Pater cum alijs faventibus tali opinioni longè vetuſtiores ſunt, quam Hieronymus, Tertullianus, Cyrillus Alexandrinus, & alij faventes noſtræ ſententiæ; ſed aliunde ſe explicuit apertiſsimè, & ſignis poſitivis, quæ auctoritati negativæ debent prævalere: ergo talis Cephas non fuit Divus Petrus. Reſpondeo negando maiorem: quia Tertullianus fuit ante Clementem Alexandrinum citatum ab Euſebio, & ante ipſum Dorothæum, & Euſebium, vt conſtat ex noſtro Bellarmino in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Atque vt ex hoc viro hanc argumentationem ex Dorothæo penitus iugulem audi Bellarminum in Dorothæo: „Ipſa „ verò Synopſis plena eſt fabulis: con„ſulat Lector: & in ſumma ſciat, ab „ iſto numerari in Septuaginta, & duo „ diſcipulos Chriſti omnes, qui ab „ Apoſtolo Paulo nominantur, etiam „ ſi Ethnici fuerint vel fœminæ, & „ illos homines non ſolum diſcipulos „ Domini, ſed etiam Epiſcopos face„re: non meminiſſem libri tam fabu„loſi, niſi vidiſſem à multis citari, & „ non minimi fieri. Conijce quæſo quam fidem merebuntur verba nobis obiecta, poſita tali Criſi à viro pio, & doctiſsimo?

9 Obijcitur ſecundò: Opinio ponens Cepham diſtinctum à Divo Petro vitat aſperrimos ſcopulos difficultatum: ergo tenenda eſt vt planior via.

Reſ-

Respondeo, concesso antecedenti in sensu intento ab arguente, negando consequentiam : nam in opinando circa gesta, nominaque Historiarum ante omnia semper retinenda est veritas Textus: neque propter insurgentes difficultates deserenda est via asperior, neque propter fugiendas eligenda est suavior: quid enim viator vtilitatis habebit, si molliorem semitam graditur; sed non venit ad terminum? Ubi notandum est quod vitatio difficultatum potest esse motivum ad sic, vel aliter opinandum, quando opiniones versantur in genere merè speculativo; non verò quando versantur in practico, vt in materia præsentis facti contingit.

10 Obijcitur tertiò: Iuxta Regulas optimè interpretandi Scripturas ita debent Textus exponi, vt omnis error in doctrina Canonica propulsetur; sed vt modò res ita se habet debemus in præsenti intelligere Cepham fuisse alium à Divo Petro: ergo ita fuit. Probatur minor: intelligendo ibi D. Petrum, sequi videtur discordia, & inconstantia in doctrina Apostolorum Petri, & Pauli, vt argumentantur Hæretici: quod non sequeretur si ille Cephas foret à Petro distinctus; sed discordia, & inconstantia doctrinæ in primis fidei Magistris arguit errorem in doctrina Canonica: si enim alter ritè obiurgabat, alter errabat: ergo, &c. Maior patet: quia in ipsis Textibus apparere videtur, quod in doctrina ambo Apostoli dissentirent, & quod iam servarentur legalia, iam damnarentur; itemque iniretur conversatio cum gentibus, & rursus fugeretur eadem conversatio, quæ omnia criminantur Hæretici: Marcion, teste Tertulliano, Iullianus Apostata teste Cyrillo Alexandrino lib. 9. & Porphyrius teste Hieronymo. Respondeo negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: & re ipsa sequitur gravis, & pernicioſa inconstantia, & discordia doctrinæ, nego maiorem; & purè apparenter sequitur discordia non quoad substantiam, sed quoad circunstantias, & ad summum in re levi doctrinæ, permitto maiorem, & distincta minori sub eisdem terminis contrapositè acceptis, nego consequentiam. Itaque dicimus inter Petrum, & Paulum nunquam intervenisse disidium doctrinæ grave substantiale, atque pernicioſum: ait enim Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 3. *Si reprehensus fuit Petrus, vtique conversationis fuit vitium; non doctrinæ.* Et Philo Carpathius in Cantic. circa illa verba: *Filij mei pugnaverunt, &c.* ait, *talem pugnam Petri, & Pauli, & pacificam, & sanctissimam fuisse*: ambo enim Apostoli erant Cœlitus illuminati, & instructi, vt Iudæis, & Gentilibus Evangelium prædicarent eo tenore (videlicet quoad gradus promulgationis) quem pro circunstantijs loci, temporis, & personarum commodiorem esse cognoscerent: vnde accidere potuit, quòd Spiritus Sanctus ex altissimis finibus vtriusque mentem diversimode tetigisset in ordine ad iudicandum de tenore suæ divulgationis, scilicet clarius, vel confusius, intensius, aut remissius, vniversalius, aut particularius, liberius, & parcius, &c. Ita vt ex diversis sententijs citius, & plus Evangelica veritas coruscaret, ac vulgaretur: quemadmodum Divina Sapientia ordinate dispossuit vt modò in sua Ecclesia fidei articuli magis clarescant, & dilucidentur multitudine, diversitate, concertationeque Doctorum, ac Sententiarum. Et quidem sicuti ad iacienda fundamenta ædificij prius huc, & illuc terra traijcitur, & movetur, vt planius fundamenta conquiescant; sic in plantatione Evangelicæ veritatis hinc, & illinc ritus, vsurpationes, iudiciaque movebantur, vt veritas Evangelica immobilis perma-

neret. Quod ſi in hac veritate dilucidanda, Textibuſque componendis difficultates inſurgant, non eſt via tuta ad declinandum calumnias Hæreticorum, eas fugere; ſed eas potius dum apparenter armantur, ex Textu aggredi intrepide, & ſummo ſtudio, eruditione, & oratione pervincere: quomodo ſe gerunt Sancti Patres, & Interpretes, etiam ad apices, Textus clauſulas appendentes.

11 Obijcitur quartò: ſi hæc contentio accidiſſet inter Paulum, & Divum Petrum eam Divus Lucas in Actibus Apoſtolorum retuliſſet; ſed ibi neque talem contentionem, neque adventum Petri Antiochiam narravit: ergo quia accidit cum alio diſcipulo vocato *Cephæ* diſtincto tamen à Beato Petro. Maior videtur certa: quia contentio ſuper re graviſsima, & inita inter ambo lumina Apoſtolorum, & in puncto doctrinali erat res longè gravioris momenti, quam cætera, quæ in actibus Apoſtolorum tractanda venirent; ſed aliunde eam potuit narrare Divus Lucas, eo quod poſteriora narraverit: ergo talem contentionem non prætermiſiſſet. Confirmatur: Sanctus Lucas fuit Sancti Pauli perpetuus Comes, atque Sectator: ergo eſt inveriſimile, talem caſum prætermiſiſſe, ſi verè cum Petro Apoſtolo contigiſſet. Reſpondeo in primis retorqueri argumentum: quia etſi contentio cum alio ex Septuaginta diſcipulis contigiſſet res eſſet valde digna narratu: tum ratione materiæ graviſsimæ, & doctrinalis: tum ratione perſonæ Pauli Lucæ amiciſsimi. Deinde nego maiorem, ad cuius probationem, permiſſa maiori, diſtinguo minorem: potuit abſolutè, concedo minorem; potuit moralitèr loquendo, nego minorem, & conſequentiam. Itaque præterquamquod ex Regula Hieronymi non eſt contra veritatem, & fidelitatem Hiſtoriæ, nonnulla ſilentio præterire; & ideò tale argumentum ſit merè negativum, & inefficax, ſicut in alijs, quæ omiſerit Lucas, & Paulus narraverit; inſuper congrua ratio exhiberi poteſt cur Lucas id reticuerit: quia videlicet iuxta Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Lucas ponitur ad annum quadrageſimum quartum Chriſti; Paulus verò ad trigeſimum quintum: quare per novem annos ponitur poſterior Scriptor Lucas, quam Paulus: vnde dum Lucas ſcriberet iam ſcriptus eſſet talis caſus à Paulo: quapropter non admodum vtilitèr, neque plus ad fidem erat poſt modum à Luca ſcribendus, quia non poterat exactiorem, fidelioremque de hac re narrationem contexere, quam Paulus ipſe, cum quo caſus contentionis acciderat. Quæ confirmantur ex P. Fabritio Britio in ſua Synopi Scripturæ vbi ponit Epiſtolam ad Galat. ſcriptam anno 26. à Chriſto; & Actus Apoſtolorum claudere totos 27. annos à Chriſto: ergo à fortiori ſcribendi erant poſteriùs.

QUÆSTIO

QUÆSTIO SEPTIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

IN FACIEM EI RESTITI QUIA REPREHENSIBILIS erat. Ad Galat. cap. 2. verſ. 11.

ARTICULUS

UTRUM DIVUS PETRUS SERIO REPREHENSUS fuerit à Divo Paulo, & an, & quàtenus ille peccaverit?

NOTABILIA.

1 HÆC quæſtio celeberrima eſt apud Authores, & Expoſitores: quia ex tali Textu ſuperiùs relato plura apparent difficilia intellectu, quæ vt olim aiebat Divus Petrus indocti, & inſtabiles depravant, ſicut, & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem, quare noſter Salmeron ad hunc locum quinque argumentationes ſatis erroneas Lutheri diſſolvit, docteque, ac copiosè refutat. Verum etiam ſi manus cum Hæreticis non conſeramus, plura cum ipſis Catholicis diſputanda ſuperſunt: quippe hic articulus præſens grandiuſculus ramus eſt de illa quæſtione inter Hieronymum, & Auguſtinum accerrime exagitata: *Vtrum* videlicet *legalia poſt mortem Chriſti fuiſſent ſtatim mortifera, necne?* Præter quæ ſatis difficultatis elucet in ipſo Textu: fieri enim ſimulatè talem reprehenſionem, vix eſt credibile ibi, vbi ſimulatio ipſa reprehenditur; præterquamquod dedecere videatur ſpiritum Pauli nobiliſsimum. Aliunde Paulum ſerio reprehendere Petrum quis non obſtupeat? Si enim reprehenſio fuit ſine crimine quomodo à Paulo? Si vero de vero crimine quomodo Petro? Vel quod crimen etiam leviſsimum tanto Principi invrere quiſpiam audebit?

2 Igitur vt hoc punctum de culpa Petri melius evacuari poſsit, præmittendum eſt, dupliciter poſſe Divum Petrum à culpa excuſari, ſivè ſubſtinendo actionem ipſam, quam tunc exercuit, fuiſſe licitam tàm ex obiecto, & ſecundum ſe, quàm ex circunſtantijs; ſivè ſubſtinendo à Divo Petro exhibitam fuiſſe recta, & ſana intentione, quod alijs verbis eſt inquirere: an Divus Petrus, ſi fortè aliquatenus in tali timiditate peccavit, tale peccatum

formale fuerit, & ex ſufficienti advertentia; an vero materiale tantum, quàtenus actio exercita, vel ex obiecto, vel in circunſtantijs non eſſet licita; fuiſſet tamen recta intentione patrata? Unde maioris claritatis gratià factum huc eſt inſerendum, quod nullis verbis aptiorbus præſtari poterit, quam quibus Paulus ipſe ſe explicuit dicens: „ Cum autem veniſſet Cephas Antio„ chiam, in faciem ei reſtiti: quia re„ prehenſibilis erat: priùs enim quàm „ venirent quidam à Iacobo cum gen„ tibus edebat; cum autem veniſſent; „ ſubtrahebat, & ſegregabat ſe timens „ eos, qui ex Circumciſione erant, & „; ſimulationi eius conſenſerunt cæteri „ Iudæi, ita vt Barnabas duceretur ab „ eis in illam ſimulationem; ſed, cum „ vidiſſem, quòd non rectè ambula„ rent ad veritatem Evangelij, dixi „ Cephæ coram omnibus: Si, cum Iu„ dæus ſis, gentiliter vivis, & non Iu„ daicè; quomodo gentes cogis Iudai„ zare? Nos natura Iudæi, & non ex „ gentibus peccatores. Ecce totam litteraliſsimam diſſenſionem Pauli cum Petro, obiurgationemque: vnde oritur noſtra quæſtio: an ſeriò facta fuerit, & cum vero crimine Petri?

3 In hac re duplex Capitalis reperitur ſententia ortum ducens ex illo articulo tàm controverſo de ceſſatione legalium, in quo Hieronymus, & Auguſtinus pugnaciſsimè decertarunt, vt alibi oſtenſum eſt in quæſtionibus de hac re à me fuſsè tractatis. Igitur prima ſententia eſt Divi Hieronymi, qui, cum tenuiſſet legalia ſtatim à ſufficienti promulgatione Evangelij fuiſſe mortifera, conſequenter aſſerit, ne Apoſtolis Petro, & Paulo crimen aſpergat, omnem vſum legalium ab ipſis fuiſſe ſub ſimulatione tractatum, conſequenterque hanc Pauli reprehenſionem fuiſſe ſolum apparentem, & ſimulatam, & ex condicto compoſitam ad lucrifaciendos Iudæos. Pro qua ſententia affert Hieronymus auctoritatem Græcorum, quorum fuit opinio antiqua, & pro ſe refert, vt inquit Suarez, Originem, Euſebium Emiſſenum, Didymum, Chryſoſtomum, & alios ad Galat. 2. Idem habet Chryſoſtomus homil. 36. in Act. Apoſtol. & lib. 1. de Sacerdotio. Divum Chryſoſtomum ſequuntur OEcumenius, & Teophilactus, & Theodoretus. Item Commentaria, quæ nomine Athanaſij circumferuntur in Epiſt. ad Galat. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. contra Iulianum in fine, Iſidorus Clarus ad Galat. 2. & Adamus Sasbout, qui eam defendit, vt probabilem non ſecus ac eam ex parte ſequitur. Caietanus etiam probabiliter defendit in quæſt. 4. diſtinct. 3. Eam abſolutè ſequitur Adrianus in 4. quæſt. 1. in principio, & in eam inclinat Ferdinandus Epiſcopus Lucenſis in Advertentijs Theologicis quæſt. 6. Necnon citatur pro hac ſententia à noſtro Cornelio Eminentiſsimus Cardinalis Baronius. Secunda ſententia eſt Auguſtini, qui tenet, talem reprehenſionem Pauli ſeriò fuiſſe factam, proindeque totam illam narrationem eſſe ſyncerè accipiendam. Pro hac ſententia ſtant cum Auguſtino Anſelmus, Divus Thomas in Paulum Divus Ambroſius ad Galat. 2. Cyprianus Epiſt. 71. ad Quintum Fratrem, Tertullianus lib. de Præſcriptionibus, cap. 23. & lib. 4. contra Marcionem, cap. 3. Gregorius Magnus lib. 28. Moralium, cap. 6. aliàs 12. Venerabilis Beda ad Galat. 2. Rupertus de Operibus Spiritus Sancti lib. 5. aliàs 1. de Concilio, cap. 14. Philo Carpatius in Cantic. ad illa verba *Filij Matris meæ pugnaverunt contra me.* Cornelius, & Iuſtinianus, atque Salmeron ad Galat. 2. Bellarminus lib. 1. de Summ. Pontific. cap. 28. Vazquez 1. 2. diſputat. 182. cap. 7. & agmen Scholaſticorum, vt Bonaventura, Scotus, Paludanus, Durandus, Gabriel, & etiam Maior, li-

licèt probabilem putet primam ſententiam, & eſt ſententia fere à Modernis Doctoribus recepta; ſed cum aliqua differentia: nam Auguſtinus, Gregorius, & Anſelmus videntur ponere culpam mortalem in Divo Petro. Div. Thomas cum Scholaſticis antiquis, & Modernis excludunt mortale, & veniale fatentur; Baronius Vazquez, & Suarius etiam à veniali culpa eum liberant. Bellarminus autem, & Salmeron, vel nullam, vel veniale fuiſſe contendunt.

4 Sit ergo more noſtro vnica concluſio, in qua aſſerimus, *Divum Petrum ſerio, & non ſimulate fuiſſe à Paulo reprehenſum; nec tamen in eo facto formalitèr, aut materialitèr vllàtenus peccaviſſe.* Hæc igitur concluſio noſtra trimembris eſt, eiuſque ſeorſim partes ſingulas roborabimus, poſtquam cardinalem probationem fecerimus, vndè membra illa tria ſuapte natura deſcendant. Probatur ergo concluſio: quoties talis locus ita exponi poteſt, vt reprehenſio Pauli non fuerit ficta, ſed ſeria, & Divus Petrus nullàtenus peccaverit, rurſuſque nec illa actio Divi Petri mala fuerit ex obiecto, vel ex circunſtantijs; ita locus exponendus eſt; ſed tali loco rite conſiderato ſeria, & ex animo fuit Pauli reprehenſio, nec cogit fateri culpam in Petro; immò neque materialem actionem illicitam fuiſſe: ergo Divus Petrus fuit ſeriò reprehenſus, quin formalitèr, aut materialitèr vllàtenus peccaviſſet. Maior conſtat: nam locus difficilis ea via exponendus eſt, qua omnis abſurditas declinetur, necnon cunctæ difficultates ſuperentur faciliùs. Maiorem probo per partes. Probo igitur primam partem, quod ſcilicèt illa reprehenſio non fuerit ſimulata, & ex condicto compoſita; ſed ſeria, & ex animo.

5 Probo igitur hanc partem primò: Si tota narratio huius loci propriè, & ſincerè accipitur; vix eſt clauſula narrationis, quæ non oſtendat reprehenſionem ſeriam, & è contra, ſi ſimulatè intelligitur, plurima verba ſunt detorquenda; ſed verba Scripturæ cum proprietatè ſunt accipienda, dum ſic poſſunt accipi ſine abſurdo, præſertim cum altera verba reclamant ad altera, vt propriè ſumantur: ergo in hoc loco ſumi debent pro reprehenſione ſeria, niſi ſequatur abſurdum, quod ex ſolutione argumentorum conſtabit non ſequuturum. Probo maiorem expendendo verba, & clauſulas narrationis. Primò: *Reſiſtere in faciem* denotat pluſquam reprehenſionem ſeriam: dicit enim eſſe reprehenſionem animoſam, & liberam, quaſi ad faciem reprehenſi, neque animo cadere, neque erubeſcere: ſolent enim primi viri quandoque obiurgari ſeriò, ſed non in faciem eò quod libertas defficiat obiurgationi, & rubor abſterreat. Secundò: *Ly quia reprehenſibilis erat*, dictum à veraci viro, ſonat propriè ſumptum, quod in Petro dabatur factum aliquod iuſtà reprehenſione dignum: ſi enim non daretur, quomodo propriè reprehenſibilis eſſet? Dicere enim vocem Græcam ſolum ſignificare *reprehenſum* eſt admodum tenue: tum quia rigor Vulgatæ prævalere debebit: tum quia licèt ita eſſet; *reprehenſus* pro *reprehenſibilis* vſurpabitur, ſicut participia de præterito, & verbalia in *bilis* promiſcuè vſurpari ſolent ſive in Hebræo, ſive in Græco Idiomate; immò & in Latino: dicitur enim *improbabilis* res *non probata*, & ſimilia: neque flueret norma loquendi in Paulo, ſi ita dixiſſet *reſtiti ei in faciem: quia reprehenſus erat.* Tertiò: Illa verba *cùm vidiſſem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelij* vix poſſunt eſſe clariora: ſi enim Paulus ex ſimulatione Petrum reprehendit, cur ſaltem hæc verba ſcandalum paritura non reſecuit poſteritati? Et hinc quartò: quia

&

& illa verba *Gentiliter vivis*, & tota narratio tam invectiva, ſi reprehenſio per ſimulationem accidiſſet, debebat profecto Scriptis non fuiſſe mandata: tum vt Petro ipſi conſuleretur: tum vt conſuleretur fidelibus poſt venturis, ne videlicèt in hoc loco difficili laberentur, quo certe modo multi ſunt lapſi. PROBATUR SECUNDO eadem pars: ex occaſione narrationis totus erat Div. Paulus, vt ex illa Epiſtola conſtat, in revocando Galatas à perſuaſione neceſsitatis legis veteris cum Evangelio, multiplici argumento ſuam conſtantiam, & firmitatem oſtentans, & eam libera reprehenſione Petri confirmans; ſed hæc omnia ſeriò peracta magni roboris fuiſſent ad intentum; ſimulata autem vel non eſſent, vel debilia eſſent: ergo iuxta intentum Divi Pauli talis reprehenſio ſeriò facta eſt. Minor quoad primam partem nota eſt; quoad ſecundam verò conſtare videtur: quia vel tot facta ſimulata probarent etiam ſimulatum intentum revocandi Galatas à tali perſuaſsione, & conſequenter totam Epiſtolam ſimulatam, quod quis dicet? Vel cum ſimulationes præſertim repetitæ ſoleant reſciri, & in eis animus ſit potius fractus, quam intrepidus, & potius annuat, vel conniveat, quam irruat; non tam nervoſa fuiſſent facta illa ad Galatas revocandos.

6 Probo iam ſecundam partem, ſcilicèt Divum Petrum nullàtenus peccaviſſe ex advertentia, neque graviter, neque leviter. Probo prius de culpa gravi in hunc modum. Primò: quia Petrus cum reliquis in die Pentecoſtes fuerat confirmatus in gratia: ergo poſtmodum in tali facto non poterat illam amittere; ſed, ſi læthaliter peccaviſſet, eam amiſiſſet: ergo graviter non peccavit. Secundò: quia in perſona tantæ Sanctitatis, & gratiæ, vt fuit Divus Petrus, non eſt ponenda gravis culpa, quoties apertè non conſtet, & multo minus, ſi verba æqui, bonique conſuli poſſent; ſed in ſuperiori loco de culpa gravi apertè non conſtat; & aliunde verba, vbi culpa ſonat, boni conſuli poſſunt: ergo Div. Petrus graviter non peccavit. Probo minorem quoad ſecundam partem: tota actio, in qua ſtare poſſet culpa gravis Petri traditur illis verbis: *Subtrahebat ſe timens eos, qui ex Circumciſione erant.* Sed hic timor non erat puſillanimis, & peccaminoſus, ſed timor miſericors, & pius: ergo talia verba boni conſuli poſſunt. Probo minorem quoad vtramque partem, primò quoad primam: Divus Petrus nil habebat cur timeret à Iudæis; ſeu potius paveret ab illis; deinde neque comminationes ipſorum Petri conſtantiam labefactabant, vt conſtat Actor. 4. & 5. vbi Petrus non fuit commotus Phariſæorum minis: ergo timor ille non fuit puſillanimis, & peccaminoſus. Probo ſecundam partem minoris: Divus Petrus in illa infantia Evangelij merito timere poterat, ne Iudæi à Iacobo advenientes ſcandalum acciperent, ſi ipſe, qui erat Iudæorum Apoſtolus viveret gentiliter. Et in hoc carpit eum Paulus dicens: *Si tu Iudæus cum ſis gentiliter vivis, &c.* Sed timor huiuſmodi de vitando ſcandalo illis, reſpectu quorum munere Apoſtolico fungebatur, eſt pius, atque miſericors: ergo talis fuit timor Divi Petri, & hæc de culpa gravi: *Quæ conjecturæ*, ait Suarez, *ſunt quidem ſufficientiſsimæ ad excuſationem pluſquam probabilem in tali perſona culpæ gravis.*

7 De culpa veniali iam ſic probatur PRIMO noſtra ſecunda pars: quoties vir aliquis notoriæ, & Canonicæ virtutis, & Sanctitatis exercere videtur actionem aliquam, etſi ſpecie ſeu apparenter malam; tamen ex obiecto, & circunſtantijs apud Theologos bonam, vel indiferentem; temerarius eſſet qui iudicaret, talem virum in ta-

li

li actione peccare venialiter; ſed Div. Petrus caput Eccleſiæ vir eſt Eximiæ Canonicæ virtutis, & actio illa, quam exercuit ſeggregando ſe à Gentilibus ex obiecto, & circunſtantijs bona fuit, vel indifferens, & ſi ſpecie tenus mala: ergo nulla culpa nec venialis poni debet in illa. Maior explicatur exemplo tum Divi Ambroſij euntis ad Domum Meretricis, ne Epiſcopus fieret: in qua actione ſpecie mala, Populus eum Sanctus credebat, eo quod præoccupatus eſſet fama ſuæ virtutis: tum quia, ſi nunc paris virtutis Religioſum aliquem videremus, cuius virtus non dubia, ſed nota eſſet omnibus, vel ſecretò cum Meretriculis converſantem, vel à concione Sacra diſcedentem latrunculiſque applaudentem, neque venialis culpæ eum accuſaremus; ſed ſemper eius nota virtus argumentum in talibus faceret Sanctitatis. Minor quoad ſecundam partem ſtatim donabitur in probatione tertiæ partis proximè ſubiungenda. SECUNDO: Quia eàtenus admittenda foret ſaltem culpa venialis, vt Petrus vere reprehenſibilis eſſet: nemo enim ſine aliqua culpa reprehendi poteſt; ſed ad iuſtam reprehenſionem coram hominibus ſatis eſt ſpecies mali: ergo nulla culpa dabatur. Minor conſtat: quia ſpecies mali ex ſe inducit ad malum: vndè, licèt bona intentio intrinſecus adſit; nihilominus coercitione reprimitur, ne malum ſerpat.

8 Probo iam tertiam partem noſtræ concluſionis, ſcilicèt talem actionem Divi Petri neque fuiſſe ſecundum ſe malam, neque ex circunſtantijs: talis actio ſegregandi ſe à Gentilibus, veſcendique cum Iudæis non erat mala ex obiecto: quia comedere cum his vel illis, de ſe eſt quid indifferens, ſi obiectivè, & phyſicè conſideretur; ſed inſuper talis actio attenta lege potius erat bona, & attentis circunſtantijs non vitiabatur: ergo neque ex ſe, neque ex præcepto, aut circunſtantijs talis actio erat mala. Probo minorem quoad primam partem ex doctrina à nobis alibi fuſius tractata, quod lex tunc non eſſet mortua, quoad inſtitutionem, ſed honeſtè ex cultu Dei poſſent adhuc ſervari legalia: quo poſito dico ſic: talis actio attenta lege non erat ſuperſtitioſa, ſed conformis legi viventi ad colendum Deum; ſed actio vt ita conformis potius ex honeſtate erat bona: ergo ita fuit. DICES: Erat mala per legem prohibentem ſimulationem mendacem. Reſpondetur negando aſſumptum: quia nulla interveniebat deceptio activa, & intentio fallax, ſed vſus Petri licitus: vndè alij paſsivè decipiebantur, ſi neceſsitatis plus concipiebant. Quæ fuſsè explicantur in quæſtione de tempore mortis legis quoad inſtitutionem. Probo quoad ſecundam partem: eàtenus vitiaretur ex circunſtantijs, quàtenus talis actio Gentilibus, aut Iudæis creaſſet ſcandalum; ſed non ita fuit, ſive reſpectu Iudæorum, ſive Gentilium: ergo ex circunſtantijs non vitiabatur. Maior videtur eſſe de mente Auguſtini, Ruperti, imò & ipſamet obiurgatio Pauli. Probo minorem: tale ſcandalum vel eſſet ratione operis pravi, vel ex parte modi operandi, vel ratione alicuius erroris; ſed nihil ex ijs intervenit: ergo nullum ſcandalum. Probo minorem primò: non ratione pravi operis, quia non erat pravum reſpectu Iudæorum, quod non erat mortiferum: neque erat pravum reſpectu Gentilium ſubijci ſe ſpontè Circumciſioni, & legalibus, quæ ex probabili ſententia, & conformi Auguſtino Gentibus non erant prohibita, ſi ea tunc temporis vellent ſubire: neque pravum quàtenus exemplo ſeparationis, Gentes vellent etiam ſe ſeparare à Iudæis: nulla enim vtrimque ſuperſtitio daretur propterea in con-

converſis ad Deum, ſed diverſitas cultùs. Secundò : non ex parte modi: quia illa ſegregatio non erat proprie coactio ; & violentia, ſed nudum exemplum ad id, quod Gentes amplecti poterant voluntariè. Tertiò non ex parte erroris: quia licèt Iudæi & Gentiles erroneè iudicarent legalia eſſe de neceſsitate ſervanda, hæc erat deceptio paſsiva, non activa, quam daret Divus Petrus: Siquidem hic ad vitandum maius malum Iudæorum, vt ſupra diximus, legalia vſurpavit; in quo facto habebant Gentiles occaſionem deceptionis potiùs acceptam quam datam : poterant enim attendere Petro, vt Iudæo, legalia adhuc eſſe permiſſa : itemque Iudæi habuerunt occaſionem deceptionis acceptam non datam : quia, attentis omnibus circunſtantijs, iudicare potuiſſent, ſibi maius damnum imminere, ſi quaſi ſcandalo Getiliſmi diſturbarentur, qui recèns de Hyeroſolima veniſſe videntur.

9 Obijcitur primò immediatè contra dicta: ſi Divus Petrus neque graviter, neque leviter, neque formaliter, neque materialitèr peccaviſſet, non verè reprehenſibilis fuiſſet; ſed ex Sacro Textu conſtat, *quia reprehenſibilis erat* : ergo aliqua ſaltem venialis culpa interceſsit. Probatur maior : nihil niſi quod malum eſt, eſt reprehenſibile ; ſed vbi nulla eſt culpa, nulla eſt malitia : ergo, ſi nulla fuit culpa Petri, neque reprehenſibilis erat. RESPONDEO PRIMO, negando maiorem, ab cuius probationem diſtinguo maiorem : niſi quod malum eſt in re, vel in ſpecie, concedo maiorem ; præcisè in re, nego maiorem, & diſtinguo minorem: vbi nulla eſt culpa, nulla eſt malitia quoad ſpeciem, vel ſpecie tenus, nego minorem ; nulla eſt malitia in re, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque, ſi aliqua actio in re ipſa eſt bona attento omni reſpectu ; & nihilominus habet ſpeciem mali, iuſtiſsimè ſolet accidere quòd quis reprehendatur, & meritò, vbi bene ſe geſsit, eo quòd ipſa ſpecies mali ſatis ducat obiurgatorem in Iudicium de operatione mala, propter quam meritò obiurget : itaque rectè componitur, & Petrum ſe geſsiſſe bene in factis, & Paulum in verbis nullà tenus exceſsiſſe. REPLICABIS : tale factum individuum Petrus iudicabat bonum, & Paulus malum: ergo alter errabat. Reſpondeo neutrum erraviſſe : quia tale factum ſingulare conſtabat realitatè, & ſpecie, *propter realitatem*, quæ ſoli Petro nota erat bene iudicabat Petrus ; propter ſpeciem autem rectè iudicabat Paulus : ſicuti ſi noctè intempeſta quis feneſtram conſcenderet, & de domo aliqua quidpiam quaſi furtim exportaret, bene iudicaret exportator, ſe rectè procedere, ſi quæ exportabat ſua eſſent; Spectator autem Iudex rectè iudicaret, etiam propter ſpeciem facti illum reprehenſibilem eſſe : quippè extrinſecùs ſcandalum appareret, licèt forte omnibus penſatis, exportator tunc rite ſe gereret, prudentibus motivis innixus ; vel ad vitanda damna maiora. RESPONDEO SECUNDO, negando maiorem, ad cuius probationem diſtinguo maiorem : nihil niſi malum eſt reprehenſibile reprehenſione iudiciali, concedo maiorem ; reprehenſione Apoſtolica, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Igitur Iudicialis reprehenſio ſemper arguit malum : eſt enim quoddam genus pœnæ, quo mulctatur culpa præterita, & quoddam genus providentiæ, quo caventur futura ; reprehenſio verò Apoſtolica non cadit ſuprà malum à fortiori, ſed ſuprà minus perfectum : cum enim perfectio Apoſtolica elevatiſsima ſit ; non videtur eam decere quod non eſt altum in libertate, & profeſſione Chriſtiana : quare dixit Suarez

hæc

hæc verba satis appositа: „ Hunc er-
„ go defectum boni in Petro negare
„ non possumus, & ille sufficit, vt ve-
„ re Paulus dixerit, illum esse repre-
„ hensibilem: quia re vera ad instru-
„ ctionem Iudæorum, & ad puriorem
„ libertatis Evangelij prædicationem
„ magis expediebat non separari à
„ Gentibus, & Iudæos instruere. Et
„ alioqui Petrus ratione officij debue-
„ rat tunc eligere quod maximè expe-
„ diebat. In quibus verbis satis appa-
ret, quomodo vir Apostolicus etiam bona præstando sit reprehensibilis, quia meliora non præstat: vndè, cum dixisset Paulus primo ad Corinth. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*; modo in hac reprehensione satis ostendit, factum Petri non expedire, quamquam liceret.

10 Atque vt hoc genus solutionis, quod, vt opinor, neque incuriosum, neque est inefficax plus illustretur, exemplo rem declarabimus. Quis dubitet in nostra Religione Societatis, vbi Regulæ neque sub veniali nos obligant, merito à Superiore reprehensum iri adolescentulum Scholarium, qui extra refectionum tempora poma, cupediasvè furtim manducet? Nemo profectò cum id Regulis nostris prohibeatur; sed tamen hæc agi possent integra innocentia quoad culpam etiam venialem, si nimirum adolescentulus intrinsecus fame corrosus ad aliquid extrinsecùs corrodendum adigeretur: ergo vbi alta est professio, optime reprehensio stat sine culpa. Quæ vt amplius patefiant instituendum est paralelum inter textum Divi Pauli, & alium textum à me confictum, qui per easdem clausulas incedendo reprehensionem Pauli imitetur, vbi nulla adsit culpa. Ad quod supponendum est in aliquo Conventu, seu Monasterio dari Ioannem optimum Religiosum Socium Petri, qui mediocriter Religiosus cum alijs quandoque ad ludendum Chartulis, Musicam, compotatiunculas, aliaque sæcularia, sed licita se applicaret: & quòd Petrus tempore studij, orationis, aut confabulationis honestæ videns adventare Religiosos illos, quibus cum talia exercere ipse solitus esset; segregavit se cum illis ad oblectatiunculas secum ferens Socium suum Ioannem, quem diximus optimum Religiosum, & omnes à Superiore deprehensos, ac merito reprehensos fuisse. His positis, ponamus etiam talem Superiorem sic modo loquentem: „ Cum autem venisset Pe-
„ trus in Monasterium in faciem ei
„ restiti quia reprehensibilis erat: prius
„ enim quam venirent quidam de
„ Commilitonibus suis, honestè se ge-
„ rebat in exercicio Religionis; cum
„ autem venissent; subtrahebat, &
„ segregabat se timens eos, qui ex si-
„ mili consuetudine vitæ erant. Et re-
„ laxationi eius consenserunt cæteri
„ Religiosi ita, vt & Ioannes ducere-
„ tur ab eis in illam relaxationem; sed,
„ cum vidissem quod non rectè am-
„ bularent ad veritatem religionis, di-
„ xi Petro: Si tu Religiosus cum sis
„ sæculariter vivis, & non religiosè;
„ quomodo cæteros cogis sæculariza-
„ re; nos gratia Dei Religiosi sumus,
„ non de sæculo relaxati homines.
Ecce ad amussim coordinata verba eàdem energia, ac illa contexit Paulus in suo textu, quæ supra poteris conferre, atque comparare. Sed tamen totus hic ordo narrationis videtur naturalissimus, & nihilominus datur seria reprehensio, & vera reprehensibilitas ex parte Petri sine vlla culpa etiam veniali: ponimus enim illa cum alijs diverticula Petri esse quidem contra Regulam, sed nec venialiter peccaminosa: ergo similiter salvari potest seria reprehensio Pauli cum vera reprehensibilitate Petri, sed sine culpa. Ex qua superiori doctrina colligo duo. Alterum est, quod illæ re-

plicæ, quæ fieri poſſent ex illis verbis: *Quomodo gentes cogis Iudaizare?* Et ex illis: *Cum vidiſſem quod non rectè ambularent ad veritatem Evangelij* manent ſolutæ, tum in ſuperiori exemplo: tum quia illa coactio erat laxe talis, & mera inductio ad id, quod, vt ſupra diximus, non erat illicitum. Et ly *ad veritatem Evangelij* quaſi dixiſſet *ad totam plenitudinem Evangelicæ perfectionis, & libertatis* interpretandum eſt. Colligo ſecundò, hunc defectum Apoſtolicæ libertatis fuiſſe in Petro reprehenſum ex illis verbis *in faciem ei reſtiti*: videbatur enim eſſe defectum in facie, in qua oſtendi ſolent timiditas, pavor, & pudor dum erubeſcimus, ſicuti facies ferrea, & murus æreus, dum ſumus liberi, atque magnanimi.

11 Obijcitur ſecundò: Hæc aſſertio videtur eſſe contra torrentem omnium Sanctorum Patrum: ergo temeraria. Conſequentia conſtare videtur: in expoſitione enim Sacræ Scripturæ aliquid dicere contra torrentem omnium Sanctorum Patrum temerarium dicitur ab Authoribus. Probatur antecedens: omnes Patres tàm Græci, quàm Latini ſic dividuntur: alij inſinuant, Petrum peccaviſſe læthaliter, vt Gregorius, & Anſelmus appellantes hypocriſim tale factum Divi Petri, & Auguſtinus vocans illud ſimulationem ſuperſtitioſam: alij cenſent ſolum venialiter peccaviſſe, veluti aiebat Ambroſius ad Galat. 2. *Nunc interveniente cauſa negligentijs, vel errorę diſſidere inter ſe videntur Apoſtoli, non in propria cauſa, ſed in ſolicitudine Eccleſiæ.* Alij dicunt, reprehenſionem fuiſſe ſimulatam, vt ait Cyrillus lib. 9. contra Iulianum vocans talem contentionem artificioſiſſimam in illis diſpenſationem: non enim aliud ſentiebat Diſcipulus, ſed tempeſtivè vtebatur congruis diſpenſationibus. Et Theodoretus, qui ait: „Quoniam ergo „hic quidem reprehendit; ille verò „reprehenſionem ſilentio excepit, & „ijs, qui ex Iudæis crediderant, e„ijs, qui ex Gentibus medicamentum „vtile compoſitum eſt. Sed hæc tria pronuntiata adverſantur noſtræ ſententiæ: ergo eſt contra torrentem Sanctorum Patrum. Reſpondeo primo, negando maiorem: non enim deſunt Patres aliqua ex parte faventes. Sic Ambroſius dum ſupra dixit *cauſam negligentiæ*: non enim exſerere maiores apices perfeccionis *negligentiæ* eſt, potiuſquam *culpæ*. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 3. ait: *Utique converſationis fuit vitium non doctrinæ.* Vitium autem converſationis eſt maius quam par eſſet timiditas converſantis. Philo Carpathius ad illa Verba Cantic. *Filij Matris meæ pugnaverunt contra me*, ait: *Sapientiſſimos Cœleſtis Regis bellatores Sanctam, atque honeſtam pugnam feciſſe, & Paulam pugnaſſe propter Chriſtum, & Fidelium ædificium, talemque pugnam & pacificam, & Sanctiſſimam fuiſſe.* Si autem fuit pugna; non fuit compoſitio ſimulata, & ſi fuit pugna vtrimque Sanctiſſima; nulla fuit culpa: ergo & pro noſtro aſſerto non deſunt Patres. RESPONDEO SECUNDO, negando antecedens, cuius probatio eſt inſufficiens: nam vera eſt hæc propoſitio, quæ videtur paradoxa: *Licèt omnes Patres videantur adverſari noſtræ ſententiæ; noſtra ſententia non eſt contra torrentem Sanctorum Patrum.* Ratio eſt: quia illa propoſitio dicitur eſſe contra torrentem Sanctorum Patrum, & quæ temerarias faciat partes adverſas, quæ eſt contra omnes Patres vnanimiter ſentientes; non verò quando eſt contra omnes ita diverſimodè ſentientes, vt alter alterius opinionem evertat, & contraria inter ſe dicant, plures ſemitas veſtigantes vt germanum alicuius textus ſenſum obtineant: hæc enim eorumdem diſcordia non dat locum ſententiæ conſtantiſſimæ, & irrefragabili, ech tra-

tra quam ire temerarium foret ; ſed potius alij alios ſe invicem exarmant, & quaſi vndique conclamatur, vt expoſitio firmetur, in qua omnes conveniant.

12 RESPONDEO TERTIO, negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo minorem: hæc tria pronuntiata adverſantur partim noſtræ ſentiæ, partimque ſuffragantur, concedo minorem; vnice, & omninò adverſantur, nego minorem, & conſequentiam : nam Patres admittentes culpam in Petro faciunt nobiſcum reprehenſionem ſeriam, non ſimulatam; è contra verò Patres cenſentes reprehenſionem ſimulatam, & fictam nullam culpam ponunt in Petro : ergo ſicuti omnes Patres noſtræ ſententiæ per te refragantur, ſic omnes etiam ſuffragantur noſtræ ſententiæ. RESPONDEO QUARTO, negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo maiorem : & ſimul tradunt generaliſsimas Regulas, & præcepta ita exponendi Scripturas, vt viri Sancti, & Apoſtoli evadant immunes ab omni culpa, & indecora fictione, concedo maiorem ; præcisè id aſſerunt, nego maiorem, & permiſſa minori, nego conſequentiam. Ad videndum enim ſi aliqua expoſitio eſt contra Sanctos Patres prius obſervandæ Regulæ, ſunt Canones, & claves ipſorum ad interpretandas Sacras Scripturas, cuiuſmodi pluſquam ducentas congeſsit Ruizius Benedictinus atque ex eo, & alijs noſtras Decades Regularum in tertia parte apparatus noſtri præmiſsimus : Et ſi interpretatio iuxta hos canones fuerit, ſemper eſt iuxta Sanctos Patres, & ſi in particulari textu interpretatio, quæ datur, minimè cum ſua interpretatione concordet: tum quia ſciunt Sancti Patres in quo mirificè ſe explicat Auguſtinus in lib. 12. de Confeſsion. Scripturas Sacras ſenſus habere multiplices, quorum, licèt vnus non cohæreat cum alio; ſiniſter non erit, ſi cohæreat cum textu : tum quia non eſt inconveniens, quod (quæſtionibus ex lucè Spiritus Sancti perpetuo irradiante in Eccleſia in dies magis clareſcentibus) aliqua via appareat interpretandi cum minore offendiculo, quam, quæ ſuperioribus ſæculis apparebat. Neque vocari poſſet audacia, ſine aliquo ex Patribus exponere aliquem textum puriſsimè, eum videlicèt ab omni offendiculo liberando: hæc enim expoſitio, ſi ita ſit, ſatis haberet auctoritatis in ſuamet rectitudine, etiamſi in ſpecie nullo ex Patribus fulciretur. Ad dicendum verò aliquid minus adhuc ſtabilitum requireretur ſanè horum luminarium auctoritas, quæ & rationis fundamenta ſuppleret, & ſine quibus forſitan iremus in præceps. Maneat ergo firmum, via multiplici noſtram ſententiam non eſſe contra, nec præter, ſed iuxta torrentem Sanctorum Patrum : vndè ſi tibi obijciantur Patres Latini Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, Tertullianus, Beda, Anſelmus, Divus Thomas aientes aliquomodo peccaſſe Divum Petrum reſpondendum eſt cum Divo Hieronymo, & Patribus Græcis Chryſoſtomo, Theophilacto, Theodoreto, Origene, Athanaſio, Cyrillo Alexandrino ; & ſi hi tibi obijciantur, vt aientes, reprehenſionem Divi Pauli ſeriam non fuiſſe ; reſpondendum eſt tibi cum Patribus Latinis ſuprà relatis.

13 Obijcitur tertiò : Si Divus Petrus ritè ſe geſsiſſet in illo facto publicè increpatus à Paulo aliquid loquutus fuiſſet, vt de ſe rationem redderet, & ſcandalum temperaret ; ſed nil eſt locutus : ergo quia ſeſe ipſe intrinſecus aliquàtenus accuſabat. Reſpondeo primò, diſsimulato ſuppoſito maioris, in eo verbo *Scandalum*, conceſſa maiori, nego minorem, & conſequentiam ; aliud enim eſt in textu expreſsè non

non fieri mentionem reſponſi Petri; aliud eſt non fuiſſe vllum reſponſum. Primum eſt verum, & ſecundum falſum. Moveor primò: quia expreſſa mentio eorum, quæ reſpondit Petrus non erat id intentum Pauli, qui ad revocandum Galatas à perſuaſione, quam habebant de neceſsitate legalium ſimul cum Evangelio, potius ducebat conducens quod Petrus in tali facto omninò per ſuam increpationem retunderetur; non autem quod haberet vllam ſimilis facti excuſationem, ex qua ipſi Galatæ ad permanendum in ſua perſuaſione moveri poſſent. Secundò: quia etſi confuſè, non deſinit conſtare reſponſio Petri: tum quia ipſa natura rerum videtur eam etſi morigeram tunc poſtulare: tum quia in illis verbis *in faciem ei reſtiti* ſatis innuitur, Petrum quodammodo ſuum factum ſubſtinere voluiſſe quod Hiſpanice dicitur *Saco la Cara*, & ideò dicitur de Paulo *in faciem ei reſtiti*, id eſt Hiſpanice *Le hizo frente*. Quæ pulchre confirmantur ex verbis Philonis Carpachij nunc repetendis: ait enim *Sapientiſsimos Cœleſtis Regis Bellatores Sanctam, atque honeſtam pugnam feciſſe, & Paulum pugnaſſe propter Chriſtum, & fidelium ædificium, talemque pugnam, & pacificam, & Sanctam fuiſſe*. Ubinam verò pugna vtriuſque, ſi Petrus penitus conticuiſſet?

14 Reſpondeo ſecundò negando maiorem propter plurima. Primò: quia Divus Petrus fortaſſe novit ex rationibus Pauli plus oportere iam oſtentare libertatem Chriſtianam, maiuſque malum ſequi poſſe Gentilibus ex illa quaſi apparenti neceſsitate iudaizandi, quam ipſis Iudæis venientibus de Hyeroſolimis, qui iam ſatis Chriſtiani noſſe poterant ex Concilio Hyeroſolimis habito, & ex prædicatione Iacobi, converſationem cum Gentibus iam non eſſe vitandam. Secundò: quia ipſamet bona cauſa Divi Petri, ſanumque eius factum poſtulabant nullas altercationes miſceri inter tam primos Magiſtros, ne fortè ex inde ſcandalum crearetur, quod illàtenus nulla ex parte intervenerat. Tertiò: quia, ſi vt dicitur in Proverbijs: *Reſponſio mollis frangit iram* nulla reſponſio, vel potius reſponſio nulla temperat ardorem zeli: cumque Divus Paulus, vt textus ipſe præſefert, vehementer inveheretur in Petrum, hic plenus ſenio, & maturitate prorſus conticuit, vt zelo Pauli inter ambos concocto teneretur factum, quod oportebat, & inutilia verba exularent. Quartò: quia in ſimilibus eventibus reprehenſionis, Petrus viſus eſt taciturnus; v. gr. cum Chriſtus illi dixit: *Abi poſt me retrò Satanas, ſcandalum mihi es*. Item cum fuit reprehenſus in horto: *Mitte gladium tuum in vaginam, &c.* Item cum fuit reprehenſus in mari: *Modicæ fidei quare dubitaſti?* Item cum in prætorio reſpexit eum Dominus, quaſi de negatione reprehendens, & nihil reſpondit, ſed *flevit amare*. Igitur ſilentioſa videbatur conditio Petri quoties increparetur ab aliquo. Quintò, & vltimo: quia in ipſo Petro vt capite Eccleſiæ voluit Deus vbertim dare nobis exempla patientiæ, & admirationis. Sic Cyprianus Epiſt. 71. *Nec deſpexit Paulum quòd Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet; ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ quam Paulus vendicabat, conſenſit, facilè documentum ſcilicèt nobis Concordiæ, & patientiæ tribuens*. Sic Divus Gregorius Homil. 18. in Eccequielem: *Quæ illa manſuetudo tanta eſſe potuit, quæ quies animi, quæ ſoliditas, atque imperturbatio cogitationis? Ecce à minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur... ne igitur increpationis verba dedignaretur audire, omnia dona, quæ acceperat, quaſi à memoria repulit, vt vnum fortiter humilitatis donum teneret.*

Obij-

15 Obijcitur quartò: Divus Paulus non poterat ſeriò reprehendere ea, quæ paſsim ipſe vſurpabat; ſed ipſe ſæpè vſurpabat legalia, & Cœremonias legis, vt conſtat Actor. 16. & cap. 21. & 1. ad Corinth. 9. ergo id non poterat ſeriò reprehendere in Petro; ſed fuit reprehenſio ſimulata, & compoſita. Ad hoc argumentum reſpondeo conceſſa maiori, diſtinguo minorem: vſurpabat ita vt appareret ſcandalum eſſe Gentilibus, & eos cogere ad iudaizandum, nego minorem; vſurpabat præcisè, concedo minorem, & nego conſequentiam. Quæ ſolutio eſt ad mentem Auguſtini Epiſt. 19. ad Hieronymum, & Ruperti lib. 1. de Concilio, cap. 14. aientium in hoc diſtingui Petrum à Paulo quoad vſurpandum legalia, quod primus id fecit incautè, quaſi ſcandalum creando Gentilibus; ſecus verò ſecundus, qui ſine tali offendiculo iudaica exercebat, cum oporteret.

16 Obijcitur quintò: reſiſtentia Pauli in faciem Petri fuit ſimulata: ergo, & reprehenſio. Probatur antecedens: reſiſtere in faciem eſt quaſi reſiſtere in ſpeciem, ſeu apparentiam provt contraponitur ad reſiſtere ex corde iuxta illud ad Corinth. 2. *Aliquos gloriari in facie, & non in corde*: ergo fuit ſimulata. Reſpondeo negando antecedens cum probatione: quia reſiſtere in faciem eſt contra faciem: facies enim perſonæ obiurgandæ eſt quæ maximè ſolet reſiſtere obiurgationi: difficile enim eſt ſemper coràm aliquem præſertim Superiorem de crimine convenire, & ſic ly *in faciem* non poteſt ſummi ſolum *quoad ſpeciem*: neque illa gloriatio in facie allata in Textu eſt gloriatio apparens, ſed gloriatio in his, quæ vident homines, & non in corde, quod videt Deus. Et in eodem ſenſu dicit Paulus 2. ad Corinth. 10. *In facie quidem humilis ſum apud vos*: nam poſtea ait: *abſens verò confido in vobis*: nulla ergo ex verbis talibus ſumitur impugnatio; ſed potius confirmatio noſtræ ſententiæ de eo quod reprehenſio fuerit ſeria; alioqui non fuiſſet tam efficax, & reſiſtendo in faciem, vt Hiſpanicè dici ſolet *Cara à Cara*. Quod, ſi ita non fuiſſet, ſed ly *in faciem* diceret ad ſpeciem, ſeu apparentiam ipſe Paulus proderet quod ſimulabat, & enervando reprehenſionem, non bene ad finem in Epiſtola præintentum illam allegaret.

17 Obijcitur ſextò: Petrus ſciebat ex actis in Concilio Apoſtolorum iam neceſſe non eſſe Iudæis ſervare legalia, neque aliud opus eſſe quam abſtinere à fornicatione ſanguine, & ſuffocato, à quibus, & cum gentibus abſtinebat: ergo aliquàtenus peccavit in redendo ad Iudaica. Probatur conſequentia: deſerere converſationem cum gentilibus, & Iudaica profiteri ſignificat, & aliqua illicita cum gentibus perpetrari, & adhuc Iudaica ſervari oportere; alioqui cur ad ea tam ſcrupulosè redeundum? Ergo, &c. Reſpondeo negando conſequentiam, ad cuius probationem diſtinguo antecedens: deſerere improbando, concedo antecedens; deſerere purè ſe ſubſtrahendo ſignificat aliqua illicita in converſatione Gentilium, & adhuc Iudaica eſſe neceſſaria, ſubdiſtinguo: eſſe neceſſaria abſolutè, & in ſe, nego antecedens; eſſe neceſſaria in talibus circunſtantijs, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Aliud enim eſt deſerere converſationem Gentilium per improbationem, in quo ſignificaretur manifeſtè aliquid illicitum detegi, quod continuari non poſſet: & non ita fuit: non enim Petrus cum eis ad quædam illicita concurrebat. Aliud autem eſt deſerere ſegregando ſe, atque ſubtrahendo; id autem erat tunc quaſi neceſſarium Iudæis, & Petro in Anthiochia verſantibus, vt ipſe exiſtimabat

bat propter vitandum ſcandalum Iudæis venientibus de Ieruſalem: licèt enim his iam eſſet prædicatum à Iacobo quomodo Chriſtiani cum Gentilibus veſci poſſent; nihilominus apud rude vulgus multi dies, & anni ſolent decurrere, priuſquam aliqua veritas, vel aliquis novus ritus contra alios inveteratiſsimos poſsit eorum cordibus inſidere: & poſtquam inſideret, nemo cordatorum dubitat, quanta differentia eſſe poſſet apud tales Iudæos de hoc quod eſt audiviſſe ſimilia ad hoc quod eſt ea videre in praxi: tunc enim primus eorum motus ſemper eſſet quaſi inhorreſcere ad talia commercia, licèt poſtea corrigerentur memores eorum, quæ audierant. Inde ergo placuit Petro tunc cum ſuis ad ſua ſibi licita legalia reverti, vt omnis omninò ſpecies ſcandali amoveretur: & credibile eſt hoc etiam ipſiſmet Gentilibus inſinuaſſe, ne ad talem fugam conturbarentur: ſi enim ita non accidiſſet; neque Gentiles penitus reticuiſſent, neque ipſe Divus Paulus, cuius ad intentum fortè ſua verba proficerent.

18 Claudo quæſtionem cum verbis B. Petri Damiani opuſc. 4. cui titulus eſt. *Diſceptatio Synodalis.* Ubi ſuperiora fulciuntur. „ Quod Petrus egit „ compaſsione miſericordiæ, hoc Pau„ lus arguit pro Magiſterio diſciplinæ; „ ille quod fecit diſpenſativè, vt infir„ mis tolleret ſcandalum; hoc iſte „ corripuit, ne indiſcretus quilibet „ paſsim adduceret in exemplum. In „ Petro diſcamus, vt periculo ſimus „ immiaente diſcreti; in Pauli ſermo„ nibus inſtruamur, vt ſanis rebus vita „ noſtra mirè deſerviat rectitudini. Habet inſuper plura, & præclara.

***

QUÆSTIO OCTAVA.

TEXTUS
AD ILLA VERBA.

SI EX LEGE IUSTITIA: ERGO GRATIS pro vobis Christus mortuus est. Ad Galat. cap. 2. vers. 21.

ARTICULUS

QUO TEMPORE LEX VETUS CESSAVERIT quoad vtilitatem ipsius?

NOTABILIA.

1 NOTO primò, tria in lege veteri solere distingui, scilicet obligationem, institutionem, & effectum, seu vtilitatem ipsius: institutionem quàtenus videlicet tota lex secundum Cœremonialia, Iudicialia, & Moralia ad cultum Dei, Reipublicaque administrationem, & directionem privatam vniuscuiusque fundabatur, & statuebatur: obligationem quàtenus illi omnes, quos illa lex concernebat, stimulo obligationis vrgeret, vt frustranea non redderetur in ordine ad illos fines, ad quos fuerat instituta. Tandem effectum, & vtilitatem consistentem in eo, quod tùm erga Deum: tum erga homines, & apud se ipsos firmarentur in bono, & segregarentur à malo.

2 Noto secundò, hanc vtilitatem postremo loco relatam esse materiam præsentis quæstionis, postquam alibi late discussimus de cessatione legis quoad obligationem, & institutionem. Hæc ergo vtilitas triplex potest considerari. Prima in imponendis pœnis ad coercendum à malo, & irritandis contractibus, quando vitiosi haberentur. Secunda est vis permittendi per dispensationem in aliquibus ad legem naturalem attinentibus, eo quod hæc indulgentia humanæ conditioni, & rerum vicissitudini nonnunquam expediat. Tertia consistens in iustificatione Legali, necnon in iustitia coram Deo eo quod nil homini vtilius, quam animo, & corpore coram Deo dignum haberi.

3 Noto tertiò, legem veterem tanto tempore iam nobis non solum mortuam, sed etiam mortiferam prorsus invtilem esse, cum plus eius obseruatio nobis nocumenti, quam vtilitatis sit allatura; invtile tamen non est tem-

tempus diſcutere, quo prædictæ vtilitates ſuprà recenſitæ ceſſarunt, vt nimirum vires ipſius legis ad aliquos effectus præſtandos, iuxtè taxari poſint, difficultateſque aliquæ explicentur. His poſitis generatim loquendo duplicem poſſumus conſiderare ſententiam conſequenter ad ea, quæ dicta ſunt de tempore, quo lex fuit facta mortifera: ſtatim enim, ac erat mortifera non vtilitatem, ſed nocumentum afferret. Unde prima ſententia eſt eorum, qui dicunt, Legem veterem à Chriſti morte fuiſſe mortiferam cum Hieronymo, & Aſſeclis. Secunda vero Auguſtini cum communi Theologorum, vt alibi tradidimus; ſed quia illic eſt ſermo de Cœremonialibus poterit hæc ſententiarum diviſio cum ſua copia Authorum, qui ibi legi poſſunt, deſervire ad punctum vtilitatis conſiſtentis in purificatione, & iuſtificatione, quæ proculdubio ex Cœremonialibus manerent, & orirentur. Cum autem cœteræ vtilitates coercendi, irritandi, diſpenſandique potius ad iudicialia pertineant, quæ ſanè iudicialia ex opinione Doctorum videantur permanſiſſe vſque ad conſummatam promulgationem Evangelij, poſt quam Eccleſia nihil legale, vt legale retinuit, ſed ſolum Moralia propter ius naturæ, & nonnulla iudicialia imitativè: ideò ad pleniorem notitiam noſtræ Quæſtionis oportebit deſignare aliquos Authores, quos nimirum viderimus in aliqua de his vtilitatibus diſsidentes. Igitur quoad punctum irritationis videò particulariter Authores non convenire: quare de matrimonijs contractis inter Iudæos in illis gradibus lege prohibitis, exceptis primis, prima ſententia ait, talia matrimonia eſſe valida, eo quod talis legis vtilitas ceſſaverit, eius obligatione ceſſante. Ita ſentiunt Soto in caſu ſimili in 4. diſtinct. 39. artic. 1. Navarro conſilio 2. de Converſion. Infidel. num. 4. Sanchez de Matrimonio lib. 7. diſputat. 7. num. 6. Suarez lib. 9. de Legib. cap. 21. num. 5. Secunda ſententia tenet opoſitum exiſtimans, talia matrimonia eſſe invalida inter Iudæos Infideles eo quod ſua lege veteri gubernentur. Ita Henriquez lib. 12. de Matrimonio, cap. 1. num. 5. citans Covarrubiam in 4. 2. part. cap. 6. Paragraph. aliàs 10. num. 3. & Div. Thomam in Addition. 3. part. quæſt. 59. art. 2. ad 3. aliàs in 4. diſtinct. 39. artic. 2. ad 3. Citat etiam Navarrum, cap. 22. num. 48. Quos tamen omnes Suarez putat non ita ſautores eſſe talis ſententiæ: vnde magis generaliter loquendo ſententiæ in hoc puncto conſiderandæ ſunt ferè provt in quæſtione de tempore, quo lex quoad obligationem dicitur ceſſaviſſe.

4 Sit noſtra Concluſio *Legem veterem vtilem fuiſſe quoad tres prædictos effectus per ſe loquendo ſaltem vſque ad diem Pentecoſtes, in quo incœpit ſufficiens promulgatio Evangelij.* Probatur ſic: talis lex non amiſit ſuam vim coactivam, & punitivam, irritativamque contractuum, necnon, & diſpenſativam vſque ad diem Pentecoſtes; ſed etiam vſque ad talem diem fuit vtilis quoad ſanctificationes Legalem, & Spiritualem: ergo vſque ad talem diem lex vetus conſervavit triplicem dictam vtilitatem. PROBATUR MAIOR, poſteàque probabitur minor: in primis non amiſit vim *coactivam, & punitivam*; ſed neque *irritativam, & diſpenſativam*: ergo nullam. Maiorem probo poſteà probaturus minorem: durante vi directivà, ſeu imperativà conſequenter durare debet coactiva, & punitiva ſuper ipſam fundata; ſed directiva quoad obligationem duravit vſque ad Pentecoſtem, in quo ſufficienter fuit promulgatum Evangelium, vt alibi propugnamus in quæſtione de Ceſſatione Legis quoad obligationem, ergo duravit lex quoad vim

punitivam, & coactivam. Probo maiorem: in lege primò, & principaliter se habet vis directiva, & obligatoria, & suprà hoc cadit vt accessorium coactio, & punitio; sed durante principali in lege per se loquendo durat accessorium, nisi aliter de duratione accessorij disposuerit Legislator, quod hic non datur: ergo, &c. Probo iam minorem nuper promissam quoad irritationem primò: quia eadem ratio militare videtur de vi ad obligandum, & prohibendum, quam ad irritandum. Secundò: quia irritatio præsertim addita prohibitioni naturali est veluti quædam pœna: vnde cum pœna cadat suprà culpam; culpa vero suprà obligationem, eodem tenore quo durat obligatio durat irritatio. Si vero irritatio addita sit prohibitioni positivæ eiusdem legis non cessavit, nisi prout talis prohibitio cessaverit: deinde quoad dispensativam probatur: quia similiter illa lex quoad hunc effectum ante Pentecostem mansit intacta, nec cum breviori, sivè diverso termino durationis: vnde enim id constat? ergo de primo ad vltimum vis coactiva, punitiva, irritativa, & dispensativa taxanda sunt quoad durationem iuxta obligationis durationem.

5 PROBO IAM MINOREM PRIMAM, quam probare promisi: Cœremoniæ illius legis toto illo tempore saltem vsque ad Pentecostem duraverunt quoad institutionem; sed ab institutione habebant vim sanctificandi legaliter, & spiritualiter: ergo, &c. Probo minorem: ab institutione habebant esse quasdam mundificationes, & purificationes carnis, vt constat ex ipsa lege; sed deinde ab institutione habebant quod si in fide, & charitate fierent ex opere operantis daretur meritum, & satisfactio: ergo ab institutione habebant sanctificare legaliter, & spiritualiter. Probo minorem: ab institutione habebant esse opera honesta ad cultum Dei destinata, & religionis actus; sed, si hæc viva fide, & vera charitate fierent non poterant non esse meritoria augmenti gratiæ, & satisfactoria temporaliter: ergo, &c. Confirmatur primò de Purificatione Legali: nam Div. Paulus Act. 21. & 23. dicitur fuisse purificatus: ergo lex adhuc valebat ad oblationes, purificationes, & similes carnis munditias, pro quibus eadem ratio militat. Confirmatur secundò de sanctificatione spirituali: nam opus, quod ex conscientia erronea putaretur esse in Dei cultum, vi meritoria, & satisfactoria gauderet: ergo potius gauderet si in fide, & charitate fieret illud opus, quod verè in Dei cultum fuerat institutum: & multò magis si (vt potuit à Iudæis) fieret cum conscientia de obligatione, & legis necessitate. Ad cuius probationis calcem observanda est differentia inter Cœremonialia, & Iudicialia præcepta legis *per se loquendo*: quod vtilitates pendentes ab obligatione Cœremonialium cessarunt in die Pentecostes, in quo obligatio Cœremonialium cessavit; vtilitates vero manantes à præceptis Iudicialibus cum eorum obligatio duraverit vsque ad consummatam Evangelij prædicationem longè post Pentecostem, longè plus duraverunt. Sed fortè re bene inspecta videtur posse dici quod tandiu duravit vtilitas Cœremonialium, quam Iudicialium, scilicet quovsque lex fuit mortifera: quia vtilitas Cœremonialium præcisè videbatur esse in sanctificando quod ab eius institutione pendebat, & institutio vsque ad statum legis mortiferum durabat. Reliquæ vero vtilitates puniendi, dispensandi, & irritandi licèt ex sola obligatione Iudicialium penderent; nihilominus, cum hæc obligatio in Iudicialibus vsque ad statum legis mortiferum duravisset, infertur vtrorumque præceptorum vtilita-

litates ſub idem tempus ceſſaſſe.

6 Obijcitur primò: fundamentum præcipuum perſeverantiæ legis quoad vtilitatem in prædictis effectibus eſt permanentia obligationis, quam vt principalem conſequuntur tales vtilitates vt acceſſoriæ; ſed hoc fundamentum eſt nullum: ergo & hæc concluſio. Probatur minor: ſtat aliquam pœnam impoſitam in illa lege alicui actioni ceſſare, non ceſſante obligatione talis actionis: ergo tale fundamentum eſt nullum. Probatur antecedens: ſi obligatio talis actionis ſit de iure naturæ, etiam modo durat; ſed modò non durat pœna veteris legis: ergo ſtat ceſſare pœnam non ceſſante obligatione, & acceſſorium ruere, non ruente principali. Reſpondeo negando minorem, ad cuius probationem diſtinguo antecedens: non ceſſante obligatione naturali, concedo antecedens; non ceſſante obligatione poſitiva, nego antecedens, & conſequentiam: ſermo enim noſter ſemper eſt de obligatione poſitiva, quæ manare poſsit à lege, & hac ceſſante, dicimus, pœnam quoque eſſe ceſſaturam: vnde vel ſuprà prohibitionem iuris naturæ ſuper addit lex prohibitionem poſitivam cum pœna, & ſic ruente illa obligatione poſitiva, ruit & pœna; vel ſolum additur pœna ſuprà prohibitionem iuris naturæ, & tunc cum illa additio, vnde provenit reatus ad pœnam, ſit poſitiva, & iudicialis, abrogata obligatione in Iudicialibus, talis reatus etiam ceſſabit, vt cenſet Caſtrus lib. 1. de Leg. Pœnali, cap. vlt. Quæ etiam doctrina tenenda eſt tum in promiſsionibus adiectis per modum pacti ad actiones: harum enim obligatione ceſſante, ceſſant etiam promiſsiones, quæ poſitæ erant vt ad executionem obligationis allicerent: tum in irritatione, quæ vel eſt quædam pœna adiuncta legi poſitivæ, & ſic ruit cum illa; vel ſi ſolum additur prohibitioni naturali, ruit vt quid iudiciale dum lex quoad cuncta iudicialia abrogatur: tum in diſpenſatione: quia quoad pœnas, & favores eodem tenore videtur lex duratura, præſertim cum ipſa vis diſpenſativa quaſi pars obligatoria per Antiphraſim ſit recenſenda: vnus enim cardo ligat, & ſolvit.

7 Obijcitur ſecundò: ſi tales vtilitates legis ex obligatione penderent, modo in perfidis Iudæis adhuc hæ vtilitates extaterent; ſed hoc eſt falſum: ergo, & primum. Maiorem probo: Iudæi Infideles modo ſuis legibus obligantur: ergo gauderent eius vtilitatibus, ſi hæ ex obligatione penderent. Antecedens probatur primò: quia plures eorum ſaltem invincibiliter iudicarent ita teneri: ergo ſaltem ex conſcientia invincibili tenerentur. Secundò: quia omnes tales Iudæi de communi conſenſu eas ſibi leges prefigunt, acceptant, & profitentur; ſed leges vnanimi conſenſu Populi ſic acceptatæ verè obligant: ergo, &c. Reſpondeo negando maiorem, ad cuius probationem nego antecedens, & ad huius primam probationem diſtinguo conſequens: conſcientia invincibili erronea, concedo conſequentiam; vera obligatione, nego conſequentiam: nos enim ſolum dicimus ex tali lege nullam directam obligationem modo in Iudæos reſultare; licèt ipſi erroneè iudicent tali lege teneri: hoc enim ſolum probabit dari veram obligationem reflexam ad operandum ex illo dictamine. *Quoties conſcientia invincibiliter dictat aliquam obligationem, debet impleri*; ſed hoc ſuper quamlibet obligationem Phantaſticam ſimiliter cadere poteſt: & ſatis nobis eſt modo ſic eſſe erga Iudæos pertinaces legem, quam profitentur. Ad ſecundam probationem diſtinguo maiorem: eas leges vt humanas, permitto maiorem; vt Divinas, nego maiorem, & diſtinguo minorem: vbi datur ſtatus veræ Reipublicæ,

con-

concedo minorem; vbi non datur, nego minorem, & conſequentiam. Igitur vt lex vetus in ſua obligatione duraret adhuc reſpectu infidelium Iudæorum erat neceſſarium, vt nobis obeſſet; quod duraret vt Divina ad quod totus Iudæorum conſenſus nunquam ſufficeret, ſi ſemel à Deo eſt abrogata, vt ſubſtinemus. Sed præter hoc neque adhuc vt vera lex humana reſpectu ipſorum poteſt conſiderari: ad hanc enim requiritur verus principatus, vera item auctoritas nulla populi ſervitus: quæ omnia ſecùs accidunt in pertinacibus Iudæis: hi enim toto Orbe diſperſi ſine Rege, ſine ditione, ſine Sacerdotio, ſervi miſeri vbique verſantur. Reſtat ergo quod ſolum ex conſcientia erronea ſuis, vt putant, Legibus obligentur, & non niſi vanis earum legum effectibus, & vtilitatibus perfruantur.

8 Obijciuntur tertiò illa verba Chriſti Math. 5. verſ. 19. *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit adulteratur.* Ex quibus verbis ſic arguitur: ſi vis diſpenſandi ex obligatione penderet, durante obligatione legis, eius diſpenſatio duraret; ſed hoc eſt falſum: ergo, & Concluſio. Probatur minor: iuxta illa verba, Chriſto vivente, revocata fuit diſpenſatio data in ordine ad libellum repudij; ſed poſt mortem Chriſti duravit obligatio legis: ergo duratio diſpenſationis cum obligatione non erat commenſurata. Reſpondeo negando minorem, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: fuit revocata legislativè, nego maiorem; doctrinaliter, concedo maiorem, & conceſſa minore, nego conſequentiam: quia Chriſtus Dominus, dum viveret, Apoſtolis, Civitatibus, & turbis ſuas doctrinas paulatim inſtilabat, de quibus tota lex Evangelica erat oritura, & ſuo tempore promulganda cum illa vi ſufficienti, vt cogeret ad credendum, & operandum; *non tamen*, vt ait Suarez, *tunc antiquam legem vel generaliter, vel particulariter revocavit; ſed tantum ad revocationem futuram (vt ſic dicam) viam, & animos præparavit per doctrinam, & declarationem veritatis, non per promulgationem alicuius novi præcepti.* Iuxta quam doctrinam non pecaviſſet, qui etiam audito Chriſto, vxorem dimitteret quovſque tota lex Chriſti promulgaretur; veriſimile tamen eſt, quod qui Chriſtum crederet tunc temporis Legislatorem Divinum, vxorem dimittere non auderet; &, ſi auderet; conformaret ſe legi antiquæ quam à Chriſto nec dum videbat everti. Reſpondeo ſecundò, & eſt ſolutio planior, atque tenenda, diſtinguendo maiorem: per ſe loquendo, concedo maiorem; per accidens ratione novæ diſpoſitionis Legislatoris, nego maiorem, & diſtinguo minorem: non duravit diſpenſatio per accidens, concedo minorem; per ſe nego minorem. Diximus enim cùm Suario acceſſorium durare quandiu principale; niſi Legiſlator velit breviorem terminum acceſſorij: & hoc eſt, quod exercitè loquendo hic videmus intervenire: nam Chriſtus, qui Deus eſt, diſpenſationem illam revocat, & totam Legem Moyſis in ſua obligatione relinquit: quare noſtra concluſio ſolum ſubſtinet, quod legis vtilitates cum duratione obligationis generaliter, & per ſe loquendo commenſurentur; non vero per accidens, & in caſu particulari.

9 Obijcitur quartò: vtilitas pœnarum ceſſavit cum obligatione: ergo vtilitas ſanctificandi legaliter ſolum cum obligatione legis duravit; ſed per nos hæc vtilitas debebat durare quandiu lex duraret quoad inſtitutionem; licèt quoad obligationem eſſet mortua: ergo noſtra doctrina non cohæret. Probatur prima conſequentia: materia ſanctificationis Legalis erat

immunditia, & irregularitates contractæ; ſed hæc durabant quandiu pœnæ durabant: ergo ſi pœna durabat quantum obligatio Legis, etiam ſanctificatio Legalis debebat cum obligatione Legis commenſurari. Minor patet: quia irregularitatum inductio erat pœnalis. Reſpondeo negando primam conſequentiam, ad cuius probationem, conceſſa maiori, nego minorem, ad cuius probationem inductam dico, talem inductionem irregularitatis non fuiſſe pœnalem: tum quia nec modo irregularitas pœna eſt, ſed impedimentum canonicum, vt ſentiunt noſtri Doctores: tum quia non pertinet ad genus pœnæ id, quod tollitur per ſanctificationem quamlibet; ſed potius ad genus maculæ, & indecentiæ cuiuſdam, quæ in duratione non tam commenſurabatur cum obligatione Legis in ordine ad exercitium quam cum tali obligatione quoad ſpecificanem ſcilicet, vt ſi ritus Legales exercerentur non niſi cum debita decentia exercerentur: quod nihil aliud eſt niſi tales irregularitates cum duratione Legis quoad inſtitutionem eſſe commenſurandas, vt materiam deſtruendam; quippè ſanctificatio Legalis ad has delendas inſtituebatur. Unde, ſicut modo irregularitas ex defectu pœna eſt apud neminem, ita illæ irregularitates, & immunditia non pœnæ, ſed meræ inhabilitates ſunt reputandæ.

10 Obijcitur quintò: lex vetus à tempore ſaltem Pentecoſtes abſolutè mortua dicitur; ſed ita non eſſet, ſi tunc ſpiritualiter ſanctificaret: ergo ſaltem hæc vtilitas deficiebat. Probatur minor: ſi ſanctificaret ſpiritualiter, opera legis eſſent viva, & meritoria augmenti gratiæ, ſi fierent in fide, & charitate vt ſupponimus: ergo lex non eſſet mortua dum præſtaret opera viva. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: abſolutè mortua propter defectum obligationis, quæ communiter cenſetur anima legis, concedo antecedens; omnino mortua quoad vitam operantis ſpiritualem, nego antecedens, & conſequentiam: cum enim lex dicatur à ligando, anima legis obligatio dicitur; quando autem ſine anima conſideratur, mortua abſolutè nuncupetur neceſſe eſt; ſed propterea non tollitur, quod, ſi perſeverat quoad inſtitutionem, & cultum Dei, poſsit operans iuxta eam vivere ſpiritualiter operando, ſi in fide, & charitate opera eliciat.

11 Ex doctrinis ſupra tactis colliges primò, omnes vtilitates ſuprà recenſitas ferè eumdem terminum durationis habuiſſe. Ratio eſt: quia vtilitates conſiſtentes in vi coactiva, punitiva, irritativa, & diſpenſativa pertinebant ad præcepta Iudicialia; cumque Iudicialium obligatio ex Theologorum ſententia duraverit ſaltem per accidens, vſque ad conſummatam promulgationem Evangelij, ſcilicet aliquot annos poſt Pentecoſtem, quo tempore conſummata iam promulgatione ſaltim reſpectu Iudæorum lex cœpit eſſe mortifera; ſequitur hoc idem tempus fuiſſe terminum durationis talium vtilitatum; ſed aliunde hoc idem tempus fuit terminus vtilitatis conſiſtentis in ſanctificatione ſive legali, ſivè ſpirituali: nam hæ pendebant ex lege quoad inſtitutionem, & lex quoad inſtitutionem non ceſſavit quovſque in prædicto tempore cœpit eſſe mortifera: ergo vtrarumque vtilitatum idem fuit ſaltem per accidens terminus durationis, ſcilicet conſummata promulgatio Evangelij. Quod idem dicendum videtur etiam ſi fortè aliquid pœnale, vel diſpenſativum, &c. caderet ſuprà Cœremonialia, quæ prius quoad obligationem moriebantur: nam pœnale, & diſpenſativum, &c. provt talia, potius inter Iudicialia recenſenda veniunt. Dictum fuit

ſal-

ſaltem per accidens : quia vtilitatibus accidentale viderur , quod obligatio, à qua pendebant aliæ , & inſtitutio à qua aliæ pendebant , in eumdem terminum convenirent.

12 Colliges ſecundò , matrimonia , quæ tunc inirentur in gradibus prohibitis à lege , exceptis primis , qui ſemper irritant iure naturæ, valida non eſſe futura , eo quod lege vere obligante , vereque irritante nulla redderentur. Colliges tertiò , toto illo tempore prædictæ vtilitatis legis licitum fuiſſe dimittere vxorem per libellum repudij , iuxta communiorem ſententiam , quam & nos ſequimur de licitudine huius libelli , conſequenterque Matrimonium cum altero viro poſteà contractum validum eſſe. Ratio eſt: quia, cum duraſſet vtilitas legis quoad vim diſpenſativam in his, quæ erant de iure naturæ valebat adhuc diſpenſatio , ſeu permiſsio illa , quam Moyſes fecerat ad duritiem cordis eorum; è contra vero , ſi modo inter infideles Iudæos aliquis poſt celebratum Matrimonium cum prima vxorem dimitteret , ipſaque ſibi virum ſecundum deſponſaret , hæc ſecunda deſponſatio eſſet irrita : quia nimirum ceſſaverit vtilitas diſpenſandi , ceſſante lege ; non facta autem diſpenſatione illa de Libello repudij , Matrimonium ſecundum ſtatim eſt nullum : & ſimilitèr ſi vir dimittens cum alia contraheret ; ſi vero hic vir Iudæus Chriſtianus fieret , teneretur reverti ad primam , ſi ipſa quoque vellet eſſe Chriſtiana ; ſin autem nollet ; tale primum Matrimonium diſſolvebatur, non propter Libellum repudij , ſed propter Decretum Innocentij III. in capit. *Gaudemus* de Divortijs: quia nimirum loquendo de infidelibus generatim ſic ſtatuit , & cuncta in oppoſitum revocavit. Atque ita docent Theologi in 4. diſtinct. 33. & Expoſitores, Matth. 5. & 19 cum Abulenſi quæſt. 63. & Sanchez lib. 10. de Matrimon. diſputat. 1. num. 9. & 10. Colliges quartò , id , quod dictum eſt de permiſsione Libelli repudij eſſe cum proportione dicendum de permiſsione vſurarum , vindictæ , & ſimilium.

13 Tandem colliges quintò , has diſpenſationes viguiſſe vſque ad conſummatam promulgationem Evangelij , & integram mutationem Synagogæ : tum quia ſicut eovſque duravit Reipublicæ ſtatus cum legibus ; privilegia , & favores quoque durare debebant : tum quia durabant onera Legum Iudicialium : ergo & debebant durare favores , præſertim cum hi durent donec apertè revocentur ; poſt tale vero tempus tales favores ceſſarunt: quia pertinebant ad imperfectionem legis , & quia ablato onere, auferri debebat & commodum.

(§)

QUÆSTIO

JHS.

QUÆSTIO NONA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

QUÆ UTILITAS CIRCUMCISIONIS?

Ad Rom. cap. 3. verſ. 1.

ARTICULUS.

UTRUM CIRCUMCISIONIS REMEDIUM duraverit etiam poſt mortem Chriſti?

NOTABILIA.

1 NOTO primò, iam dictum eſſe à nobis, legem veterem non ceſſaviſſe quoad vtilitatem, & effectum ſanctificandi ſpiritualiter toto illo tempore, quo lex non dum erat mortifera; ſed reſolutio proceſsit de ſanctificatione quaſi ex merito operantis inſpecta, dum, videlicèt opera legis in fide, & charitate agerentur; modo autem diſputamus de effectu ſanctificationis non tam ex merito operantis, ſed vltra, & præter illud, quod ita explico potius, quam dicens ſanctificationem *ex opere operato*, ne id modo in aliquo Sacramento veteris legis, ſeu Circumciſione, de qua acturi ſumus; nobis ſit litigandum. Cum enim in lege nova ſtatim videatur neceſſarius fuiſſe baptiſmus, quo poſito, Circumciſio valitura non eſſet; ideò de vtilitate Circumciſionis ſpecialiter hæc quæſtio inſtituitur.

2 Noto ſecundò cum Auguſtino, & multis alijs, Circumciſionem in lege veteri aliquando contuliſſe gratiam ſantificantem; licèt alij plurimi Patres, & Doctores eant inficias vt Iuſtinus, Irenæus, Chryſoſtomus, Bellarminus, Vazquez apud, & cum Becano in Analogia cap. 14. num. 7. vndè vlterius ſuppono id, quod alias à me iam eſt longe diſputatum, ac reſolutum, ſcilicet Circumciſionem in lege veteri inſtitutam fuiſſe in remedium Originalis parvulorum. Quibus ex recepta Theologia iam præſuppoſitis, & hic non controverſis, reſtat alter articulus diſputandus, de tempore videlicèt, quo huius remedij vtilitas, quomodocumque illa fuiſſet in ordine ad tollendum Originale, ceſſaverit adveniente Evangelio.

3 Noto tertiò, quod, cum lex Evangelica parietem maceriæ complanaſſet, id eſt vtrique Populo Gentili, & Iudaico eſſet communicanda, & dubitari non poſſet quin etiam in lege naturæ daretur remedium Originalis, pari-

pariter interrogandum venit: quando ceſſaverit hoc remedium Originalis adveniente Baptiſmo, & Lege Evangelica? Undè reſpectivè loquendo ſive de remedio legis naturæ apud Gentiles, ſive de remedio Circumciſionis apud Iudæos de vtroque ſub vnica reſolutione reſpondere curabimus.

4 Circa varietatem ſententiarum non erimus admodum ſcrupuloſi cum ex ijs, quæ à nobis traduntur alibi circa opiniones Doctorum de ceſſatione veteris legis quoad obligationem ſufficiens ſententiarum diverſitas cognoſci valeat. Interea tamen non prætermittemus facere id, quod Suario noſtro etiam libuit, ſcilicèt ſuppreſſo Authorum nomine, & Syllabo eorum pronuntiata partiri, vt ſaltem ſummatim teneri poſint placita eorum Doctorum. Igitur alij putant, Circumciſionem vtilem fuiſſe vſque ad conſumatam prædicationem Evangelij, videlicèt aliquot annos poſt Pentecoſtem; alij Circumciſionem in ipſa morte Chriſti amiſiſſe vtilitatem pro Originalis remedio, vt videtur conſequenter eſſe dicturus Ludovicus Tena in Epiſt. ad Hebræos, vbi tuetur cum alijs legem veterem in eo puncto quoad obligationem ceſſaviſſe: alij paulo poſterius iudicant, Circumciſionem evacuatam fuiſſe in die Reſurrectionis. Sic Soto. Alij demum cenſent, vtilem fuiſſe Circumciſionem vſque ad diem Pentecoſtes. Ita Eximius Suarez lib. 9. de Legib. cap. 22. & Div. Thom. 3. p. quæſt. 66. art. 2. iuxta intelligentiam mox adhibendam: qui ad primam ſententiam adiungi debet.

5 Sit noſtra concluſio: *Uſque ad diem Pentecoſtes vtilem manſiſſe pro remedio Originalis Circumciſionem, & etiam Sacramentum Legis naturæ.* Probatur noſtra concluſio: Circumciſio, & aliud remedium Originalis non deſijt eſſe neceſſarium quovſque fuit neceſſarius Baptiſmus; ſed vſque ad diem Pentecoſtes excluſivè nec dum erat neceſſarius Baptiſmus: ergo erat vtilis Circumciſio, &c. Minor probatur primò auctoritate Concij Tridentini Seſsione 6. cap. 4. dicentis: *A promulgatione Evangelij neminem iuſtificari à peccato Originali ſine Baptiſmo in re, vel in voto.* Ex quo ſic: promulgatio Evangelij facta fuit à die Pentecoſtes ita vt ſufficienter fideles obligaret; ſed ſolum poſt talem promulgationem fuit neceſſarius Baptiſmus iuxta verba nuper recitata Concilij: ergo ante Pentecoſtem non erat neceſſarius Baptiſmus. Maior etſi in Tractatu de Lege Evangelica ſpecialem ſibi diſputationem vendicet, nihilominus à nobis modo ſupponitur, ſicut & de more ſupponi ſolet à Suario agente de Lege veteri poſitiva: ne alij alijs articulis ita in diſputatione miſceantur, & tractari non poſint. Probo ſecundò minorem, & in primis à ratione: baptiſmus non fuit neceſſarius vſque ad mortem Chriſti, vt omnes fatentur; ſed à morte Chriſti vſque ad Pentecoſtem nulla conſtat promulgata neceſsitas: ergo nulla fuit Baptiſmi neceſsitas vſque ad Pentecoſtem. Probo minorem: ſi aliqua maximè quia Divus Thomas loco ſuprà citato ait: non cœpiſſe neceſsitatem Baptiſmi quovſque Chriſtus poſt reſurrectionem dixit *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; ſed hæc nulla eſt neceſsitas ante Pentecoſtem: ergo nulla. Probo minorem: talis neceſsitas intelligenda eſt iuxta Eximium Doctorem, tom. 3. in 3. p. diſp. 31. ſect. 1. quando nimirum Apoſtoli inciperent tale præceptum Baptiſmi executioni mandare; ſed id non præſtiterunt ante Pentecoſtem: ergo ante Pentecoſtem nulla erat neceſsitas. Confirmatur concluſio: ſi toto tempore ante

Pen-

Pentecoſtem eſſet inutilis Circumciſio, vel remedium legis naturæ; intereà infantes caruiſſent remedio ipſis moralitèr applicabili; ſed id dici non poteſt: ergo, &c. Probatur maior: Baptiſmus licèt inſtitutus non erat maiori hominum parti ſufficienter propoſitus; ſed à pijs, & providis parentibus moralitèr applicari non poterat remedium, cuius propoſitio apud homines necdum erat ſufficiens: ergo tunc temporis ſine remedio manerent. Minor patet: nam quis in morbo certo, & graviſsimo moralitèr loquendo adhibebit remedium ſatis non conſtans quoad efficaciam, licèt re vera virtutè in ſe efficaci gauderet?

6 Obijcitur primò adverſus immediate dicta: eàtenus Circumciſio vtilis fuiſſet, quàtenus non poſſet non eſſe remedium Originalis quoad vſque Baptiſmus ſatis eſſet propoſitus; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo & nulla eſt vtilitas Circumciſionis in eo tempore. Probatur minor: Legislator Supremus alicuius legis novæ poteſt pro libito ſuo velle illam obligare à die primo ipſius ita vt ex tunc leges, vel privilegia anteriora revocata manerent; ſed, ſi id ita eſt, à prima die inſtitutionis Baptiſmi poterat Circumciſio ceſſare: ergo talis ratio eſt nulla. Probatur maior: eàtenus id non poſſet, quàtenus ſequeretur, aliquos ignaros novæ inſtitutionis, & ceſſationis antiquæ falli in vſurpatione remedij; ſed hæc deceptio eſſet per accidens, & eiuſmodi vt à Legislatore præveniri non debeat: quis enim Legislator evitabit ommes errores, aut deceptiones contra ſuam Legem inſurgentes? ergo, &c. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: poteſt abſolute, & de plenitudine poteſtatis, concedo maiorem; poteſt vt providus Legislator, & prudens, nego maiorem, & diſtinguo minorem: iuxta debitam providentiam, nego maiorem, & conſequentiam. Dico igitur inſpecta abſoluta potentia Legislatoris poſſe quidem accidere id, quod argumentum meditatur; licèt per accidens ſequeretur ignorantia multorum de Lege nova, & ceſſatione antiquæ: quod quidem loquendo de Legibus ſatis eſt perceptibile; nullum enim oritur inconveniens ex eo quod ſubditus per accidens ratione ignorantiæ ſatisfaciat Principi, exhibendo opera Legis antiquæ, ad quæ iam ex intentione Principis non tenetur. In lege tamen ſanativa (& quidem morbi graviſsimi, & mortem æternam allaturi) res eſt longè difficilior: talis enim ignorantia remedij novi, & ceſſationis antiqui plures traheret perituros; ſed tandem cùm quodlibet ex his remedijs ex manu ſemper Dei gratuita proveniret, poſſet quidem, inſpecta ſua abſoluta potentia, rem pro libito determinare; quamquam aliqui forent perituri, eo quod ipſis remedium adhibere non teneretur. Verum in hac providentia, in qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ex ſe omni homini, venienti in hunc mundum, Originalis culpæ remedium præparavit; accidere nequaquam poſſet, vt Deus pro tollendo peccato humani generis, & totius orbis, non adhiberet remedium illud, quod & humano modo eſſet applicabile, & pro toto mundo poſsibile; atqui Baptiſmus non dum ſatis propoſitus humano modo, & moralitèr loquendo non eſſet eo tempore applicabilis, & vniverſalis: ergo videretur tunc temporis Deus non forè providus Legislator, in proviſione remedij; preſertim cum in ipſa præſentiſsima Redemptione humani generis ſineret infantes ritu legitimo Circumciſos, & mera invencibili ignorantia Parentum eſſe damnandos, Deique viſione in æternum carituros.

7 Obijcitur ſecundò ex Soto: poteſt

teſt componi quod Circumciſio in prædicto tempore ſatis vtilis remaneret, & tamen tolli non poſſet Originalè ſine Baptiſmo: ergo in prædicto tempore ſaltem non habuit vtilitatem remedij pro Originali. Probatur antecedens: Circumciſio iuxta Sotum in tali tempore habebat vtilitatem generalem, proteſtationis fidei; non tamen ſpecialem vtilitatem Sacramenti veteris legis; ſed in hac ſecunda vtilitate conſiſtebat remedium Originalis: ergo & Circumciſio potuit eſſe vtilis aliquomodo, & non quoad remedium Originalis. Reſpondetur negando antecedens, ad cuius probationem nego maiorem: quia nos putamus, Circumciſionem tunc temporis ſcilicèt ante Pentecoſtem, non fuiſſe mortuam quoad obligationem, vndè non ſeparamus vtilitatem inſtitutionis, quæ eſt illa poteſtatio fidei, ab vtilitate obligationis, quæ erat purgatio ab Originali; ſed dicimus, quod ſicut ceſſavit remedium naturæ per introductionem Baptiſmi propoſiti vt neceſſarij, ſic Circumciſio.

8 Obijcitur tertiò: Si vtilitas Circumciſionis quoad Originale penderet à ſufficienti propoſitione Baptiſmi, neque ceſſaviſſet in die Pentecoſtes pro omnibus Iudæis, quemadmodum in ipſa die non ceſſavit totaliter pro Gentilibus remedium legis naturæ; ſed hoc eſt falſum: ergo & concluſio. Maior videtur clara: nam ipſa propoſitio Baptiſmi videtur ſucceſſivè facienda reſpectu Iudæorum, ſicuti reſpectu Gentilium. Probatur minor: propoſitio ſufficiens Baptiſmi diverſimodè facta eſt Iudæis, atque Gentilibus tàm quoad inchoationem, quàm quoad conſummationem: ergo non eodem modo fuit Baptiſmus vtriſque ſufficienter propoſitus. Probatur antecedens quoad primam partem: tempore prædicationis Chriſti, & Apoſtolorum inchoabatur promulgatio Baptiſmi in terris Iudæorum, & cum excluſione Gentilium iuxta illos textus: *In viam gentium ne abieritis.* Et *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.* Ergo quoad inchoationem diverſimode proponebatur vtriſque. Probatur ſecunda pars: in die Pentecoſtes, in quo fuit ſolemniſsima promulgatio Baptiſmi, omnibus omninò Iudæis facta eſt promulgatio; ſecus autem omnibus omnino Gentilibus: ergo diverſimodè facta eſt vtriſque quoad conſummationem. Probatur antecedens ex Sacro Textu aiente, quod in tali die congregati fuerunt in Hyeruſalem Iudæi ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt: ergo omnibus omninò Iudæis in tali die fuit conſummata promulgatio Baptiſmi.

9 Reſpondeo negando minorem, ad cuius probationem, permiſſo antecedenti quoad primam partem, nego ſecundam, & ad eius probationem nego maiorem: itaque non negamus, quod conſummata propoſitio Baptiſmi reſpectu Gentilium potuit tardiùs terminari, & ſic alicubi Gentium plus durare remedium legis naturæ evacuata iam Circumciſione; ſed nos ſolum dicimus, quod per ſe loquendo, initium deficiendi in vtroque remedio fuit eodem tempore, ſcilicèt in die Pentecoſtes, in quo incæpit intimari ſufficienter neceſsitas Baptiſmi, licèt fides Chriſti anteà fuerit prædicata, & quidem plus Iudæis, quàm Gentilibus. Et licèt de omni natione Iudæi venerint Hyeroſolimam in die Pentecoſtes; non tamen omnes Iudæi, qui per tot Provincias habitabant diſperſi: vndè, ne horum infantuli poſt Pentecoſtem morientes perirent, ſpatium temporis concedendum eſt, vt in illis Circumciſio valeret intereà dùm Baptiſmus ſufficienter ipſis non proponebatur; licèt hoc ſpatium temporis pro Gentilibus magis eſſet ampliandum:

vtrumque ergo remedium legis naturæ, & Circumciſionis ſimul cœpit deficere; ſed non ſimul omninò defecit. Primum erat per ſe ex ſolemni & ſufficiente propoſitione Baptiſmi, ſecundum per accidens.

10 Objcitur quartò: Circumciſio eàtenus poterat retinere in illo tempore vtilitatem remedij Originalis, quàtenus tunc temporis eſſet applicabilis ex vera fide; ſed tunc ex vera fide non poterat applicari: ergo erat inutilis. Maior conſtat ex doctrina à nobis data in quæſtione de Circumciſione ſtatuta in remedium Originalis: & quia nullum Sacramentum veteris legis poterat eſſe vtile vtilitate iuſtificandi, niſi per fidem Chriſti. Probatur minor: tunc Circumciſio applicabatur ex vera fide quando applicabatur in fide Chriſti venturi; ſed tunc non poterat applicari ex vera fide Chriſti venturi: ergo non poterat applicari ex vera fide. Minor patet: quia Chriſtus non erat venturus, ſed iam venerat, & fuerat crucifixus. Maior item conſtat: quia huiuſmodi fides erat, quæ correſpondebat Sacramento figurativo veteris legis, & cum qua Circumciſio rite fuit ſemper adhibita. Reſpondeo primò diſtinguendo maiorem: quàtenus applicabilis eſſet ex fide vera ſecundum generalem ſignificationem Sacramenti, concedo maiorem; vera ſecundum opinionem privatam ſuſcipientis, vel applicantis, nego maiorem, & diſtinguo minorem: vera fide ſecundum generalem ſignificationem Sacramenti, nego minorem; ſecundum opinionem privatam ſuſcipientis, vel applicantis, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque generalis ſignificatio Sacramenti adhuc poſt mortem Chriſti erat ex fide Chriſti venturi, quia talis ſignificatio ſemper concernit tempus inſtitutionis, quando ſcilicèt Chriſtus venturus erat: ſicut dici ſolet de propoſitione translata de inſtanti ad inſtans, quæ ſemper ſignificat pro inſtanti primo ſuæ prolationis. Cum autem ſignificatio Sacramenti generalis eſſet ex vera fide Chriſti venturi, licèt fides ſuſcipientis, vel applicantis ita non eſſet, non officiebat: ſicut in Baptiſmo error privatus Miniſtri non impedit fructum, ſi generalis intentio Sacramenti maneat, ſervatà ritè formà, & materià.

11 Reſpondeo ſecundò negando minorem, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: ex fide vera quoad ſubſtantiam myſterij Chriſti venturi, concedo maiorem; quoad circunſtantiam futuritionis talis temporis, nego maiorem, & diſtinguo minorem: quoad ſubſtantiam myſterij, nego minorem; ex fide quoad circunſtantiam futuritionis, concedo minorem, & nego conſequentiam: vera enim fides, quæ tale Sacramentum comitari deberet, erat fides myſterij; & quidem myſterium conſiſtebat in ipſa ſubſtantia incarnationis. Et ſi velis conſiſtere etiam in tempore, dicam etiam tale tempus adventus Domini creditum fuiſſe per veram fidem etiam poſt mortem Chriſti: quia tunc fides terminabatur ad myſterium, & ad tempus ipſius ſignatum; v.gr. talis annus, & menſis, ſed non ad circunſtantiam prorſus extrinſecam futuritionis, aut præteritionis talis temporis: vndè ſemper fides manebat cum veritate requiſita, vt Circumciſio ſub ipſa applicata, foret fructuoſa. Reſpondeo tertiò, conceſſa maiore, negando minorem, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: Chriſti venturi adventu Mathematicè conſiderato, nego maiorem; adventu moraliter tali, & conſummato in eſſe Redemptionis, concedo maiorem, & diſtingno minorem, ex vera fide Chriſti venturi in primo ſenſu, concedo minorem; in ſecundo nego minorem, & conſequentiam. Verum quidem eſt fidem elicitam poſt Chriſti mortem

non

non esse fidem Christi venturi; si res Mathematicè computetur; Circumcisio autem non figurabat hunc Christi adventum solum Mathematicè computatum; sed completivè, & consummatè sumptum in esse Redemptoris, & perfecti Legislatoris, cum omnibusque proinde ad hæc omnia attinentibus. Undè cum donec stabiliretur vniversaliter Baptismi necessitas, necnon lex Evangelica toto personaret in orbe; Christus in esse consummati Redemptoris adhuc esse venturus; eo quod adhuc ventura restarent, quibus ipse in esse Redemptoris, & perfecti Legislatoris consummaretur, hinc est fidem habitam in applicatione Circumcisionis post mortem Christi adhuc esse veram fidem Christi venturi. Pro coronide tota argumentatio facta retorquetur instantia: quia vivente Christo Circumcisio erat vtilis; & nihilominus similitèr tunc poterat deficere fides Christi venturi: quippè non erat venturus, sed erat præsens: ergo, &c.

12 Objicitur quintò: Si Circumcisio esset vtilis in illo tempore, etiam fuisset vtilis annis nuper elapsis (in Iudæis, qui inventi sunt apud Sinas Christi penitus ignari) si bona fide circumciderent filios suos; sed hoc videtur dici non posse: ergo Circumcisio tunc temporis non erat vtilis. Maior videtur certa à paritate rationis, & minor constat: quia vtilitas veteris legis post promulgationem Evangelicam prorsum cessavit. Respondeo negando maiorem, ad cuius probationem dico, non esse paritatem rationis; sed substantialem disparitatem in ignorantia, quæ daretur de necessitate Baptismi ex defectu promulgationis sufficientis ipsius respectu ignorantiæ multiplicis, quæ in hominibus, & regionibus potest contingere post sufficientem Baptismi promulgationem: nam prima ignorantia imputatur legi, vt per se orta ex parte Legislatoris, qui nequit cogere ad suam legem priusquam ipsa sit rationabiliter intimata: quare, si lex est sanativa, nequit excludere remedium antiquum quousque satis proponat novum; ignorantia verò post sufficientem promulgationem contingens (etiam si invincibilis sit) ipsi Legislatori, & legi non imputatur, sed per accidens se habet, & ex humanis eventibus orta illis nocet, quos Altissimus sua secretissima providentia disposuit, damnatum iri. Sic ergo in præsenti casu post promulgationem sufficientem Legis Evangelicæ quisquis decedit sine Baptismo in re, vel in voto malè decedit, vt expresse tradit Tridentinum Sessione 6. Cant. 4. quippè Baptismo adveniente remedium Legis naturæ; atque Circumcisio pariter cessaverunt.

13 Objicitur sexto Divus Fulgentius libro de Fide ad Petrum, cap. 3. expresse dicens: *Baptismum fuisse necessarium ad salutem vivente Christo* ab eo tempore in quo protulit illa verba Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum Cœlorum.* Ex quo sic arguitur: vtilitas Circumcisionis cessavit inducta necessitate Baptismi; sed inducta necessitas Baptismi fuit Christo vivente: ergo tunc cessavit vtilitas Circumsionis. Confirmatur ex Patribus Cypriano, Augustino, & Chrysostomo aientibus, bonum Latronem non fuisse mortuum sine Baptismo, vt salutem consequeretur: ergo quia de eisdem verbis opinabantur, talem necessitatem Baptismi iam inductam provt tradit Suarez eos citans tom. 3. in 3. part. disput. 27. sect. 4. Respondeo dicendo cum communi Theologorum post Divum Bernardum Epist. 77. & Hugonem de Sancto Victore lib. 2. de Sacrament. part. 6. cap. 5. necessitatem Baptismi non incepisse ante Christi mortem, & Resurrectionem: vndè ad argumentationem factam auctoritate

Divi Fulgentij reſpondeo, hunc Patrem eſſe interpretandum de inceptione neceſsitatis Baptiſmi *expoſitiva*, *doctrinali*, & *intentiva*; non verò de neceſsitate executionis: quia tunc temporis Chriſtus Dominus legem non promulgabat; ſed incipiebat exponere ſuas doctrinas, & voluntatem, iuxta quas poſtmodum lex erat condenda, & per Apoſtolos promulganda: vndè non tam dixit, quam prædixit modum ſpiritualiter renaſcendi futurum: ſicuti, dum dixit Chriſtus Ioann. 6. *Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis* non iniungitur neceſsitas ſumendi Euchariſtiam, cuius Sacramentum, nec dum fuerat inſtitutum; licèt autem Baptiſmus ante Chriſti mortem fuiſſet inſtitutus; non tamen fuerat ſufficienter propoſitus, & neceſſarius quovſque Evangelium cœpit eſſe ſufficienter promulgatum, vt videtur conſtare ex Bernardo, & Concilio Tridentino locis citatis. Vega in Tridentin. lib. 5. cap. 13. Scoto, & alijs Doctoribus in 4. diſtinct. 3. & 4. Ratioque à priori eſt: quia licèt neceſsitas medij, & præcepti ſint diverſæ, nihilominus in illis, quæ non natura ſua, ſed ex inſtitutione ſunt media, non poteſt oriri neceſsitas medij, niſi ex neceſsitate præcepti, & ita accidit in Baptiſmo; cumque requireretur ſufficiens promulgatio, vt eſſet neceſſarius neceſsitate præcepti, neque neceſsitate medij, id òque nulla neceſſitate poterat neceſſarius eſſe ante ſufficientem promulgationem Evangelij, quæ fuit in die Pentecoſtes. Ad confirmationem reſpondet cum Suario dicendo, prædictos Patres de bono Latrone id dixiſſe potius ex pia conſideratione, & copia doctrinæ, quam ex Baptiſmi neceſsitate; nullum quidem genus Baptiſmi aquæ, ſanguinis, & flamminis ipſi Latroni concedens, inquit Suarez, Patres à ſimili argumentari ex interiore converſione Latronis, vt modo quis cum Baptiſmo in voto ſalvari poſsit, ſi interius in neceſsitate aliqua ex animo converratur.

14 Colliges ex tota quæſtione quod Circumciſio, & remedium legis naturæ in die Pentecoſtes cœperunt excludi, & inutilizari; ſed, cum id fieret per ſufficientem promulgationem neceſsitatis Baptiſmi, & hæc in orbe facta fuerit ſucceſsivè, inde eſt quod Circumciſio tunc conſummate inutilis facta eſt quando pro Iudæis fuit conſummata promulgatio neceſſitatis Baptiſmi, quod aliquot annos poſt Pentecoſtem factum eſſe dicimus cum Suarez. Et ſimiliter remedium legis naturæ conſummate ceſſavit, quando pro Gentilibus conſummata fuit promulgatio neceſsitatis Baptiſmi.

Quod longiori tempore à Pentecoſte, quàm pro Iudæis accidiſſe non diffitemur.

****

QUÆSTIO

QUÆSTIO DECIMA.

TEXTUS

AD ILLA VERBA.

VISUM EST SPIRITUI SANCTO, ET NOBIS NIHIL vltra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, &c. Act. Apoſt. cap. 15. verſ. 28.

ARTICULUS.

UTRUM ALIQUANDO LICITUM FUERIT POST promulgationem Evangelij cogere Gentiles baptizatos ad iudaizandum?

NOTABILIA.

1 DICTUM eſt alibi à nobis, toto illo tempore, in quo lex mortua fuit quoad obligationem priuſquam eſſet mortifera, probabile eſſe Gentilibus non ſecus, atque Iudæis, licuiſſe vſurpare legalia, & Circumciſionem aſſumere; tamerſi ad id nullatenus cogerentur; modò verò non ſolum de licentia inquirimus, ſed etiam de ipſa coactione, num videlicet poſt prædicationem Evangelij Gentiles baptizati coacti fuiſſent ab Apoſtolis, vel cogi potuiſſent ad legalia obſervanda, ſimulque cum Evangelio iungenda? Coactio enim hæc eſt difficilior, quamquam non deſit quod pro ea quis poſſit argumentari. Ad rem hanc, maiori cum perſpicuitate tractandam notabilia præibunt, quæ viam reſolutioni ſubſternant, & ad ea diluenda, quæ in contrarium adduci poſint plus lucis adminiſtrent.

2 Noto primò, coactionem ad legalia tripliciter ſummi poſſe. Primò pro coactione iuriſdictionali, qua nimirum quis per poteſtatem, auctoritatemvè, qua fungitur, cogit alterum, ea præſtet, ad quæ alioqui ex obligatione tenetur. Secundò pro coactione, quæ non ſupponat obligationem, ſed ſit ipſamet obligatio: in quo ſenſu ipſa vis obligandi coactio dicitur; licèt non rigorosè. Tertiò denique in ſenſu longè latiori ſumitur coactio pro quavis perſuaſione verbis, aut factis, ſeu conſilio, aut exemplo, qua nimirum aliquis trahitur ad faciendum id, quod non eſſet facturus ſpontè. Igitur non procedit noſtra quæſtio de coactione in hoc tertio ſenſu latiſsimo, in quo ſi probabile eſt, quod licuiſſet Gen-

Gentibus baptizatis obſervare legalia, ſicut Iudæis, profectò prima fronte videtur quod tàm conſilio, quàm exemplo trahi poſſent ad id, in quo cum Dei cultu honeſto, & licito ſe exercerent; quoties propterea non indicarentur ipſis legalia tanquam de neceſſitate obſervanda: vnde ad verba Pauli ad Galat. 2. dicentes: *Quomodo Gentes cogis iudaizare?* In quibus non niſi coactio per exemplum exhibita in Petro reprehenditur, dici poteſt primò, hanc reprehenſionem, vt alibi ſubſtinemus, non eſſe propter quidpiam illicitum, ſed quia iam illud exemplum iudaizandi, quod manere poſſet ad Gentes, non oportebat, licèt alioqui liceret; ſed tempus erat, retecta fronte, divulgandi Evangelium, nec permittendi propter timorem etſi bonum, vt Gentiles non ebiberent Evangelium, niſi permixtum Iudaiſmo: quaſi dixiſſet Divus Paulus: *Quomodo exemplo tuo modo trahis ad ſimilia Gentiles?* Reſponderi poteſt ſecundò, ideo ibi damnari talem coactionem per Petri exemplum exhibitam, quia ex circunſtantijs (provt ipſi Paulo apparuerunt) iudicaviſſet, legalia induci quaſi neceſſaria ad ſalutem: quo quidem modo neque per conſilium, neque per exemplum licebat cogere gentes ad iudaizandum. Itaque remiſſo huius coactionis examine ad talem locum, vbi fuſſius diſcutitur, modo ſolum inquirimus de prima, & ſecunda coactione: Vtrum, ſcilicet Gentes licite cogi potuiſſent ad obſervanda legalia, ad quæ tenerentur alioqui, vel aliqua obligatio de hoc præſtando ipſis fuiſſet impoſita?

3 Noto ſecundò, tempus, de quo procedere poteſt hæc controverſia, eſſe duplex aliud ſcilicet poſt Concilium Hieroſolymitanum habitum ab Apoſtolis, & relatum 15. cap. Act. Apoſtol. aliud vero à prima promulgatione Evangelij vſque ad hoc tempus. Et hoc rurſus in alia duo tempora congruè partimur. Primum eſt tempus, quod interceſſit ab illa celebri apparitione memorata, cap. 10. Act. Apoſt. in qua occaſione Cornelij, qui ad Divum Petrum miſſus eſt baptizari, vidit Div. Petrus illud linteum, ſeu vas myſterioſum plenum quadrupedibus, & ſerpentibus, de quibus ſibi dictum eſt: *Occide, & manduca.* In qua viſione revelatum eſt Petro, vt Gentiles baptizaret anno quidem Chriſti 41. iuxta Baronium vſque ad Concilium Hieroſolymitanum. Aliud vero fuit tempus, quod à prima promulgatione Evangelij præceſſit vſque ad talem revelationem.

4 In hoc puncto, licèt omnes videantur convenire in eo, quod nunquam licitum fuiſſet cogere Gentiles baptizatos ad iudaizandum; nihilominùs aliqua ex parte poni poteſt varietas ſententiarum non tam circa ipſam quæſtionem, provt immediate à nobis inquiritur, quam circa illa fundamenta, in quibus nititur reſolutio. Hæc ergo reſolutio quoad tempus à morte Chriſti vſque ad caſum Cornelij nititur in eo, quod necdum Gentibus communicabatur baptiſmus, vnde ad illum cogi non poterant. In qua re video Authores nobiles diſſentientes: vnde prima ſententia eſt eorum, qui aſſerunt ante caſum Cornelij aliquem pure Gentilem, & præputium habentem fuiſſe baptizatum. Quam ſententiam tenet Euſebius lib. 2. Hiſtoriar. cap. 1. Div. Thomas Ioann. 12. lect. 4. Maldonatus, & Toletus circa illa verba: *Erant autem quidam Gentiles* Abulenſis Math. 6. quæſt. 129. Salmeron in Act. Apoſtol. tract. 28. & 32. & alij, quos citat Lorinus Actor. 8. Secunda ſententia aſſerit, nullum profeſsione Gentilem, & præputium habentem baptizatum fuiſſe ante Cornelium; ſed ſi aliquis de Gentilibus antè fuit baptizatus erat quidem Iudæorum

Pro-

Proſelytus, & circumciſus. Hanc ſententiam tenet Lyra, Carthuſianus, & alij, quos ſupreſſo nomine refert Suarez: necnon ipſe Suarius lib. 9. de Legib. cap. 20. num. 5. eam etiam amplecti videntur Baronius, & Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice, cap. 22. Quoad partem verò de aliqua lege Eccleſiaſtica cogente Gentiles ad legalia etiam diviſio fit ſententiarum iuxta diverſas expoſitiones illius decreti habiti Act. 15. *Abſtinendi ab immolatis, ſanguine, & ſuffocato.* Prima enim ſententia aſſerit in his nihil legale præſertim Cœremoniale fuiſſe præceptum. Ita Ambroſius ad Galat. 2. Tertullianus de Pudicitia, cap. 12. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, cap. vltim. Irenæus lib. 3. cap. 12. Pacianus in Paræneſi de Pœnitent. Auguſtinus lib. 32. contra Fauſtum, & eamdem ſententiam ſequi videntur Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum, & Turrianus lib. 1. pro Canonibus Apoſtolorum, & fortè alij, qui videri poſſunt apud Suarium de Legib. lib. 9. cap. 20. num. 9. Secunda vero ſententia, & communior Patrum ponit tale præceptum imitativè ſumptum de Lege veteri: vnde ſaltem quoad ſpeciem ex his Authoribus videretur cogi ad legalia. Ita Divus Thomas 1. 2. quæſt. 102. artic. 6. ad 1. Origenes, & Tertullianus; ille lib. 8. contra Celſum, & hic in Apologetico cap. 9. Clemens Papa lib. 6. de Conſtitutionibus Apoſtolicis, cap. 12. Cyrillus Hieroſolymitanus Cathecheſi 4. & citantur etiam Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum, & Auguſtinus lib. 32. contra Fauſtum, cap. 13. de quibus omnibus ſententijs colligitur Authores militantes in primo puncto pro prima ſententia, & in ſecundo pro ſecunda magis videri poſſe appropinquare, vel ſaltem minus recedere in ſuis aſſertis à coactione obſervandi legalia; licèt illam verè non defendant; cæteros vero Authores longius à tali coactione opinari. Quæ omnia ſic dicta ſunt, vt non ſine aliqua Authorum eruditione ad articulum tranſiremus.

5 Sit igitur noſtra Concluſio, *Nunquam licitum fuiſſe Gentiles converſos cogere ad obſervandum legalia.* Probatur Concluſio: in primis id non licuit ante Concilium Apoſtolorum; ſed neque poſtea id licuit: ergo nunquam. Probo maiorem poſtea probaturus minorem: ſi ante licuiſſet, vel fuiſſet ante illam revelationem Divi Petri, & baptiſmum Cornelij, vel fuiſſet poſtea; ſed neque ante illum fuit, neque poſtea: ergo, &c. Probo minorem: *non ante*: quia necdum Gentilibus communicabatur Baptiſmus, nec Petrus quemquam de Gentilibus auſus fuerat baptizare: vnde Act. 11. narrante Petro ſuam revelationem, Iudæi converſi glorificaverunt Deum dicentes: „Ergo, & Gentibus pœnitentiam dedit „Deus, & vitam. Et poſtea ſubditur de Diſcipulis in Stephani tribulatione diſperſis: *Prædicabant neminì loquentes verbum, niſi ſolis Iudæis*: qui tamen vt conſtat ex textu, poſt baptiſmum Cornelij prædicaverunt ad Gentiles; licèt anteà nemini loquerentur verbum niſi ſolis Iudæis. Ergo, &c. *Non poſtea*: quia Iudæis murmurantibus, quòd incircumciſi ad Eccleſiæ conſortium admitterentur Apoſtoli reſtiterunt, ſcilicet Paulus, non cedendo eis, neque ad horam in circumciſione Tyti ad Galat. 2. & Petrus Act. 11. non ſedando Iudæos, cum circumciſione Gentilium; ſed cum expoſita ipſis Dei voluntate. Sed idem credendum eſt feciſſe alios Paſtores Eccleſiæ, cum lex vetus non eſſet pro Gentibus, & etiam apud Iudæos iam eſſet mortua: & deinde nulla lex nova daretur ante tempus Concilij Apoſtolorum: ergo ante hoc Concilium Apoſtolorum neque coacti ſunt Gentiles converſi iudaizare; neque licitum fuiſſet ad id illos

cogere : illicita enim eſt coactio in aliquem ad id, ad quod nulla eſt obligatio. Probo iam illam minorem, quam promiſsi probare, ſcilicet *non licuiſſe poſt Concilium*: Eàtenus licuiſſet poſt Concilium, quàtenus in tali Concilio decretum manaverit obſervandi aliquid legale; ſed tale Concilium non præcepit aliquid legale: ergo non erat licita talis obligatio poſt Concilium. Maior eſt certa : nam ſi ſemel imponi poſſet obligatio ad aliquid legale, pro cunctis legalibus eadem ratio militaret. Probo minorem : decretum talis Concilij imperabat abſtinentiam à fornicatione, immolatis, & ſanguine, & ſuffocato; ſed nulla ex his abſtinentijs erat legalis: ergo tale Concilium non præcepit aliquid legale. Minor conſtat: tum de abſtinentia fornicationis: tum de abſtinentia immolatorum, quæ fiebant propter idòlatriam ex Paulo 1. ad Corinth. 16. *Quæ immolant Gentes Dæmonijs immolant, & non Deo.* Quoad tertiam de ſuffocato, & ſanguine probatur primò: quia ibi intelligitur præceptum naturale de ſanguine humano non effundendo iuxta Patres ſuprà citatos, Ambroſium, Tertullianum, Cyprianum, Iræneum, Pacianum, & Auguſtinum. Secundò : talis abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato, licèt fuiſſet de Cœremonijs legis veteris, potuit præcipi ab Eccleſia imitando in aliquo legem antiquam, vt expreſsè ſignificatur in Canon. 62. Apoſtol. Vindicato per noſtrum Patrem Turrianum, dato nimirum motivo, & ratione diſtincta à motivo veteris legis ; ſed hoc dabatur, & multiplex ex Sanctis Patribus: ergo talis abſtinentia à ſuffocato, & ſanguine fuit prohibita non vt quid legale. Maior conſtat: quia, licèt in Iudicialibus præceptis plerumque detur Eccleſiæ, Synagogam imitari, interdum conceditur à Theologis in aliquo Cœremoniali ; non vero figurativo, vt tenent Suarez de Legib. lib. 9. cap. 20. num. 13. & Vazquez 1. 2. diſputat. 182. cap. 9. Minor etiam conſtat primò: quia motivum dicitur fuiſſe ad frænandam gulam, & moderationem ciborum in fidelibus. Ita Cyrillus Hieroſolymitanus. Secundo ex ratione Origenis, Tertulliani, & Divi Thomæ 1. 2. quæſt. 102. artic. 6. ad 1. Quam illuſtrat Turrianus, nimirum quia ſanguis, & ſuffocatum ſpeciali ritu idòlatrico vſurpabantur à Gentibus exiſtimantibus, ſanguinem ſuis idòlis eſſe acceptiſsimum. Tertiò ex ratione Divi Auguſtini lib. 34. contra Fauſtum, cap. 13. dicentis: *Apoſtolos elegiſſe rem facilem, & nequaquam obſervantibus oneroſam, in qua cum Iſraelitis etiam Gentes propter angularem illum lapidem duos parietes in ſe condentem aliquid communiter obſervarent.* Quam ita cenſet Suarez eſſe interpretandam, nimirum : „ Deſideraſſe „ Apoſtolos vnire inter ſe duos illos „ Populos, & impedimenta huius „ vnitatis, quantum pro tunc fieri „ poterat, auferre : & quoniam ex „ antiqua conſuetudine Iudæis abominabilis erat eſus ſanguinis, & „ ſuffocati non ſolum ratione legis, „ ſed etiam ratione antiquiſsimæ conſuetudinis, & traditionis à temporibus Noè ideò Apoſtolos pro tunc „ illud prohibuiſſe Gentilibus converſis ad fidem, vt poſſent pacificum habere convictum cum fidelibus, & Iudæis converſis, & hoc „ ſequitur etiam Baronius. Hucuſque ſunt verba Suarij Auguſtinum interpretantis: ergo de primo ad vltimum præceptum illud de abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato non eſt dicendum ad aliquid legale coegiſſe : ſiquidem ab omni reſpectu legalis obligationis denudabatur.

6 Probatur ſecundò illa prima

mi-

minor ſcilicet, *quòd talis coactio non licuiſſet poſt Concilium Apoſtolorum.* Ex illis verbis Pauli ad Galat. 2. *Quomodo Gentes cogis iudaizare?* Hæc dixit Paulus Petro poſt Concilium Apoſtolorum; ſed, ſi in tali Concilio fuiſſet impoſita lex aliqua de legalibus, Paulus id non dixiſſet: ergo talis lex non fuit poſita poſt Concilium. Minor conſtat: quia, ſi legalia iubebantur in Eccleſia, quomodo Paulus reprehenderet vſum legalium? Maior licèt videatur negari ab Auguſtino Epiſt. 19. ad Hieronymum cap. 2. probatur tamen, obſervata Hiſtoria Act. Apoſtolorum. Paulus dixit hæc poſtquam contulit Evangelium cum primis Apoſtolis, & quidem hæc dixit, dum eſſet in Antiochia, & poſtquam valedixiſſet Apoſtolis exiſtentibus Hieroſolymis, vt conſtat ex cap. 2. ad Galat. vbi dicitur: *Dextras mihi dederunt Societatis, &c.* Quando videlicet inter vtroſque conveniebatur de prædicatione Evangelij; ſed hæc valedictio, & iter Apoſtoli in Antiochiam expreſsè fuit poſt tale Concilium Apoſtolorum, vt traditur toto cap. 15. Act. Apoſtol. ergo Paulus dixit Petro illa verba *Quomodo Gentes cogis iudaizare?* poſt tale Concilium. Quæ quidem probatio efficacior, & brevior videtur mihi, quam ea, quam operoſiùs tradit Suarez lib. 9. de Legib. cap. 20. vt legenti conſtabit; quamquam illam non improbo, ſed amplector; volo autem tanta computatione rem non reddere implexam.

7 Obijcitur primò: poſt promulgationem Evangelij ante baptiſmum Cornelij cogi potuerunt Gentiles baptizati ad iudaizandum: ergo aliquando cogi potuerunt. Probatur antecedens: tunc baptiſmus conferebatur Gentilibus; ſed ſemel baptizatos congruum erat eos cogere ad iudaizandum: ergo cogebantur. Minor patet: quia ante revelationem Divi Petri, in qua dictum eſt ipſi: *Quod ego ſanctificavi, tu immundum ne dixeris*, videtur quod baptiſmus ſociari deberet cum obſervatione legalium; alioqui ipſi baptizati haberentur immundi. Probo iam maiorem: ante revelationem Divi Petri baptizavit Philippus Eunuchum Reginæ Candaces, vt conſtat ex Actib. Apoſt. cap. 8. & Baronio anno 35. Chriſti Domini; ſed ille Eunuchus erat Gentilis iuxta Euſebium, Div. Thom. Maldonatum, & alios ſuprà citatos: ergo baptiſmus communicabatur Gentilibus. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: communicabatur Gentilibus factis proſelytis Iudæorum, concedo maiorem; Gentilibus merè talibus, ſive adhuc præputium habentibus, nego maiorem, & itidem minorem; cuius probatio ſolum petit, quod qui baptizarentur profiterentur antea legem Moſaycam; quin tamen vllus purè Gentilis admitteretur ad baptiſmum, qui ad legalia poſtmodum cogeretur. Itaque Gentiles poſſunt conſiderare vt purè tales, & præputium habentes, ſivè incircumciſi: & horum nemo ante talem revelationem Divi Petri ad baptiſmum admittebatur; alij vero erant Gentiles, qui facti fuerant Iudæorum proſelyti, hoc eſt iam circumciſi, & legem Moſaycam profitentes, cuiuſmodi opinor fuiſſe talem Eunuchum: tum quia venerat adorare in Ieruſalem, & legebat Iſaiam: tum quia ita ſentire videntur Lyra, Carthuſianus, Baronius, Bellarminus apud, & cum Suarez lib. 9. de Legib. cap. 20. num. 5. non ſecus ac Zachæum faciunt proſelytum Ten-

Tullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 37. Cyprianus Epiſt. 63. Chryſoſtomus homil. de Zachæo tom. 2. Ambroſius, & Beda, Lucæ 19. & Chryſologus ſerm. 54. multi enim ita proſelyti tunc poterant credere, & baptizari; alij vero incircumciſi, etſi credentes, & Centurio, iuſtificari poſſent per fidem, & contritionem; non tamen ad baptiſmum admittebantur. Igitur purè Gentilibus non communicabatur baptiſmus; ſecus vero proſelytis.

8 Obijcitur ſecundò: Toto tempore à promulgatione Evangelij vſque ad Concilium Apoſtolorum, nihil erat definitum de obligatione Gentilium converſorum ad obſervanda legalia: ergo iuſtè cogi poterant ad ea obſervanda. Probatur conſequentia: tum quia ante promulgationem legis novæ Gentiles converſi tenebantur venire ad legem Iudaicam. Atqui lex nova nihil huic ritui adhuc afferebat adverſum: ergo cogi poterant. Tum quia gratia veniens per baptiſmum erat quaſi perfectio, ad quam lex minus perfecta Moyſis introducebat; ſed vt gradatim venirent ad legem veritatis debebant imperfecta ſectari, priuſquam ad perfecta venirent: ergo, &c. Reſpondeo primò, negando antecedens: licèt enim nulla lex ſcripta daretur de tali obligatione Gentilium; nihilominus ea communi omnium ore poterat eſſe recepta, præſertim poſt reſiſtentias ſuprà memoratas Apoſtolorum. Reſpondeo ſecundò, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, ad cuius primam probationem reſpondeo, non eſſe certitudinem talis obligationis in Gentilibus adhuc converſis, quoties ipſis Deus aperiebat viam ſalutis, ſivè per obſervantiam legis naturæ, ſivè per legem gratiæ; tum quia lex vetus non erat pro Gentilibus: tum quia, licèt ſuiſſet, iam erat mortua. Ad ſecundam probationem diſtinguo maiorem: introducebat Iudæos, concedo maiorem; Gentiles ſubdiſtinguo: proſelytos Iudæorum factos, concedo maiorem; incircumciſos, nego maiorem, & diſtinguo minorem: imperfecta ſectari, id eſt per minora Evangelij ad maiora conſcendere, concedo minorem; imperfecta ſectari, id eſt à fortiori habere ſtatum legis imperfecte, & exercicia illius, nego minorem, & conſequentiam: ea enim fuit fœlicitas eorum, quos Chriſtus illuminavit: cum enim eſſet tota vnctione, & perfectione pleniſsimus, offerebat legem in ſe perfectiſsimam, vt in ea gradatim eſſet conſcendendum; licèt priuſquam hic Legislator veniret, alter minus perfectus Moyſes cum lege minus perfecta præire debuiſſet.

9 Obijcitur tertiò: In Concilio Apoſtolorum præceptum fuit Gentilibus aliquid legale, ſcilicet abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato: ergo Gentiles ad legalia coacti ſunt. Probatur antecedens: eàtenus non eſſet quid legale quàtenus præceptum fuerit propter rationes morales ſuprà tactas, videlicet vitandi voracitatem ferinam, cultum idolorum, vel pacificam Iudæorum cum Gentibus obſervantiam; ſed non fuit propter has rationes: ergo vt aliquid legale. Probatur minor: ceſſantibus his rationibus, vt modo ceſſarunt, lex etiam ceſſaret ex communi principio: *Ceſſante fine legis, &c.* Sed non ceſſavit trecentis, quingentis; immò, & octingentis annis poſt tempora Apoſtolorum: ergo, &c. Probatur minor: Concilia ita recentia, ſcilicet Aurelianenſe ſecundum cap. 20. Wormacienſe Canon. 64. & 65. &

Can-

Gangrenſe retinent talem prohibitionem : ergo illa lex toto illo tempore non ceſſavit. Reſpondeo negando antecedens , & conceſſa maiori probationis , nego minorem , ad cuius probationem diſtinguo maiorem : ceſſantibus in ſe , & in æquivalenti , concedo maiorem ; ceſſantibus præcisè in ſe , ſubdiſtinguo: ceſſaret lex in æquivalenti , nego maiorem ; in ſe , concedo maiorem , & diſtinguo minorem : in ſe , vel in æquivalenti , concedo minorem ; præcisè in ſe , nego minorem , & conſequentiam. Itaque talis lex Apoſtolica ceſſavit iuxta Salmeronem poſt perfectam promulgationem Evangelij , & iuxta Auguſtinum ante ſuum tempus : quare , ſi talia Concilia eam legem renovarunt , ideò eſt quia Patres eorum pro ſuis Provincijs ſimiles rationes morales meditabantur vigentes adhuc , ob quas lex illa renovari deberet : vnde ſemper tale præceptum propter quid morale durabat , nec deficiebat ratio legis dum alia ſubſtituebatur. Reſpondeo ſecundò , negando ſuppoſitum illius maioris *ceſſantibus rationibus , vt modo ceſſarunt* , quia non ceſſavit ratio illa , quam tetigit Auguſtinus de eo, quod Geneſ. 9. prohibitus fuerit eſſus carnis cum ſanguine ad deteſtandum effuſionem humani ſanguinis , vt ait Divus Thomas 1. 2. quæſt. 102. artic. 3. ad 8. Tyrinus in eum locum , & alij : & ſatis erat , vt non ſolum tunc temporis ; verum etiam modo , aliquod conſilium Provinciale in ſua Provincia , ſi videret homines humanis carnibus veſci ſolitos , talem abſtinentiam præciperet, vt huiuſmodi ferinam voracitatem compeſceret , licèt ea legalis eſſet: ſuppoſito videlicet eo , quod iam diximus , ſcilicet , quod talis abſtinentia à ſanguine , & ſuffocato , cum non eſſet de figurativis , poſſet præcipi in Eccleſia imitativè ad Synagogam , quemadmodum communiter Theologi de præceptis Iudicialibus opinantur.

10 Obijcitur quartò : per nos licitum erat factum Petri in Antiochia ſegregando ſe à Gentilibus , vt legalia ſervaret ; ſed id erat cogere gentes ad iudaizandum ex Paulo ad Galat. 2. ei dicente : *Quomodo gentes cogis ad iudaizandum* : ergo , &c. Reſpondeo diſtinguendo minorem : cogere coactione ſtricta , nego minorem ; latè ſumpta pro exemplo , ſubdiſtinguo : inducente ad iudaizandum ex *timiditate iuſtâ inducente* concedo minorem ; ex *obligatione aliqua* , nego minorem , & conſequentiam. Hic enim agimus de coactione ſtricta , ſcilicet ſeu pœnali ad præſtandam obligationem præexiſtentem, ſeu obligatoria obligationem imponente ; illa vero Divi Petri , vel non erat coactio , niſi ad mentem Pauli, cuius diverſam ſententiam propter ſuos fines Spiritus Sanctus Div. Petro dictabat ; vel ſi erat in re , erat ſola quædam licita timiditas Petri, ne ſcandalum daret Iudæis de Hieroſolymis, ex qua non per ſe ratione actionis ; ſed ex deceptione ſua poterant Gentiles iudaizare , id eſſe neceſſarium arbitrantes.

11 Ad calcem obſerva , quòd, cum tale præceptum de abſtinentia à ſanguine , & ſuffocato tot gauderet motivis , vti ſuprà num. 5. fuerunt expoſita , iuxta opiniones Patrum ; licèt poſteà incorporatum eſſet in lege veteri , adhuc vt cœremoniale , non propterea dicere debemus , quod Concilium Apoſtolorum Gentiles ad legalia coegiſſet. Tum quia cum independenter , & pro priori ad talem legem præexiſtens, atque fundata eſſet talis prohibitio;

non

non est cur ea ad legem veterem approprietur. Tum quia licèt ipsa lex vetus eam incorporasset, atque nedum Iudiciali obligatione; sed etiam cœremoniali eam superinduisset; succedente lege nova iam promulgata, & obligante, tota ea iam vetustas ceciderat indumenti: atque proinde eam vim prohibitivam iam deinceps de spiritu suo animaret Ecclesia; non Synagoga. Unde propterea in ipsa mea Conclusione illam reduplicationem adieci, scilicet, Gentiles conversos cogi non potuisse ad legalia, *vt legalia.* Vide Suarium, & Vazquium vbi supra, numero 5.

)§(

Hucusque dicta (quæ ex imo corde subijcio Correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sapientum etiam Virorum) cedant in maiorem Dei gloriam, & honorem B. V. Mariæ sine labe peccati originalis conceptæ, & SS. P. N. Ignatij, Michaelis, & Angeli Custodis.

Amen.

IN-

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,
QUIBUS HOC OPUS FULCITUR,
ET ILLUSTRATUR.

PRÆMONITIO.

TRIA MIHI IN HOC INDICE PLERISQUE IN LIBRIS vbi fieri poteſt, iam vſitato, præmonenda ſunt. I. Quòd, ſicubi in alijs operibus hic Index non deſinit eſſe ſatis commodus, & opportunus; hic vero fermè eſt neceſſarius, ita vt, niſi adhiberetur, meritò foret deſiderandus: Nam vbi quiſquam de textu quopiam ad puncta controverſa hic attinenti, averet ſcire: num à nobis fuiſſet ille diſcuſſus; per plures paginas haberet ille vagari, niſi hoc Indice duceretur. II. Quòd hic conſultò prætermiſſa ſunt in hoc Indice Sacræ Scripturæ loca Adagialia, eò quod ea omnia in quinta Parte noſtri apparatus ſuo Librorum, Capitum, ac Verſiculorum ordine percurrantur: Quare, ſi quis breviter explicatum deſideret huiuſcemodi quidpiam; eò confugiat; & res erit neque inventù difficilis, neque onerosa explicatù. III. Quòd licèt aliàs fortè id præmonuerim; opportunè tamen duco hic admonendum, quod, ſicubi in nimis multa textuum mentione nonnulla varietas cuiuſpiam verbi (nulla ſententiæ) animadvertitur, eò quòd diſputatoria methodus verba paſſim conteſtari non pateretur; fideliter quantum potuimus in hoc Indice ſacri textus verba cenſentur; vt in re, & verbis tantis hanc ſibi fidelitas cautionem adhibeat.

EX GENESI.

CAP. 1. Verſ. 1. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram.* Pag. 121. & 153.

Verſ. 2. *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* pag. 129. & 133. & 145.

Verſ. 3. *Fiat lux, & facta eſt lux.* pag. 206.

Verſ. 4. & 5. *Et divisit lucem à tenebris, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem: factumque eſt veſpere, & mane dies unus.* pag. 131. & 135.

Verſ. 6. *Dixit quoque Deus fiat firmamentum.* pag. 138.

Verſ. 7. *Divisitque aquas, quæ erant ſub firmamento ab his, quæ erant ſuper firmamentum.* pag. 146.

Verſ. 8. *Vocavitque Deus firmamentum Cœlum.* pag. 140.

Verſ. 11. *Germinet terra herbam virentem.* pag. 159. & 162.

Verſ. 28. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam: & do-*

minamini piſcibus maris, & volatilibus Cœli. pag. 168. & 412.

Cap. 2. Verſ. 2. *Et requievit die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat.* pag. 132.

Verſ. 4. *Iſtæ ſunt generationes Cœli, & Terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus Cœlum, & Terram.* pag. 130.

Verſ. 5. *Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra.* pag. 156.

Ibidem, & Verſ. 6. *Non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram. Et homo non erat qui operaretur terram. Sed fons aſcendebat de terra irrigans univerſam ſuperficiem terræ.* pag. 140. & 191.

Cap. 3. Verſ. 5. *Et eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum.* pag. 427.

Cap. 6. Verſ. 3. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum quia caro eſt.* pag. 185.

Verſ. 12. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* pag. 176.

Cap. 7. Verſ. 11. *Anno ſexcenteſimo vitæ Noæ menſe ſecundo, ſeptimo decimo die menſis rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ Cœli apertæ ſunt.* pag. 160.

Cap. 9. Verſ. 3. *Et omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* pag. 166.

Verſ. 13. *Arcum meum ponam in nubibus: & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram.* pag. 175. & 190.

Cap. 11. Verſ. 12. *Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis; & genuit Salè.* pag. 195.

Cap. 14. Verſ. 4. *Duodecim enim annis ſervierant Chodorlahomor, & tertio decimo anno receſſerunt ab eo.* pag. 244.

Verſ. 14. *Quod cum audiſſet Abraham, captum, videlicet, Lot fratrem ſuum; numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem, & octo, & perſequutus eſt uſque Dàn.* pag. 244.

Cap. 17. Verſ. 11. *Circuncidetis carnem præputij veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter ve, & vos.* pag. 212.

Verſ. 14. *Maſculus, cujus præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo.* pag. 215. & 225.

Cap. 21. Verſ. 14. *Tradiditque puerum, & dimiſit eam.* pag. 239.

Cap. 23. Verſ. 7. *Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ filios videlicet, Heth.* pag. 227.

Cap. 24. Verſ. 1. *Erat autem Abraham ſenex, dierumque multorum; & Dominus in cunctis benedixerat ei.* pag. 323.

Cap. 30. Verſ. 23. *Quæ concepit, & peperit filium dicens: abſtulit Deus opprobrium meum.* pag. 418.

Cap. 44. Verſ. 3. *Et orto mane dimiſſi ſunt cum aſinis ſuis.* pag. 135.

Ex Exodo.

CAP. 4. Verſ. 1. *Reſpondens Moyſes ait: non credent mihi, neque audient vocem meam.* pag. 235.

Verſ. 13. *Obſecro, inquit, Domine; mitte quem miſſurus es.* pag. 236.

Verſ. 14. *Iratus Dominus in Moyſem ait: Aaron frater tuus Levites ſcio quòd eloquens ſit &c.* pag. 231.

Cap. 12. Verſ. 2. *Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni.* pag. 163.

Cap. 15. Verſ. 11. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* pag. 34.

Cap. 16. Verſ. 13. *Mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum.* pag. 135.

Cap. 20. Verſ. 1. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo ſervitutis. Non habebis Deos alienos coram me.* pag. 440.

Verſ. 10. *Septimo autem die Sabbatum Domini tui eſt: non facies omne opus in eo.* pag. 154.

Verſ. 11. *Sex enim diebus fecit Deus Cœlum, & Terram, & Mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificavit eum.* pag. 130.

Verſ. 12. *Honora Patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.* pag. 446.

Cap. 21. Verſ. 2. *Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi: in ſeptimo egredietur liber gratis.* pag. 154. & 240.

Cap. 23. Verſ. 16. *Et ſolemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.* pag. 159.

Verſ. 26. *Non erit infœcunda, neque ſterilis in terra tua: numerum dierum tuorum implebo.* pag. 412.

Cap. 24. Verſ. 3. *Venit ergo Moyſes, & narravit Plebi omnia verba Domini atque iudicia.* pag. 30.

Cap. 29. Verſ. 7. *Et oleum unctionis fundes ſuper caput eius.* pag. 228.

Cap. 30. Verſ. 23. *Sume tibi aromata primæ mirrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, id eſt, ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere ſanctuarij, olei de olivetis menſuram Hin; facieſque unctionis oleum ſanctum unguentum compoſitum opere unguentarij.* pag 228.

Verſ. 30. 31. & 32. *Aaron, & filios eius unges, ſanctificabiſque eos vt ſacerdotio fungantur mihi. Filijs quoque Iſrael dices: hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras. Caro hominis non ungetur ex eo, & iuxta compoſitionem eius non facietis aliud: quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis.* pag. 228.

Verſ. 33. *Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.* pag. 228.

Cap. 31. Verſ. 13. *Videte, vt Sabbatum meum cuſtodiatis.* pag. 154.

Cap. 32. Verſ. 19. *Iratuſque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* pag. 3.

Cap. 34. Verſ. 16. *Neque vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis, ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos ſuos.* pag. 266. & 268.

Ex Levitico.

CAP. 21. Verſ. 11. *Ad omne mortuum non ingredietur omnino* pag. 229.

Verſ. 12. *Quia oleum ſanctæ unctionis Dei ſuper eum eſt.* pag 227.

Verſ 13. *Virginem ducet vxorem: viduam autem, & repudiatam, & ſordidam, atque meretricem non accipiet.* pag. 239.

Cap. 23. Verſ. 32. *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra.* pag. 132.

Cap. 24. Verſ. 2. *Præcipe filijs Iſrael, vt afferant tibi oleum de olivis puriſſimum, ac lucidum ad concinnandas Lucernas iugiter extra velum teſtimonij in tabernaculo fœderis.* pag. 229.

Cap. 25. Verſ. 4. *Septimo autem anno Sabbatum erit terræ, requietionis Domini: agrum non ſeres, & vineam non putabis.* pag. 154.

*** *** *** *** ***

Ex Numeris.

CAP. 21. Verſ. 14. *Vnde dicitur in libro bellorum Domini.* pag. 3.

Verſ. 24. *A quo percuſſus eſt in ore gladij & poſſeſſa eſt terra eius.* pag. 244.

Cap. 24. Verſ. 1. *Cumque vidiſſet Balaam, quod placeret Domino, vt benediceret Iſraeli; nequaquam abijt vt ante perrexerat, vt augurium quæreret.* pag 274.

Cap. 36. Verſ. 7. & 8 *Omnes enim viri ducent vxores de tribu, & cognatione ſua, & cunctæ feminæ de eadem cognatione maritos accipient vt hæreditas permaneat in familijs.* pag. 357.

Ex Deuteronomio.

CAP. 5. Verſ. 31. *Et loquar tibi omnia mandata mea, & Cæremonias atque iudicia.* pag. 437.

Cap. 7 Verſ. 3. *Filiam tuam non dabis filio eius.* pag. 266. & 268.

Cap. 7. Verſ 14 *Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus tam in hominibus, quam in gregibus tuis.* pag. 412.

Verſ. 25. *Sculptilia eorum igne combures.* pag 244.

Cap. 13. Verſ. 15. *Si inveneris certum eſſe quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, ſtatim percuties habitatores vrbis illius.* pag. 244.

Cap. 15. Verſ. 12. *Cum tibi venditus fuerit frater Hebræus, aut Hebræa, & ſex annis ſervierit tibi; in ſeptimo anno dimittes eum liberum.* pag. 154.

Cap. 17. Verſ. 14. *Conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes: Eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* pag. 264.

Cap. 23. Verſ. 19. *Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam, nec fruges nec quamlibet aliam rem; ſed alieno.* pag. 240.

Cap. 24. Verſ. 1. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem; ſcribet libellum repudij.* pag. 237.

Verſ. 2. *Cumque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, & dederit ei libellum repudij, & dimiſerit de domo ſua, vel certe mortuus fuerit; non poterit prior maritus recipere eam*

in

in vxorem : quia polluta , & abominabilis eſt facta coram Domino. pag. 239. & 241.

Cap. 25 Verſ. 6. *Et primogenitum ex ea filium nomine eius appellabit , vt non deleatur nomen eius ex Iſrael.* pag. 359.

Cap. 26. Verſ. 17. *Dominum elegiſti hodie, vt ſit tibi Deus , & ambules in vijs eius, & cuſtodias cœremonias illius , & mandata , atque iudicia , & obedies eius imperio. Et Dominus elegit te hodie , vt ſis ei populus peculiaris.* pag. 262.

Cap. 31. Verſ. 9. *Scripſit itaque Moyſes legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filijs Levi.* pag. 30.

Cap. 34. Verſ. 5. *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſervus Domini in terra Moab iubente Domino.* pag. 30.

EX IOSVE.

CAP. 8. Verſ. 6. *Putabunt enim nos fugere ſicut prius.* pag. 484.

Verſ. 7. *Conſurgetis de inſidijs , & vaſtabitis Civitatem.* pag. 243.

Cap. 10. Verſ. 13. *Steteruntque Sol , & Luna donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* pag. 256.

Cap. 22. Verſ. 16. *Hæc mandat omnis Populus Domini : quæ eſt iſta tranſgreſsio?* pag. 244.

Cap. 24. Verſ. 2. *Transflumen habitaverunt Patres veſtri ab initio , Thare Pater Abraham , & Nachor ; ſerviesque Dijs alienis.* pag. 319.

Verſ. 26. *Scripſit quoque omnia Verba hæc in volumine legis Domini.* pag. 31.

EX LIBRO IVDICVM.

CAP. 8. Verſ. 12. *Dominare noſtri tu, & filius tuus , & filius filij tui.* pag. 260.

Verſ. 23. *Non dominabor veſtri , neque dominabitur in vos filius meus , ſed dominabitur vobis Dominus.* pag. 262.

Cap. 11. Verſ. 51. *Dimitte me , vt duobus menſibus circumeam montes , & plangam virginitatem meam.* pag. 418.

Cap. 14. Verſ. 2. *Vidi mulierem in Thamnata de filiabus Philiſtinorum.* pag. 266.

Verſ. 3. *Cui dixerunt Pater, & Mater ſua: nunquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum , & in omni populo meo quia vis accipere vxorem de Philiſtijm, qui incircumciſi ſunt ? Dixitque Sanſon ad Patrem ſuum hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis.* pag. 270.

Verſ. 4. *Parentes autem eius neſciebant, quod res à Domino fieret , & quæreret occaſionem contra Philiſtijm.* pag. 267.

Cap. 15. Verſ. 2. *Putavi, quod odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* pag. 242.

Cap. 20. Verſ. 12. *Cur tantum nefas in vobis repertum eſt ? Tradite homines de Gabaa.* pag. 244.

Cap. 21. Verſ. 1. *Iuraverunt quoque filij Iſrael in Maſpha , & dixerunt nullus noſtrum dabit filijs Beniamin de filiabus ſuis vxorem.* pag. 359.

EX LIBRO RVTH.

CAP. 4. Verſ. 5. *Ruth quoque Moabitidem , quæ vxor defuncti fuit , debes accipere : vt ſuſcites nomen proximi tui in hæreditate ſua.* pag. 361.

EX LIBRO 1. REGVM.

CAP. 8. Verſ. 6. *Diſpliciut ſermo in oculis Samuelis , eò quòd dixiſſet , da nobis Regem.* pag. 262.

Verſ. 7. *Non enim abjecerunt te , ſed me, ne regnem ſuper eos.* pag. 261.

Verſ. 9. *Prædic eis ius Regis.* pag. 261.

Cap. 10. Verſ. 1. *Tulit autem Samuel lenticulam olei , & fudit ſuper caput eius.* pag. 227.

Cap. 12. Verſ. 19. *Addidimus enim vniverſis peccatis noſtris malum , vt peteremus nobis Regem.* pag. 262.

Cap. 16. Verſ. 2. *Et dices: ad immolandum Domino veni.* pag. 270.

Verſ. 13. *Tulit ergo Samuel cornu olei , & vnxit eum in medio fratrum eius.* pag. 227.

Verſ. 22. *Stet David in conſpectu meo : invenit enim gratiam in oculis meis.* pag. 310.

Cap. 24. Verſ. 9. *Et inclinans ſe David pronus in terram , adoravit , dixitque ad Saul.* pag. 277.

Cap. 25. Verſ. 23. *Cum autem vidiſſet Abigail David , feſtinavit , & deſcendit de aſino coram David , & procidit coram David ſuper faciem ſuam , & adoravit ſuper terram.* pag. 277.

Cap. 28. Verſ. 8. *Divina mihi in Pythone, & ſuſcita mihi quem dixero tibi.* pag. 278.

Verſ. 11. *Quem ſuſcitabo tibi ? qui ait: Sa-*

Samuelem mihi ſuſcita. pag. 275. & 278.

Verſ. 12. *Cum autem vidiſſet mulier Samuelem; exclamavit voce magna.* pag. 271.

Verſ. 15. *Quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer?* pag. 278.

Verſ. 19. *Cras autem tu, & filij tui mecum eritis.* pag. 277.

Verſ. 21. *Ecce obedivit Ancilla tua voci tuæ: Et poſui animam meam in manu mea; & audivi ſermones tuos, quos loquutus es ad me.* pag. 275.

Ex Libro 2. Regvm.

CAP. 1. Verſ. 11. *Aprehendens autem David veſtimenta ſua, ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleverunt, & ieiunaverunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & Ionatham filium eius.* pag. 229.

Verſ. 18. *Sicut ſcriptum eſt in libro Iuſtorum.* pag. 3.

Cap. 3. Verſ. 14. *Miſit autem David nuntios ad Iſboſeth filium Saul, dicens; redde vxorem meam Michol.* pag. 244.

Cap. 7. Verſ. 14. *Ego ero ei in Patrem; & ipſe erit mihi in filium: Qui ſi iniquè aliquid geſſerit; arguam eum in virga virorum. Miſericordiam autem meam non auferam ab eo.* pag. 286. & 289.

Cap. 8. Verſ. 1. *Factum eſt autem poſt hæc percuſit David Philiſtijm, & humiliavit eos.* pag. 244.

Verſ. 5. *Percuſit David de Syria viginti duo millia virorum.* pag. 244.

Cap. 10. Verſ. 5. *Quod cum nunciatum eſſet David; miſit in occurſum eorum.* pag. 244.

Cap. 20. Verſ. 1. *Non eſt nobis pars in David, neque hæreditas in filio Iſai.* pag. 244.

Ex Libro 3. Regvm.

CAP. 1. Verſ. 39. *Sumpſitque Sadoc Sacerdos cornu oleì de tabernaculo, & vnxit Salomonem.* pag. 227.

Cap. 11. Verſ. 6. *Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, & non adimpleuit, vt ſequeretur Dominum, ſicut David Pater eius.* pag. 294.

Verſ. 11. *Diſrumpens ſcindam regnum tuum.* pag. 293.

Verſ. 41. *In libro Verborum dierum Salomonis.* pag. 3.

Verſ. 43. *Dormivit Salomon cum Patribus ſuis.* pag. 289.

Cap. 14 Verſ. 19. *Ecce ſcripta ſunt in libro Verborum dierum Regum Iſrael.* pag. 3.

Verſ. 29. *Et in libro ſermonum dierum Regum Iuda.* pag. 3.

Cap. 18. Verſ. 26. *De mane vſque ad meridiem.* pag. 135.

Cap. 19. Verſ. 16. *Cumque perveneris illuc; vnges Hazael, Regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi vnges Regem ſuper Iſrael. Eliſæum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, vnges prophetam pro te.* pag. 229.

Cap. 22. Verſ. 22. *Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* pag. 349.

Ex Libro 4. Regvm.

CAP. 5. Verſ. 18. *Hoc autem ſolum eſt, de quo deprecceris Dominum pro ſervo tuo: quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, vt adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re: qui dixit ei Vade in pace.* pagina 484.

Cap. 9. Verſ. 6. *At ille fudit oleum ſuper caput eius.* pag. 227.

Cap. 10. Verſ. 18. *Congregavit ergo Iehu omnem populum, & dixit ad eos: Achab coluit Baal parùm; ego autem colam eum amplius.* pag. 484.

Verſ. 19. *Porro Iehu faciebat hoc inſidiosè, vt diſperderet cultores Baal.* 484.

Cap. 11. Verſ. 12. *Feceruntque eum Regem, & vnxerunt.* pag. 227.

Cap. 18. Verſ. 3. *Fecitque quod bonum erat coram Domino.* pag. 291.

Cap. 21. Verſ. 21. *Servivit immunditijs, quibus ſervierat Pater eius, & adoravit eas.* pag. 292.

Cap. 22. Verſ. 13. *Ite; & conſulite Dominum ſuper me, & ſuper populo, & ſuper omni Iuda de verbis voluminis iſtius, quod inventum eſt.* pag. 3.

Cap. 13. Verſ. 13. *Excelſa quoque, quæ erant in Ieruſalem ad dexteram montis offenſionis.... Polluit Rex, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit Lucos.* pag. 191.

Verſ. 30. *Et vnxerunt eum, & conſtituerunt eum Regem pro Patre ſuo.* pag. 227.

Ex Libro 1. Paralypomenon.

CAP. 15. Verſ. 16. *Dixitque David Principibus Levitarum, vt conſtituerent de fratribus ſuis cantores in organo muſicorum.* pag. 35.

Cap. 29. Verſ. 29. *Geſta David priora, & noviſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, & in libro Gad videntis.* pag. 31.

Ex Libro 2. Paralypomenon.

CAP. 2. Verſ. 7. *Quia humiliati ſunt; non diſperdam eos; daboque eis pauxillum auxilij; verumtamen ſervient ei.* pag. 293.

Cap. 11. Verſ. 17. *Ambulaverunt enim in vijs David, & Salomonis annis tantum tribus.* pag. 289.

Cap. 22. Verſ. 11. *Ioſabeth autem quæ abſconderat eum, erat filia Regis Ioram vxor Ioiadæ Pontificis.* pag. 359.

Cap. 24. Verſ. 18. *Et dereliquerunt templum Domini Dei Patrum ſuorum ſervieruntque lucis, & ſculptilibus.* pag. 242.

Cap. 25. Verſ. 28. *Reportanteſque ſuper equos, ſepelierunt eum cum Patribus ſuis in Civitate David.* pag. 294.

Cap. 33. Verſ. 15. *Abſtulit Deos alienos, & ſimulacrum de domo Domini, aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, & Ieruſalem; & projecit omnia extra vrbem.* pag 292.

Verſ. 19. *Oratio quoque eius, & exauditio, & cuncta peccata, atque contemptus, loca etiam, inquibus ædificavit excelſa, & fecit Lucos, & ſtatuas, antequam ageret penitentiam, ſcripta ſunt in ſermonibus Hozai.* pag. 293.

Ex Libro 1. Esdræ.

CAP. 7. Verſ. 14. *A facie enim Regis, & ſeptem conſiliariorum miſſus eſt.* pag. 309.

Ex Libro 2. Esdræ.

CAP. 9. Verſ. 7. *Et eduxiſti eum de igne Chaldæorum.* pag. 323. & 324.

Ex Libro Tobiæ.

CAP. 2. Verſ. 7. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.* pag. 253.

Cap. 6. Verſ. 8. *Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas; fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum.* pag. 296.

Verſ. 19. *Ipſa autem nocte incenſo iecore piſcis, fugabitur Dæmonium.* pag. 298.

Cap. 8. Verſ. 2. *Poſuitque eas ſuper carbones vivos: tunc Raphael aprehendit Dæmonium, & religavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* pag. 298.

Cap. 12. Verſ. 15. *Ego enim ſum Raphael Angelus, vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.* pag. 310.

Ex Libro Ivdith.

CAP. 5. Verſ. 6. *Populus iſte ex progenie Caldæorum eſt: hic primum in Meſopotamia habitavit: quoniam noluerunt ſequi Deos Patrum ſuorum, qui erant in terra Chaldæorum.* pag. 321.

Verſ. 8. *Deſerentes Cæremonias Patrum ſuorum, quæ in multitudine Deorum erant, vnum Dei Cœli colerent.* pag. 321.

Cap. 10. Verſ. 4. *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem.* pag. 267.

Ex Libro Esther.

CAP. 1. Verſ. 10. *Præcepit ſeptem Eunuchis, qui in conſpectu eius miniſtrabant.* pag. 309.

Verſ. 14. *Erant autem primi, & proximi ſeptem Duces Perſarum, atque Medorum.* pag. 309.

Cap. 2. Verſ. 4. *Et quæcumque inter omnes oculis Regis placuerit, ipſa regnet pro Vaſthi.* pag. 242.

Cap. 9. Verſ. 20. *Scripſit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehenſa miſit ad Iudæos.* pag. 44.

Verſ. 23. *Suſceperuntque Iudæi in ſolemnem ritum cuncta, quæ eo tempore face-*

cere cœperant, & quæ Mardochæus litteris facienda mandaverat. pag. 34.

EX LIBRO IOB.

CAP. 1. Verſ. 6. *Affuit inter eos etiam Satan.* pag. 349.

Verſ. 8. *Vir ſimplex, & rectus ac timens Deum.* pag. 244.

Cap. 26. Verſ. 8. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum.* pag. 149.

Cap. 37. Verſ. 18. *Fabricatus es Cœlos, qui ſolidiſsimi quaſi ære fuſi ſunt.* pag. 139.

Cap. 40. Verſ. 10. *Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quaſi vos comedet.* pag. 156.

EX LIBRO PSALMORVM.

PSalm. 4. Verſ. 5. *Iraſcimini, & nolite peccare.* pag. 232.

Pſalm. 13. Verſ. 3. *Omnes declinaverunt ſimul inutiles facti ſunt.* pag. 156.

Pſalm. 18. Verſ. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* pag. 140.

Pſalm. 21. Verſ. 18. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* pag. 353.

Pſalm. 31. Verſ. 9. *Nolite fieri ſicut equus, & mulus quibus non eſt intellectus.* pag. 427.

Pſalm. 44. Verſ. 1. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* pag. 3.

Verſ. 8. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo letitiæ præ conſortibus tuis.* pag 229.

Pſalm. 48. Verſ. 11. *Simul inſipiens, & ſtultus peribunt.* pag. 156.

Verſ. 13. *Comparatus eſt Iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* pag. 427.

Pſalm. 86. Verſ. 6. *Dominus narrabit in ſcripturis.* pag. 2.

Pſalm. 88. Verſ. 21. *Inveni David ſervum meum oleo ſancto meo vnxi eum.* pag. 229.

Pſalm. 102. Verſ. 19. *Dominus in Cœlo paravit, ſedem ſuam: & Regnum ipſius omnibus dominabitur.* pag 124.

Pſalm. 103. Verſ. 3. *Qui tegis aquis ſuperiora eius.*

Pſalm. 113. Verſ. 16. *Cœlum Cœli Domino; terram autem dedit filijs hominum.* pag. 123.

Pſalm. 128. Verſ. 6. *Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam evellatur, exaruit.* pag. 386.

Pſalm. 147. Verſ. 19. *Qui annuntiat verbum ſuum Iacob: Iuſtitias, & Iudicia ſua Iſrael: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtavit eis.* pag. 440.

Pſalm. 148. Verſ. 4. *Aquæ omnes quæ ſuper Cœlos ſunt laudent nomen Domini.* pag. 147.

EX LIBRO PROVERBIORVM.

CAP. 7. Verſ. 32. *Et cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* pag. 246.

Cap. 10. Verſ. 9. *Qui ambulat ſimpliciter ambulat confidenter.* pag. 246.

Cap. 11. Verſ. 5. *Iuſtitia ſimplicis diriget viam eius.* pag. 246.

Cap. 24. Verſ. 32. *Quod cum vidiſſem poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam* pag. 288.

Cap. 28. Verſ. 10. *Qui decipit Iuſtos in via mala in interitu ſuo corruet, & ſimplices poſſidebunt bona eius.* pag. 246.

EX LIBRO ECCLESIASTAE.

CAP. 1. Verſ. 4. *Terra enim in æternum ſtat.* pag. 256.

Verſ. 5. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem.* pag. 256.

EX LIBRO SAPIENTIAE.

CAP. 3. Verſ. 1. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt* pag. 174.

Cap. 9. Verſ. 7. *Tu elegiſti me Regem populo tuo, & Iudicem filiorum tuorum, & filiarum, & dixiſti, me ædificare Templum in Monte Sancto tuo, & in Civitate habitationis tuæ altare, ſimilitudinem tabernaculi Sancti tui, quod præparaſti ab initio.* pag. 35.

Verſ. 15. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* pag. 305.

Cap. 10. Verſ. 1. *Hæc illum qui primo formatus eſt à Deo Pater Orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo.* pag. 293.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

CAP. 18. Verſ. 1. *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul.* pag. 156.

Cap.

Cap. 44. Verſ. 17. *Inventus eſt perfectus, iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* pag. 12.

Verſ. 20. *Non eſt inventus ſimilis illi in gloria, qui conſervavit legem Excelſi* pag. 323.

Cap. 46. Verſ. 23. *Et poſt hoc dormivit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terra in prophetia, delere impietatem gentis.* pag. 272.

Cap. 48. Verſ. 25. *Nam fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter ivit in via David Patris ſui.* pag. 291.

Cap. 49. Verſ. 8. *Incenderunt electam ſanctitatis Civitatem, & deſertas fecerunt vias ipſius in manu Ieremiæ. Nam malè tractaverunt illum, qui à ventre matris conſecratus eſt Propheta.* pag. 329.

Ex Isaïa.

CAP. 11. Verſ. 2. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini: Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij, & fortitudinis Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* pag. 310.

Cap. 13. Verſ. 10. *Quoniam Stellæ Cœli, & ſplendor illarum non expandent lumen ſuum: Obtenebratus eſt Sol, & Luna non ſplendebit lumine ſuo.* pag. 214.

Cap. 21. Verſ. 14. *Mane, & non venit.* pag. 135.

Cap. 37. Verſ. 27. *Priuſquam matureſceret, exaruit.* pag. 386.

Cap. 39. Verſ. 7. *Et de filij tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in Palatio Regis Babylonis.* pag. 37.

Cap. 43. Verſ. 27. *Pater tuus primus peccavit.* pag. 317.

Cap. 45. Verſ. 1. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro.* pag. 231.

Cap. 62. Verſ. 4. *Habitabit enim iuvenis cum Virgine.* pag. 380.

Ex Ieremia.

CAP. 1. Verſ. 5. *Priuſquam te formarem ex vtero novi te, & antequam exires de vulva ſanctificavi te, & prophetam in gentibus dedi te.* pag. 325.

Verſ. 9. *Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me: Ecce dedi Verba mea in ore tuo.* pag. 329.

Cap. 3. Verſ. 3. *Vulgò dicitur. Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum; nunquid revertetur ad eam vltra? nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* pag. 240.

Cap. 15. Verſ. 19. *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* pag. 180.

Cap. 18. Verſ. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum adverſus eam; agam, & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi vt facerem ei. Et ſubito loquar de gente, & de regno vt ædificem, & plantem illud.* pag. 294.

Cap. 22. Verſ. 30. *Nec erit vir de ſemine eius, qui ſedeat ſuper ſolium David.* pag. 359.

Cap. 25. Verſ. 26. *Et Rex Seſach bibet poſt eos.* pag. 12.

Cap. 31. Verſ. 15. *Vox in Ramà audita eſt.* pag. 323.

Cap. 36. Verſ. 23. *Cumque legiſſet Iudi tres pagellas, vel quatuor, ſcidit illud ſcalpello ſcribæ, & projecit in ignem.* pag. 3.

Ex Ezechiele.

CAP. 32. Verſ. 7. *Et nigreſcere faciam Stellas eius: Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum.* pag. 314.

Ex Daniele.

CAP. 3. Verſ. 60. *Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper Cœlo ſunt Domino.* pag. 147. & 152.

Cap. 4. Verſ. 13. *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* pag. 339.

Verſ. 33. *Et figura mea reverſa eſt ad me.* pag. 341.

Cap. 5. Verſ. 25. *Hæc eſt autem Scriptura quæ digeſta eſt: MANE. THECEL, PHARES.* pag. 12.

Cap. 10. Verſ. 13. *Princeps autem Perſarum reſtitit mihi viginti, & vno diebus* pag. 136. & 345.

Cap. 12. Verſ. 5. *Et Ecce quaſi duo alij ſtabant.* pag. 346. & 350.

Ex

EX IOELE.

CAP. 3. Verſ. 15. *Sol, & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* pag. 315.

EX NAHVM.

CAP. 2. Verſ. 9. *Quid cogitatis, contra Dominum? Conſummationem ipſe faciet: Non conſurget duplex tribulatio.* pag. 187.

EX ZACHARIA.

CAP. 3. Verſ. 1. *Et Satan ſtabat à dextris eius, vt adverſaretur ei,* pag. 349.

Verſ. 3. *Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli.* pag. 310.

Verſ. 5. *Et Angelus Domini ſtabat.* pag. 310.

Cap. 4. Verſ. 10. *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in vniverſam terram.* pag. 309.

EX MALACHIA.

CAP. 2. Verſ. 16. *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Iſrael.* pag. 238.

EX LIBRO 1. MACHABAEORVM.

CAP. 1. Verſ. 43. *Et ſcripſit Rex Antiochus omni Regno ſuo, vt eſſet omnis populus vnus, & relinqueret vnuſquiſque legem ſuam.* pag. 241.

Cap. 16. Verſ. 24. *Ecce hæc ſcripta ſunt in libro dierum Sacerdotij eius, ex quo factus eſt Princeps Sacerdotum poſt Patrem ſuum.* pag. 3.

EX LIBRO 2. MACHABAEORVM.

CAP. 2. Verſ. 1. *Invenitur autem in deſcriptionibus Ieremiæ Prophetæ, quod iuſſit, eos ignem accipere, qui tranſmigrabant.* pag. 3.

Verſ. 24. *Itemque ab Iaſone Cyreneo quinque libris comprehenſa tentavimus nos vno volumine breviare.* pag. 34.

EX MATHAEO.

CAP. 1. Verſ. 12. *Iechonias genuit Salathiel; Salathiel autem genuit Zorobabel.* pag. 360.

Verſ. 16. *Iacob autem genuit Ioſeph, virum Mariæ.* pag. 356.

Verſ. 18. *Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam convenirent, inventa eſt in vtero habens de Spiritu S.* pag. 365. & 377. & 318.

Verſ. 19. *Ioſeph autem vir eius, cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere; voluit occultè dimittere eam.* pag. 387.

Verſ. 20. *Ioſeph fili David, noli timere, accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt de Spiritu S. eſt.* pag. 376. 384. 385. 403. & ſeq.

Verſ. 25. *Et non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum.* pag. 332.

Cap. 2. Verſ. 18. *Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus.* pag. 323.

Cap. 5. Verſ. 17. *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut Prophetas, non veni ſolvere, ſed adimplere.* pag. 442.

Verſ. 32. *Ego autem dico vobis quia omnis qui dimiſſerit vxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit adulterat.* pag. 507.

Cap. 6. Verſ. 33. *Quærite ergo primum Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* pag. 446.

Cap. 10. Verſ. 5. *In viam gentium ne abieritis.* pag. 513.

Cap. 11. Verſ. 11. *Amen dico vobis non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta; qui autem minor eſt in Regno Cœlorum maior eſt illo.* pag. 395. & 397.

Verſ. 13. *Omnes enim Prophetæ, & lex vſque ad Ioannem Prophetaverunt.* pag. 451.

Cap. 14. Verſ. 28. *Iube me ad te venire ſuper aquas.* pag. 285.

Cap. 15. Verſ. 24. *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.* pag. 513.

Cap. 26. Verſ. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei Vivi.* pag. 280.

Verſ. 23. *Vade poſt me Satanà, ſcandalum eſt mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt; ſed ea, quæ hominum.* pag. 283.

Cap. 19. Verſ. 8. *Ait illis quoniam Moyſes*

ſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. pag. 239.

Cap. 23. Verſ. 2. *Super Cathedram Moiſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis; facite.* pag. 448.

Cap. 24. Verſ. 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in vniverſo Orbe in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio.* pag. 359.

Verſ. 29. *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de Cœlo.* pag. 209.

Cap. 25. Verſ. 34. *Poſſidete vobis Regnum paratum à conſtitutione mundi.* pag. 124. & p. 2.

Cap. 26. Verſ. 34. & 35. *Antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus. Etiamſi oportuerit me mori tecum non te negabo.* pag 284.

Verſ. 51. *Et percutiens ſervum Principis Sacerdotum, amputavit auriculam eius.* pag. 280.

Verſ. 52. *Converte gladium tuum in locum ſuum: Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* pag. 282.

Verſ. 53. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* pag. 283.

Verſ. 54. *Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri?* pag. 283.

Cap. 28. Verſ. 1. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati.* pag. 136.

Verſ. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* pag. 449.

Ex Marco.

Cap. 10. Verſ. 6. *Ab initio autem creaturæ maſculum, & fœminam fecit eos Deus.* pag. 156.

Cap. Ultimum totum. pag. 5.

Ex Luca.

Cap. 1. Verſ. 26. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galileæ, ad Virginem Deſponſatam viro cui nomen erat Ioſeph de domo David, & nomen Virginis Maria.* pag. 387.

Verſ. 31. *Ecce concipies in Utero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur.* pag. 417.

Verſ. 32. *Et dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris eius.* pag. 358.

Verſ. 33. *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco.* pag. 309. & 416.

Verſ. 35. *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque, & quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei.* pag. 417.

Verſ. 47. *Et exultabit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.* pag. 420.

Cap. 22. Verſ. 4. *Aſcendit autem, & Ioſeph à Galilæa de Civitate Nazaret in Iudæam in Civitatem David, quæ vocatur Bethlem, eo quòd eſſet de domo, & Familia David, vt profiteretur cum Maria Deſponſata ſibi vxore prægnante.* pag. 368.

Verſ. 48. *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* pag. 388.

Verſ. 51. *Et erat ſubditus illis.* pag. 389.

Cap. 3. Verſ. 23. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat.... Qui fuit Natham, &c.* pag. 359.

Verſ. 27. *Qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salatiel.* pag. 360.

Verſ. 36. *Qui fuit Salè, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxad.* pag. 196.

Cap. 5. Verſ. 14. *Vade oſtende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua, ſicut præcepit Moiſes.* pag. 448.

Cap. 7. Verſ. 28. *Dico enim vobis: maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt.* pag. 396.

Cap. 16. Verſ. 16. *Lex, & Prophetæ, vſque ad Ioannem.* pag. 437. 447. 451.

Cap. 18. V. 31. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſumabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & poſtquam flagellaverint occident eum, & tertia die reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* pag. 280. 283.

Cap. 22. Verſ. 43. *Apparuit autem illi Angelus de Cœlo confortans eum.* pag. 5.

Verſ. 44. *Factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* pag. 5.

Verſ. 49. *Et ſeq. Domine ſi percutimus in gladio? Et percuſit vnus ex illis ſervum Principis Sacerdotum, & amputavit auriculam eius dexteram. Reſpondens autem Ieſus ait: ſinite uſque huc, &c.* pag. 281. Verſ. 52.

Vers. 52. *Quasi ad latronem existis cum gladijs, & fustibus?* pag. 282.
Vers. 53. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* pag. 282.
Cap. 24. Vers. 28. *Finxit se longius ire.* pag. 484.

Ex Ioanne.

CAP. 1. Vers. 17. *Quia Lex per Moysem data est; gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* pag. 460.
Cap. 2. Vers. 22. *Et crediderant Scripturæ.* pag. 2.
Cap. 3. Vers. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo non potest videre Regnum Dei.* pag. 216.
Vers. 12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo si dixero vobis Cœlestia credetis?* pag. 10.
Vers. 20. *Qui male agit, odit lucem.* pag. 252.
Cap. 6. Vers. 54. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* pag. 516.
Cap. 8. Vers. 41. *Nos ex fornicatione non sumus nati: vnum Patrem habemus Deum.* pag. 322.
Vers. 44. *Ille homicida erat ab initio.* pag. 156.
Cap. 11. Vers. 50. *Nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* pag. 11. & 181.
Cap. 12. Vers. 19. *Ecce totus mundus post eum abijt.* pag. 353.
Vers. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit multum fructum affert.* pag. 315.
Cap. 18. Vers. 11. *Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater non bibam illum?* pag. 283.
Cap. 20. Vers. 31. *Hæc scripta sunt vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* pag. 3.

Ex Actibvs Apostolorvm.

CAP. 2. Vers. 5. *Viri Religiosi ex omni natione, quæ sub Cœlo est.* pag. 353.
Vers. 38. *Petrus vero ad illos: pœnitentiam agite, & baptizetur vnus quisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissione peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritu S.* pag. 456.
Vers. 40. *Saluamini à generatione ista prava.* pag. 456.
Cap. 4. Vers. 13. *Videntes autem Petri constantiam, &c. admirabantur.* pag. 494.
Cap. 5. Vers. 29. *Respondens autem Petrus, & Apostoli dixerunt. Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* pag. 44.
Cap. 7. Vers. 2. *Deus gloriæ apparuit Patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charam.* pag. 231.
Cap. 10. Vers. 13. *Surge Petre, occide, & manduca. Absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune, & immundum.* pag 465.
Cap. 11. Vers. 18. *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* pag. 519.
Vers. 19. *Nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis.* Ibid.
Cap. 15. Vers. 28. *Visum est enim Spiritu S. & nobis nihil vltrà imponere vobis oneris quam hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione à quibus custodientes vos bene agetis.* pag. 517.
Cap. 16. Vers. 3. *Hunc voluit Paulus secum proficisci, & assumens circuncidit eum.* pag. 464.
Cap. 18. Vers. 18. *Qui sibi totondit caput in Cencris.* pag. 464.
Cap. 21. Vers. 26. *Tunc Paulus assumptis viris posterà die purificatus cum illis intravit in Templum anuntians expletionem dierum purificationis.* pag. 464.
Vers. 24. *Sanctifica te cum illis: & impende in illis vt radant capita: & scient omnes quia, quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas, & ipse custodiens legem.* pag. 483.
Cap. 24. Vers. 17. *Post annos autem plures eleemosynas factarum in gentem meam veni, & oblationes, & vota in quibus invenerunt me purificatum in Templo.* pag. 464.

Ex Epistola Pavli ad Romanos.

CAP. 1. Vers. 1. *Evangelium Dei, quod antè promisserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis.* pag. 1.
Cap. 2. Vers. 12. *Quicumque enim sine*

lege peccaverunt, ſine lege peribunt; & quicumque in lege peccaverint per legem iudicabuntur. pag. 440.

Verſ. 14. *Cum enim gentes, quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes; ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* pag. 440.

Cap. 3. Verſ. 1. *Quid ergo amplius Iudæo eſt, aut quæ utilitas circumciſionis.* pag. 219.

Verſ. 2. *Multùm per omnem modum: primum quidem quia credita ſunt eis eloquia Dei.* pag. 219.

Verſ. 4. *Eſt Deus verax, omnis autem homo mendax.* pag. 4.

Verſ. 31. *Legem ergo deſtruimus per fidem? abſit; ſed legem ſtatuimus.* pag. 442.

Cap. 4. Verſ. 11. *Et ſignum accepit circumciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei.* pag. 262.

Cap. 5. Verſ. 20. *Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* pag. 363.

Cap. 7. Verſ. 1. *An ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir eius ſoluta eſt à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt a lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro. Itaque fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti: vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo.* pag 452. & 453.

Cap. 8. Verſ. 23. *Sed, & nos ipſi primitias Spiritus habentes.* pag. 392.

Cap. 9. Verſ. 11. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei; quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt Iacob dilexi; Eſau autem odio habui.* pag. 330.

Cap. 13. Verſ. 8. *Qui enim diligit proximum legem implevit. Nam non adulterabis: non occides, &c. in hoc verbo inſtauratur: diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* pag. 444.

Cap. 15. Verſ. 4. *Quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* pag. 3. & 325.

Ex 1. ad Chorintios.

CAP. 7. Verſ. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir.* pag. 366.

Cap. 9. Verſ. 7. *Quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat?* pag. 172.

Cap. 10. Verſ. 32. *Sine offenſione eſtote Iudæis, & gentibus, & Eccleſiæ Dei; ſicut, & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalvi fiant.* pag. 465.

Cap. 11. Verſ. 3. *Caput autem mulieris vir.* pag. 389.

Cap. 12. Verſ. 28. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos ſecundò Prophetas, tertiò Doctores.* pag. 393.

Cap. 15. Verſ. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum.* pag. 209.

Ex 2. ad Chorintios.

CAP. 5. Verſ. 12. *Ut habeatis ad eos qui gloriantur in facie; & non in corde.* pag. 501.

Cap. 10. Verſ. 1. *Quia in facie quidem humilis ſum apud vos, abſens vero confido in vobis.* pag. 501.

Cap. 12. Verſ. 2. *Raptum huiuſmodi vſque ad tertium Cœlum.* pag. 123.

Ex Epiſtola ad Galatas.

CAP. 1. Verſ. 15. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit ex vtero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, vt revelaret filium ſuum in me, vt Evangelizarem illum in gentibus continuò non acquievi carni, & ſanguini.* pag. 330.

Cap. 2. Verſ. 9. *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ Societatis.* pag. 481.

Verſ. 11. *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti; quia reprehenſibilis erat: prius enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat: Cum autem veniſſent; ſubtrahebat, & ſegregabat ſe timens eos, qui ex circumciſione erant, & ſimulationi eius conſenſerunt Cæteri Iudæi, ita vt Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cum vidiſſem quod non rectè ambu-*

ambularent ad veritatem Evangelij, dixi Cephæ coram omnibus, si tu cum Iudæus sis, gentiliter vivis, & non iudaicè: quomodo cogis gentes iudaizare? Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores. pag. 486.

Vers. 16. *Scientes autem, quod non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi.* pag. 428.

Vers. 21. *Si ex lege iustitia: ergo gratis Christus mortuus est.* pag. 331.

Cap. 3. Vers. 11. *Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum.* pag. 428.

Vers. 19. *Lex posita est, donec veniret semen.* pag 440. & 447.

Vers. 24. *Itaque lex Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur. At ubi venit fides, iam non sumus sub Pædagogo.* pag. 437.

Cap. 4. Vers. 24. *Quæ sunt per allegoriam dicta.* pag. 334.

Cap. 5. Vers. 3. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* pag. 212. & 438.

Vers. 2. *Si circuncidamini Christus nihil vobis proderit.* pag. 462. & 449.

Vers. 6. *Nam in Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium,* pag. 218.

Ex Epistola ad Ephesios.

CAP. 1. Vers. 8. *Secundum divitias gratiæ eius, quæ superhabundavit in nobis in omni sapientia, & prudentia.* pag. 394.

Cap. 2. Vers. 14. *Medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum evacuans.* pag. 438.

Vers. 16. *Reconciliet ambos in uno corpore Deo per Crucem.* 460.

Cap. 6. Vers. 5. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri.* pag. 246.

Vers. 12. *Adversus Principes, & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum.* pag. 345.

Ad Philippenses.

CAP. 2. Vers. 15. *Ut sitis sine querella, & simplices filij Dei.* pag. 246.

Cap. 3. Vers. 3. *Gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes; quamquam ego habeam fiduciam in carne,* pag. 216.

Ex Epistola ad Colossenses.

CAP. 2. Vers. 6. *In verbo veritatis Evangelij quod pervenit ad vos, sicut universo mundo est, & fructificat.* pag. 270.

Vers. 23. *Immobiles à spe Evangelij, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub Cœlo est.* pag. 353.

Cap 2. Vers. 11. *Circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis,* pag. 219.

Vers. 17. *Quæ sunt umbra futurorum; corpus autem Christi,* pag. 460.

Cap. 3. Vers. 24. *Scientes quod à Domino accipietis ad retributionem hæreditatis, Domino Christo servire.* pag. 2.

Ex 1. ad Timothevm.

CAP 1. Vers. 9. *Quia lex iusto non est posita, sed iniustis.* pag. 445.

Cap 4. Vers. 8. *Pietas autem ad omnia utilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* pag. 446.

Cap. 5. Vers. 8. *Si quis autem curam suorum, & maximè domesticorum non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* pag. 247.

Vers. 18. *Non alligabis os bobi trituranti.* pag. 181.

Vers. 21. *Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis.* pag. 311.

Ex 2. ad Thimothevm.

CAP. 3. Vers. 16. *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum ad erudiendum in iustitia Dei.* pag. 4.

Ex Epistola ad Hebraeos.

CAP. 1. Vers. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis novissimè diebus istis loquutus est nobis in filio.* p. 3.

Vers. 14. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* pag. 311.

Cap. 7. Vers. 12. *Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat.* pag. 438.

Vers. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius,*

& in vtilitatem: Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. pag. 455.

Cap. 8. Vers. 13. *Dicendo autem novum: veterauit prius: quod autem antiquatur, & senescit prope interitum est.* pag. 455. & 457.

Cap. 9. Vers. 8. *Hoc significante Spiritu S. nondum propalatam esse Sanctorum viam adhuc priore tabernaculo habente statum* pag. 449.

Vers. 9. *Quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem.* pag. 431.

Vers. 16. *Ubi enim testamentum est mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum viuit qui testatus est.* pag. 449 & 458.

Cap. 10. Vers. 10. *Aufert primum, vt sequens statuat.* pag. 455.

Cap. 11. Vers. 8. *Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire.* pag. 323.

Vers. 32. *Deficiet me tempus narrantem de Gedeon, Barac, Sanson, Iephte, David, Samuel, & Prophetis.* pag. 294.

Ex Epistola ad Iacobi.

CAP. 2. Vers. 8. & 9. *Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas: Diliges proximum tuum sicut te ipsum: benefacitis; si autem personas accipitis, peccatum operamini redarguti à lege quasi transgressores.* pag. 444.

Vers. 12. *Sic loquimini, & sic facite sicut per legem libertatis incipientes iudicari.* pag. 440.

Ex Epistola 1. Petri.

CAP. 2. Vers. 13. *Subiecti igitur stote omni creaturæ humanæ propter Deum, sive Regi quasi præexcellenti: sive ducibus tanquam à Deo missis ad vindictam malefactorum; laudem vero bonorum.* pag. 264.

Cap. 3. Vers. 19. *In quo & his, qui in carcere erant spiritibus, veniens, prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando spectabant Dei patientiam in diebus Noe cum fabricaretur Arca: in qua pauci, id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquam: quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma.* pag. 177.

Cap. 4. Vers. 5. *Qui paratus est iudicare viuos, & mortuos: propter hoc enim, & mortuis Euangelizatum est: Vt iudicentur quidem secundum homines in carne, viuant tamen secundum Deum in spiritu.* pag. 177.

Ex Epistola 2. Petri.

CAP. 1. Vers. 21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia; sed Spiritu S. inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines.* pag. 181.

Ex Epistola Iudæ.

CAP. 1. Vers. 14. *Prophetauit autem, & de hijs septimus ab Adam, Enoch dicens.* pag. 3.

Ex Apocalypsi.

CAP. 1. Vers. 4. *Gratia, & pax à Deo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem Spiritibus, qui in conspectu throni sunt, & à Iesu Christo, qui est testis fidelis.* pag. 308. & 311.

Cap. 5. Vers. 6. *Et oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram.* pag. 309.

Cap. 6. Vers. 13. *Et stellæ de Cœlo ceciderunt super terram.* pag 313.

Cap. 8. Vers. 1. *Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ.* pag. 309.

Cap. 13. Vers. 18. *Qui habet intellectum computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenti, sexaginta, sex.* pag 12.

Cap. 15. Vers. 1. *Et vidi aliud signum in Cœlo magnum, & mirabile, Angelos septem habentes plagas septem noviſſimas.* pag. 309.

INDEX

INDEX
RERUM, ET VERBORUM,
QUÆ IN HOC OPERE
CONTINENTUR.

A

ABachuc prophetiæ tempus ; & ſumma , pag. 23. Author , & ſtylus 38. Adagia 88. Interpretes 114.

Abel poterat lac comedere ; Secus Agnos, pag. 172. Eius munus paſtoritium, ibidem.

Abdias : prophetiæ tempus, & ſumma, pag. 23. Author , & Idioma 37. Adagia 87. Interpretes. 114.

Abraham an aliquando fuiſſet Idolatra, pag. 317. Eius veræ fidei initia ex Ioſepho , & Philone, ibidem. num. 2. & 3. Idolatria eius ſi quæ fuit potius ex ſimplici quadam ignoratione manavit iuxta Torniellum, pag. 318. An ſemel , vel amplius vocatus à Deo , pag. 323. n. 16. & 17.

Abrogatio Legis quo tempore facta fuerit , an ante Chriſti mortem,pag. 447. Vide *Lex* Abrogationis modus , & tenor lentus eſſe debet in ſuis , quæ longo vſu invaluerant, pag. 455. num. 2.

Acta Apoſtolorum , pag. 25. Author, & ſtylus 39. Adagia , pag. 92. Interpretes 117.

Adoratio duplex alia Sacra , alia Civilis, pag. 277. num. 14.

Æquinoctium eſt duplex , & reſpectivum ad plagas mundi , pag. 159. num. 1.

Africani Hiſtoria vindicatur, pag. 364.

Aggæus : prophetiæ tempus , & ſumma, pag. 24. Author , & ſtylus 38. Adagia 88. Interpretes 114.

Amòs : prophetiæ tempus , & ſumma, pag. 23. Author , & ſtylus. pag. 37. Adagia 87. Interpretes 114.

Amuletum , ſive Amuleti ſpecies Hebraicis characteribus ſcripta , pag. 312.

Angeli cum Empyreo creati tacitè recenſentur. Dec. 1. quæſt. 1. pag. 124. & pag. 127. Angelicæ cognitiones prodiebus mundi vſurpatæ ad litteram non placent, pag. 155. num. 6. quomodo dent gratiam , & pacem, pag. 311. Angelus Perſarum , an fuerit bonus , nec ne? pag. 345.

Angeli boni interſe quomodo certent ? pag. 345. Angelus malus an prævalere poſsit Angelo bono , & quomodo ? pag. 347. Angeli mali an Principes dici queant ? pag. 348. num. 7. Angelus malus pro ſingulis hominibus , ibid. Angelus malus aliquando etiam iuſta molitur, pag. 349. Angelus Princeps Græcorum fuit etiam Angelus malus, pag. 350. num. 11.

Ante-

Antequàm. Vide Priusquam.
Antilogiæ Sacræ Scripturæ apud quos Authores discutiantur, pag. 106.
Apostoli quas terras sua prædicatione obierint? Vide Evangelium. Apostolorum ministerium, & gratiæ, pag. 393. num. 9. & seq. Apostoli confirmati fuerunt in gratia à die Pentecostes, pag. 480. Non potuerunt licite observare legalia ratione simulationis, pag. 282.
Aquæ super cœlestes verè dantur, & sunt supra cœlos, & eiusdem speciei cum elementaribus. Dec. 1. q. 4. pag. 157. Pro Cœlo christalino à Doctoribus vsurpantur, pag. 146. Quomodo ibi teneantur, & quos in vsus? pag. 149. Quosnam ibi habeant influxus? pag. 150. & 151. Ex ipsis an fuisset diluvium? pag. 152.
Archangelorum numerus septenarius expenditur, pag. 308. Septem nomina, & eorum Chorus, & cultus promotus, pag. 310. Ipsorum, & Angelorum multa nomina obscura & superstitioni obnoxia iuxta claros Authores, pag. 312. Septem nomina cognita, & incognita inscripta cuidam scuto argenteo Hebraicis characteribus recens invento, pag. 312. De septem Archangelis scripsit erudite nuperus Author P. Andræas Serrano Procurator noster Philippinarum, pag. 312.
Argentum vivum quomodo moveatur, pag. 259. num. 9.
Aristoteles circa naturam corporum Cœlestium deferendus est, pag. 257. num. 7.

B

BAlaam fuit Propheta Dæmonis, pag. 274. num. 9.
Baptismus comparatur cum Circumcisione, pag. 222. num. 19. Quo tenore incœpit esse vtilis ad salutem? pag. 251. num. 9. Quando cœpit esse necessarius ad salutem? pag. 450. num. 8. Baptismi promulgatio sufficiens quo tenore facta? pag. 513. An probetur simpliciter necessarius ad salutem adhuc Christo vivente? pag. 115.
Baruch Prophetia 23. Eius Author, & stylus 36. Adagia 84. Interpretes. Vide Ieremiam, pag. 114.
Behemot quid significet? pag. 157. num. 9.
Bellum iustum an admittat insidias, & quomodo? pag. 243. Belli iustè gerendi duodecim causæ ex Sacris Scriptoribus depromptæ, pag. 224. num. 3. Bellum quo tenore humanum commertium abrumpat? pag. 249. num. 12. & num. 20. Belligerantes cum litigantibus conferuntur, pag. 253. num. 19. In Bello quæ liceant? num. 20. Bella, & Luctæ gentilicæ sæpè ad roboris ostentationem vsurpabantur, num. 21.
Biblia est vox singulariter vsurpata ad Sacros libros significandos, pag. 1. num. 1. Complutensis, & Regia qua industria elaborata? pag. 7. num. 15. Tetrapla, exapla, & octapla, ibid. Bibliorum divisio generaliter facta, pag. 15. & 16. Biblia critica per Fr. Cherubinum à S. Iosepho Carmelitam Excalciatum, pag. 120. Bibliorum Dictionarum Historicum, Criticum, Chronologicum, & Geographicum per D. Augustinum Calmet Benedictinum, pag. 120.

C

CAbàla quid sit & quotuplex, cuiusque vtilitatis? pag. 12. num. 28.
Cadere: quid sit respectu stellarum? pag. 313. Et an sit idem, ac occidere? pag. 315. num. 6. Cadere ste-

ſtellas quomodo myſticè intelligatur? pag. 314. Cadere in terram quomodo accipiendum? p. 315.

Characteres hebræi plures habent inter ſe figuras valde ſimiles, proindeque errori multum obnoxias, p. 6. num. 13. Deſiderati ſunt & quæſiti pro hoc opere exornando ſed eorum maior fuit inopia, quàm diligentia, p. 6. num. 13. In ipſis ſcripta inventa fuit nuper in ruinoſo muro lamina argentea quæ redolet amaletum, p. 312.

Cainam ſecundus admittendus eſt. Decad. 1. quæſt. 12. p. 195.

Cantica. Vide Sapientiales.

Carnium eſſus an licuerit ante diluvium, pag. 166. Reffragantur Patres aliqui potius quàm favent, p. 167. num. 2. Prohibitionis ipſarum tenor, & argumenta, p. 171. Carnes ex Plutarcho inſalubres, p. 172. num. 11. Non fruſtra fuerunt in exordio mundi, p. 173. num. 12. Carnes ſacrificiorum an guſtarentur ex parte, ibid. num. 13. In America ſæpè proijciuntur, retento corio, p. 173. num. 13. Cur non creſcerent in immenſum, & qua conſuetudine? p. 174. Cur conceſio carnium nova; ſecus poſitio iridis? p. 175.

Catalogus locuples Authorum de Prolegomenis Sacræ Scripturæ, p. 13. Catalogus librorum. Vide Libri.

Cenſuræ non debent intumeſcere adverſus alios Doctores præſertim mortuos, & in opinando non pertinaces, p. 122. Cenſuras omnes reſpuit Author, p. 377. num. 27.

Cephas appellatus fuit Martialis, pag. 486. An idem cum Petro? p. 487.

Cœremonialia legis veteris quomodo erant ſignificativa Chriſti venturi adhuc poſt adventum Chriſti? pag. 467. à num. 9. Cur aliquandiu obſervari potuiſſent quin fuiſſent mortifera non autem modo? p. 468. à num. 11. Quo ſenſu tales Cœremoniæ fuerint ſolum mortuæ, non vero mortiferæ? p. 470. n. 13. Quomodo cœperint, & quo iure, eſſe mortiferæ? p. 470. num. 14. An licuiſſet poſt mortem Chriſti ponere ſpem in talibus Cœremonijs? p. 461. Cœremoniæ veteris legis erant in duplici genere, p. 462. num. 2. In Cœremonijs legalibus tria ſunt diſtinguenda, Obligatio, Inſtitutio, & fructus, p. 472. Quando vſurpabantur ſuperſtitioſe? p. 477. & 478. Quomodo eſſent liberi à lege veteri Gentiles; ſecus vero Iudæi? p. 579.

Ceſſatio Cœremoniarum veteris legis quo tenore inducta eſt? p. 462. num. 2.

Chriſtus Dominus. Vide Genealogiam Chriſti. Chriſtus quomodo fuerit terminus legis veteris? p. 451. num. 11. Chriſti myſteria, ipſo vivente adimpleta, quomodo figurabantur? p. 452. num. 13. Chriſti mors mathematicè conſiderata an fuiſſet terminus abrogationis legis veteris? p. 453.

Chronologiæ differentia multiplex ex Authorum placitis, p. 202. num. 12. Ipſius difficultates, num. 13. Salvatur retento Cainam, num. 14. Multum poſthabenda eſt Sacro textui, num. 15.

Circumciſio fuit inſtituta in remedium originalis, pag. 213. Manavit ad Ægyptios & omiſſa eſt per deſertum, & eſt ſignum quintuplex, p. 213. Locus Auguſtini de Circumciſione fusè perpenditur, p. 215. num. 8. Quo tenore intelligenda ſit ea inſtitutio & eius valor? p. 217. num. 22. & ſeq. Eius vtilitates: abſoluta, & reſpectiva, p. 216. num. 14. Fuit remedium aliquomodo neceſſarium, p. 220. num. 16. & ſeq. Cur omiſſa in deſerto, & an præveniri poſſet ante octavum diem? ibid. Quomodo cauſaret gratiam? à n. 21.

Quo ritu ea vterentur aliæ nationes? à num. 24. Cum baptiſmate comparatur, p. 435. num. 14. Circumciſionis præceptum quando ceſſavit? p. 449. Circumciſio quomodo in Abyſsinis adhuc perduret? p. 463. num. 3. Quomodo applicari potuerit poſt Chriſti adventum in fidem Chriſti venturi, p. 514.

Cœlum Empyreum diſtinctum à reliquis orbibus ſtabilitur ex Scriptura, & Patribus. Dec. 1. quæſt. 1. p. 173. Eſt fixum, & immobile, ibid. Deſcribitur ab Abulenſi, p. 124. Cur tandiu ante creatum? p. 125. Qua luce gaudeat? p. 126. Quo influxu gaudeat, & natura? p. 127. Cur explicetur voce *Cœlum* dualitatem ſignificante? p. 128. Cœlorum numerus quiſnam ſit? Dec 2. quæſt. 3. p. 138. Cœli nomine Regio aeris etiam venit intelligenda, p. 140. Non eſt ab intrinſeco incoruptibile ex PP. & Philoſophis, p. 141. Cœli non ſunt fluidi; ſed ſolidi, Dec. 1. quæſt. 3. p. 143.

Cometę non ſunt ſupra Lunam, Dec. 1. quæſt. 3. p. 144.

Commercium humanum quomodo abrumpatur, aut retineatur in bello, & doctrinæ inde ſequutæ, p. 251. num. 14. & 15.

Comparatio viri, & mulieris ad explicandam alligationem legis veteris fusè tractatur ad locum Pauli ad Rom. 7. p. 459. à num. 11.

Concilium Palæſtinum de exordio mundi verno tempore quomodo intelligendum? p. 164. num. 15.

Conimbricenſes Patres omnium ore Philoſophi circumquaque clariſsimi putant Lunam, tametſi tenui ſua luce gaudere, p. 209.

Conſecratio potius ſignat aliquid de ordine exequutivo, quàm intentivo, p. 329. num. 9. Duplex facta fuit Ieremiæ, ibid. Interna conſecratio fuit mundatio ab originali, p. 329. Conſecratio ſacerdotalis quomodo excludat peccatum, & poſsit cauſare primam gratiam? p. 330. num. 10.

Conſilium de re perfectiori an, & quomodo cohæreat cum præcepto de re minus perfecta? p. 450. num. 9.

Conventus, & cohabitatio inter Deiparam, & S. Ioſephum quomodo explicandus? p. 384. & ſeq.

Copernicus inter Mathematicos ſingulariter ſenſit terram moveri, & Cœlum ſtare, p. 256. num. 1.

Creatio prima rerum ab Omnipotentia quo tenore manavit? p. 157. num. 10.

Cultus, & ritus Sanctorum non taxat gratiam ipſorum, p. 398.

D

DAnielis prophetiæ tempus, & ſumma, p. 22. Auctor, & ſtylus, p. 37. Adagia, p. 85. Interpretes, p. 114.

Decretum Gratiani quàm habeat auctoritatem? p. 276. num. 12.

Deuteronomij partes capita, & argumentum, p. 18. Eius Author Moyſes vſque ad vltimos verſiculos additos per Ioſuè, p. 30. Nomen Hebraicum *Helle Haddebarim*, ibid. Adagia, p. 56. Interpretes 109.

Dies primus quomodo diviſit lucem, & tenebris? Dec. 1. quæſt. p. 129. Nihil habuit ante ſe creatum, p. 130. Incœpit per horas duodecim tenebrarum, & fecit dies de occaſu in occaſum computandos, p. 132. Dies vnicus 24. horarum poteſt eſſe Lunæ ſimul, & Martis variato Orizonte, p. 136.

Diluvium homines, & vegetabilia diſſipavit, p. 168. num. 4. An qui in eo perierunt omnes damnati fuerint? p. 176.

Diſpenſatio vetus circa libellum repudij

dij quo tenore fuit à Chriſto Domino revocata? p. 507.

Doctrinæ diſcrimen quo tenore interveneriť inter Petrum, & Paulum quoad obſervationem legalium, p. 489.

Dæmon an expelli poſsit per res corporeas, p. 300. Virtus naturalis ad eos expellendos multiphariam intenditur perſuaderi, p. 305.

Dominium Adami ſuper vniverſum quomodo iuriſdictionis, & proprietatis? p. 168. num. 5. Dominium proprietatis ex ſe non fert dominium vitæ, p. 169. num. 5. Dominium alicuius rei quomodo tradi poſsit, impedito vſu rei? pag. 374. num. 23.

Dorothæi Synopſis quomodo taxanda ex iudicio Cardinalis Bellarminij? p. 488.

Duplex tribulatio, & punitio quomodo intelligenda? p. 187. num. 22.

E

ECcechiel. Prophetæ tempus, & ſumma, p. 22. Author, & ſtylus, p. 46. Adagia, p. 84. Interpretes 114.

Eccleſiaſtes, & Eccleſiaſticus. Vide Sapientiales.

Editio. Vide Verſiones. Et ſeptuaginta, & Vulgata. Editio quinta, & ſexta ortæ ſunt de verſione ſeptuaginta virorum ex emendatione Lutiani Martyris, & Heſychij, p. 7. num. 15.

Elementa. Quatuor huius mundi. Quomodo ſint talia? Et elementorum mundi varietas. Vbi luſtranda? p. 143.

Enim. Particula Cauſalis: quam vim habeat, p. 402. num. 9. & 10.

Epiſtolarum Pauli numerus 25. Earum partitio, & ſumma 25. & ſeq. Earum ſtylus, & tempus, p. 39. Adagia, p. & ſeq. Interpretes, p. 117.

Epiſtolarum Canonicarum numerus, & partitio, ac ſumma, p. 28. Earum Author, & ſtylus, p. 28. Adagia, p. 102. & ſeq. Interpretes, p. 118.

Eſdræ. Synopſis, & capita, p. 20. Librorum Author, & ſtylus, pag. 32. Adagia 59. Interpretes, p. 111.

Eſther. Synopſis, & capita, p. 21. Author, & ſtylus 34. Adagia 60. Vbi nota, quod adhunc librum ſolum pertinent duo Adagia priora; reliqua verò ad librum *IOB* cuius omiſſus eſt titulus à Typographo. Interpretes, p. 111.

Etimologiæ Sacræ Scripturæ per Ildephonſum Remon, p. 106.

Evangelium per quatuor Evangeliſtas traditum, p. 25. Author, & ſtylus 38. Adagia, p. 91. & 92. Interpretes 115. & 116. Evangelij promulgatio non fuit conſummata tempore Apoſtolorum, p. 352. num. 3. Illa verba *nunquid non audierunt referri poſſunt ad Iudæos, vel Gentiles*, p. 351. num. 1. Evangelij quibus in plagis facta fuerit promulgatio per ſingulos Apoſtolos? pag. 352. num. 5. Quomodo ſumpſit Paulus inde ſuum argumentum? p. 353. n. 7. Evangelij promulgatio in America: An veſtigium aliquod fundatum habuiſſet, priuſquam veniſſet ſub dictionem Hiſpanorum, pag. 354. num. 4.

Eugubinus circa Cœlum Empyreum non bene audit; excuſatur tamen per Dianelem Malonium, p. 122.

Exodi totius analyſis, & ſumma capitum, p. 17. Eius Author Moyſes, p. 30. Nomen Hebraicum *Velle ſemoth*, ibidem. Eius adagia, & phraſes, pag. 54. Eius Interpretes, pag. 108.

F

FAcies. Quomodo intelligendæ ſunt illæ phraſes *in faciem reſiſtere, & gloriari in facie?* pag. 500. & 501.

Fel. Qua virtute polleat ad detergendas Albugines oculorum, pag. 301. Super ea tacet Hipocrates, ſed Conſulendus eſt Plinius, p. 305.

Fidelitas non læditur per inſidias bellicas, p. 247. num. 9.

Fidei quomodo ſit aliquis textus Sacræ Scripturæ, cuius ſenſus eſt controverſus inter Doctores? p. 337. num. 24. Fidei aſſenſus Supernaturalis, & vtilis ad ſalutem de quo loquitur propoſitio damnata à S. Patre Innocentio XI. quiſnam ſit, & quomodo intelligendus? Undè & explicari poteſt quomodo ſit de fide Pontificatus Pontificis pro tempore exiſtentis? p. 337. num. 24. Fidei proteſtatio ſinicè ſcripta, & ſiriacè ſubſcripta cum erecta Cruce inventa fuit apud Sinas, quò (vt homo eruditus aſſeruit) olim penetraverant Neſtoriani. Eam tamen inde huc advexit Pater Ioſephus Raymundus Arjo Miſsionarius literis, & virtute conſpicuus, qui non ſine huius fama deceſsit, p. 354. num. 9.

Figura multipliciter accipitur, p. 341. num. 6. Figurativas ſignificationes veteris legis quomodo oportebat impleri? p. 457.

Firmamentum Claudit Cœleſtes ſpheras, quæ inter terram, & Empyreum ſunt interpoſitæ Dec. 1. q. 3. p. 139. Non eſt ſolus aer, p. 140. Expanſio quædam eſt, & res ſolida licèt non quoad partem infimam, p. 142.

Fomes peccati: quid ſit, & quæ eius ligatura, & extinctio? p. 420. in Deipara non ſolùm ligatus, ſed fuit etiam extinctus, p. 421. Fomes virtuoſus, vel quædam nativa propenſio ad rectum, an extitiſſet in Deipara? p. 424. Fomitis virtuoſi adſtructio, & fomitis peccati deſtructio, quomodo in Deipara componatur ad ritam Philoſophiam, & Theologiam, radicitus expenditur, p. 425. num. 13. & ſeq. fomes peccati in Deipara ita fuit extinctus, vt à vitijs *neque impugnata fuerit*, p. 421. Vbi deficit illud *neque*. De fomite honeſtò inquit Vega *neque enim ligatur, aut extinguitur quod non eſt aliquomodo*, p. 424. Vbi obſerva, quod ly *non* deficit ex incuria typographi. Fomes virtuoſus clauſit in Deipara appetitionem ad omnigenam honeſtatem, p. 425. lin. 34. col. 2. Vbi obſerva, quod pro ly *Cum* legi debet *cur*. Quæ menda eo quòd gravia ſint, hic adnotantur.

Fornicatio in ſacro textu ſolet intelligi Idolatria, p. 322.

Fructus ex eadem arbore bini alicubi decerpuntur vere, & autumno, p. 167.

Fumus Iecoris in piſce Thobiæ quomodo concurrit ad Dæmonem expellendum, p. 248. & ſeq. Neque virtute rigoroſè inſtrumentali gaudebat, p. 306.

G

GEdeonis principatus ipſi delatus fuit ab eo repulſus, p. 261. num. 4. Deo ſua iura ſervabat, & de his populum admonebat, p. 262. num. 8. Gedeonis principatus ab ipſo repulſus non fuit ſolum iudiciaria poteſtas, qua prius ille potiebatur, p. 265. num. 14.

Genealogia Chriſti Domini per Salomonem aſcendit vſque ad Davidem, p. 356. Quoad progenitores Chriſti Hiſto-

Hiſtoria Africani commendatur, atque ſuſcipitur, pag. 356. num. 1. Genealogia Ioſephi, & Mariæ explicatur, pag. 358. Genealogia Chriſti traditur per concordiam Mathæi, & Lucæ, pag. 359. num. 7. & ſeq. Per Patrem legalem, & naturalem traditur ab Evangeliſtis, & quomodo? pag. 361. Genealogia Chriſti per Lucam legalis, & per Mathæum naturalis defenditur, pag. 361. & ſeq. An, & quomodo includat Pantherem, & Barpanterem, pag. 363.

Generare, & gignere vere dici poteſt de quolibet progenitore cuiuſpiam, pag. 198. num. 6. & pag. 362.

Geneſis argumentum per ſua capita diſtribuitur, pag. 16. Eius author Moyſes, & Idioma Hebraicum, pag. 30. Eius nomen Hebraicum *Bereſith* ibidem. Eius adagia, & phraſes, pag. 52. Eius Interpretes, pag. 108.

Gentiles, an aliquando habuiſſent legem veterem ſibi mortuam, non verò mortiferam? pag. 471. Gentiles cogi ad legalia triplicitèr poteſt conſiderari, pag. 518. An cogi poſſent, de duplici tempore inquiri poteſt? p. 519. Numquam licitum fuit Gentiles cogere ad obſervandum legalia, pag. 521. Gentiles, & Iudæi, quando, & quomodo in vnum 523. Gentilis, an eſſet Eunuchus Reginæ Candacès, 524. Gentiles alij Proſelyti; alij ſecus 524. Gentiles an cogerentur ad legalia ex Concilio Apoſtolorum de abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato, pag. 525. A Gentilibus, an licitè ſe ſegregaverit D. Petrus 526. Vide Petrus, & Paulus.

Gradus conſanguinitatis inter Deiparam, & eius Sponſum quis fuerit? p. 360. num. 10. & 363. num. 16.

Granatenſes libri, an habeant authoritatem 288.

Gratia ſummi poteſt Theologicè, & familiaritèr, p. 311. Gratia Sanctorum, non temerè definienda, pag. 399.

H

HEbræa volumina quàm fidem faciant, pag. 199. num. 8. Vide *Verſiones, & Characteres, Textus.*

Hæreticus ſicubi vera dicat cautà diſcretione excipiendus eſt, pag. 180. num. 7. Ad Hæreticos monitio opportuna, pag. 182. n. 9. Hæretici, dum alicubi in ſcripturis rem Spiritu Dei factam agnoſcunt, fidem faciunt non contemnendam, eo quòd proprio iudicio nimis indulgent, & Spiritum Domini paſsim inficiantur, niſi vbi evidenter apparet, pag. 267. n. 3. Perversè deflectunt miracula ſcripturarum ad naturales virtutes, pag. 300. Hæretici impudenter, & temerè cavillantur myſticas quaſdam interpretationes Patrum, pag. 309.

Hieronymi locus truncatim exhibitus, pag. 187. n. 12. Supplendus eſt, ita vt poſt verbum *dicunt*, hæc alia ſubſequantur. *Non vindicabit Dominus bis in id ipſum in tribulatione. Sin autem falſa ſunt.*

Hiſtoria ſacra quotuplex, pag. 18. & ſeq. Hiſtoria Eccleſiaſtica quo tenore ſit ſuſcipienda? pag. 379. n. 4. Hiſtoria Actuum Apoſtolorum cur Petri, & Pauli contentionem omiſerit? pag. 490.

I

IAcob An in vtero ſanctificatus? pag. 330. n. 12.

Ieconias An ſederit in trono David, & quomodo? pag. 359. n. 6.

Ieremiæ prophetiæ ſumma, tempus, &

capita, pag.22. Author, & ſtylus, pag.36. Adagia, pag. 81. Interpretes 114. Ieremias in ventre matris ſanctificatus fuit, pag.325. & ſeq.

Ignis regio vel nulla eſt præter ſubterraneam, vel in ſuprema parte aeris ſita eſt, pag.144. Qua raritate, & activitate gaudeat in regione ſua? pag. 151.

Inſidiæ poſſunt tendi verbis, & factis, pag.243. n. 2. Licitæ ſunt in bello iuſto, pag. 244. n. 4. Apud Sinas multùm valet ars belligerandi per inſidias, & apud Lacedemonios præfertur robori, pag.245. num.4. Nullam ex veris virtutibus labefactant, à n. 6. & deinceps. Non ſunt propriè fraudes, ex D. Thom. pag. 250. num.13.

Intelligentia textus An propriè An translatitiæ quomodo taxanda ex D. Aug? pag.342. n. 9.

Interpretatio ſacri textus accomodanda eſt ad tritas doctrinas Philoſophicas, & Theologicas ſemper ac poſsit, pag.316. Præſtanda eſt non tam accumine ingenij, quamtum. vis perſpicaci, quàm SS.PP. auctoritate, pag. 417. n.14. Interpretatio loci Biblici, qua dogmati catholico ſtabiliendo conſulitur, maximè retinenda, pag. 273. n. 8. Facienda eſt aliquando intra eundem textum etiam diverſimode iuxta tenorem, & ſignificationem Verborum, pag.305. Per alios textus optima elicitur, pag. 311. & 314. Etiam fit ad litteram, quamvis verba ſumantur metaphoricè, pag. 316.

Ioannes Baptiſta inter natos mulierum quomodo maior? pag.395.num.13. & ſeq.

Iob totius libri ſynopſis, & capita, pag. 21. Eius Author, & Idioma, pag. 33. Adagia pag.60. Ubi notandum eſt quod licèt per Thypographi incuriam fuerit omiſus ibi titulus libri non tamen adagia, quæ incipiunt à n. 230. Eius Interpretes, 111.

Ioel prophetiæ tempus, & ſumma, pag. 23. Author, & Idioma, pag. 37. Adagia 86. Interpretes 114.

Ioſephus votum caſtitatis emiſſerat, pag.372.num.18. Qua ætate eſſet cum veniſſet ad nuptias? pag. 378. Quando mortuus fuerit? pag.380. Eius picturæ non faciunt traditionem authenticam, pag.379. Multis privilegijs ab Authoribus decoratur; ſed non niſi diſcretè taxandis, pag.388. Satis probabilitèr defendi poteſt, eum cæteros omnes dignitate, & gratia antecellere, pag. 390. Cum eo tum Apoſtoli, tum Præcurſor Domini quomodo comparentur? pag. 392. & ſeq. Zelotypia erga ſuam Sponſam non laboravit, pag. 400. Quomodo de eo intelligenda ſint illa verba *Cum eſſet iuſtus*, pag.401.

Ioſue ſumma capitum, pag. 19. Author, & Idioma, pag. 31. Adagia, & Phraſes, 57. Interpretes, pag. 110. alias 104.

Ira multipliciter conſideranda eſt in Deo erga homines, pag. 234. n. 9.

Iris ſæpè apparuit ante diluvium, pag. 190.n.3. Quomodo ſit ſignum non futuri diluvij? pag.191. n.5. Circa iridem doctrina Valleſij obſervanda, pag.193. n 7.

Iſaïas prophetiæ ſumma, diviſio, & tempus, pag.22. Author, & ſtylus, pag. 36. Adagia, pag.77. Interpretes, 113.

Iudæi quomodo impreſentiarum ſuis legibus adſtringantur? pag.506. Iudæi nonnulli inventi ſunt apud Sinas Chriſtum pœnitus ignorantes, pag. 514.

Iudices, totius libri, argumentum, pag. 19. Author, & Idioma, pag. 31. Adagia, & Phraſes, pag. 57. Interpretes, pag.110. Alias per errorem, 104.

Iudicialia legis veteris nonnulla ex vſu Eccleſiæ retenta ſunt, p. 462. n. 1.
Iudicij triplex genus ex Ruperto ad iudicandam omnem creaturam, p. 185. n. 19. Iudicium quomodo ſuperexaltat miſericordiam? p. 186. n. 20.
Iudith ſumma, & capita, p. 21. Author, & ſtylus, p. 33. Adagia, p. 60. Interpretes, p. 111.
Ius poſitivum quomodo ſuperſtruitur ſupra ius naturale? p. 506.
Iuſtificatio an, & quomodo fuerit in lege veteri? p. 433. & ſeq. Iuſtificatio in veteri lege ſepè ſtat pro munditia legali, p. 436.

K

Kimchi Rabbinus monet *iraſci* pro ardore, & vehementi ſtudio rei faciendæ proprie ſumi poſſe, p. 232. num. 2.

L

Legalis Pater, & Genealogia Legalis quomodo eſt intelligenda, & à quo ſemen eſt ſuſcitandum? p. 361. Legalia quatenus licuiſſent ante promulgationem Evangelij? p. 475.
Levitici totius argumentum, & capita, p. 17. Eius Author Moyſes, & nomen Hebraicum *Vaicra*, p. 30. Eius adagia, & Phraſes, p. 55. Eius Interpretes, p. 109.
Lex tacitam imbibit hanc conditionem *niſi excipiat Princeps*, p. 168. num. 6. Lex vetus ſummatim exponitur, p. 428. Abſolutè, & ſimpliciter loquendo non iuſtificabat. p. 430. num. 6. An præciperet actus Theologicos fidei ſpei, & charitatis? p. 432. num. 9. Legis veteris vis impetratoria, & ſatisfactoria iuxta meritoriam ſtabilitur, p. 436. Eiuſdem præceptorum tres claſſes, ſcilicet Cœremonialia, iudicialia, & moralia, p. 437. num. 1. Lex vetus viguit quoad obligationem adhuc poſt mortem Chriſti, vſque ad Pentecoſtem, p. 454. Legis veteris abrogatio, p. 437. & ſeq. Eius diviſio in purè præceptivam, purè declarativam, & mixtam, p. 438. num. 4. Pro Gentilibus lata non fuerat, p. 440. Quomodo ex ea in lege gratiæ nonnulla videantur perſeverare, p. 441. num. 9. Quomodo abrogata, & impleta? p. 442. num. 11. & ſeq. Eius promiſsiones temporales, & comminationes temporales quomodo ceſſaverint? p. 445. num. 16. Lex inſtitui dicitur, dum promulgatur, p. 455. Legis novæ ſolemnis promulgatio facta fuit die Pentecoſtes. p. 456. Lex divina quomodo indigeat promulgatione? p. 459. Legi quomodo fuerint fideles mortificati per Corpus Chriſti? fusè exponitur, p. 459. à num. 11. Lex vetus aliquo tempore quoad obligationem fuit mortua, priuſquam mortifera, p. 462. & ſeq. Legis veteris lenta abrogatio firmatur auctoritate, & exemplo, p. 466. n. 8. Quomodo fuerit mortua quoad inſtitutionem? p. 473. Lex nova quomodo expulit antiquam? p. 476. Legis inſtitutio quomodo ceſſet obligatione ceſſante? p. 477. Lex vetus tria includebat Inſtitutionem, obligationem, & effectum ſive vtilitatem, p. 503. Vtilitas veteris legis erat triplex, ſcilicet quoad pœnas, quoad permiſsiones, & ſanctificationes, p. 503. Lex vetus vtilis fuit quoad ſuos effectus ſaltem vſque ad Pentecoſtem, in quo fuit promulgatio Evangelij, p. 503. Lex quo tenore poſt Pentecoſtem abſolutè mortua nuncupetur? p. 507.
Libellus. Vide *Repudium*.

Librorum ſacrorum catalogus triplex, p. 2. num. 2. Alij libri ſacri deſiderati vſque ad viginti recenſentur, p. 2. n. 3. Quinam ſunt Canonici, & quinam Apocriphi recenſendi? p. 4. num. 8.

Loquutio Dei cum hominibus in Scripturis Sanctis quo tenore intelligenda eſt? p. 325. num. 1. & ſeq. Quomodo fiat in Scripturis, p. 335. & n. 21. & ſeq.

Luminaria Cœli quomodo explicentur? p. 208. num. 4.

Luna cavitates non habet, p. 144. Gaudet aliqua propria luce iuxta plures PP. Aſtrologos, & Philoſophos, p. 209. n. 7.

Lux prima quomodo illuminaverit per triduum ante Solem? p. 129. Eius primus Oriens, atque Meridies, p. 129. Lux in Oriente producta eſt reſpectu Paleſtinæ, p. 131. Lux primi diei an eadem cum Sole? p. 206. Eſt qualitas corporea, & ſenſibilis, ibid. Quomodo diviſit tenebras? p. 208. n. 5. Eius Analyſis, & natura, p. 210. n. 8. & ſeq.

M

MAchabæi Librorum diviſio auctoritas, & Synopſis, p. 24. Author, & ſtylus 34. Adagia 89. Interpretes. 115.

Magia, An in Samuele ſuſcitando intervenerit, & quænam eius potentiæ? Et an Dominus aliquando ad præſentiam magicæ operationis præſtet effectum? p. 274. n. 9. & ſeq. Multis externis ſignis peragitur, p. 274. n. 9. Ritus magici non videntur interveniſſe in ſuſcitatione Samuelis. p. 274. n. 9.

Mala quia prohibita, & prohibita, quia mala vnde naſcuntur? p. 439.

Malachias: prophetiæ tempus, & ſumma, p. 24. Author, & ſtylus 38. Adagia 89. Interpretes 114.

Maledictio diei nativitatis quo tenore vſurpata? p. 332. n. 16.

Malonius excuſat Eugubinum, p. 122.

Mane proprie ſignificat claritatem. p. 131. Dec. 1. quæſt. 2. Variè accipitur. Et *Veſpere*, & *Mane* proverbialis loquutio eſt, p. 135. & 136.

B. V. Maria deſcendit à Davide per Salomonem, p. 157. n. 3. Quomodo eſſet cognata Eliſabethæ, & an ex Tribu Levi? p. 358. num. 5. Hiſtoria, & traditio Patrum de eius deſponſatione, p. 365. Eius puritatis indicia, p. 401. Eius matrimonium cum Sancto Ioſepho. Vide *Matrimonium*. Eius dimiſio à Sancto Ioſepho, an ex Zelotypia proficiſceretur? p. 401. & ſeq. Eius ſanctificatio dupliciter ſolet conſiderari, ſcilicet in primo inſtanti, & in tempore conceptionis Verbi Divini, p. 421. An concepta fuerit in iuſtitia Originali? p. 423. Nullæ in ea mentis diſtractiones, & phantaſmata involuntaria, & quomodo ei pœnalia relicta ſunt? p. 423. Vide *Fomes*, & menda ibi gravia.

Maternitatis notitia quando habita fuit, & quomodo cum eius voto caſtitatis cohæreat? p. 414. num. 11. p. 417. n. 15.

Matrimonium tripliciter poteſt conſiderari, p. 366. Verum matrimonium ratum inter Deiparam, & eius ſponſum interceſsit. p. 367. Quomodo cohæreat cum voto caſtitatis? p. 372. Matrimonium quoad circunſtantias inter Deiparam, & S. Ioſephum, p. 381. Poſt omnem eius ſolemnitatem contigit Incarnatio, p. 382.

Medicina quomodo aliquid dici queat? p. 302. & 304. & 305.

Mendacium officioſum licitum non eſt, p. 48. Licet quidam olim dixerint ibid. Quæ intentio requiratur ad illud? p. 481.

Mensis primus anni naturalis hebraici Thisri correspondet Septembri, vel Octobri, p. 160. 3. Secundus anni diluvij fuit etiam secundus anni Labentis, p. 159. n. 1. Primus anni sacri est Nisan, p. 163.

Mesopotamia pertinet ad Chaldæam vbi, & clauditur Haram, sivè Charram, p. 221.

Meteora ignita in finem mundi casura non satis explicant stællarum casus, p. 316.

Michæas: prophetiæ tempus, & summa, p. 23. Author, & stylus, p. 37. Adagia, p. 87. Interpretes 114.

Ministri vnum faciunt quodammodo in maiestate cum Domino, cui ministrant, p. 311.

Miracula an Deus facere posset in circunstantijs confirmandi doctrinam falsam? p. 278. n. 17. Facilè, & ad libitum ne intrudantur, p. 305.

Mortificari legi per Corpus Christi quomodo intelligendum? p. 460. n. 13.

Mortua, & mortifera. Vide Lex, & Cœremonia.

Moysis legatio, & excusatio, p. 131. n. 1. Nihil peccavit, sed laudabiliter munus detrectando se gessit, p. 232. n. 4. & seq. Deo tergiversatur, & contradicit amicabiliter; non refractoriè, p. 235. n. 10.

Mundus non instantaneè sed successivè conditus fuit, Dec. 1. quæst. 5. p. 153. Tempore autumni productus est Dec. 1. quæst. 6. n. 3. p. 160.

N

NAbuchodonosoris in feram commutatio non fuit parabola, sed Historia, p. 339. Quomodo contigit hæc Metamorphosis, p. 340. & seq. Hæc Historia apud profanos non penitùs prætermissa, p. 343.

Nachor observandum est prout etiam in correctione erratorum animadvertitur quod, p. 320. lineâ 5. col. 1. dicitur *Nachor Pater Abraham*, cum dici debuisset, atque voluisset *Nachor Pater Tharè*. Quod hic, vbi possumus, oportunè monitum volumus. Nachor fuit duplex: Alius Pater Tharè: Alius verò filius eiusdem, p. 320. n. 6.

Nahum: Prophetiæ tempus, & summa, p. 23. Author, & stylus 38. Interpretes 114.

Nisan est primus mensis anni sacri, p. 161. n. 12.

Noe non sine fructu prædicavit, & cum Iona comparatur, p. 185. n. 19.

Nomen proprium loci, aut personæ tradi solet in scripturis per sui significationem appellativam, pag. 323. n. 15.

Nox vndecim habet partes, pag. 132.

Numerorum summa, & divisio per capita, p. 18. Eius Libri Author Moises, & nomen hæbraicum *vaiedabber*, p. 30. Eius Adagia, & Phrases, p. 55. Eius Interpretes, p. 109.

O

OChozias, Ioas, & Amasias cur prætermisi apud Mathæum? pag. 198. n. 6.

OEconomia omnium librorum vtriusque Testamenti, p. 15. & seq.

Oleum, quo in lege veteri vngebantur Pontifices distinctum erat ab eo quo vngebantur Reges, p. 227. Oleum vnctionis impediebat prosequi funera mortuorum: & nisi à Pontificibus, & Sacerdotibus tractari non poterat, p. 229. n. 5. & 6. Oleum pro Davide, & Salomone quomodo sanctum, & an in tabernaculo servaretur? à n. 7. & 8. Olei vnctionis non imminuti traditio Hebræorum, p. 230. n. 10.

Olympiades cœperunt primo anno Regni Ioatam, p. 202. n. 12. Incer-

tàm ante ſe relinquunt Chronologiam, ibidem.
Onchelos Rabbi ſignificat Aquilam. Quare cum Aquila illo, qui verſionem fecit de textu Hebræo Græcam confundi ſolet, p. 8. n. 17.
Opiniones hominum etiam Doctorum quam miram adhæſionem quandoque ad extremè oppoſita ſubinduunt, atque teſtantur, p. 319. Opinari quoad hiſtorica ſemper debet narrationi adhærere, & non inde diſcurrendo peregrinari, p. 489. n. 9.
Origenes Vide *Tetrapla.*
Originale peccatum olim tollebatur per circunciſionem, vel remedium legis naturæ ſeu proteſtationem fidei Parentum, Dec. 2. quæſt. 2. per totam. Remedium legis naturæ ad tollendum originale quomodo ſe haberet comparativè ad circunciſionem, p. 451. n. 10. Pro originali tollendo quandiu duraverit remedium legis naturæ, p. 511.
Oſeas Prophetiæ tempus, & ſumma, p. 23. Author, & Idoma, p. 37. Adagia 87. Interpretes 114.

P

PAlæſtina in exordio mundi ſingulariter à Deo reſpecta, p. 129.
Paralypomenon argumentum, & capita, p. 20. Author, & ſtylus, p. 32. Adagia, p. 59. Interpretes 111.
Paraphaſis Chaldaica per quos Rabbinos fuit compoſita? p. 8. n. 17. Vide Thargum.
Pater. *Dormire cum Patribus ſuis, apponi ad Patres ſuos*, quid ſignificet? p. 289.
Sancti Patres, Ecquando in ſuis pronunciatis de re opinabili non prorſus cogant ad ſuſcribendum, p. 306. Eorum authoritas dum confuſa eſt, non facit argumentum convincens, quando ex altera parte militat Sacer textus ſatis clarus, p. 322. Quadrupliciter exponitur tenor, & modus excipiendi SS. Patres in ordine ad ſuffragandum, reffragandumve alicui ſententiæ, p. 498.
Paulus vide *Epiſtola*, An & quomodo obſervavit legalia? p. 463. & ſeq. Pauli reprehenſio. Vide *Reprehenſio*, Quomodo reprehenderet ea quæ alias ipſe vſurpabat, p. 501. Eius reſiſtentia in faciem Petri quomodo intelligenda? p. 501.
Permiſio quadrupliciter conſiderari poſſunt ex Abulenſi, p. 237. n. 1. Quomodo circa vſuras ad extraneos, & circa vindictam? p. 242. n. 9. & circa Polygomiam? ibidem. Non eſt reſpectu vtriuſque contrarij, p. 282.
Petrus non peccavit amputando auriculam Malchi, pag. 280. & ſeq. Circa Myſterium Paſsionis quomodo ſe habuit? 283. Se geſsit in defenſione Domini ſtrenuè, & non temerè, 284. An & quomodo obſervavit legalia? pag. 463. & ſeq. An idem cum Cepha? pag. 187. Petri reprehenſio; vide *Reprehenſio.* Petrus reprehenſus an reſponderet quidquam? pag. 499.
Philoſophia Theologiæ ancillatura eſt, Decad. 1. quæſt. 1. pag. 126.
Piſcis Tobiæ quomodo Dæmonem expulerit? pag. 298.
Planetarum motus errantes in Cœlo ſolido quomodo componantur? pag. 144.
Pluviæ quando incœperint? pag. 191. num. 4.
Pœnitentia Salomonis Vide *Salomon.* An in ſcripturis mos ſit ad aliquorum crimina pœnitentiam adnectere, pag. 293. & 295. Pœnitentia Abraham de Idolatria cur non memoretur? pag. 323.
Pontificatus Pontificis pro tempore exiſtentis quomodo ſit fidei? Vide *Fides.* Præ-

Præcepta iuris naturæ primaria, & ſecundaria, & eorum differentiæ, pag. 242. num. 9. & 10. Præcepta Cœremonialia, & iudicialia abrogata ſunt, pag. 437. num. 2. & 3. Præcepta moralia An & quomodo abrogata eſſe cenſeantur? pag. 439. num. 6. Præcepta vitæ agendæ, & ſignificandæ quæ ſint? pag. 438.

PRÆDESTINATIO. Hæc vox per typographi in Curiam vel oſcitantiam poſita eſt in titulo quæſtionis, pag. 176. & deinceps; cum tamen ibi debuiſſet ſcribere de PERDITIONE facta per diluvium. Quod etiam hic monitum volumus nequiſquam nos accuſet ſuper hoc titulo: quem tamen etiam noſtra ſententia ſatis ſalvat, dum ſalvat plures de pereuntibus in diluvio, pag. 176. & ſeq.

Prædicatio Chriſti apud inferos ex textu D. Petri An & quomodo intelligenda? pag. 177. à n. 2.

Priuſquam, & *antequam* quo tenore ſignificent, pag. 332. num. 17.

Productio vnius ex alio familiari loquutione accepta non indiget ad ſui veritatem aliqua effectrice virtute, pag. 298.

Prohibita quia mala, & mala quia prohibita vnde ſunt dignoſcenda, pag. 439.

Prolegomena S. Scripturæ, p. 1. & ſeq. De eis ſcriptores plurimi, pag. 13.

Prophetarum claſſes, & diviſio, pag. 22. & 37.

Proverbia, vide *Sapientiales*.

Pſalmorum argumentum, & numerus, pag. 21. Author, & Idioma, pag. 35. Adagia 61. Interpretes, pag. 111.

Pythonicus Spiritus quis ſit, & quotuplex, atque vnde manaverit? pag. 271. num. 2. Pythoniſſa an ſuis artibus ſuſcitaſſet verè Samuelem? pag. 272. & ſeq.

Probatio Biblica, ſæpè eſt complexa, & ſæpè id inculcatur: quo id à propugnantis mente non excidat, pag. 310.

Q

QUadros D. Ludovicus de Aillon, & Quadros primarius Profeſſor Hiſpalenſis edidit in vniverſam Scripturam Elucubrationes Biblicas volumine vno comprehenſas, pag. 19.

Quæſtioni reſolvendæ, quæ fundamenta ſint ſatis, demptis Authoribus expreſſe eam tenentibus? pag. 188. n. 23. Quæſtioni implexæ ſuccumbere, & eam præterire myſterio, ſolum decet primos Doctores, qui plurima mirè tractarunt, & qui vbique docent enucleando, & cedendo, pag. 196. num. 6. Quæſtionis genus multiplex, pag. 243. n. 1.

R

RAphael Arcangelus comes itineris cum Thobia, pag. 296. Neque ſuperſtitionem, neque mendatium commiſit in his, quæ cum Thobia dixit, & egit, pag. 303.

Reges. Totius hiſtoriæ Regum compendium, ſeu diviſio, & ſumma per capita, 19. Eorum Author, & Idioma, pag. 31. Adagia, pag. 58. Interpretes, pag. 110. alias 104.

Regulæ S. Scripturæ per Decades diſtributæ, pag. 42.

Reprehenſio Pauli in Petrum quomodo diſcutienda ad convellendas propoſitiones hæreticas, quæ inde conſurgunt? pag. 491. Hæc reprehenſio fuit ſeria, & non ſimulata, pag. 493. Facta fuit licitè à Divo Paulo circa factum in quo Petrus neque graviter, neque leviter peccave-

caverat, pag. 494. Quomodo hæc ritè componi posit, & iustè adhiberi, vbi nulla adest culpa? pag. 496. Res declaratur exemplo. Ibidem, & 497.

Reprobationis sententia in opinando non nisi gravatè amplectenda, pag. 185. num. 19.

Repudij libellus an fuisset licitus? pag. 237. an & quomodo dissolveret Matrimonium? pag. 238. n. 3. Et absurda sequuta, si non dissolveretur, num. 4. An & quomodo ad duritiam cordis permissum? num. 5. Quomodo talis libellus à Christo reprobatus? num. 6. Repudiata mulier quomodo esset polluta, & abominabilis? & quæ causæ ad repudium? num. 7. Erat viri ad vxorem, non vxoris ad virum, num. 9. etiam in vsu fuit apud Medos, & Persas, ac Philistæos, n. 10. Eius formula, num. 11. Vide pag. 507. & errata ibi, & 509.

Respublica Iudaica quot genera habuit administrandi? pag. 19.

Resurrectio mortuorum ex apparitione Samuelis confirmatur, pag. 273. num. 8.

Ruth. Eius libri synopsis, & capita, pag. 19. Adagia, & Phrases, pag. 58. Interpretes, 110. alias 104.

S

SAbbati observatio varia, varijs textibus exponitur, pag. 154.

Sacra Scriptura siquid apertè sonat, humanis cogitationibus legem ferat, pag. 147. S. Scripturæ etiam sonus retinendus est, quando sensus non penitus in clarescit, pag. 178. num. 5. Author primarius Deus, pag. 1. num. 1. & part. 3. n. 4. & pag. 41. ad finem eius materia, & argumentum ac nomina, pag. 1. num. 1. finis, pag. 3. num. 5. Veritas, & auctoritas, pag. 4. num. 6. Stylus, & Idioma, pag. 5. num. 9. Obscuritas an sit, & vnde proveniat? pag. 9. num. 23. Eius studium quo apparatu ineundum, pag. 12. n. 29. Sensus. Vide *Sensus*. S. Scripturæ œconomia, pag. 15. Authores, sive sacri Scriptores, & Idioma librorum, pag. 30. & seq. Regulæ, pag. 42. Adagia, Phrases, & idiotismi, pag. 52. & seq. Interpretes, pag. 107. Vide *Biblia*. Antilogiæ. Tautologiæ, & Etimologiæ, pag. 106. De eius sermone, & significatione Verborum doctrina specialis, & observanda, p. 326. num. 1. & seq.

Sacramenta veteris legis an & quomodo gratiam causarent, & à Sacramentis novæ legis discriminentur? pag. 430. & seq. Sacramenta novæ legis quomodo dicantur in Strictiori sensu continere moralitèr gratiam respectu veterum? pag. 436.

Salomonis peccata, pag. 286. Ætas, dum fuit ad vitia prolapsus, ibid. Monita ex eius lapsu elicita, pag. 287. Egit pœnitentiam, & salutem æternam obtinuit, pag. 288. Scripsit post peccata librum Proverbiorum Cantica, & Ecclesiastem, pag. 290. Excelsa an & quomodo abstulerit, pag. 291. Ubi eius pœnitentia signetur? pag. 292. Regnum eius cur divisum? 293. Cum Saule comparatio, pag. 294.

Samuelis anima an verè apparuisset Sauli, pag. 271. Saulis Historia dum consulit Pithonyssam, pag. 271. n. 1. Saulis cum Samuele colloquium articulatim expenditur, pag. 277. num. 16.

Sanctificare quomodo accipiendum est in Sacra Scriptura? pag. 328. Sanctificatio in vtero quomodo Ieremiæ, Paulo, alijsvè convenerit, pag. 331.

Sanſon vtrum licitè duxerit Philiſtæam, pag. 267. n. 3. Spiritu Dei ad id movebatur, ibid.

Sapientia. Sapientiales libri quinam ſint, & quodnam eorum argumentum, & diviſio? pag. 21. Eorum Authores, & Idioma, pag. 21. Adagia, pag. 64. 69. 72. 73. Interpretes, p. 112. & 113.

Scriptores Sacri quomodo afflati ab Spiritu S. pag. 5. n. 10.

Secretum Domini etiam Parentibus cellandum eſt? pag. 270. n. 10.

Senſus Sacræ Scripturæ multiplex, pag. 10. n. 24. Senſus litterales quomodo eruendus? ibid. Supra eum fundandus eſt myſticus, pag. 11. n. 25. Senſus myſticus quomodo eruendus, & An multiplex eiuſdem loci, dignior-que litterali, aut vtilior? pag. 11. n. 26. Senſus litteralis poteſt eſſe duplex, & multiplex, pag. 11. 179. 182. & ſeq. Duplex ſpeciatim ſtabilitur circa text. Epiſt. 1. Petri, p. 181. n. 8. Senſus accomodatitius quiſnam ſit, & quomodo vſurpandus? pag. 151.

Simul in creatione quid valeat? pag. 156. n. 8.

Simulatio in negotio Religionis an ſubſtineri poſsit? pag. 482. Simulatio obligationis vbi non adeſt, ſuſtineri poteſt ſine errore, & mendacio, pag. 483. Simulationes aliquæ in factis vſurpatæ à Sanctis viris quomodo intelligendæ? p. 484. Simulatio Naamam Siri, & Iehu ad perdendos cultores Baal quomodo intelligendæ? pag. 484. Simulationes Pauli quoad legalia expenduntur, pag. 485.

Sodomittæ, & Ægyptij an omnes damnati? pag. 187. n. 21.

Sol, & Luna ſtare naturaliter poſſunt, pag. 257. n. 3. Quomodo ſtetit per miraculum tempore Ioſue? pag. 248. num. 8. An pabulo indigeat? num. 10.

Sophonias: prophetiæ tempus, & ſumma, pag. 24. Author, & ſtylus, p. 38. Adagia 88. Interpretes 114.

Spiritus quis erat qui ferebatur ſuper aquas? pag. 145. Spiritus incredulí de temporibus Noe quomodo interpretandi? pag. 177. Probandi an ex Deo ſint, pag. 269. num. 8. Septem Spiritus Apocalypſis diſcutiuntur, pag. 308.

Stellæ an, & quomodo intelligantur eſſe caſuræ, pag. 313. Earum magnitudo ibidem. Mathematicorum ſententiæ circa ſtellarum lucem, & caſum, pag. 314. num. 4. & 5. Ipſas verè eſſe caſuras defendit pugnaciter Maldonatus, pag. 314.

Sterilitas in lege veteri an maledicta? pag. 412.

Synagogam cum honore ſepeliri: quomodo intelligendum? pag. 465. num. 7. & 8.

T

TAbernaculum legis veteris quandiu in ſuo ſtatu permanſit? pag. 448. n. 5.

Talmud Rabbinorum fabulas texit, p. 8. n. 17.

Targum ſive paraphraſis Chaldaica in quos libros ſit, & à quibus Authoribus, p. 8. n. 17.

Tautologiarum Scriptor celebris, & Vberrimus R. Villarroelius.

Tempus quomodò incœperit, Dec. 1. quæſt. 2. p. 133. Quomodo concreatum cum Cœlo? p. 135. Autumnale, & vernum expenditur, p. 161. n. 6. &c. Tempus in exordio fuit etiam informe, & poſteà formatum, p. 208. n. 5.

Tenebræ an, & quandiu præceſſerint lucem primà die mundi? Dec. 1. q. 2. p. 131. Cur ante lucem? p. 134. Alicubi gentium trimeſtres ſunt, p. 136.

Testamentum cur appelletur Sacra Scriptura, & est duplex; vetus, & novum, p. 1. n. 1. & seq. Testamentum novæ legis quando confirmatum est? p. 44. Testamenti veteris, & novi valor quomodo considerandus? p. 458. n. 10.

Tetrapla, Hexapla, & Octapla Bibliorum coordinavit Origenes, pag. 7. n. 15.

Textus Hebraicus, an syncerus maneat, & incorruptus? p. 6. n. 13. Textus Græcus novi Testamenti an incorruptus? p. 8. n. 16. Ad ambiguitates tollendas servire potest, p. 8. n. 16. Textus aliquis Sacræ Scripturæ quo tenore dici possit nos cogere ad tenendum id quod significat? Ubi latè traditur singularis doctrina pro rei huiusce modi intelligentia, pag. 333. n. 19. & seq.

Thare: an, & quando fuisset Idolatra, p. 322.

Theodotion, & Ionatham significant *Donum Dei* vnde ab aliquibus creditur idem esse *Theodotion*, & Rabbi, *Ionatham* Author Thargùm, p. 8. n. 17. Theodotionis versio quatenus adhuc retineatur? p. 7. n. 15.

THISRI Chaldaicè valet initium, pag. 161. n. 5.

Threni Ieremiæ, p. 23. Eorum adagia 83. Interpretes 114.

Tobias: eius Historiæ compendium, & capita, p. 21. Libri Author, & stylus, p. 33. Adagia, p. 60. Interpretes 111. Ipsius Historia de itinere, & pisce immani, p. 296.

Traducere quid sit in rigore Latino? p. 402. & 407.

Translatio veteris legis, & Sacerdotij quomodo intelligenda? p. 457.

V

VAllesius Author pius, & egregius in sua Philosophia sacra, p. 307. n. 21.

Vellum templi scissum quid significet? p. 457.

Venari in exordio mundi quomodo licuerit? p. 17. n. 6. & 7.

Veracitas non læditur per insidias: quod fusè discutitur, & explicatur, n. 10. & seq.

Verba Sacræ Scripturæ quomodo pendeant ex placito humano, Deo nihilominus in ipsis loquente? p. 335.

Versionis Septuaginta quæ fides? pag. 197. n. 4. & p. 199. n. 7. & 201. &c. Quæ origo, & Historia? p. 6. n. 14. Corrupta est teste D. Hieron. multis in locis, p. 7. n. 14. Eius auctoritas post Vulgatam, p. 7. n. 14.

Versiones Græcæ quot? & quales earum Authores? p. 7. n. 15. Versio Syriaca in quos libros extet novi Testamenti, & à quo, & quæ eius vtilitas, & integritas? p. 8. n. 18. Vide *Editio*.

Vesper significat tenebras, Dec. 1. q. 2. p. 131. Varie accipitur, p. 134.

Via *ambulare in vijs alicuius* quomodo intelligendum? p. 289.

Vindicta: Vide *Permissio*.

Virginitas in lege veteri, an fuerit præcepti; an Consilij? p. 412. n. 8. In lege veteri quomodo probrosa, & planctu digna? p. 418. n. 17. Virginitas, & Maternitas Deiparæ ambæ incomparabiles? p. 419. Virginitatis votum. Vide *Votum*.

Votum castitatis in Deipara cum matrimonio quomodo cohæreat? p. 372. An, & quando illud elicuerit B. V. Maria? p. 409. Nuncupatum fuisse defenditur ab initio vsus rationis, p. 410. Quomodo cohæreat cum carentia fomitis in Deipara? p. 414. n. 10. An conditionatum fuerit, vel absolutum? p. 415. n. 12. An ex Parentum consensu? p. 416. num. 13. Primatus in vovendo semper Deiparæ reservatur, pag. 418. n. 16.

Vr Civitas Chaldæorum est, ita vocata

ta ab igne, quem ibi pro Deo colebant Chaldæi, p. 324.
Vsura. Vide *Permissio.*
Vsus vitæ est pertinentissimus ad Authorem, p. 169. n. 6. Quoad bruta aliquandiu quomodo prohibitus? p. 170. Dupliciter prohibitus, ibid. Vsus rei omninò impeditus, vel nullus, an cohæreat cum vera translatione dominij, p. 413. Vide *Dominium.* Vsus legalium tripliciter accipiendus, p. 463. n. 3.
Vulgata versio: quà auctoritate donata est à Tridentino? p. 197. n. 4. Potest interdum corrigi ex textu Græco, p. 8. n. 16. Quænam versio sit, & quem habeat authorem, quamque auctoritatem? p. 9. n. 19. & seq.
Vxores inter tribus quomodo sumi possunt p. 359. Vxor, & sponsa promiscue vsurpari solent, p. 368.

X

XAntes Pagninus tradit, radicem Hebraicam huius vocis *iraſci* significare ardorem, p. 232. n. 2.
Xenophon ait in Bello nihil esse vtilius dolò, p. 245. n. 4.

Y

YStela opinatur non fuisse idem Oleum pro Regibus, & Pontificibus olim vngendis, p. 228. n. 2.

Z

ZAcharias: Prophetiæ tempus, & summa, p. 24. Author, & stylus 38. Adagia, p. 88. Interpretes, p. 114.
Zelotypiæ aquæ erant in lege ad evacuandam suspicionem de vxore, p. 241. n. 7. Zelotypia non laboravit Sanctus Ioſephus de sua Sponsa, p. 400.
Zorababel, & Salathiel relati apud Lucam: an sint diversi ab alijs quos Mathæus recenset? p. 360.

NOTA: Quòd verbo *Gentiles* citatur vna, vel altera pagina ad quam non pertingit opus; sed in illis paginis, quæ postremæ sunt, rem inveniens.

FINIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL
S . TA

Signat.ª Top.ª
Est. 9
Tab. 3
Núm. 1

PALESTRA

BIBLICA

TOM. I

3610